This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Delphi 96
Σ 4 96
2941 e. 242

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

P. OVIDII NASONIS

OPERA OMNIA.

VOL. VI.

Digitized by Google

Digitized by Google

P. OVIDII NASONIS

OPERA OMNIA

EX EDITIONE BURMANNIANA

CUM NOTIS ET INTERPRETATIONE

IN USUM DELPHINI

VARIIS LECTIONIBUS

NOTIS VARIORUM

NOTITIA LITERARIA

RECENSU EDITIONUM ET CODICUM

ET

INDICE LOCUPLETISSIMO

ACCURATE RECENSITA.

VOLUMEN SEXTUM.

LONDINI:

CURANTE ET IMPRIMENTE A. J. VALPY, A. M.

1821.

Digitized by Google

Digitized by Google

NOTÆ VARIORUM

IN

P. OVIDII NASONIS OPERA.

Digitized by Google

*** NOTÆ VARIORUM, quas Delphinius Editor, D. Crispinus, excerpsit, textui nostro jam subjunctæ sunt; ut et aliæ quædam, inter VV. LL. insertæ: quare hic non iterantur.

Digitized by Google

NOTÆ VARIORUM

IN

P. OVIDII NASONIS OPERA.

EX EDIT. B. CNIPPINGII,
AMSTELOD. 8vo. 1702.

HEROIDES.

EPIST. I. PENELOPE ULYSSI.

Heroides hic liber a Prisciano lib. x. appellatur, nec alio eum nomine a Scholiaste Metamorphoseon inedito passim citatum deprehendi: vere, ut opinor. Sarisberiensis quoque Polycrat. I. 12. 'Naso,' inquit, 'in libro Heroidum.' Epistolas tamen Ovidius ipse libro III. Artis Amatoriæ videtur nuncupare, ubi de suis scriptis, 'Vel tibi compositæ cantetur Epistola voce: Ignotum hoc aliis ille novavit opus.' Neque aliter membranarum pars potior: quanquam et in nonnullis duplici titulo, *Heroides sive Epistolæ*, hoc poëma inscribitur, quomodo Platonem, Ciceronem, aliosque tam in Græcis quam Latinis magni nominis scriptores gemino nonnunquam titulo suas lucubrationes ornasse est in comperto. Cæterum quod Ovidius versibus paulo ante prolatis se auctorem primum atque inventorem facit hujus generis epistolarum, liquet hinc, eam Arethusam ad Lycotam, quam apud Propertium lib. IV. extat, ad imitationem nostri fuisse conscriptam, Nasoniqne solidam Heroidum pangendarum ac principem gloriam omnino deberi. Ad epistolam primam quam observavimus, levioris pleraque momenti sunt, quod Puteaneus codex, qui fide atque integritate reliquos omnes magno numero a me inspectos longe antecellit, hac ex parte esset mutilus. *Heinsius.*

1 *Hæc tua, &c.*] Omnes libri scripti, quibus et in hoc volumine et aliis emendandis usus sum, perspicue habent *Ulixe*. Duxit autem Ulixes Penelopen uxorem Tyndarei auxilio, quod ei consilium dederat, quo modo Græcorum omnium Principum, qui Helenam filiam suam uxorem petebant, gratiam et amicitiam esset retenturus. Apollodorus lib. III. Bib-

Digitized by Google

lioth. *Cicfanus. Tua Penelope*] Quæ tibi hactenus in tanta procorum turba pudice vixit, et conjugalem torum sine labe servavit. *Antonius. Penelope*] Hæc Amyre, vel Arnæa primum, dein Penelope dicta, ab ejusdem nominis avibus, quæ expositam a parentibus educaverunt, ut Pindari scribit interpres. *Parrhasius. Hanc tua Penelope*] Suasorii generis est hæc ad Ulyssem Penelopes epistola: hortatur enim conjugem, ut, vastata Troja, cæterisque Græcorum ducibus in patriam reversis, et ipse tandem domum redire festinet. *Tua*] Benevolum sibi facit Ulyssem. *Gav. Merula. Lento*] Moram trahenti, et quasi tepido in amore viro. *Ipse*] Qui annos viginti absens fuisti. *Ant.*

2 *Nil mihi rescribas: attamen ipse veni*] Rectius distinguas post τὸ *attamen*; ut edendum curavimus: neque aliter in uno codice Florentino viri humanissimi Caroli Strozzæ inveni. Epist. VIII. 'Non tu mille rates sinuosaque vela parabis, Nec numeros Danai militis: ipse veni.' Johanni Friderico Gronovio, viro ad ornandas hasce literas ac promovendas unice nato, mihique conjunctissimo, legendum videbatur, *Nil mihi rescribas ut tamen; ipse veni:* argute, mehercule, et venuste: quomodo et initio epistolæ Herus noster, 'Quam mihi misisti verbis, Leandre, salutem, Ut possim missam rebus habere; veni.' *Heins. Nil mihi rescribas*] Sententia hæc videtur esse: Scribo tibi quidem hanc epistolam, non tamen ut rescribas adeo, aut literæ mihi veniant tuæ: ipse veni. Vide hac de re Clariss. D. Gronov. in observat. I. 22.

3 *Troja jacet*] Indicat facile fore quod proponit: potes redire, nam Troja jacet, diruta est. Dicta est Troja a Troë rege, Erichthonii et Callirrhoës Scamandri filio. Antea Teucria a Teucro; et Dardania a Dardano dicebatur. *Ant. Jacet*] Sicut enim urbes, cum ædificantur, aut florent, dicuntur stare, aut surgere; ita cum dirutæ sunt, dicuntur jacere et cadere. Virg. 'Ceciditque superbum Ilium.' *Jacet*] Hujus verbi antitheton, manet, stat: Virgil. Æn. II. 'Trojaque nunc stares, Priamique arx alta maneres.' *Certe*] Distinguendum est, ut non dicamus *certe jacet*, sed *certe invisa:* non enim necesse est affirmare Ulyssem, quod *Troja jacet;* quia hæc ipse satis sciebat, qui fuerat præsens, et fuerat etiam ex magna parte auctor illius ruinæ. Dicit ergo, *certe odio habita. Danais puellis*] Heroidib. Græcis. *Danais*] Danai a Danao rege dicuntur, qui ante Pelasgi dicebantur, et Argivi. *Puellis*] Quibus, non solum sexum, sed ætatem significat, quia adolescentulæ mulieres nuper nuptæ molestius ferunt maritorum absentiam. *Ant.*

4 *Vix Priamus tanti*] Ut tamdiu absis nimirum. Frustra igitur se exercent hoc in loco viri eruditi. Fuit cum et ego versum unum alterumque excidisse suspicarer: sed nullus excidit. *Heins. Vix Priamus tanti totaque Troja fuit*] Priamus et tota Troja non fuit tanti, id est, tota jactura quam Priamus cæterique Trojani acceperunt non fuit tanti, quanti mea, quod te marito ob bellum Trojanum carui. *Scoppius.*

5 *O utinam*] Precatur in Paridem, cum hac poëtica exclamatione: qui cum Helenam rapuit, tantorum malorum præbuit causam. *Ant. Lacedæmona*] Lacedæmon Peloponesi urbs, Menelai regia, nuncupata a Lacedæmone Jovis filio ex Taygete, Atlantis et Pleiones. *Idem.*

6 *Adulter*] Paris Priami filius: quem per iram proprio nomine appellare non potuit, sed per contumeliam 'adulterum' dixit. *Obrutus esset*] Oppressus et submersus. *Idem. Inoenis æquis*] Id est, magnis; in alto furentibus Hellesponti undis. *Idem.*

Digitized by Google

7 *Non ego deserto*] Exponit incommoditates suas. Et mire exprimit mulieris, quæ legitime amat virum suum, ingeniam: quod dicendum fuit, ne quis Penelopen impudicam a Poëta effictam putet. *Ciofan.* *Frigida*] Sola. *Ant.*

8 *Relicta*] Per viginti annos a te destituta. *Tardos dies*] Qui longiores videntur absentia tua: ut Horat. in Epist. inquit: 'Ut nox longa, quibus mentitur amica, diesque Longa videtur opus debentibus.' Non, inquit, die et nocte sollicitarer, si Paris Helenam non rapuisset. Auget enim πάθος a tempore. *Ant.*

9 *Nec mihi, &c.*] Πάθος a facto: ut procos falleret, quantum telæ die texuerat, tantundem ad lucernam nocte detexebat. Pollicita enim erat, se tunc virum accepturam, cum telam finivisset, qua integeretur Laërtes senex, cum fatum contigisset. Fallaciam deprehendit Antinous, unus ex procis, ancilla referente, ut Homerus auctor est. *Fallere noctem*] Hoc est nocte procos fallere. *Ant.* Eodem modo in Epistol. ad Leandrum dicit, 'decipere noctem.' *Ciofan.*

10 *Pendula*] In telario ad opus conficiendum patens. *Ant.*

11 *Quando ego, &c.*] A corporis labore ad animi sollicitudinem transit, instans interrogando. *Ego*] Quæ bellicos eventus considero. *Graviora pericula*] Majora quam possint accidere. *Idem.*

12 *Res est solliciti*] Sententia auget miseriam. Sunt (inquit) in amore perpetuæ sollicitudines: unde apud Plaut. amator adolescens, 'Quam miser' inquit 'est qui amat.' *Idem.*

13 *In te fingebam*] Animo commentabat. Exponit sollicitudines, commemoratione periculorum. *Idem.*

14 *Nomine in Hectoreo*] Quoties Hector aliquid gessisse dicebatur. *Idem.*

15 *Sive quis Antilochum narrabat ab Hectore victum*] Politianus in Miscellaneis *Amphimachum* reponit: quod Antilochum a Memnone occisum, non ab Hectore, tam Homerus, quam Q. Calaber, Dictys Cretensis, Pindarus, Pyth. Od. VI. alii testentur. In contraria ivit Janus Parrhasius Epistolicis Quæstionibus, ut et Ciofanus. Certe Hyginus fab. 113. ab Hectore occisum innuit, et cum Ovidio hac in re consentit, quasquam paulo ante, fab. nimirum, 112. diversam opinionem secutus. *Heins.* *Antilochum*] Nestoris filium, quem Quintus poëta non ab Hectore, sed a Memnone Auroræ filio interemptum scribit. Fuit et alius Antilochus, Herculis filius, quem Paris trucidavit. *Ant.* Nos vero non Antilochum, non Amphimachum, sed Archilochum legendum autumamus. Dares namque Phrygius, qui illi bello interfuit, ait, quod Hector Archilochum regem interfecit, et Æneas Amphimachum. *Scopp.*

17 *Menœtiadem*] Patroclum Menœti filium, cum Opuntem puerum peremisset, ad Peleum fugit. Is Achilli filio socium dedit in bello Trojano: cumque Achillis indutus armis pugnaret, Apollo in formam Asii Dymantis filii incitat Hectorem ad pugnam, cui congredientem Patroclum armis exuit, perfractis fibulis, et trucidandum objecit: ut scribit Hom. Iliad. XVI. et Hygin. c. 106. *Falsis*] Non suis, sed Achillis. *Ant.*

18 *Successu*] Optato eventu: dolui, quod ut optabatis, non successit: vel quod Patroclo capienti Achillis arma, parum processerat dolus. *Idem.*

19 *Sanguine Tlepolemus*] Phyleus Thesprotiorum rex filiam habuit Astyochen, ex qua Hercules filium Tlepolemum genuit. Is cum in domo paterna Lycimnium patris germanum trucidasset, veritus ultionem, fugit, et Rhodi in partem regni receptus est, unde navibus novem in obsidionem Trojanam venit: hunc Sarpedon Lyciorum rex interemit. *Ant.* *Lycium*]

Digitized by Google

Propter Sarpedonem Lyciæ regem, qui Tlepolemum interfecit, a Patroclo ipse postea interfectus, cujus cadaver in Lyciam delatum ibidem scribit Homer. *Ciofan.*

20 *Novata est*] Crevit, et aucta est: maxime sui sollicita, cum Lycii Sarpedonis hasta Tlepolemum cecidisse percepi. *Ant.*

21 *Denique quisquis erat*] Colligit, se maxime sollicitari ad omne aliorum periculum. *Jugulatus*] Vulneratus et extinctus. *Castris Achivis*] Inter Græcos milites. *Idem.*

22 *Amantis*] Penelopes. *Frigidius glacie erat*] Timore frigescebat. *Idem.* Sic Virgil. Æneid. VI. 'Gelidus Teucris per dura cucurrit Ossa tremor.'

23 *Sed bene consuluit*] Locus ab auctoritate Deorum, illis curæ fuisse quod optabat. *Deus*] Aut ad Hymenæum aut Cupidinem referas: sed de Hymenæo placet. *Casto amori*] Conjugali. *Ant.*

24 *Versa est in cineres*] *In cinerem* septem libri, idque rectius. Noster Met. l. II. 'Cumque suis totas populis incendia gentes In cinerem vertunt.' *Heins.* *Sospite viro*] Ulysse, id enim potuit ex Telemacho scire, qui eadem ex Nestore et Menelao audierat. *Ant.*

25 *Argolici, &c.*] Exemplo firmat suspiciones: alii rediere, tu solus cessas. *Duces*] Ut Nestor, et Agamemnon, et Menelaus. *Altaria fumant*] Sacris ob suscepta vota perfectis. *Idem.*

26 *Barbara præda*] Spolia Phrygum et Asianorum, qui barbari sunt. *Idem.* *Ad patrios Deos*] In templis Deorum et laribus appendunter, ut veteres facere consueverunt, qui postibus templorum arma suspendebant. *Idem.* Sic Virgil. Æneid. III. 'Ære cavo clypeum, magni gestamen Abantis, Postibus adversis figo, et rem carmine signo: Æneas hæc de Danais victoribus arma.' Æneas autem, ut Servius ait, apud Samothraciam in templo clypeum hunc consecravit, quod poëta in transitu attingit.

27 *Grata ferunt Nymphæ*] Νύμφαι, *nuptæ*. Græcissat hic Ovidius: vide Festum in *Nupta*. Parum tamen abest, quin a Nasone exaratum opinor *nuptæ;* nam alterum paulo insolentius. *Heins.* *Grata ferunt*] Aliarum fortunam commendat, quarum mariti redierunt, ut justior sit ejus querela: aliæ Diis vota persolvunt pro maritis salvis, mihi perpetua querela relicta est. *Nymphæ*] Heroides puellæ Græcæ. *Ant.*

28 *Troica fata canunt*] Codex Argentinensis satis antiquus cum uno Mediceo, *Troia fata*, magis poëtice. Certe Virgilius sic passim, apud quem 'Troica,' aut 'Troicus' nusquam invenias; etsi diversus ab eo Statius plerumque, et in Tragœdiis Seneca. Apud Ausonium in Epitaphiis Heroum, 'Troia cura,' et 'Troia tellus:' et Epigr. 111. 'Troius Æneas,' ad exemplum Maronis. Noster Epistola Didus sub finem, 'Troius ensis,' ut puto scribendum: et Epistola Paridis, 'Troia classis adest,' ex antiquis libris. 'Troia pineta' ibidem: et 'Troia conjux,' Epistola Helenæ: ut 'Troius hospes,' ibidem: lib. III. Art. Amat. 'Troie raptor,' ex veteri codice: l. II. de Ponto El. 10. 'Troia bella,' ut et illic emendandum censeo, etiam in Ibin vs. 416. 'Troia vela.' Stephanus in *Τροία*. Τὸ ἐθνικὸν Τρὼς, ὁμόφωνον τῷ κτίστῃ, ὡς Ἀχαιὸς, Δαναὸς, Ἀκελός· τὸ θηλυκὸν, Τρωὰς, καὶ Τρωϊὰς· ἢ παρὰ τὸ Τρόϊος Τρωϊὰς, ὡς Λέσβιος Λεσβιάς. Ἔστι καὶ Τρόα θηλυκῶς, καὶ Τρωὰς, καὶ Τρωϊὰς· καὶ Τρωϊκὸν τὸ κτητικὸν, καὶ Τρωϊή. Noster 'Troa agmina' dixit lib. XII. Metam. ut in optimo codice inveni: nam vulgo *Tota* legebatur vs. 74. 'Troaque Peliacæ sternebat cuspidis ictu Agmina.' 'Troiades' apud Perseum pro Trojanis: et in Catalectis veterum poëtarum de signis cœlestibus in

Digitized by Google

Eustheni carmine, ut quidem codices antiqui exhibent, 'Troiadesque puer, geminique sub æthere Pisces.' *Heins.* *Illi*] Qui redierant Græci. *Canunt*] Narrant. *Troia fata*] Nam proprie *fata viata*, quibus defensio Trojanorum consistebat: quæ cum diu Græcos fatigassent, et ab expugnanda urbe repellerent, tandem insidiis Sinonis victa sunt, equo ligneo armatis viris pleno in urbem introducto. Æneid. II. 'Fracti bello, fatisque repulsi, Ductores Danaum.' 'Fata' autem hæc Trojanorum dicuntur fuisse: Vita Troili, Conservatio Palladii, id est, simulachri Palladis, quod Trojani habebant in urbe: et ut sepulchrum Laomedontis, quod erat in porta Scæa, servaretur integrum: et ut equi Rhesi, de quibus inferius dicetur, possent a Trojanis recipi: hæc omnia fata vicerunt Græci. Nam Achilles Troilum secum congressum interfecit: Palladium vero ab Ulysse et Diomede clam noctu urbem ingressis, cæsis arcis custodibus, asportatum est. Equi Rhesi, ut infra videbitur, ab Ulysse et Diomede abducti sunt. Porta vero Scæa diruta est ab ipsis Trojanis, ut equus induceretur, et ita fata Trojana victa sunt, quod de his nunc est intelligendum. Vide Metam. lib. XIII. *Huber.*

29 *Justi senes*] Severi et graves: singulis suas denominationes addidit, senes 'justi,' et puellæ 'trepidæ.' *Ant.*

30 *Pendet*] Intenta est. *Idem.*

31 *Monstrat*] Ostendit q. ad oculum. *Ant.*

32 *Pingit et exigue*] Solebant Græci et Romani post cœnam crateras vini in mensam afferre, et multo habito sermone ad multam noctem somnum producere. Ex eo vino aliquid in mensam fundebant. Quem morem hic tangit Penelope, additque ab illis, qui in bello Trojano affuerant, uxoribus suis cæterisque domesticis, illo vino, quod super mensam vertebant, loca, in quibus cum Trojanis prælium fuerat commissum, ostendi, et universum Ilium, fluvium, aliasque illius urbis partes depingi. Eum etiam, quem supra exposui morem, indicat hic noster variis locis: 'Quod deducta mero littera fecit AMO.' Et, 'Verba leges digitis, verba notata mero.' Et, 'Non oculi tacuere tui conscriptaque vino Mensa, nec in digitis littera nulla fuit.' Tibull. Eleg. ult. lib. I. 'Ut mihi potanti possit sua dicere facta Miles, et in mensa pingere castra mero.' *Ciofan.* *Pergama*] Trojanæ urbis situm. *Ant.*

33 *Simois*] Fluvius Trojanus, cum Scamandro jungitur, et loca palustria efficit. *Ant.* *Sigeia tellus*] Campus. Sigeum Trojæ promontorium: cernitur illic navale, et Achivorum est portus, ut Strabo dicit. Illic etiam tumulus Achillis, Patrocli, et Antiochi constitutus est, quibus Ilienses quotannis sacrificant. *Idem.*

34 *Regia celsa*] Superba Priami domus, quæ erat in arce. *Idem.* *Priami regia celsa senis*] Hoc epitheton passim fere ab auctoribus datur Priamo. Ennius citat Priscian. lib. III. 'Cur veter occubuit Priamus sub Marte Pelasgo?' M. Tullius pro Sexto Roscio Amerino, cum vellet ostendere Antistium summa esse senectute hominem, vocavit eum 'Priamum.' *Ciofan.*

35 *Æacides*] Achilles, Æaci nepos, et Pelei filius. *Tendebat*] Tentoria figebat. *Bersman.*

36 *Hic lacer admissos terruit Hector equos*] Sic duo aut tres ex nostris codices, quomodo Baptista Egnatius primus castigavit. Perperam vulgo *alacer missos:* paria habes apud Actorem Elegiæ in mortem Drusi: 'Hoc fuit Andromache, cum vir religatus ad axes Terruit admissos sanguinolentus equos.' *Heins.* Qui etiam trepidare dicuntur. Cato, 'sedere non potest in equo trepidante.' Et Liv. dec. I. lib. VIII. 'Cum equus priori-

Digitized by Google

bus pedibus erectus magna vi caput quateret, excussit equitem.' Dicuntur et pavidi. Ovidius de Remed. II. 'Nec faciet pavidos taurus avitus equos:' item attoniti. Sil. XII. 'Attonito progressus equo:' et Homer. Iliad. Θ. Τὸν δ' ἵππω δεύοντε κατασπήσ̃ην ὑπ' ὀχεσφιν. *Hic lacer, &c.*] Alii ad tractum Hectoris hæc referunt: ut distractus Hector Achillis equos terruerit; et *lacer amissos* legunt. *Ant.* Constat enim Hectora circa muros Trojanos equis raptatum fuisse. Virg. lib. I. 'Ter circum Iliacos raptaverat Hectora muros.' Dum igitur traheretur Hector, equi aspectu cruentati cadaveris territi sunt. *Lacer*] Id est, vulneribus confossus, et dilaceratus: ut Virg. 'Vulneraque illa gerens, quæ circum plurima muros Accepit patrios.' *Admissos*] Ita Micyllus censet legendum, ut et Egnatius censuit: ut *admissos equos*, intelligamus veloces, sive incitatos: quemadmodum et alibi idem nomen poëta usurpavit: admittere enim equum est incitare aut urgere calcaribus. *Bersm.*

37 *Omnia namque tuo*] Unde res Trojanas intellexerit ostendit, in quo et ambiguitatem solvit, et domesticam solicitudinem aperit. *Nestor*] Pyliorum rex, et Nelei filius. *Senior*] Qui tertiam ætatem agebat. *Tuo nato*] Telemacho, de te sollicito. *Te misso*] Non enim Penelope Telemachum ad scitandum de Ulysse misit, sed ille sola nutrice conscia, consilio Minervæ, quæ se in formam Mentæ Anchiali regis Taphiorum filii verterat, Pylum ad Nestora, et Spartam ad Menelaum, clam matre concessit, a quibus cum res ad Trojam gestas accepisset, ad matrem retulit. *Ille*] Telemachus, filius tuus. *Ant.*

39 *Rhesumque Dolonaque cæsos*] *Rheson* Erfurtanus, Græca enunciatione; ut sæpe alibi. *Heinsius. Rhesumque*] Rhesus Eionei filius, Thracum rex, postremus castra locarat: ejus equi erant candore nivali, pernicitate ventis comparandi, currus auro argentoque ornatissimi. *Dolonaque*] Hector promissis Achillis equis, Dolonem Eumedis filium misit in castra Græcorum scrutaturum: illum Diomedes et Ulysses, qui de Trojanis exploraturi mittebantur, intercipiunt: promissa impunitate, Trojanorum consilia intelligunt. Deinde, interempto Dolone, Thracum castra invadunt: Diomedes dormientem Rhesum perimit, et socios duodecim: equos in castra abigunt, et ad præsepe inter alios Diomedis equos alligant. *Ant. Rhesumque*] Rhesus rex Thraciæ, Trojanis opem ferens, prima nocte ex longo itinere fatigatus in ipsis tentoriis ab Ulixe et Diomede una cum omni exercitu est interfectus. Homer. Iliad. X. Euripides in Rheso: et Ovid. Metam. l. XIII. quod tangit et in præclarissimo opere, quod Ibin vocavit: 'Nec tu quam Rhesus somno meliore quiescas, Quam comites Rhesi, tum necis, ante viæ.' *Ciofan.*

40 *Hic*] Rhesus. *Ille dolo*] Promissa erat Doloni impunitas, si Trojanorum consilia aperiret: sed Diomedes illum interemit. *Ant.*

41 *Nimiumque oblite*] Hoc hemistichium usurpavit Statius. Thebaid. lib. VII. 'Heu nimium mitis, nimiumque oblite tuorum.' *Ciofan.*

42 *Thracia*] Rhesii Thracii. *Nocturno dolo*] Per noctis insidias. *Ant. Tangere castra dolo*] In quatuor membranis *frangere castra:* quod non est de nihilo, pro perfringere, aut domare. Sed et *tangere* probum est. Sic apud Comicos, 'Tangere dolo aliquem,' 'Tactu est leno,' 'Probe illum tetigi;' et similia. *Heins.*

43 *Toi vires*] Non cædem Ulysses, sed Diomedes peregit, qui regem et socios duodecim trucidavit. *Ab uno*] Diomede, Tydei et Deiphiles Adrasti filio. *Ant.*

44 *At bene*] Εὐφημοῦσι. *Ante*] Quam a nostro amore discederes, cum te

Digitized by Google

tæ domus memoria et amor subibat: eras cautus: nunc cum perfrixeris, nulla vitas pericula. Persistit in amplificatione, ut quanta sit in amante amore solicitudo, monstretur. *Ant.*

45 *Usque metu micuere sinus*] Male libri nonnulli *tremuere*, aut *timuere*, aut *tumuere*, aut *metuere*, aut *riguere*. Epist. Œnones, ' Attoniti micuere sinus:' l. III. Art. Amat. fabula Procridis, ' Pulsantur trepidi corde micante sinus.' Fast. III. ' Terreor admonitu, corque timore micat.' Et mox, ' Corda micant regis, totoque e corpore sanguis Fugit.' Lib. VI. ' furtimque accedere tentat, Et fert suspensos corde micante gradus.' Plautus, Aulularia, Act. IV. sc. 3. ' Continuo meum cor cœpit artem facere ludicram, Atque in pectus emicare.' Ubi digitorum micationem ludum notissimum respexit. *Heins. Usque metu micuere sinus*] Cor præ formidine exiliebat. *Sinus* pro præcordiis usurpat. *Ant. Amicum per agmen*] Per Græcorum castra. Tantus mihi error ex hoc injectus est, ut etiam cum victor dicereris in castra Græcorum redisse, timerem. *Idem.*

46 *Ismariis*] Thraciis: est Ismaros mons et urbs Thraciæ. *Ant.*

47 *Sed mihi quid prodest*] Communicatione utitur: petit et consulit quid sibi prosit Trojanum excidium. Hac sciscitatione suspenditur animus, et ad commiserationem apparatur: in quo et facile sibi commiserationem conciliat, et lenti mariti increpat tarditatem. *Disjecta*] Diruta. *Idem. Vestris disjecta lacertis Ilios*] Sic apud Homerum Ἴλιος ἱερὴ non uno loco, et Ἴλιον ὀφρυόεσσα κατήριπεν; in Anthologia ' Troja superba ruit;' quomodo et ' Ilium superbum' Virgilio. Horat. ' non semel Ilios vexata:' et in Cataloctis Pithœi, ' Ilios en surgit rursum inclyta.' Noster l. I. Artis, ' Tunc cum tristis erat defensa est Ilios armis.' Ita enim veterrimi codices. Hic *Neritos* mons Ithacæ apud Græcos, quem *Neritos* Virgilio est; ' et Neritos ardua saxis.' Plurimi tamen scriptorum codicum, *disjecta Ilion* agnoscunt, ut apud nostrum Laodamiæ epistola, ' Ilion et Tenedos;' quod et Scaligero placebat, teste Bersmanno. Certe in antiquis libris apud Ovidium modo *Ilios*, modo *Ilion*, promiscue scribitur; ut Fastor. III. 71. IV. 505. V. 93. VI. 401. et in Metamorphosi non semel. Adeatur Stephanus in Ἴλιον. Noster Epistola Helenæ, ' Et fatum timeo monitus, quos igne Pelasgo Ilion arsuram præmonuisse ferunt.' Ita enim rescribi malim, pro vulgato *arsurum*: ut et Paridis Epistola, idque veteris libri auctoritate, ' Arsuram Paridis vates canit Ilion igni.' Sequenti versu in nonnullis membranis; *murus quo fuit ante*; ut apud Virgilium, ' Atque solum quo Troja fuit.' In nonnullis etiam, *quæ fuit*. Heins.

48 *Ilios*] Troja, ab Ilio Trois filio dicta. *Ant.*

49 *Si maneo*] Inopinatum subdit, ad communicationem; non enim Penelope eversa Troja se, ut ante, conjuge carituram opinabatur. *Si maneo*] Sine viro. *Troja durante*] Cum Troja stabat. *Idem.*

51 *Diruta sunt aliis*] Ab aliarum fortuna, suum mœrorem amplificat. *Aliis*] Ad fortunam aliarum puellarum. *Restant*] Non expugnata. *Idem.*

52 *Victor*] Græci victores. Ubi fuerat Troja, jam segetes crescunt, et metuntur fruges. *Idem.* ' Et campos ubi Troja fuit.' Virg. Æneid. III. Et Lucan. IX. Catonem inducit visentem Trojæ locum: ' Circuit exustæ nomen memorabile Trojæ, Magnaque Phœbæi quærit vestigia muri. Jam silvæ steriles, et putres robore trunci:' et alibi: ' tota teguntur Pergama dumetis, etiam periere ruinæ.' Ἔρρηξε χαμάζε. Eurip. Bach.

55 *Semisepulta virum*] Ossa insepultorum. *Feriuntur*] Inter eruendum percutiuntur. *Ant.*

Digitized by Google

57 *Causa morandi*] Non tam mora lædebat, quam quod moræ causam ignorabat; putabat enim alieno amore detineri. *Idem.*

58 *Lateas*] Curiosius est, quam si *maneas* dixisset. *In quo orbe*] In qua regione, et sic sæpe. *Idem.*

59 *Quisquis ad*] Suum officium laudat: Tu, inquit, lates, nec etiam ad me tenuis de te fama pervenit; ego de te semper curiosa sum. *Ad hæc littora*] Ithacensia. *Idem.*

62 *Charta notata*] Scripta. Hoc est, do literas ad te his omnibus, qui ex Ithaca navigaturi sunt in quamcunque orbis regionem. *Idem.*

63 *Nos Pylon*] Non ipsa misit, sed Telemachus, matre inscia, ad Nestorem, uti diximus, accessit. Pyli tres fuerunt urbes in Peloponneso: una in Lepræatica regione, alia in ora Pisea ad Alpheum flumen, tertia in Messenia. *Idem. Neleia arva*] Appositio, in quibus Neleus regnavit, qui duodecim filios suscepit, ex quibus tantum Nestor superstes mansit. Homer. Iliad. II. *Cioſ. Antiqui Nestoris*] Quod tria secula vixerit: unde ab Attio triseclisenex dictus est: unde observ. in lib. Fast. de Nestore: sic Hyginus. c. 10. Chloris in urbe Seti Amphionis filia, quæ ex septem superaverat; hanc habuit in conjugem Neleus Hippocoontis filius: ex qua procreavit masculos liberos duodecim. Hercules cum Pylum expugnaret, Neleum interfecit, et filios ejus decem. Undecimus autem Periclymenes beneficio Neptuni avi in aquilæ effigiem commutatus, mortem effugit. Nam duodecimus Nestor in Ilio erat, qui tria secula vixisse dicitur Apollinis beneficio. *Idem.*

64 *Fama*] De te. *Est remissa*] Scilicet mihi a Nestore. *Incerta*] Nestor nihil certi de te nobis retulit. *Aut.*

65 *Sparten*] Ad Menelaum, qui cum de Ulysse negasset scire, Telemachum remisit patera et peplo donatum: pateram Vulcanus effinxerat, peplum Helena texuerat. *Sparte nescia*] Menelaus Spartanus de te verum nescit. *Idem.*

67 *Mania Phœbi*] Troja ipsa. *Utilius starent*] Mihi minus molestum esset, si non esset eversa. Phœbus et Neptunus Laomedonti in fabricandis Trojanis mœnibus opitulati sunt. Colligit causas, ut quod dixerat, probabile videatur. *Aut. Mania Phœbi*, hinc etiam vocatur, Ἰλίου ἱερὸν ἄστυ. Calab. et Tryph. οἴχεται ἔργον ἀθανάτων, *Pergamum divina munitum manu.* Vide et Ovid. Ep. XVI. 180.

68 *Heu levis*] Mobilis: utitur correptione. *Irascor*] Improbo, quæ pro excidio Trojano vota suscepi. *Idem.*

69 *Scirem ubi pugnares*] Ecce causas utilitatis ostendit. *Ubi*] In qua orbis parte. *Idem.*

70 *Cum multis*] Multarum querelæ nostram faceret leviorem: nam et miseriarum societas solatii loco est. *Idem.*

71 *Ignoro*] Post diutam Trojam. *Idem.*

72 *Area lata*] Metaphora a soli spacio, ingens est curarum fluctuatio. *Aut. Area*] Spacium. *Lata*] Ampla. *In curas meas*] In meas solicitudines, et timores de te.

73 *Quæcunque æquor habet*] Ordo est, Ego suspicor quæcunque pericula, id est, omnia pericula, quæ æquor habet et tellus, esse causas tam longæ moræ: id est, quod tam diu mereris, suspicor fuisse causam periculorum, quæ tibi mari terraque potuerunt accidere. *Idem.*

75 *Stulte*] Temere et frustra. *Quæ vestra libido*] Maritorum inuit incontinentiam. Amas forte peregrinam puellam, quod pro insatiabili libidine facere consuevistis, ut neglecta uxore, alias ametis. *Aut.*

76 *Peregrino amore*] Alludit ad Circem et Calypso, cum quibus Ulysses multum temporis consumpsit: ex Circe Telegonum genuit, ex Calypso Atlantis filia Ausonem, a quo Italia

Digitized by Google

Ausonia nuncupatur. *Idem.*

77 *Fortitan et narres*] Præsumit quæ Ulysses objicere potuisset: id genus schematis Græce prolepsis, Latine præsumptio, ut Fabius meminit. *Narres*] Puellis, quas amas. *Rustica*] In cæteris rebus ignava, præterquam in lanificio: dicimus 'rudes,' qui nullum in suo studio cultum sortiti sunt. *Idem.*

79 *Fallar*] Hac mea opinione decipiar. *Vanescat*] In vanum, hoc est, in nihilum abeat; hoc est, non sit verum. *Idem. Vanescat*] Sic et Græci. Δῶ θοαῖς ἀέρος τάδε. Eurip. Troad. Et Homer. Odyss. Θ. 409. ἔνθ' ἄνεμος τὸν βίβασκε Δαιδῶν, ἤέρα τὸν φέρων ἀναπέξασαν ἔθελλαν. Unde Virgil. XI. 'partem volucres dispersit in auras:' 'inque notos vocem vertere procellæ.'

80 *Liber*] Cum sit in tua potestate redire. *Parrh. Abesse velis*] In patriam redire contendas. *Ant.*

81 *Me pater Icarius*] Persistit in præsumptione. Icarius ex Polycaste genuit Penelopem, Leucadium, et Alyzea: Penelope Icariotis est dicta ab Icario, qui filiam sollicitabat, ut Eurimacho uni ex procis nuberet. *Idem. Viduo discedere lecto*] Scilicet tuo, a te derelicto, et in quo sum tanquam vidua. *Huber. Viduo lecto*] Eodem sensu supra 'desertum' dixit, hoc modo infra Epist. Œnonis: 'Nunc jacet in viduo credulus ille toro:' et Seneca in Hippolyto, qui Ovidii maximus fuit imitator: 'Cur toro viduo jaces?' *Ciofan.*

83 *Tua sim*] Non alterius conjux. *Dicar*] A posteris volo a constantia conjugii laudari. *Ant.*

85 *Pudicis*] Pudicæ filiæ, quæ viri thalamum custodit. *Idem.*

86 *Vires*] Paternum jus. Sumptum esse videtur ex Romanis legibus, quibus sanciebatur, ut quam primum ætas ferret, ad conjugium cogi possent: ut Dion scribit. *Idem. Et vires temperat*] Id est, minuit impetum animi: quia quando videt me tam esse amantem tui, minus postea instat ut nubam alii. *Huber.*

87 *Dulichii Samiique*] Ab immodestia procorum arguit, ut ad ultionem accensus Ulysses redire festinet. Convenerant proci in Ulyssis regiam, Dulichii duo et quinquaginta, quos sequebantur famuli sex: Samii, viginti quatuor; Zacynthii viginti: Ithacenses duo et viginti. *Samos et Zacynthos*] Insulæ adjacentes Epiro. Zacynthos nemorosa est, non ultra stadia quadraginta illius est ambitus. Urbs in ea fuit ejusdem nominis. *Ant.*

88 *Turba luxuriosa proci*] Exprimit nominis vim. *Procos* enim dicimus, qui in eandem libidinem nimia appetentia conspirant, a procando dicti. Est procare, ut Verrius scribit, nimium lascive petere: unde procaces, mollium rerum petitores. *Ruunt*] Ex omnibus insulis Echinadibus, in tuam regiam confluunt: et quasi facto impetu veniunt. *In me*] Meum concubitum petentes. *Luxuriosa*] Libidinis plena et petulans. *Idem.*

89 *Regnant*] Invidiose dixit, q. d. Non satis est illis venire in domum, sed volunt in ea esse domini, et dissipant res tuas, quæ sunt mihi caræ tanquam viscera mea. *Huber.*

90 *Viscera nostra*] Quas non minus lacerari et absumi dolemus, quam si nostra corpora dilaniarentur. *Ant. Dilacerentur*] In vet. quibusdam, *dilaniantur*, Æque bene. *Ciof. Dilacerentur*] Dissipantur, scilicet ab ipsis. *Huber. Dilaniantur opes*] Plaut. in Capteiv. III. 5. 'quia me, meamque rem dilaceravisti:' et in Bacchid. v. 1. 'Chrysalus me hodie laceravit, et miserum spoliavit.' Quo et respicit Ter. in Hecyr. 'Quin spolies, mutiles, laceres.' Hom. Odys. X. v. 370. οἵ οἱ ἔκειρον Κτήματ' ἐνὶ μεγάροις.

91 *Quid tibi Picandrum*] Aliquot

Digitized by Google

nominat ad excitandam invidiam. Erat Pisander, Polyctoris filius. *Medontaque*] Præconem. *Dirum*] Obscœnum. *Ant. Polybumque, Medontaque dirum*] Primo in duobus scriptis *Polybonque*, Græco more, ut passim noster. Sed quare *Medon dirus* dicitur, cui fere procorum uni Ulysses pepercit, ob modestiam et leviora delicta, cæteris interfectis, Odyss. XXI.? In multis codicibus *Polybum Medontaque* inveni. Hæsit etiam hic aqua Mariangelo Accursio, qui in Diatribis legendum contendit *Polybum Amphimedontaque*, quod hosce duos cum Pisandro Homerus etiam conjunxerit, Εὐρύνομός τε, καὶ Ἀμφιμέδων, Δημοπτόλεμός τε, Πείσανδρός τε Πολυκτορίδης, Πόλυβός τε δαΐφρων. Sed præterquam quod hæc lectio versum paulo duriorem reddit, restat scrupulus de Penelopes Sabinianæ ad hanc epistolam responsione, quæ Polybo quoque Medontem subjungit, 'Certe ego cum Antinoum, Polybumque, Medontaque legi, Heu toto sanguis corpore nullus erat!' Præstat igitur locum relinquamus intactum. *Heins.*

92 *Avidas manus*] Ad tuas opes perdendas, prodigas. *Eurymachique Antinoique*] Hi duo erant ex procis primores. *Ant.*

93 *Turpiter*] Summo tuo dedecore, qui domum negligere videris. *Idem.*

94 *Tuo sanguine*] Industria, labore. *Idem.*

95 *Irus egens*] Pathos ab humilitate personæ. *Irus*] Ithacensis mendicus, corpore vastus, sed nullis viribus, ut Homerus scribit, ab Ulysse pugno percussus, sub habitu mendici fere extinctus cecidit. *Melanthius*] Fuit Dorii filius, magister ovium, cum procis, Ulyssis armenta devorabat. *Idem. Pecorisque Melanthius auctor edendi*] Omnino legendum est, *actor edendi*. Homero in Odyssea passim dicitur Μελάνθιος αἰπόλος αἰγῶν. Auctorem fuisse procis pecoris edendi Melanthium non recordor me legisse. Confirmatur nostra lectio a novem aut decem libris calamo exaratis. *Heins.*

96 *Ultimus pudor*] Ultimum dedecus, quod ipsi vile. *Hubert.*

97 *Tres sumus imbelles*] Pathos ab ætate et sexu. *Ant. Tres sumus imbelles numero; sine viribus uxor, Laërtesque senex, Telemachusque puer*] Hunc locum imitatus est Seneca in Troadibus: 'turba quæ sumus super, Tumulus, puer, captiva.' *Ciofan.*

98 *Laërtes*] Pater tuus. Vulgo enim ex Laërte genitus a poëtis dicitur, licet interdum Sisyphi filius appelletur: nam cum ejus mater Anticlea, ad Laërtem sponsa deduceretur, fertur fuisse rapta a Sisypho latrone, et ex eo genuisse Ulyssem: quod ei ad contumeliam Ajax objicit Metam. l. XIII. *Huber.*

99 *Ille*] Telemachus. *Per insidias*] Proci Telemacho ad Nestorem eunti insidias posuerunt, ut Hom. refert; sed Palladis numine evasit Telemachus. *Ant.*

100 *Pylon*] Ad Nestorem. *Idem. Dum parat invitis*] Quo studio sit erga patrem filius ostendit, ut pater filii charitate commotus, omnino deliberet domum quam citissime redire. *Gaud. Mer.*

101 *Di precor hoc jubeant*] Malim, si per membranas liceat, *Di, precor, o jubeant:* quem errorem frequenter errarunt imperiti librarii. Noster Epistola Hypsipyles, vs. 15. 'O ego, si possem timide credentibus, Iata Ipse mihi scripsit, dicere, quanta forem!' sic enim locus ille restituendus. Epistola Deianiræ sub finem, 'Virque, sed o possis, et puer Hylle, vale:' ubi membrana quædam, *hoc possis.* Elegia in obitum Drusi, 'Quod licet, o certe tumulo ponemur in uno, Druse!' sic restituo, cum passim nunc circumferatur, *hoc certe;* nisi mavis, *at certe:* sed modus exemplorum non.

Digitized by Google

esset. Recte autem *eunibus ordine fatis*, quæ ordine procedunt, si majores natu prius e vivis tolluntur, quam natu minores: plena sunt hujus formulæ monumenta sepulcralia in antiquis inscriptionibus. Emenda in transcursu locum Martialis, qui Scaligero et aliis viris primarlis multum negotii exhibuit, lib. I. Ep. 115. de Fenio Telesphoro (quem vulgati codices *Fœnium* frustra nuncupant) Antullam filiam sepeliente: 'Ad Stygias æquum fuerat prior isset ut umbras: Quod quia non licuit, vivat, ut ossa colat:' *pater* otiose et perperam, non *prior* legebatur, quod ex interpretatione et scholio irrepsit, cum de patre Antullæ totum agat epigramma: hæc conjectura nostra est, reliqua membranis debentur. Apud Gruterum p. 670. ET. MATER. TEPIDO. CONDIDIT. OSSA. ROGO. QUÆ. PRIUS. HOC. TITULO. DEBUIT. IPSA. LEGI. *Heins. Eunibus ordine fatis*] Ut non cadat ante diem. *Ant.* Fatis ordinem justum servantibus, parentibus superstes sis. *Bersmann.*

102 *Ille*] Telemachus. *Comprimat*, id est, claudat. *Ant.*

103 *Hoc faciunt*] Hoc merum precantur: nulla igitur transpositione versuum hic opus. De Philetio vaccarum custode, Euryclia Ulyssis nutrice, et subulco Eumæo copiose Homerus. *Heins. Hoc faciunt*] Idem vovent. *Custos boum*] Philetius Cephalenius pastorum magister, et Ulyssis vaccarum custos. *Longævaque nutrix*] Euryclia Pisenoris filia, nutrix Ulyssis. *Ant.*

104 *Cura fidelis*] Fidelissimus custos Eumæus. *Immundæ haræ*] Sordentium porcorum: erat Eumæus Ctesi filius, custos porcorum. *Idem.*

105 *Sed neque Laërtes*] Perorat, colligitque quid incommodi ex absentia oriatur, quidve utilitatis ex reditu. *Ant. Ut qui sit inutilis armis*] *Armis* decem codices, et placet. Amor. II. 7. 'Non tu natus equo, non fortibus utilis armis.' Fast. II. 'Nam puer impubes et adhuc non utilis armis, Unus de Fabia gente relictus erat.' Lib. III. 'Nunc primum studiis pacis, Deus utilis armis, Advocor.' Lib. V. 'Viribus ille minor, nec habendis utilis armis.' *Heins.*

106 *Hostibus in mediis*] Inter tot procos. *Tenere*] Gubernare, defendere. *Ant.*

107 *Fortior*] Ad tractanda arma, et ad regna moderanda conveniens. *Ant. Telemacho veniet (vivat modo) &c.*] Huc respexisse videtur Statius Theb. I. IV. 'veniet modo fortior ætas.' *Ciofan.* Sic Homer. Odyss. II. 71. Αὐτὰρ μὲν νέος εἰμί, καὶ οὔπω χερσὶ πέποιθα Ἀνδρ' ἀναμύνεσθαι, ὅτε τις πρότερος χαλεπήνῃ. 'Medio igitur tempore, dum infans convalescit.' Justin. III. 2.

108 *Nunc*] In adolescentia. *Tuenda*] Sub tutela instituenda. *Ant.*

109 *Nec mihi sunt vires*] Nunc Penelope dicit de se. *Pellere*] Ad pellendum. *Inimicos*] Qui bona tua dilacerant. *Idem.*

110 *Tu citius venias*] Ecce redit unde incœperat: dixerat enim, 'attamen ipse veni.' *Idem. Ara*] Aram enim et portum pro tutis locis usurpare solere quis ignorat? *Ciofan. Tuis*] Patri, filio, et mihi. *Huberi. Portus et aura tuis*] Ita nostri constanter, nisi quod Argentinensis satis antiquus, *portus et avara.* mendose. Ciofanus e suis notat *portus et ara*: quod verum est. Quomodo etiam restituendum Pont. II. 8. 'Vos eritis nostræ portus et ara fugæ.' Trist. IV. 5. ad amicum, 'Unica fortunis ara reperta meis. Qui veritus non es portus aperire fideles Fulmine percussæ confugiumque rati.' Cicero in Verrem de suppliciis, 'Hic portus, hæc arx, hæc ara est sociorum.' *Heins.*

111 *Est tibi, &c.*] Quia scit desiderio filii, patrem maxime moveri, ideo hunc in memoriam ei reducit. *Sit*]

Digitized by Google

Id est, diu vivat. *Hubert.* *Natus*] Telemachus. *Mollibus*] Juvenilibus, nam pueri tanquam arbusculæ, facile ad omnia trahuntur. *Ant.*

112 *In patrias artes*] Ad arma tractanda. A justo, suasio est. *Ant.* *In patrias artes, &c.*] Extat in Aristotelis Œconomicis præceptum, quo ille docet, matrum esse filios alere; patrum vero erudire: scite igitur *erudiendus.* Ciofan.

113 *Respice*] Verbum est misericordiæ. Juvenal. 'Solus enim tristes hac tempestate Camænas Respexit.' *Hubert.* *Laërtem*] Patrem tuum. Invitat te, inquit, moriturus pater propediem ad redeundum, ut illi claudas oculos, et justa persolvas. *Ant.* *Ut jam sua, &c.*] Morem hunc claudendi oculos propinquis, ostendit et Euripides in Hecuba de Polydoro: ἔτι καὶ θανούσης ὄμμα συγκλείσει τὸ σόν: *Vivit et morienti oculos claudet tibi.* Ciof. *Ut jam*] Id est, statim. *Hubert.*

114 *Fati*] Id est, mortis. *Idem.*

115 *Certe, ego, &c.*] Nunc movet misericordiam a persona sua: dicit enim, eum tam diu abfuisse, ut quamvis cito redeat, inveniat tamen eam annum, quam puellam discedens reliquerat. *Idem.* *Discedente*] Ad bellum Trojanum properante. Πάθος ab ætate. *Ant.*

116 *Protinus*] Id est, cito. *Ut*, id est, quamvis. *Idem.* *Ut redeas*] Post annum vigesimum ex quo discessisti. *Videbor anus*] Tanto magis senescam, si diutius immoraberis. *Idem.*

EPIST. II. PHYLLIS DEMOPHOONTI.

1 *Hospita*] Quæ te indignum, et errantem, hospitio exceptum, tot beneficiis affeci. *Hospita*] Sic Dido, Æneid. IV. 'ejectum littore, egentum Excepi:' et lib. VI. 'iterum hospita Teucris.' *Phyllis Rhodopeia*] Thracia. Rhodope mons est Thraciæ, in quem versam aiunt Rhodopem, cum Deos Immortales contemneret. *Ant.*

2 *Ultra promissum tempus abesse*] Quod intra mensem, ut promisisti, non redieris. *Queror*] Summa querela te accuso. *Ant.*

3 *Cornua cum lunæ*] Circumscribit pacta tempora. *Idem.*

4 *Anchora pacta*] Tribuit inanimatis, quod animantium est. Pepigisti, inquit, ut anchora, seu navis tua, Thraciis littoribus sisteret, hoc est, in Thraciam redires, cum semel coissent Lunæ cornua, unæ Lunæ decursu; quem peragit septem et viginti diebus, et octo horis, ut Plin. scribit. *Idem.*

5 *Luna quater latuit*] Agitur jam quartus mensis, et tu non redisti. *Idem.* *Recrevit*] Iterum crevit, et plena facta est. *Huber.*

6 *Nec vehit*] Id est, nec promissum tuum perficitur. *Idem.* *Actæas*] Actici Demophoontis naves. *Sithonis unda*] Mare Thracium. Thracia vetusto nomine Sithon nuncupata est, ut scribit Gellius: unde Sithonis, et Sithonius. *Ant.*

8 *Ante suum diem*] Id est, ante tempus debitum. *Hub.* *Nostra querela*] Id est, nostra expostulatio citius tarda est, quam præceps. *Ant.*

9 *Spes quoque lenta*] Quoniam de tuo reditu spes frustra est hactenus habita. Spes enim lenta est, quæ longa expectatione, sine rerum successu consumitur. *Ant.* *Tarde quæ credita*] Sensus est: ego credo nunc ea quæ nocent mihi, quia sero credidi, scilicet te nunquam reversurum. *Huber.* *Lædunt*] Expectantem torquent. *Ant.*

10 *Credimus*] Te venturum spera-

Digitized by Google

mus. *Invita nunc et amante*] Non libens queror, sed amor cogit. *Nocent*] Quæ credulitas me maxime sollicitat, et ad querendum excitat. *Idem.*

11 *Fui mendax pro te*] Id est, tua causa sæpe multis mentita sum, te brevi reversurum. *Huber.*

12 *Referre*] In patriam revocare. *Ant.*

13 *Devovi*] Execrata sum, et maledixi. *Thesea*] Patrem tuum, tanquam tuæ moræ et absentiæ causam. *Huber.*

14 *Tenuit*] Impedivit. *Curaus tuos*] Tuum iter, tuam navigationem. *Idem.*

15 *Hebri*] Fluminis Thraciæ, quod discurrit inter Peantes et Dolonges Thraciæ populos, tangit et Ciconas. *Ant.*

16 *Cana*] Alba propter spumam, quæ fit cum aqua a ventis maxime movetur. *Huber.*

17 *Ut tu, scelerate, valeres*] Ut te perfidum sospitarent. *Ant.*

18 *Thurieremis focis*] Hoc est, apud aras, ubi thura cremantur. *Huber.*

21 *Quicquid obstat*] Pericula omnia, quæ te remorari potuissent. *Ant.* *Quicquid properantibus obstat*] Id est, omne quod impedit paratos et jam accinctos ad aliquod iter. *Huber.*

23 *At tu lentus abes*] Recriminatur Demophoonta, ut eliciat pleniores ad querendum locos. *Jurata numina*] Dii, quos jurejurando in testimonium citasti. *Ant.*

25 *Demophoon*] Stomachationem habet hæc denominatio. *Idem.* *Verba dedisti*] Dare verba ventis, est verba in vanum fundere. *Huber.*

27 *Dic mihi quid feci*] Instat rogando, ut suggeratur fraudati amoris causa. *Non sapienter*] Imo dices et incaute, hoc est, nimium amori indulsi. *Ant.* *Nisi non sapienter amavi*] Rectius vel invitis libris scribatur, *Dic mihi quid feci? si non sapienter amavi.* Heinsius.

28 *Crimine*] Amoris simplicitatem per Ironiam crimen appellat. *Demeruisse*] Id est, valde meruisse. *Huber.*

30 *Scelus pondus habet*] Id est, momentum, et valorem. *Et instar*] Similitudinem, id est, debent tibi esse loco meriti et maximi beneficii. *Huber.*

31 *Jura, fides*] Fides toties jurejurando firmata. *Ant.* *Commissaque dextera*] Scite: est enim dextra fidei symbolum. *Ciofan.* *Commissa*] Conjuncta: dextræ enim conjunctio ad fidei confirmationem fiebat. *Hubert.*

32 *Deus*] Cupido. *Ant.*

33 *Promissus*] A te. *Hubert.* *Hymenæus*] Bacchi et Veneris filius, nuptiarum Deus. *Ant.* *Socios in annos*] Id est, in vitam nostram semper conjunctam et socialem, qualis debet esse vita conjugalis. *Hubert.*

34 *Sponsor*] Qui nomen pro te dedit, ut ratum esset conjugium. Est enim sponsor, qui suum nomen pro alieno dat: unde sponsiones, quæ alieno nomine fiunt. *Et obses*] Pignus et fides dati nominis. *Ant.*

35 *Per mare*] Et pathos est a repetitione. *Idem.*

37 *Per tuum avum*] Neptunum. *Id.* *Nisi fictus et ille est*] *Falsus* plurimæ membranæ cum priscis editionibus. Falli aut ludi Di dicebantur a perjuris. *Heinsius.*

38 *Concita*] Commota. *Hubert.*

39 *Nimiumque mihi facientia tela*] Legebam, *nimiumque mihi facientia belli.* Nunc vero recordatus τὸ *facere* cum tertio casu frequenter ab Ovidio jungi, nil muto. *Facere alicui* pro *facere ad aliquem.* Fast. II. 'Ipse locus casu vati facit. Urbis origo Venit: ades sacris, magne Quirine, tuis.' Ita videtur restituendum, cum vulgati exhibeant, *Ipse locum vati casus facit.* Propert. lib. III. 'Non faciet capiti dura corona meo.' *Heinsius.* *Facientia mihi nimium*] Quæ me maxime infestant. *Ant.*

40 *Arcus, faces*] Tela sunt Cupidinis. *Idem.*

41 *Toris maritis*] Nuptiis. Juno nu-

Digitized by Google

bentibus præest, unde pronuba dicitur; interdum Lucina, quod infantes in lucem proferat. *Idem.*

42 *Per mystica sacra*] Nocturna, et occulta. *Tædiferæ*] Cereris. Noctu sacra Cereris fiebant, ut in Aulularia Plauti est, in quibus sacerdotes faces deferebant, imitati Cererem, quæ cum Persephonem quæreret, incensis tædis, tædifera nuncupata est: unde et sacerdotes Daduchos, id est, faces ferentes appellarunt. *Ant.* *Tædiferæ Deæ*] Cereris Eleusiniæ; quod præsentissimum numen Atheniensibus: sic et Ἔχετα δαδόφορος Bacchylidi in fragmentis dicta. *Heinsius.*

43 *De tot læsis*] Quos tua perfidia læsisti. *Ant.*

44 *In pœnas non satis unus eris*] Imo *eris* cum melioribus scriptis, et editis nonnullis. Sequenti etiam versu. *At laceras* pro *Ah*, probè Puteanus, et alii multi; quod indignationem efficacius exprimit. Vide notas ad epistolam Medeæ ipso initio. *Heinsius.* *In pœnas non satis eris*] Quia cum innumerabiles Deos læseris, te tot corpora ad pœnas habere oporteret. *Hubert.*

45 *At laceras puppes*] Commiserationem movet ex causa, et longe aliter evenire demonstrat quam oportuerit. *Laceras puppes*] Conquassatam classem. *Idem.* Item Virgil. Æn. IV. 'Amissam classem, socios a morte reduxi.' *Refeci*] Reparavi.

46 *Firma foret*] Esset valida contra impetum ventorum et fluctuum. *Hubert.*

47 *Remigiumque*] Id est, remiges, hoc est, nautas. *Idem.* 'Remigium supplet' Virg. Æn. III. *Fugiturus*] Invidiose protulit: non, inquit, discessus fuit, sed fuga. *Ant.*

48 *Heu pacior*] Translatio ab eo, qui inimicum suis armis instituit, et interdum illis percutitur ab inimico. *Hubert.*

49 *Credidimus*] Rejicit credulitatis culpam in puellarum simplicitatem, et virorum perfidiam: credidimus tuis blanditiis, et facunde dictis. *Ant.*

50 *Credidimus generi nominibusque tuis*] Lege vel invitis libris *nominibusque*; ne bis idem dicat. Sequitur enim mox, 'Dis quoque credidimus.' Genus et nomen sæpe conjungunt auctores optimi. Noster Epist. XVII. 'Quod genus et proavos et regia nomina jactas.' Et Epist. XII. 'Per genus et nomen cuncta videntis avi;' ut quidem illic veteres libri. Martial. lib. Ep. v. 17. 'Dum proavos atavosque refers et nomina magna.' Nec tamen damnandum, quod in quinque scriptis offendi, *muneribusque tuis*: sed τὸ *nominibus* etiam placuisse exactissimo Gronovio nostro video; qui adeatur Observat. lib. IV. cap. 15. Vide et Notas nostras Ep. XVII. vs. 60. neque aliter Janus Douza in margine sui codicis legendum monuerat. *Heins.* *Generi nominibusque*] Neptunus ad fidem adhibendam me impulit, a quo te genus ducere jactabas. *Ant.*

52 *Artes*] Fallacias. *Eunt*] Fluunt. *Qua jubentur*] In quamcunque vis partem. *Idem.*

53 *Dis quoque*] Per quos jurasti. *Tot pignora*] Tui reditus testimonia et affirmationes. *Idem.* *Quid jam tot pignora nobis*] Puteaneus codex, *quod jam*. Lege omnino, *quo jam*: elegans locutio, sed plerumque ab imperitis librariis interpolata. Locos auctorum plures, nostri præcipue, adscribam, ut una vice corrigendi molestia sæpe alioquin devoranda hic defungar. Cicero Fabio Gallo Epist. Famil. VII. 23. 'Martis vero signum quo mihi pacis auctori?' Val. Maximus XIII. 9. de Masanissa se credente canum custodiæ, 'Quo tam late patens imperium? quo tantum liberorum numerum? quo denique tam arctæ benevolentiæ constrictam Romanam amicitiam, si ad hæc tuenda nihil canino latratu valentius duxit?' ut recte ex antiquis libris Pighius legendum vidit. Apud Phædrum lib. III. pavus; 'Quo mi; inquit, mutam speciem, si

Digitized by Google

vincor sono?' Auctor distichorum de moribus, in Catalectis Pithœi; 'Quo tibi divitias, si pauper semper abundas?' Martial. lib. IX. 'Quo tibi natorum jura superba trium?' Sic et unde cum accusativo jungebant: vid. Motas Epist. XII. vs. 86. Statius, Theb. IX. 'quo gaudia tanti Emta mihi?' Noster Met. XIII. 'Quo tamen hæc Ithaco, qui clam, qui semper inermis Rem gerit?' Amor. lib. II. 19. 'Quo mi fortunam, quæ nunquam fallere caret?' Quomodo et Horatius, Epist. I. 5. 'Quo mihi fortunam, si non conceditur uti.' Amor. lib. III. 4. 'Quo tibi formosam, si non nisi casta placebat?' El. 7. 'Quo mihi fortunæ tantum? quo regna sine usu?' P. Syrus apud Petronium, 'Quo Carchedonios ignes lapideos, nisi ut scintillent?' Plura congessit ad Senecæ Natur. Quæst. lib. I. cap. 16. et Controvers. lib. I. 2. Gronovius. *Heins.*

54 *Capi*] Decipi. *Qualibet parte*] Uno ex his pignoribus me decipere potuisses, ut te rediturum credidissem. *Ant.*

55 *Te juvi*] Cum esses indigens et extorris. *Portu*] In quo conquassata classis recepta est. *Locoque*] In regno. *Idem.*

56 *Summa*] Finis et terminus ferendi officii. *Ant.*

57 *Turpiter hospitium*] Sensus est: Pœnitet me post datum tibi hospitium, addidisse etiam lecti mei societatem. *Hub.* Eadem sententia Dido, Æneid. IV. 'te propter eundem Exstinctus pudor, et qua sola sidera adibam Fama prior.'

58 *Pœnitet*] Molestum et grave est. *Cumulasse*] Per amorum lasciviam hospitalitatem auxisse. *Ant.*

59 *Ante illam, &c.*] Qua tecum fui. *Idem.*

61 *Me meruisse*] Meo merito obstrinxisse. *Ant.*

62 *Æqua venit*] Recta enim spes est, quam parinat merita. *Idem. Quoque ex merito spes venit*] Æquum est eum bene sperare, qui de aliquo bene meruit. *Huber.*

63 *Operosa gloria*] Hoc est, non est difficile. *Fallere puellam*] Commiseratio ab ætate et sexu. *Credentem*] Simplicem. *Ant.*

64 *Digna favore fuit*] Meruit potius laudem, quam fraudem aut reprehensionem. *Huber.*

65 *Et amens et femina*] Duo posuit, quæ facile decipi solent. *Amens*] Scilicet ego; nam ut ipse Ovidius inquit, 'Credula res amor est.' *Et femina*] Quæ etiam facile credit. *Idem.*

66 *Dii faciant*] Imprecatione utitur, ubi alia non datur ultio. *Summa sit*] Terminus et finis: hoc est, nunquam majorem laudem assequaris. *Ant.*

67 *Statuaris*] Erigatur tibi statua. *Media urbe*] Mediis Athenis. *Inter et Ægidas*] Inter fratres tuos et patrem, qui ab Ægeo ducunt genus. *Media statuaris in urbe*] Urbs vocata ab orbe, quod antiquæ civitates in orbe fiebant: vel ab urbo, parte aratri, quo muri designabantur. Unde est illud: 'Optavitque locum regno et concludere sulco.' Locus enim futuræ civitatis sulco designabatur, id est, aratro. Cato: Qui urbem, inquit, novam condit, tauro et vacca aret; ubi araverit, murum faciat: ubi portam vult esse, aratrum sustollat, et portet, et portam vocet. Ideo autem urbs aratro circundatur, dispari sexu juvencorum, propter commistionem familiarum, et imaginem serentis, fructumque reddentis. Urbs autem aratro conditur: aratro vertitur. Unde Hor. 'Imprimeretque muris Hostile aratrum.' Hæc Isidorus lib. XV. cap. 2. de ædificiis publicis. *Ciaf.*

68 *Pater*] Theseus. *Stet*] In statuam erectus sit. *Titulis suis*] Suis gestis, quæ in vertice capitis statuarum scribebantur. *Ant.*

69 *Cum fuerit lectus Scyros*] Auget

Digitized by Google

Thesei gesta, ut tanto magis insimuletur Demophoon, qui ab illius virtute degenerarit. *Scyron*] Filius fuit Canethi et Henioches Pytthei. Locum in Megara habitavit, quem dixerunt petras Scyronides: viatores spoliatos præcipites agebat. Scyronem Theseus peremit, cum Athenas iret. *Procrustes*] Is Corydalum Atticæ locum habitabat, viatores lectum conscendere cogebat, longiores amputabat, distrahebat breviores, donec cum lecto æquarentur: quem Theseus trucidavit, ut Diodorus auctor est. *Idem.*

70 *Sinis*] Latro sævissimus in Isthmo Corinthiaco, alligatos arboribus homines discerpebat in frusta. *Mixtaque forma, &c.*] Minotaurum circumscribit, quem labyrintho clausum sustulit Theseus. Alii scribunt, Taurum Minois ducem, bello navali a Theseo superatum. *Idem.*

71 *Domitæ Thebæ*] Thebas Cadmus Phœnix condidit in Bœotia: Creontem Thebarum regem Theseus interemit, quoniam Argivis sepulturam negasset: ut scribit Papin. *Bimembres*] Centauros. Centauri Junonis et Ixionis filii, in nuptiis Pirithoi, quæ gestæ sunt in monte Pelio, Hippodamiam Atracis filiam Pirithoi uxorem, rapere voluerunt: orta pugna, alii trucidati, alii in fugam acti sunt. Rem gesserunt Theseus, Nestor, Peleus. *Idem.*

72 *Pulsata regia Ditis*] Theseus ad Inferos, ut Proserpinam raperet, descendit, Pirithoi amici gratia. Cerberus Pirithoum consumpsit, Theseum Hercules liberavit. *Dis* est divitiarum et Inferorum Deus, ut Strab. placet. *Idem. Nigri Dei*] Id est, Plutonis. *Pulsata*] Id est, per vim quandam intrata, et occupata a Theseo. *Hubert.*

73 *Hoc tua post illos*] *Post illum* excerpta Claudii Puteani a Puteaneo codice diversa: rectius: ut de Theseo Demophoontis patre agatur. *Heinsius. Tua imago*] Statua tibi erecta. *Hoc titulo signatur*] Hunc titulum in vertice contineat. *Ant.*

74 *Hic est cujus amans hospita capta dolo est*] Libri quinque, *hospite dolo*; ut hic idem innuat, quod in Helenes epistola, 'Certus in hospitibus non est amor.' 'Hospes dolus,' ut 'cymba hospes' apud Statium, Sylv. v. Pietate Abascantii. 'Hostes turmæ' apud eundem Theb. XI. 'Nec jam hostes turmæ aut ferrum mortale timentur.' Sic optime vetus liber. Cum in vulgatis sit, *Nec jam aut hostiles turmæ ferrumve timetur.* Eodem libro, 'nec pareit cedenti, atque increpat hostes, Quo retrahis, Germane, gradus?' Quomodo corrigendum censeo. Non, ut nunc legitur, *increpat hostis*, aut *hostem.* 'Hospes gemma' Palladio de Agricult. 'Cur non arbor iners pinguescat ab hospite gemma.' Pari modo 'infans manus' nostro Epist. IX. v. 86. ubi plura. Sequenti versu malim, si per libros liceat, *factisque paternis*, quam *parentis*; qui error apud nostrum alibi quoque admissus: veterrima editio *parentum* exhibebat. *Heinsius. Hic est*] Demophoon, qui amantem et hospitam puellam decepit. *Ant.*

75 *De tanta*] Sensus est: De tot factis tui patris, remansit tibi tantummodo memoria fraudis, qua ille usus in Ariadnem: non autem alicujus ex supradictis probitatibus parentis. *Parentis*] Thesei. *Hub.*

76 *In ingenio tuo*] Id est, in animo tuo. *Idem. Sedit*] Hæsit, et per hoc placuit tibi. *Micyll. Cressa relicta*] Ariadna Cretensis Minois filia. *Ant.*

77 *Quod solum excusat, solum, &c.*] Sensus est: Quod ille, scilicet pater tuus Theseus, solum excusat, hoc est, in se culpabile ac reprehensibile agnoscit, hoc tu solum miraris: id est, pro re egregia ducis, atque præclare factum existimas, eoque et imitatione dignum tibi putas. *Micyll. Solum miraris in illo*] Hæc vera lectio: etsi

Digitized by Google

libri tam typis quam calamo descripti nonnunquam turbent. Mirari pro imitari, ut apud Lucanum, 'Egregio juveni miratorique Catonis.' Statius Sylv. l. v. Protreptico Crispini, 'æquævo cedere fratri Mirarique patrem.' *Heins.*

78 *Hæredem agis*] Suscepisti perfidiæ hæreditatem, non virtutis. *Ant.*

79 *Illa*] Ariadna licet destituta sit a Theseo, tamen fruitur marito meliore, hoc est, Baccho. *Idem. Illa (nec invideo) fruitur meliore marito*] Hunc locum expressisse videtur Seneca in Œdipo, ubi ita est de Baccho et Ariadna ipsa: 'Naxos Ægeo redimita ponto Tradidit thalamis virginem relictam, Meliore pensans damna marito.' *Ciof.*

80 *Capistratis tigribus*] Vehitur curru Bacchi, quem tigres trahunt. *Ant.*

81 *At despecti Thraces*] Quos tua causa contempsi. *At despecti Thraces*] Respicit ad illud Virgil. Æn. IV. 'En quid ago? rursusne procos irrisa priores Experiar? Nomadumque petam connubia supplex, Quos ego sum toties jam dedignata maritos?' Et ibid. 'Connubia nostra Reppulit, ac dominum Æneam in regna recepit.'

82 *Quod feror*] *Ferar* meliores libri: et mox, 'Atque aliquis, Doctas jam nunc eat.' *Heins. Externum*] Id est, peregrinum et ignotum. *Meis*] Scilicet Thracibus. *Hub.*

83 *Atque aliquis inquit*] Irrisionem Thracum ponit.

84 *Armiferam Thracen*] Bellicosam Thracium. *Idem.*

85 *Exitus acta probat*] Per Ironiam Thracum verba repetit, qui Phyllidis consilia a fine damnabant. *Careat successibus*] Purgat se a fortuna. *Careat successibus, &c.*] Sensus est, Male illi eveniat, qui non a fine rerum, sed ab eventu facta hominum denominat et notat. Multa enim solent evenire ante finem, quæ videntur esse mala, quæ postea ex fine cognoscuntur esse bona. *Hub.*

86 *Notanda*] Judicanda et probanda. *Idem. Ab eventu*] A fine, quem ego respexi, et propter quem feci: nam finis mei facti fuit, prodesse mihi et meis, accipiendo te maritum: ergo ab hoc fine, intentionis meæ, et non ab eo qui evenit, judicandum est id quod feci. *Idem.*

87 *At si nostra tuo*] Confirmat purgationem a successu: si detur qualis speratur exitus, si (inquit) redeas. *Ant.*

88 *Dicar consuluisse*] Probabuntur nostra consilia. *Idem. Meis*] Accipiendo te qui eos regeres. *Hub.*

89 *Sed neque consului*] Fatetur simplicitatem, rejiciens in adversarium culpam: mea consilia non sunt probanda, quoniam non redibis. *Ant. Mea regia*] Quam tibi tradideram. *Mea regia tangit*] *Tanget* tres libri; quod arridet. *Heins.*

90 *Membra lavabis*] Vetusti moris est, ut peregre venientes, cum primum lares attingunt, se lavent. *Bistonia*] Bistonius lacus in Thracia est. *Ant.*

91 *Illa meis oculis*] Amplificatione utitur, cum demonstratione sui officii, et Demophoontis perfidiæ. *Species*] Imago tui discedentis versatur ante oculos meos. *Ant.*

92 *Cum premeret portus*] Cum nondum oram solvisses. *Idem.*

93 *Ausus es amplecti*] Simulatas blanditias arguit. *Idem. Colloque infusus amantis*] *Amanti* conjeceram; atque ita chartaceus Vossianus. Met. IX. ut scribendum puto. 'Vidisset lacrymas, vultus vidisset amantes.' Contra Fast. VI. 'Vultus velamine celat amatos.' Epistola Herus: 'Lacrymæ per amantia lumina manant.' Fast. VI. 'Huic aliquis juvenum dixisset amantia verba.' Sic et Metam. lib. I. Fabula Daphnes scribendum, 'tergoque fugaci Imminet:' non *fugacis*. Lib. IX. 'Fugientia terga sagitta Trajicit.' Et lib. VII. Fab. Pelliæ ex antiquis libris, 'Suspenditque animos ficta gravitate rogantes:' cum

Digitized by Google

nunc circumferatur *rogantum*. Sic et 'orantia brachia,' Pont. II. 9. *Heins.*

96 *Quodque foret*] Id est, ausus es queri, quod haberes ventum secundum, et tibi faventem: quia potius voluisses habere adversum, ut esset tibi justa causa remanendi. *Hub.*

99 *Expectem*] Non, inquit, mihi expectandum est, quoniam ivisti non rediturus. *Ant.*

100 *Negata*] Scilicet a te, id est, quibus velis numquam vis redire in meum mare. *Hub.*

102 *Ut tua*] Id est, ut videaris defecisse in fide per aliquod tempus, et non per omne: ut tua fides, quam mihi dedisti de reditu tuo, 'sit lapsa,' id est, defecerit. *Solo tempore*] Et non voluntate tua, aut etiam opere. Non facto. *Ant.*

103 *Quid precor*] Seipsam corripit, quod vana et Diis non exaudienda precetur. *Altera conjunx*] Videtur alludere ad Laodicen virginem, quam Plutarch. tradit clam cognitam Demophoonti, Munichum filium genuisse, alii Calliopem fuisse scribunt.

105 *Tibi excidimus*] Ex tuo animo deletæ sumus, postquam veni tibi in oblivionem. *Ant.*

106 *Hei mihi*] Non sine gemitu potuit commemorare se et sua erga Demophoontem beneficia. *Hub.* *Si rogas*] Tanquam me nunquam cognovisses. *Ant.*

107 *Quæ tibi*] Commemorat sua officia in Demophoontem. *Acto*] Ad nostras oras post longa exilia appulso. *Idem.* *Longis erroribus acto*] *Errantibus* codex Patricii Junii. Lege *longis erratibus*. Metam. IV. 567. 'longisque erratibus actus Contigit Illyricos profuga cum conjuge portus;' quæ illic veterum librorum lectio: ut et l. XV. 'Quæ videam natum longis erratibus actum.' *Heins.*

109 *Opes*] Exiguas facultatum reliquias. *Ant.*

111 *Lycurgi*] Patris mei, hic enim Lycurgus est, qui cum Bacchi munera contempsisset, crura sibi falce amputavit: quem alii Dyantis, alii Boreæ filium dicunt. *Idem.* *Quæ subjeci*] In potestatem tuam dedi. *Hub.*

112 *Nomine vix satis apta regi, &c.*] Quia hæc regna habent viros bellicosos et feroces, qui vix possunt ferre muliebre imperium. *Idem.*

113 *Qua patet*] Regni sui amplitudinem describit. Complectitur, inquit, Rhodopem montem, deinde in Æmum montem alium diffunditur, usque ad mare Ponticum, in quod Hebrus fluvius immergitur. *Ant.*

114 *Hebrus*] Odrysarum solo infunditur: discurrit inter Priantas, Dolongos, Thynos, Corpillos, aliosque barbaros. *Exigit*] Aquas in mare Ponticum emittit. *Et sacer*] Sacrum dixit Hebrum, propter Orpheum qui ad illum accoluit. Nam Bacchus cum Lycurgo regnum sustulisset, dedit Orphei avo paterno. *Ant.*

115 *Libata*] Primum violata: cui meæ virginitatis primitias dicavi. *Avibus sinistris*] Adversis auspiciis. Veteres nihil inauspicato faciebant. *Idem.*

116 *Castaque*] Quoniam eo cingulo non nisi virgines præcingebantur. *Id.* *Casta zona*] Λῦσε δὲ παρθενίην ζώνην. Hom. Odyss. A. 244. et in lepidiss. illo Theocr. Idyll. 27. κ. Φεῦ φεῦ, καὶ τὰν μίτραν ἀπέστιχες· ἴς τι δ' ἔλυσας; δ. Τᾷ παφίᾳ πρότιστον ἐγὼ τόδε δῶρον ἀνάξω. *Castaque fallaci zona, &c.*] Cingulo nova nupta præcingebatur, quod vir in lecto solvebat, factum ex lana ovis: ut sicut illa in glomos sublata conjuncta inter se sit, sic vir suus secum cinctus vinctusque esset. *Ciofan.*

117 *Promuba*] Loco Junonis nostris in nuptiis præfuit. *Ululavit*] Non cecinit, sed feralem vocem Hymenæi loco protulit. *Ant.* *Ululavit*] 'Summoque ulularunt vertice Nymphæ.' Æn. IV. quasi nuptiarum sacra, sed tristi modo, celebrantes. *Ululare*, sermo medius: quod Servius docet: Lucan. 'lætis ululare triumphis.'

Digitized by Google

118 *Devia avis*] Id est, Bubo: cujus querula vox malum omen significat. Æn. IV. 'Solaque culminibus ferali carmine bubo Visa queri, et longas in fletum ducere voces.' *Deviam* autem appellavit, quia a cœtu aliarum solet fugere. *Hub.*

119 *Torquata*] Cujus torques est ex serpentibus. *Ant.*

120 *Lumina mota*] Addita in nostras nuptias. Scribit Plutarch. quinque faces nuptis adhiberi consuevisse, quas gestarent pueri patrimi et matrimi, ut Verrius tradit. *Sepulchrali face*] Non in facibus nuptialibus ignis est adhibitus, sed funeralibus. Sepulchrales dicuntur faces, quæ accenduntur in funere, aut manium sacris, unde et aras sepulchrales dicimus. Sunt faces nuptiarum, aut Deorum superum; funeralia vero mortuorum, et Deorum manium. *Idem.*

121 *Mæsta tamen*] Concludit per commiserationem. Ostendit enim in quibus versetur incommodis, si suo voto destituatur. Et licet omnia sint adversa, spero tamen te rediturum: peto enim littora, ut te, si redeas observem. *Idem.*

122 *Sive laxatur humus*] Id est, aperitur: nam terra die propter temperiem vel calorem magis laxatur. *Idem.* *Frigida*] Nocturna: alludit ad Lunam. *Ant.*

124 *Prospicio*] Observo. *Freta agat*] Impellat et spiret. *Ant.*

126 *Auguror*] Suspicor, animo conjicio. *Meos Deos*] Numina maris mihi propitia, quæ te in Thraciam reducant. *Ant.*

129 *Accedunt*] Appropinquant observata navigia. *Minus et minus utilis auto*] Sensim deficio, quia te esse non novi. *Ant.*

130 *Linquor*] Animo scil. 'Suscipiunt famulæ, collapsaque membra Marmoreo referunt thalamo, stratisque reponunt.' Æn. IV. et VIII. 'Famuli collapsum in tecta ferebant.'

131 *Est sinus*] Perscribit locum unde sibi præcipitium cogitavit, ad augendam commiserationem. *Falcatus*] Curvatus: videtur Thraciæ Cherronesi sinum ab Isthmo circumscribere, in qua ex Græcia navigantes deferuntur. *Modice*] Sensim. *In arcus*] Ad instar tensi arcus.

132 *Ultima cornua*] Extremæ partes. *Rigent*] Salebrosæ sunt, et altæ. *Prærupta mole*] Vasta rupe. *Idem.* *Cornua mole rigent*] *Fronte* codex Angeli Aprosii Vintimiliæ, viri optimi et officiosissimi. *Heinsius.*

134 *Erit*] Mens scil. et me præcipitabo. *Ant.*

135 *Projectam*] In mare præcipitatam. *Tua*] Atheniensia, in Pyreæum portum Athenarum. *Idem.*

136 *Intumulata*] Absque sepulturæ honore. *Idem.* *Intumulata*] Quales Virgilio dicuntur mortis honore carere, et insepulti defossi. Plaut. Mostellar. II. 2. 71. 'isque me Defodit insepultum clam ibidem in hisce ædibus.' Et Senec. in Hippol. vs. secundo a fine. 'istam terra defossam premat.' Hæc illa apud Virgil. 'indefleta,' 'inops, inhumataque turba:' quæ et Persio, 'inhonora:' nec consecuta τὸ γέρας θανόντων.

137 *Duritia superes*] Sis durior. *Ant.* *Adamanta*] Qui nulla materia vinci potest, nisi hircino sanguine, ut scribit Plin. *Et te*] Qui nulla causa moveris, qui es inexorabilis, et omni materia durior. *Idem.*

138 *Sic*] Mortua, et undis jactata, me sequi non meruisti. *Idem.*

139 *Venenorum sitis*] Appeto venenum. *Idem.*

140 *Trajectam gladio*] Trajicere me gladio, et sic perire. Quod et Æn. I. 'donisque furentem Incendat:' i. e. et incendat, et furere faciat. Et lib. IV. 'Animumque labantem Impulit.'

141 *Infidis lacertis*] Quæ tu perfidus complexus es. *Ant.* *Quia se nectenda lacertis Præbuerant*] *Præbuerint* scripti nonnulli. Sed codex Puteanus optimus, et quatuor alii, *Præbu-*

Digitized by Google

erunt, vere. Sic epistola Didus, 'Nec steterunt in te virque paterque meus:' ubi plura. Nota illa, 'Matri longa decem tulerunt fastidia menses.' Probe etiam veteres nonnulli *implicuisse libet*, pro *juvat*, quod jam præcesserat: nisi quis illic *libet* cum uno Ambrosianæ Bibliothecæ reponi malit. *Heinsius.*

142 *Laqueis implicuisse*] Fune constringere. Inter tot lethi genera fluctuans, demum se ex amygdalo suspendit: exarsit arbor, quæ in adventum Demophoontis revirulsse traditur. *Ant.*

143 *Stat*] Est mihi propositum. *Pensare*] Emendare et luere. *Pudorem*] Violatam pudicitiam. *Nece matura*] Decoro et magnanimo letho. *Idem. Tenerum pensare pudorem*] *Miserum* libri duo: ut Met. lib. x. Fab. Myrrhæ: 'miseroque pudori Parce ait.' Ep. IX. 'Quid nisi notitia est misero quæsita pudori?' *Heinsius.*

144 *In electu*] In electione. *Hub.*

145 *Inscribere*] Malim *Inscribende*, ut aptius cum sequentibus hæc cohæreant. *Heins. Causa*] Auctor. *Invidiosa*] Non sine legentium odio. *Hub. Sepulchro*] Cum Paris ad Helenam rapiendam proficisceretur in Græciam, Phyllidis sepulchrum in Thrëicli Pangei promontorio extabat. Auctor Coluthus de raptu Helenæ. *Cief.*

146 *Notus eris*] Dabis tuæ perfidiæ notitiam.

147 *Demophoon hospes*] In hoc maxime vituperari Demophoontem existimat, quod violato hospitii jure, et hospitem et amantem ad mortem coëgerit. *Ant. Leto dedit*] Id est, coëgit mori, loco remunerationis. *Hospes* autem hoc loco passive accipitur, pro eo qui exceptus est. *Hub.*

148 *Ille necis causam*] *Neci causam* rectius scribatur, quicquid membranæ nostræ dissentiunt. *Heinsius.*

EPIST. III. BRISEIS ACHILLI.

1 *Quam legis a rapta*] Prima commiseratio est a fortuna. *Briseide*] Hippodamia Brisæ filia: sacerdotis Chrysæ frater fuit Brises. *Ant.*

2 *Barbarica manu*] Cilicis puellæ, quæ cum sit barbara, quod Græcas literas non recte noverit, purgat se, ne aut scripto aut sermone inepta videatur. *Idem. Vix bene notata Græca manu*] Vix literis Græcis scripta. *Hub.*

3 *Quascumque lituras*] Commiseratio a signis. *Idem.*

4 *Sed tamen hæ lacrymæ*] *Et lacrymæ* Puteani et Jureti liber: ut Art. Amat. 'Sed tamen et tauri cervix oneratur aratro:' et mox; 'Sed tamen et spargi pectus amore nocet.' *Heinsius. Lacrymæ*] Quæ mihi fluunt perennes. *Ant.* Et quibus fœdatam aspicies epistolam meam. *Pondera vocis habent*] Id est, habent effectum vocis. Id est, debent significare animum meum, quasi verbis exprimerem. *Hub.*

5 *Si mihi fas*] Jure servitii nulla dabatur querela. Nam summa Græcis erat in servos potestas. Honeste ergo orationem præmuniit. *Ant.*

7 *Non ego poscenti*] Prima querela: non quod sit tradita, sed quod citius quam par erat: et hoc est quod dicit: 'Differri potuit.' *Ant.*

8 *Quamvis hæc quoque culpa tua est*] Rectius *hoc* libri nonulli cum Jureti membranis. *Heinsius.*

9 *Nam simul Eurybates*] Ecce facilitatem. Talthybius et Eurybates Agamemnonis ministri, quibus Achilles per Patroclum, ut Homerus scribit, Hippodamiam tradidit abigendum: ut

Digitized by Google

ipse in littore cum matre questus est. *Ant.*

10 *Data sum comes*] Ut cum eis irem ad Agamemnona. *Hub.*

11 *Alter in alterius*] Justam facit querelam, ex aliorum sententia. Talthybius Eurybatesque, tam facilem ad tradendam Hippodamiam, Achillem admirabantur. *Jactantes lumina*] Se mutuo respicientes, cum admiratione. *Ant.* *Jactantes lumina*] Sic Cicer. Catil. III. 'Color, oculi, vultus: sic furtim nonnunquam inter se adspiciebant.'

12 *Noster ubi esset amor*] Imo *vester*, vel invitis libris. *Heinsius.*

13 *Differri potui*] Tardius tradi, si omnino retineri non potuissem. *Parce*] Meo dolori. *Ant.*

15 *At lachrymas*] Pathos ab habitu corporis. *Idem.*

16 *Iterum sum mihi visa rapi*] Briseidem raptam ante fuisse non legi. Quare arripio, quod in plurimis codicibus est exaratum, *visa capi*, expugnata scilicet ab Achille Lyrnesso. Briseis ipsa hac eadem Epistola, 'An tantum, dum me caperes, fera bella probabas.' Simile mendum insedit Art. Am. III. 'Pulla decent niveas: Briseida pulla decebant; Cum capta est, pulla tum quoque veste fuit:' ita scribo. Nam falsum est de pullis vestibus, cum ab Agamemnone fuit rapta. *Heinsius.*

21 *Sed data sum*] *Data sim* Puteani codex optimus; et quidem vere ac eleganter. Demus me datam esse. *Idem.* *Sed data sim*] Agamemnoni. *Quia danda fui*] Pro Græcorum salute. Absolvit Achillem a necessitate: deinde recurrit in aliud, unde culpa in illum rejiciatur. *Ant.*

22 *Cessas*] In amore lentus es. *Lenta*] Quæ ultionem differt. *Idem.*

23 *Menetiades*] Patroclus Menœtii filius, tradidit præconibus Hippodamiam. *Idem.*

25 *Non repetisse parum est*] In Patroclo perfidiam, in Achille ignaviam notat. *Idem.* Sensus est, Non sufficit tibi quod non repetivisti me, sed etiam resistis, et omnibus viribus conaris ne tibi reddar. *Hub.*

26 *I nunc*] Ironia est: nolis amantis solertissimi tibi nomen vindicare. *Ant.*

27 *Telamone*] Ajax Telamonis filius, Phœnix Amyntoris, et Ulysses Laërtæ, legati mittuntur ad Achillem, ut eum Agamemnoni reconciliarent: cum multa apud illum disseruissent, narratis muneribus quæ Agamemnon cum Hippodamia pollicebatur, re infecta rediere. *Ant.*

28 *Ille comes*] Scribendum vel sine libris, *Iste gradu propior sanguinis, ille comes:* nisi eo modo dictum id velis, quo passim alibi *Ille vel ille* apud nostrum. Sequenti versu *Laërtaque* pro *Laërtequs* idem Puteani codex et unus Vaticanus. Sic apud Ausonium epitaphiis Heroum. 'Laërta natus Ulysses.' Libro XII. Met. ex vestigiis veterum librorum, 'solis Telamone creatis Laërtaque fuit tantæ fiducia laudis.' *Heinsius.* *Ille*] Ajax. *Gradu sanguinis*] Nam Pelei frater erat Telamon, Ajacis pater. *Ille comes*] Ormenus Cercasi filius, duos habuit natos, Amyntorem et Eumonem: ex Amyntore Phœnix nascitur, qui cum concubuisset cum patris amica, post multas parentis imprecationes ab Hellade, ut ipse apud Hom. disserit, ad Peleum fugit, quem filio Achilli comitem et morum et rerumgerendarum institutorem dedit. *Ant.*

29 *Laërtaque satus*] Id est, Ulysses. *Satus*] Genitus. *Hub.*

30 *Auxerunt blanda grandia dona prece*] *Blandus preces* Puteani liber cum reliquis plerisque; alii quatuor *blandæ preces*, quod genuinum auctoris arbitror, cum τὸ *grandia dona* quarti casus ad sequentia sit referendum; idque Douzæ arridebat: nisi *lebetes* et *tripodes* mox legas, ut in multis manu exaratis offendi; et tum *blandus preces* admittam. *Heinsius.* *Grandia*

Digitized by Google

dona] Agamemnon apud Homer. l. IX. hæc dona Achilli pollicetur: septem novos tripodas, viginti lebetes rutilo fulgore radiantes, decem auri talenta, equos duodecim pernicissimos. Præterea septem puellas Lesbias, forma insignes, et quas sibi ex omni præda delegerat, cum Lesbon Achilles evertisset: et cum his, Briseida intactam: et post captam Trojam auri tantum, ut navim impleret: et puellas viginti Helena non inferiores: et si nuptias cupiat, quam vellet ex tribus filiabus uxorem, Chrysothemin, Iphianassam, et Laodicen. *Ant. Auxerunt blandæ*] Ut sit sensus, isti addiderunt muneribus tibi oblatis blandas preces. *Hub. Auxerunt dona*] 'Munus nostrum ornato verbis, quod poteris.' Ter. Eunuch. Cujus formulam Plautus habet, Trucul. II. 7. 27. 'Jussit opera orare, ut hæc grata haberes tibi.' PH. 'Grata acceptaque ecastor habeo:' et ibid. IV. 1. 5. 'Mea dona deamata acceptaque habita esse apud Phronesium.'

31 *Operoso*] Magna opera et artificio fabrefacto. *Ant.*

32 *Et tripodas*] Mensæ, a tribus pedibus quibus sustentabantur. *Pondere et arte pares*] Quorum ars tantum valet, quantum pondus ipsius metalli, id est, quantum valebat materia. *Hub.*

33 *Talenta*] Talentum parvum et magnum. Atheniense est Magnum pondo 83. ut Martian. scribit: parvum vero 60. *Ant.*

34 *Bis sex assueti*] *Bis septem* major librorum pars: sed aliter Homerus, ex quo hæc omnia mutuatus est noster, Iliad. I. ubi Agamemnon legatis ad Achillem abituris: 'Τμῖν δ' ἐν πάντεσσι περικλυτὰ δῶρ' ὀνομήνω, Ἑπτ' ἀπύρους τρίποδας, δέκα δὲ χρυσοῖο τάλαντα, Αἴθωνας δὲ λέβητας ἑείκοσι, δώδεκα δ' ἵππους Πηγοὺς, ἀθλοφόρους, οἳ ἀέθλια ποσσὶν ἄροντο. Δώσω δ' ἑπτὰ γυναῖκας ἀμύμονας, ἔργ' εἰδυίας, Λεσβίδας, ἃς, ὅτε Λέσβον ἀνιστάμην ἕλεν αὐτὸς, Ἐξέλομην, αἳ κάλλει ἐνίκων φῦλα γυναικῶν. Et mox: Τρεῖς δέ μοι εἰσὶ θύγατρες ἐν μεγάρῳ ἐὐκτιτῷ, Χρυσόθεμις καὶ Λαοδίκη καὶ Ἰφιάνασσα, Τάων, ἥν κ' ἐθέλῃσι, φίλην ἀνάεδνον ἀγάγοιθ' Πρὸς οἶκον Πηλῆος· ἐγὼ δ' ἐπιμείλια δώσω. Et quæ apposita illic plura occurrunt. In Mycilli editione, *Bis seni assueti.* Heinsius.

35 *Quod supervacuum*] Id est, quæ puellæ sunt tibi supervacuæ, et non necessariæ. *Hub.*

36 *Eversa domo*] Postquam tu Lesbon evertisti. *Ant.*

37 *Non opus est*] Vel quia Deidamiam habebas: vel si me repetas. *Idem.*

38 *Una puella*] Quia Agamemnon obtulit ei unam ex filiabus suis uxorem: sed, o conjux, non est tibi opus conjuge, quia habes conjugem me. *Hub.*

39 *Ab Atrida*] Ab Agamemnone, quem filium Atrei existimaverunt. *Idem. Si tibi ab Atrida*] Redemisses, inquit, me grandi pecunia: nunc cum Agamemnon et me et munera ultro offerat, tu neges recipere. *Ant.*

40 *Quæ dare debueras*] Sensus est, Tu recusas accipere illa munera, quæ tu ipsemet debueras dare Agamemnoni, si noluisset reddere me tibi. *Hub. Accipere illa negas*] Malim *neges*, cum altero Scriveriano per interrogationem. *Heinsius.*

43 *An miseros tristis fortuna*] Commiseratio est a calamitatis commemoratione; et ex Homero sumptum est, apud quem Briseis queritur. *Ant. An miseros*] Sensus est, An cum fortuna cepit aliquem premere, insequitur ipsum assidue, et usque ad finem? *Hub. Tenaciter*] Perseveranter. *Urget*] Persequitur. *Idem. Urget*] 'Mortali urgemur ab hoste.' Virgil. et Æn. I. 'Quis te, nate Dea, per tanta pericula casus Insequitur?' Hæc nempe illa erat Juno, quæ Teucris addita nusquam aberat. Æn. VI. Quod illustrat Senec. in Herc. Fur. 'sequitur a primo statim Infesta Juno.' 'Numquid immunis fuit Infantis ætas?' ubi vide Clar. D. Gronov.

Digitized by Google

Et in Agamemn. 'Heu! quam dulce malum mortalibus additum!' Et Stat. Thebaid. v. 'O! miseræ, quibus hic furor additus.'

44 *Nec venit inceptis mollior aura meis*] *Mollior hora* optimus Puteani codex, cum aliis nonnullis. Sic Properties El. II. 28. 'Extremo veniet mollior hora die.' Pont. III. El. 3. 'Et veniet votis mollior hora tuis:' ubi scripti nonnulli *aura*. Noster tamen, Trist. lib. IV. El. 5. 'Utque facis, remis ad opem luctare ferendam, Dum veniat placido mollior aura Deo.' Ubi *hora* etiam in nonnullis scriptis. Fast. II. 'a Zephyris mollior aura venit:' ut recte ibi meliores libri. Quare nihil temere mutandum. Hinc et *Inceptis aspirare*, aliaque a navigantibus sumta. *Heinsius.*

45 *Lyrnesia*] Lyrnesum Ciliciæ oppidum Achilles expugnavit: unde etiam rapuit Briseida. *Ant.*

47 *Vidi*] Quia ut erant conjuncti genere, ita fuerunt conjuncti nece, quia simul interfecti sunt. *Hub.* *Vidi consortes*] Tres fratres Hippodamiæ trucidavit Achilles: pater Brises suspendio vitam finivit. *Ant.*

48 *Tribus quæ mihi mater erat*] Distingue, *tribus, quæ mihi, mater erat:* tres fratres suos innuit. *Heinsius.*

50 *Virum*] Minetem, quem Lyrnesiæ Ciliciæ regem diximus. *Ant.*

51 *Te compensavimus*] Id est, Loco ipsorum te habuimus. *Tot amissis*] Scilicet patre, fratribus, et marito. *Hub.*

53 *Per numina matris aquosæ*] Per Thetidem matrem. Repetit Achillis pollicita, ut perfidiam insimulet. *Ant.* *Tu juratus*] Participium significationis activæ. *Hub.*

54 *Utile cepi*] Quia dicebas, quod essem in meliori conditione apud te, quam si staret patria, et essem apud meos. *Idem.*

55 *Scilicet*] Subandi, utile est; et ironice proferendum est: hæc est utilitas, ut ego repellar a te; quamvis tradar tibi cum magna dote, quam Agamemnon mihi facit. *Idem.* *Quamvis veniam dotata repellar*] *Repellas* Puteanus; placet. Pro *dantur* mox Lovaniensis unus, *dentur*. Heinsius.

56 *Opes*] Agamemnonis munera. *Ant.*

57 *Fulserit Eos*] Sic optimus Puteaneus: cæteri omnes, *hora*; perperam. *Eos* pro Aurora, sæpe in Fastis; et alibi apud poëtas Latinos. *Heinsius.*

58 *Te dare nubiferis linea vela notis*] *Nimbiferis notis* Hafniensis liber: scripti præterea plurimi, *lintea vela* vel *vella*; unde *velle* postea procusum: quod Vlitio nostro notis ad Gratium arridebat. Ego, si quid mutandum sit, legam cum quatuor codicibus, *lintea plena*; ut Remed. Amor. 'Ille dedit certæ lintea plena fugæ.' Sed *te dare* pro te daturum. Sic Met. VII. 'dum census dare me pro nocte paciscor,' pro 'dum paciscor me daturum.' *Idem.* *Nubiferis notis*] Etiam si procellæ inhorreant, in patriam navigare. *Ant.*

59 *Quod scelus*] Ut ante captam Trojam, et sine me discedas. *Ant.*

60 *Sanguinis atque animi*] Id est, fugit sanguis et animus. Ex nimio enim dolore, sive metu ita deficiunt homines, ut videantur mortui. *Hub.* *Animi pectus inane fuit*] Malim *fui*; ut apud Statium, 'Tirynthius almæ Pectus amicitiæ;' si locus sanus est. Sequenti versu libri veteres constanter, *Ibis, et o miseram cui me.* Heinsius.

61 *Violente*] Violentum appellat, quod non rationem sequatur, sed voluntatem. *Ant.* *Cui me relinques*] 'Cui me moribundam deseris, hospes.' Æn. IV. *Ant.*

62 *Deserta*] Si me deseruerit. *Idem.*

63 *Devorer ante*] Pathos ab imprecatione. *Subito hiatu*] Telluris apertione, ut quondam Amphiaraus in bello Thebano contigisse fertur. *Ant.*

65 *Phthiis*] Achilleis. Phthii fuerunt Achillis subjecti. *Idem.*

Digitized by Google

67 *Si tibi jam reditusque placent*] Scribe *tam placent*, ut Grutero videbatur et Douzæ. Epist. Sapphus, 'Si tam certus eras hinc ire.' Similiter peccatum Metam. x. Fab. Myrrhæ: 'Nunc quia tam meus est, non est meus.' Cum libri editi ac scripti constanter illic exhibeant, *jam meus*. Sequenti etiam versu rectius reponas, *Non ego sim*. Heins.

69 *Captiva*] Id est, ut captiva et serva, non ut uxor. *Hub.*

71 *Inter Achaiadas*] Sic cum melioribus libris scribendum, non *Achaiades*; Ἀχαϊάδας, Græco more; quomodo apud Callimachum Lavacro Palladis, et Hymno in Delon, aliosque Græcos poëtas. Pro *nepote* paulo post *nepoti* Puteaneus. *Heinsius. Inter Achaiadas*] Ab extenuatione fortunæ pathos est: et Achaia Achillis patria. *Ant.*

73 *Socero*] Peleo. Jupiter ex Ægina Asopi filia Æacum filium genuit, Æacus Pelenm, Phocum, et Telamonem; Peleus ex Thetide Chironis filia Achillem. *Ant.*

74 *Presocer*] Socrus pater. Chironem significat, Thetidis patrem. *Idem. Nereus*] Deus maris, avus tuus maternus. *Hubert.*

75 *Data penso trahemus*] Servile opus exercebimus. *Mycil. Humiles*] Abjectæ et viles. *Penso*] A pendendo dicta: dabantur enim lanæ ad pondus, inde ancilla quæ huic officio præerat, libraria dicebatur. *Hubert.*

76 *Stamina*] Fila quæ nebimus. *Minuent*] Evacuabunt. *Idem.*

78 *Nescio quo*] Vehementius est, quam si expressisset: plus enim in suspicione reliquit. *Ant.*

79 *Scindi*] Lacerari ab uxore tua. *Hub. Scindi*] 'Ipsam capillo consecidit.' Ter. Eunuch. Sævis unguibus involare, et probe depexum dare.

82 *Hic metus*] Ne a te destituar. *Ant.*

83 *Quid tamen expectas*] Qui Puteaneus. Junianus, *Quod tamen*. Lege. *Quo tamen*: nisi quod apud Juvenalem Sat. II. 'Quid tamen expectant?' Vide notas ad Epist. XIV. 61. *Heinsius. Quid tamen, &c.*] Obstinationem in Achille queritur. Agamemnon, inquit, iram deposuit: tu adhuc in tua obstinatione duras. *Ant.*

84 *Græcia mæsta*] Græcorum exercitus, qui maximam cladem patitur. *Idem.*

86 *Lacerat*] Destruit: quasi dicat, Cur tu, qui solus potes, non obstas ei. *Hubert.*

87 *Arma cape, Æacide*] *Æacida* codex alter Regius, ut Silius de Homero ad Achillem, 'Felix Æacida, cui tali contigit ore Gentibus ostendi.' Noster Met. VII. 797. 'Juvat o meminisse beati Temporis, Æacida;' quomodo optimæ membranæ. Sic et lib. XI. 'Æacida, dixit, votis potiere petitis;' notum illud oraculi, 'Aio te Æacida Romanos vincere posse.' *Heinsius.*

88 *Viros*] Trojanos. *Turbatos*] Faciles ad fugam. *Ant.*

90 *Tristitiæ*] 'Eja, mea Juno, non decet te esse tam tristem tuo Jovi.' Plaut. Cas. II. 3. *Modus*] Id est, finis. *Hub.*

91 *Precibus succumbere nostris*] Id est, vinci precibus meis, et eis flecti ad accipiendum arma. *Idem.*

92 *Versus*] Immutatus et inductus contra propositum suum. *Idem. Œnides*] Meleager Œnei filius. *Versus in arma*] Bellum iniit contra Curetas. *Ant.*

93 *Fratribus orbæ*] Toxeum et Plexippum intelligit, quos alii Protum et Cometem appellant: hos Meleager interemit, cum apri caput Atalantæ subripere voluissent, unde exortum est bellum inter Ætolos et Curetes. *Idem.*

94 *Parens*] Althea Thestii filia, et Meleagri mater. *Ant.*

95 *Bello erat ille ferox*] Recte Puteaneus, *Bellum erat: ille ferox*. Fast. IV. 'Turnus an Æneas Latiæ genet

esset Amatæ, Bellum erat.' Sic et 'Pax erat,' Fast. I. 'Pax erat, et vestri, Germanice, causa triumphi Tradiderat famulas jam tibi Rhenus aquas.' Auctor Elegiæ in obitum Mæcenatis, 'Pax erat: hæc illos laxarunt otia cultus.' Pari modo 'Nox erat,' 'Lux erat,' et similia apud Poëtas obvia. Cæterum ex Homero Historiam hanc est mutuatus de Meleagro, quam Iliad. I. Phœnix Achilli narrat. Extat et apud Antoninum Liberalem Metamorph. Fab. II. Codex Gottorphianus, *Marte erat ille ferox*. Heinsius. *Ille*] Meleager. *Ferox*] Fortis. *Secessit ab armis*] Ut supra diximus, indignatus propter execrationes matris. *Hub.*

96 *Patriæ*] Calydoni, quæ ab hostibus oppugnabatur. *Idem. Rigida mente*] Obstinata ira. *Ant.*

97 *Sola virum conjunx flexit*] Alcyone Hygione Fab. 174. quæ et Cleopatra Antonino Liberali, et Homero, cujus Scholiastæ hanc Idæ Apharei et Marpissæ Eveni filiæ natam faciunt, ut et Apollodorus in Bibliotheca, quo teste post Meleagri mortem sese ipsa interemit. *Heinsius. Fatisior illa*] Cleopatra, quæ virum flexit. *Ant.*

98 *At mea pro nullo pondere verba cadunt*] Gruterus, *proh nullo pondere!* ut et Gebhardus in Crepundiis: sed frustra, ut recte vidit perspicacissimus Gronovius ad Livii I. 21. Noster Trist. lib. I. El. 7. 'Illud amicitiæ sanctum et venerabile nomen Re tibi pro vili sub pedibusque jacet.' Propertius, l. I. El. 10. 'Neu si quid petiit, ingrata fronte negaris, Neu tibi pro vano verba benigna cadant.' Plautus Mennæchmis, 'Pro sano loqueris, qui meo me appellas nomine.' Ibidem, 'Non pro insano hoc verbum respondit.' Sed modus exemplorum non esset. *Pro nullo pondere*] Sic 'in nullo pondere' Propertio, 'Quid juvat in nullo pondere verba loqui?' *Heinsius. Pro nullo pondere*] Caduca sunt, et sine efficacia. *Ant.*

99 *Nec me pro conjuge gessi*] Non tamen mihi arrogavi, ut me tibi uxorem crediderim, verum servæ partes implevi. *Idem.*

100 *In domini serva vocata torum*] *Dominum torum* Codex Episcopi Lincoliensis: placet. Sic 'domines Deos' dixit Ep. IV. 12. 'dominas manus' Amor. lib. II. El. 5. 30. Ausonius de Bissula, 'domina libera facta manu:' 'domina hasta' Juvenali Sat. III. 'domina mensa' Statio Sylv. IV. Epiclo. Domitiani; atque ita passim optimi scriptores: ut et 'domina urbs;' sic et 'famulæ manus,' 'famulæ aquæ;' et similia. De quibus Fastor. I. 286. dixi: alii *domini toro*. Frustra: vocare enim est imperii herilis. Epistola Acontii, 'Ignoras tua jura, voca: cur arguor absens? Jamdudum dominæ more venire jube.' Art. lib. II. 'Nocte domum repetens epulis perfuncta redibit. Tum quoque pro servo, si vocat illa, veni,' *Heinsius.*

102 *Servitio addis onus*] Id est, Servitutem meam magis aggravas, cum vocas me honorifico nomine dominæ, cum serva sim. *Hubert.*

103 *Per tamen ossa viri*] Adjuratione impudicitiæ suspicionem delet. *Viri*] Minetis. *Male tecta sepulchro*] Nam in excidio Lyrnesi sepeliendi viri non data est opportunitas. *Ant.*

105 *Perque trium fortes animas*] Fratres tres intelligit, quos trucidasse Achillem diximus. *Idem.*

107 *Per tuum caput*] Mos Græcorum jurare per alienum caput. Juv. 'Nondum Græcis jurare paratis Per caput alterius.' *Una*] Id est, simul. *Hub. Quod junximus una*] *Quæ junximus* bene Puteanus: 'jungere capita;' pro rem veneream exercere. Petron. 'conjunctis marcebant capitibus:' sic et 'jungere membra,' de quo Notis ad Fast. II. 592. et 'jungere Venerem,' de quo notis ad Remed. Amor. v. 407. et 'jungere cor-

Digitized by Google

pus,' et 'jungere oscula,' et similia. *Heinsius.*

108 *Cognita tela*] Quoniam illis ceciderunt. *Ant.*

109 *Mycenæum*] Agamemnonem significat. *Idem.*

112 *Nulla tibi sine me gaudia facta*] Puto *pacta.* Art. Amat. 'Si dederint, et vos gaudia pacta date.' Sic et 'pactæ noctes' apud Propertium. Potest et vulgata ferri. *Heinsius.*

113 *Tibi plectra moventur*] Id est, Tu citharæ indulges: nam plectrum est, quo chorda tangitur: interdum pro tota cithara ponitur. *Hubert.*

114 *Mollis amica*] Diomedam Phorbantis filiam significare videtur, qua cum se delectare consuevisse Achillem, ablata Hippodamia, scribit Homerus. *Ant.*

116 *Citharæ*] Quibus a Chirone instructus est. *Ant.*

118 *Threicium lyram*] Qualem in Thracia Orpheum personasse tradunt. *Idem.*

121 *Sed tibi pro tutis insignia facta placebant*] Scripserat Ovidius, ni fallor *præ tutis.* Heinsius. *Pro tutis*] Pro periculorum evitatione. *Ant.*

124 *Laus tua victa jacet*] *Tibi victa* alter Scriverianus; paulo venustius. *Heinsius. Victa jacet*] Extincta est. *Ant.*

126 *Pelias hasta*] Peculiaris Achilleæ hastæ adjectio est apud Homerum, quæ tanta magnitudine fuit, ut Patroclus cum cætera arma sumeret, hastam reliquerit. *Idem. Pelias*] Id est, Thessalica, a Pelio monte Thessaliæ. *Hubert.*

130 *Teucri frater*] Ajacem intelligit, qui unus fuit ex legatis ad Achillem. *Anton.*

132 *Præsentesque oculos admonuisse sinu*] *Præsentisque* Puteaneus cum aliis nonnullis. Idem *admonuisse sinum*, et supra adscriptum, 'vel *sui*' pro diversa lectione: *Præsentisque sinus* unus Vaticanus: tres alii, *Præsentique sinu*: prior Scriverianus satis antiquus; *Præsentisque oculis admonuisse sinus.* Lego minima mutatione, *Præsentisque oculis admonuisse sui.* Oculi enim 'sunt in amore duces,' ut inquit ille, quibus amantes capiantur potissimum ac trahantur. Si quis Puteanei codicis tamen atque aliorum plurium vestigiis insistens, *Præsentisque oculos admonuisse sui*, præferendum contendat, nil repugnem, dum vulgatam lectionem ut inurbanam mecum adversetur. 'Admonuisse sui,' ut in fragmento Halieutici, 'Accepit mundus legem, dedit omnibus arma, Admonuitque sui.' Epistola Ariadnes, 'Candidaque imposui summæ velamina virgæ, Scilicet oblitos admonitura mei.' Superiori versu vocibus transpositis scripti plerique *collum solitis tetigisse lacertis.* Heinsius.

133 *Matris undis*] Marinis fluctibus, qui nulla audiunt vota. Thetis Achillis mater est, maris nympha. *Ant. Matris undis*] Ὦ κακὸν γέννημα, καὶ θρασὺ μητρὸς θαλασσίας. Vide Dion. Prus. orat. 58. et Hom. Iliad. II. 203. Ἀχιλεῦ, Πηλέος υἱὲ, χόλῳ ἄρα σ' ἔτρεφε μήτηρ, Νηλεές. Qui nempe, male sanus, magno irarum fluctuabat æstu, ut insanæ undæ maris solent: hinc et ab Eurip. Electr. vocatur Θέτιδος ἐνάλιος γόνος.

136 *Eat auspiciis Pyrrhus ad arma tuis*] *In arma* codices plerique; et sane id elegantius: sic 'ire in hostem,' 'in pugnam,' 'concitare in arma,' 'ruere,' 'ferri,' 'mittere,' 'venire,' et 'trahi in arma,' et similia. Statius Theb. VIII. 'Imus in arma palam.' Noster Amor. lib. I. El. 9. 'Hector ab Andromaches complexibus ibat in arma.' Τὸ *in* enim infesti animi significationem interdum præ se fert. Noster infra, 'Ensis in Atridæ pectus iturus erat:' et alibi, 'Et Jovis in multas devolat ales aves.' Remed. Amor. ex veteri codice: 'Non aliquis socios Rhesus in arma vocat.' 'Attonitum vulgus in arma ruit,'

Digitized by Google

Fast. VI. ex antiquis libris. Sic 'verti in aliquem' infesto animo; de quo Met. I. *Heinsius.* *Pyrrhus*] Filius Achillis ex Deidamia, Lycomedis regis Scyriorum filia. *Auspiciis tuis*] Tuo ductu et imperio. *Ant.*

139 *At si versus amor tuus est*] *Aut* Puteaneus; nec pauci alii ex melioribus: placet. *Heinsius.*

140 *Coge mori*] Interimas me antequam a te separes. *Anton.*

142 *Sustinet hoc animæ spes tamen una tui*] *Animi spes tamen una mei* quatuor libri: etiam bene; nisi malis *animæ meæ.* Et mox *Qua si destituor* pro *destituar* Puteaneus aliique nonnulli. *Heinsius.*

145 *Cur autem jubeas*] Cum scilicet tu hoc efficere possis. *Huber.*

147 *Si Dea passa*] Palladem significat, quæ Achilli obstitit, ut Homerus scribit, cum stricto ense in Agamemnonem ferretur. *Ant.* *Si Dea passa*] Homer. Iliad. A. 197. Στῆ δ' ὄπιθεν, ξανθῆς δὲ κόμης ἕλε Πηλείωνα. Ad quod alludere videtur Plaut. Menæchm. v. 2. 'Sed quis hic est, qui me capillo hinc de curru deripit?' Eustathius hanc allegoriam ad Platonem refert, et τὴν παρ' αὐτῷ ἀγχίνοιαν, καὶ κεφαλικὴν οὐράνωσιν intelligit. Quod et Germanis in proverbio.

148 *In Atridæ pectus*] Agamemnonis. *Ant.*

149 *Ah potius*] Post ironicam concessionem petit Briseis aperte ab Achille, ut vitam conservet, quam ei dederat. *Tua munera*] Quæ mihi dedisti: et est appositio. *Hub.* *At potius serves*] *Ah* Puteaneus cum duobus aliis. *Heinsius.* *Nostram, tua munera, vitam*] Simile quid in Æn. IX. 'nec te, tua funera, mater Produxi:' quanquam hoc alii aliter explicent.

150 *Quod dederas hosti*] Dum esses mihi hostis vitam concessisti, eandem amica exigo: et a consequentibus arguit. *Ant.*

151 *Neptunia*] Quæ Neptunus fabricavit. *Idem.* 'et omnis humo fumat Neptunia Troja,' Æn. III. ubi vide Servium. *Perdere*] Hos, dicit, si delectaris cæde alicujus, multo justius potes interficere hostes tuos, quam me nunc amicam tuam. *Hub.*

153 *Sive paras impellere remige classem*] Sive in patriam navigare constituisti. *Anton.*

154 *Sive manes, domini more venire jube*] Non damno hanc lectionem; Puteaneus tamen cum tribus aliis *domini jure.* Paulinus Epistola ad Ausonium, 'Totusque nostra jure domini viudicat Et corda et ora et tempora.' Acontius Cydippæ: 'Ignoras tua jura, voca: cur arguor absens? Jamdudum dominæ more venire jube.' Hac de voce vide quæ noto Amor. I. El. 2. Remed. Amor. 100. ex antiquis libris, 'Non sunt imperii tam fera jura mei.' Hinc 'jus habere in aliquem.' Nil temere tamen mutandum hoc loco; aut si quid mutem, lubens rescripserim, *domino jure*, vel, *more*; de qua locutione paulo ante agebamus hac epistola. *Heinsius.* *Domini jure*] Tanquam ego sim serva tua, et tu dominus meus. *Micyl.*

EPIST. IV. PHÆDRA HIPPOLYTO.

1 *Qua nisi, &c.*] Epistola ergo hac Hippolytum ad amorem ut flectat nititur Phædra: sed cum turpe sit privignum a noverca in amorem sollicitari, principium ex insinuatione sumit.

2 *Cressa puella*] Phædra Cretensis. *Amazonio viro*] Hippolyto, Hippolytes Amazonis filio. *Ant.*

3 *Perlege*] Quia scit eum contracturum frontem, invitatum de re turpi, hortatur eum ad legendum totam

Digitized by Google

epistolam. Confidit enim se rationibus suis posse persuadere quod cupit. *Quodcunque*] Quasi dicat, Etiamsi sit aliquid turpe, et quod tibi displiceat. *Quid nocebit*] Quasi dicat, Nihil. *Hub.*

4 *Quod juvet*] Non quod honestum est.

6 *Notas*] Id est, literas.

7 *Ter conata*] Quia posset dicere, Quare non dixisti coram? dicit, se pudore impeditam. *Inutilis*] Quæ non præstabat mihi officium suum.

8 *Ter in primo destitit ore sonus*] Sunt qui *restitit* legendum contendant. Inter quos Douza et Slichtenhorstius quondam meus; ut in uno Lovaniensi extat. Tres alii, *constitit*. Sed nil mutandum. Etsi succurrunt illa Laodamiæ, 'Semper in his apte narrantia verba resistunt.' Virgilianum quoque istud, 'Incipit effari, mediaque in voce resistit.' Pro vulgata enim lectione stat locus ille, Fast. II. 828. 'Ter conata loqui, ter destitit: suasque quarto Non oculos ab humo sustulit illa suos:' ubi perperam scripti nonnulli, *deflexit*. Epistola Laodamiæ, vs. 83. 'Hunc fateor volui revocare, animusque ferebat: Destitit auspicii lingua timore mali.' Sic puto, cum in quinque codicibus *sit*, *sed stetit*. Vulgati *substitit*; etiam non male. Fast. lib. I. 538. 'Substitit in medios præscia lingua sonos.' *Desistere* pro stare, restare Plautus quoque dixit Mostellaria Act. III. sc. 2. 'Quid illic obsecro tamdiu destitisti?' ut exemplaria nonnulla præferunt. *Heinsius.*

9 *Qua licet*] Quia occurrebat, quod amatores sunt impudentes: dicit ipsa, oportere etiam esse in amore aliquem pudorem. *Qua*] Pro quatenus, id est, quantum licet. *Et sequitur*] Consequens est et utile. *Miscendus*] Jungendus. *Ant.*

10 *Dicere*] Scilicet coram. *Scribere*] Quia jussit amor. *Idem. Jussit amor*] Crimen in Cupidinem rejicit.

12 *Regnat*] Rerum summam possidet. *Ant.* Nævius Gymnastico: 'Ædepol, Cupido, cum tam pusillus sis, nimis multum vales.' Senec. in Hippolyto: 'Regnumque tantum minimus in superos habet.' *Cief. Jus*] Potestatem. *In dominos jus habet ille Deos*] Sic scripti; non *superos*: in uno meo, *dominos*; sed perperam. Amor lib. III. El. 10. 'Hæc decet ad Dominos munera ferre Deos.' Sic 'Domina Venus' apud Petronium. Noster Art. Am. I. 148. 'Tu Veneri dominæ plaude favente manu.' Am. III. El. 13. de Junone. 'Invisa est domini sola capella Deæ.' *Heinsius.*

13 *Ille*] Scilicet amor. *Dubitanti*] Quia turpitudo negotii suscipiendi dubium adducit.

14 *Ille*] Hippolytus. *Ferreus*] Id est, etiam si esset ferreus et durissimus. *Dabit victus manus*] Tuo imperio succumbet. Translatio sumpta a victis in prælio, qui manus victoribus præbent ligandas: inde quos amor subegit, dicuntur ligati, ut captivi.

15 *Adsit*] Optantis est: id est, utinam mihi præsens sit, et faveat. *Ut fovet*] Ut calefacit. *Hub. Fovet*] Hoc verbum varie et eleganter usurpatur. 'ipse Neæram Dum fovet.' Virgil. Ecl. III. Et Æn. I. 'hoc regnum Dea gentibus esse, Si qua fata sinant, jam tum tenditque foveteque.' Et Æn. IV. 'famamque fovemus inanem.' Et superius. 'Nunc hiemem inter se luxu, quam longa, fovere.' Et Æn. IX. 'non obvia ferre Arma viros, sed castra fovere.' Et Æn. X. 'Aut ego tela dedi, foviqne cupidine bella.' *Avido igne*] Flagrantissimo amore. *Ant.*

16 *Figat*] Vulneret, scilicet sagittis suis. *In mea vota*] Ut sis paratus facere quod ego velim. *Hub.*

17 *Non ego nequitia*] Purgat impudicitiæ crimen; descendens paulatim ad rem ipsam. *Socialia fœdera*] Conjugia Thesei.

Digitized by Google

18 *Crimine*] Impudicitiæ nota.

19 *Venit amor gravius*] Fatetur se manifestissime amare, sed amoris auctorem supprimit, ut modestius rem suam agat. Amor, inquit, me invasit: sed tanto mihi est amoris æstus gravius tolerare, quanto ætate me grandiorem invasit. *Serius*] Tardius et ætate provectiori.

20 *Cæcum pectora vulnus habent*] Minime damno hanc lectionem. Non minus eleganter tamen unus ex meis, *tacitum vulnus*: apposite apud Maronem, 'est mollis flamma medullas Interea, et tacitum vivit sub pectore vulnus.' *Heinsius*. *Cæcum vulnus*] Occultum amorem. Virg. 'Et cæco carpitur igni:' sic Theocr. Idyll. XI. 15. ἔχθιστον ἔχων ὑποκάρδιον ἕλκος, Κύπριος ἐκ μεγάλας, τὸ οἱ ἥπατι πᾶξε βέλεμνον. Et Bion Smyrn. Idyll. I. vs. 17. in Epitaph. Adon. Μεῖζον δ' ἁ Κυθέρεια φέρει ποτικάρδιον ἕλκος.

22 *De grege captus*] Id est, novus, et nondum domitus. *Hub.*

23 *Rude pectus*] Non assuetum, et in amore difficile. *Rude*] Inexercitum. Justin. I. 1. 'Rudes adhuc ad resistendum populos:' et Ovid. Epist. XI. 'Et rudis ad partus, et nova miles eram.'

24 *Sarcina*] Amoris molestia. *Ant.*

25 *Ars fit ubi a teneris*] *Ut a teneris* novem libri, *ut* pro *ubi*: sic sæpe noster alibi. *Heins.* *Ars fit*] Ars est, quæ dat certam viam rationemque dicendi vel faciendi aliquid. Est igitur sensus, Si quis velit habere recte aliquam artem, incipiat a teneris annis. *Fit*] Id est, perficitur. *Crimen*] Scilicet amandi. *Hub.*

26 *Exacto tempore*] Provectiori ætate. *Pejus*] Gravioribus pœnis. *Ant.* *Venit*] Incidit in amorem.

27 *Tu nova*] Allicit eum commendatione suæ pudicitiæ. *Libamina*] Gustamenta. *Nova*] Prima: id est, Tu eris primus qui me vitiaveris, et pudicitiam meam abstuleris: nam a marito non aufertur mulieri pudicitia, vel fama castitatis, sed ab alieno. Dicit ergo, se semper fuisse intactam hactenus ab omnibus, præterquam a Theseo: et Hippolytum fore primum, qui ejus pudicitiam delibet. *Servatæ*] Custoditæ. *Carpes libamina formæ*] 'Carpere' sequenti versu denuo habes: quare prætulerim quod in nonnullis, *capies*: nisi *rapies* fortasse malis. *Heins.*

28 *Pariter nocens*] Id est, Uterque pariter, et uno eodemque tempore amittemus pudicitiam: quia adhuc fuisti ignotus mulieribus, et ego intacta aliis, præterquam marito meo.

29 *Est aliquid*] Quasi dicat, non contemnendum.

30 *Deligere*] Colligere.

31 *Si tamen*] Est quasi quædam Hypophora ad seipsam: et est sensus, Illa integritas meæ pudicitiæ qua ante florui. *Sic tamen ille prior*] Ita Puteani liber cum plerisque aliis. Sed verum est, quod ex suis profert Naugerius, quodque ego in uno alteroque offendi, *Si tamen*. Vulgati *Sed tamen*. Sequenti versu idem Puteaneus *igni* pro *igne* ἀρχαϊκῶς, ut sæpe alias: duo *æstu*; etiam non male. *Heins.*

32 *Notandus erat*] Ab insuetudine peccandi: id est, Debueram diligenter servare, ut non peccarem, quemadmodum nunquam ante peccaveram cum aliquo; et ad hoc respondet quod sequitur.

33 *At bene successit*] Scilicet illo candor castitatis. *Quo*] Candore. *Me gessi*] Scilicet ante sine crimine: quia nunquam feci aliquid, quo possum esse infamis. *Ab insolita labe*] Id est, a delicto et stupro insolito: hoc fuit quod sibi ipsi ipsa objecit. *At bene*] Responsio est ad objectionem: et hoc dicit, Licet servanda esset castitas mea inviolata, tamen bene evenit, quod in ea violanda elegi virum dignum.

34 *Pejus*] Magis. *Turpis*] Indignus. Videtur enim excusanda mulier,

Digitized by Google

quæ cum viro digno committit adulterium. *Hub. Digno igni*] Elegantis juvenis amore. *Ant. Turpis adulter obest*] *Abest* legendum videtur; atque ita Scriverianus liber. *Heins.*

35 *Si mihi*] Probat dignum esse amorem suum, quia si detur sibi optio Jovis et Hippolyti, dicit se præposituram esse Hippolytum Jovi. *Hub. Fratremque virumque*] Jovem intelligit, cujus Juno est soror et conjunx. *Ant.*

36 *Hippolytum videor*] *Videar* Vaticanus et Farnesianus unus. *Heins.*

37 *Jam quoque*] Secundum præcepta ipsius Ovidii in Arte amandi, quibus rebus delectantur, quos amamus, eisdem debemus et nos delectari. Ideo quia Hippolytus delectabatur venatione, dicit Phædra, videri sibi sæpe exire in venationem, et omnia agere, quæ ipse Hippolytus agere solitus sit. *Ignotas*] Insuetas mihi: venationem intelligit. *Mittor in artes*] *Mutor* Puteaneus codex et Argentinensis; venuste; nisi malis *nitor*. Vide Notas Art. Am. III. 667. *Credas* pro *credes* quinque libri. *Heins.*

38 *Per sævas feras*] Quas tu insequeris per sylvas.

39 *Arcu præsignis adunco Delia*] *Cornu adunco* Scriverianus liber: sic κέρας pro arcu etiam apud Græcos poëtas est invenire: ut apud Anacreontem, sub finem Odæ III. Cupido de arcu suo Κέρας ἀβλαβὲς μέν ἐστι. Claudianus de Raptu Proserpinæ, 'intento festinat Delia cornu:' et de eadem, 'quæ terret Mænala cornu.' Noster Epistola Ariadnes, 'Non poterant figi præcordia ferrea cornu:' atque ita poëtæ passim. Sequenti versu *subsequor* Puteaneus liber cum aliis nonnullis. *Heins.*

41 *Pressisque in retia cervis*] *Prensisque* Puteanea excerpta, et quinque libri ex nostris. *Idem. Pressis*] Agitatis. Virg. 'Aut spumantis apri cursum clamore prementem.' *Hub. In retia*] Quæ Lydia Arachne invenit: et ex lino Campano cæteris præferuntur. *Ant.*

42 *Hortari*] Instigare mea voce, ut faciunt venatores. *Hub.*

43 *Excusso*] Fortiter moto. *Hub. Excusso*] Reducto. Æneid. v. 'durosque reducta Libravit dextra media inter cornua cæstus:' sic etiam hasta dicitur reducta, ut fortius mittatur. Æn. x. 'illic reducta Loricam, clypeique ingens onus impedit hasta:' quanquam hoc Servius aliorsum detorqueat; quod minus placet. Vide etiam Turn. Advers. II. 21. in fine. Sic et Lucan. III. 'Jam non excussis torquentur tela lacertis.' Et Ovid. 'excussaque brachia jactat:' vel si mavis per Hypallagen: Lucan. d. l. 'neque enim solis excussa lacertis Lancea.'

45 *Juvat torquentem frænis*] Delectat me cohibere currentes equos. *Versare*] Moderari. *In pulvere*] In aperto campo.

46 *Ora fugacis equi*] *Sequacis* Puteaneum exemplar et Scriverianum cum quatuor aliis, tam hic, quam Epistola Herus initio: 'Flectitis aut fræno colla sequacis equi:' ubi etiam *fugacis* vulgo. Remed. Amor. 'Nunc leporem pronum catulo sectare sequaci:' ut quidem Jureti Excerpta. Sed verior lectio, *Catulo sagaci*. 'Fugacem' tamen 'equum' Ammianus l. XIX. dixit, 'Fugaci equo nudo et infreni calonum quidam sedens.' Propertius de Parthis, 'Tela fugacis equi.' Servius ad Georg. l. I. 'Velocem equum fugacem dicimus.' Ovidius vero utroque loco equum describit frenis parentem. Rectius ergo, *Sequacis equi*. At paulo post hac eadem epistola, 'Sive fugacis equi luctantia colla recurvas,' duo libri exhibent, cum in vulgatis legatur *ferocis*. Heins.

47 *Eleleides*] Bacchi ministræ dicuntur, a Baccho, quem ab Helo oppido Heliconio, sive Ætolo, ubi illius orgia celebrantur, Eleleum in Meta-

Digitized by Google

morphosi diximus nuncupari. *Ant. Nunc feror*] Dicit interdum nimia vi amoris se fieri insanam, et similem sacrificantibus Cybelæ. *Feror*] Rapior impetu animi. *Hub. Bacchi furiis actæ*] Numine afflatæ. Sacra alia sunt tacita et mystica: alia cum afflatu numinis, adhibitisque omnium generum instrumentis aperta, qualia sunt orgia Bacchi et Cybeleia.

48 *Quæque sub Idæo*] *Quique* rescribi Mycillus velit, ut de Gallis intelligatur. At argute Ovidius Galles tanquam feminas hic describit, pro qua lectione libri stant veteres uno consensu. *Gallas* simili modo Catullus in Galliambo vocavit: ubi passim ludit, Attyn tanquam feminam describens, ut et Claudianus Eutropium Eunuchum. Certe Lucianus Gallorum choro feminas immistas, ipsosque Gallos vestitu muliebri fuisse usos testatur. Sed codex nunc non est ad manum. Vide quæ ad Claudianum notamus l. I. in Eutropium 271. sic apud Statium Theb. XII. 'Dux vesana chori' Attys aut Archigallus vocatur; quod temere mutari nolim. *Heins. Quæque sub Idæo tympana colle movent*] Cybeles ministras significat, quæ afflatæ Deum matris numine sacrificantes discurrebant ab Ida Phrygiæ monte ad Olympum, qui est ad Antandri plagam, ut Euripides auctor est. Sunt enim sacra Liberi patris et Cybeles communia, ut Straboni placet: eorum ministri dicuntur Sileni, Satyri, Bacchæ, Mænades, Thyades, Mimallones, Naiades, Nymphæ Bassarides, Eleleides.

49 *Aut quas semideæ Dryades*] Eas intelligit, quæ quoniam fontana numina aut nemorea vidissent, Lymphatæ dicebantur. Eas resipiscere a furore non posse magi tradebant, nisi talparum sanguine spargerentur, ut auctor est Plin. *Fauni bicornes*] Nocturnis numinibus agitati alii ferebantur, velut hi qui a Faunis noctu sub pellibus responsa petere solebant in Latio: nam Faunus Pici filius, ut scribit Caius Bassus, primus Saturno avo in Latio sacra instituit, patrem Picum inter Deos retulit, Faunamque sororem: eandemque conjugem consecravit, quam M. Varro Bonam Deam appellatam tradit, mulieribusque responsa dare consuevisse, et Faunum viris.

50 *Attonuere*] Lymphaticas fecerunt.

52 *Conscius amor*] Id est, cujus ego sum conscia: quia ille est causa omnium horum furorum.

53 *Forsitan*] Hunc amorem dicit esse fatalem, et ideo non posse repelli. *Generis fato*] Fortunæ meæ gentis. *Reddamus*] Hoc est, attribuere possumus.

54 *Et Venus e tota*] Tangit fabulam. Venus enim indicante Sole deprehensa in adulterio cum Marte a Vulcano marito, ægre tulit injuriam indicii: utque ulcisceretur se, immisit in omne genus Solis impatientiam amoris, ita ut nulla fuerit de gente Solis mulier quæ castitatem servare potuerit: sicut nunc ostendit Phædra. *E tota gente*] Sic Senec. Hippolyt. 'Stirpem perosa Solis invisi genus, Per nos catenas vindicat Martis sui, Suasque: probris omne Phœbeum genus Onerat nefandis. Nulla Minois levi Defuncta amore est.' *Ex tota gente tributa petit*] *E tota gente tributa petat*, Scriverianus et alii nonnulli. Nam in Puteaneo unius paginæ hic est lacuna. *Heins. Tributa petit*] Est translatio sumpta a subjectis, qui superioribus præstant tributa. *Hubert.*

55 *Jupiter Europam*] *Europen* Sarravii liber: ut noster etiam alibi. *Heins. Jupiter Europam*] Versum in taurum Jovem poëtarum figmentum est. *Ant.* Re autem vera, Jupiter rex Cretæ captus amore Europæ, cum eam aliter habere non posset, navi quæ signum tauri habebat, eam abduxit: inde a poëtis datus est locus

Digitized by Google

fabulæ, quod a tauro sit abducta. *Jupiter Europam*] Palæph. de incredib. qui hæc de Europa paulo aliter explicat. *Prima*] Quia ex ea natus est Minos pater meus.

56 *Dissimulante*] Occultante: quia in forma tauri Jupiter latebat.

57 *Pasiphaë*] Fuit filia Solis, quæ tauri turpi amore capta, cum eo Dædali ope concubuit, ex quo genuit Minotaurum.

58 *Utero crimen onusque suum*] *Suo* scripti plerique; probe. Epistola Canaces, 'Et positum est uteri crimen onusque mei.' *Heins. Crimen onusque*] Id est, onus criminosum et infame. Minotaurum scil. *Crimen onusque*] Sic Virgil. 'Crimen amor vestrum:' et alibi, 'Veneris monumenta nefandæ.'

59 *Perfidus Ægides*] Aliud exemplum suæ sororis Ariadnes, quæ Thesei amore capta, ei modum dedit, quo Minotaurum interficeret, et ex Labyrintho posset exire, dato ei filo, quod secutus veniret ad egressum Labyrinthi. *Ægides*] Theseus filius Ægei. *Perfidus*] Quia non servavit fidem sorori meæ datam. *Hub. Ducentia fila secutus*] Labyrinthum filo evadere Dædalus Ariadnam docuerat; Ariadna id Theseo monstravit. *Ant. Ducentia fila*] Sic Æn. VI. 'cæca regens vestigia filo.'

60 *Fugit tecta*] *Fregit tecta* alter Scriverii codex; de quo ad Epistolam primam, vs. 42. Sic apud Virgilium Æn. V. in labyrinthi descriptione, 'qua signa sequendi Falleret indeprensus et irremeabilis error:' quo loco libri nonnulli veteres et Servius manu exaratus Bibliothecæ Leidensis *Frangeret* agnoscunt. *Heins. Curva tecta*] Periphrasis est Labyrinthi; erat enim multis circuitibus factus. *Curva tecta*] Hinc etiam vocatur 'inextricabilis error,' Æn. VI. et Æn. V. 'irremeabilis error.' Et Ovid. Metam. VIII. 166. 'Dædalus implet Innumeras errore vias.'

61 *En ego*] Jungit se supradictis, quarum amorem fatalem esse dixit. *Ne forte parum Minoia credar*] Id est, Ne si aliter essem, non putarer esse de gente Minois, quæ fataliter amori subjecta est. *Minoia*] Vel filia Minois, vel de ejus gente.

62 *Socias*] Mihi et illis communes. *Leges*] Conditiones. *Ultima gentis*] Minos et Pasiphaë non habebant aliam filiam minorem natu Phædra.

63 *Domus una*] Scilicet tua. *Duabus*] Ariadnæ sorori meæ et mihi.

64 *Capta*] Amore victa. *Parente*] Tuo.

65 *Thesides*] Hippolytus.

66 *Bina tropæa*] Bina monumenta victoriæ. *De nostra domo*] Ex qua duas rapuistis.

67 *Tempore quo nobis inita est Cerealis Eleusis*] Primo *vobis* scribendum, ut sequenti versui melius hæc respondeant, idque auctoribus duobus libris. Deinde τὸ *inita* perperam in *viæ* vel *nota* mutant libri nonnulli. Ad *Initia* enim Cereris videtur alludere. Cæterum in Prosodia admodum vetusto charactere exarata apud Patres Societatis Jesu Lovanienses *Eleusin* legebatur: idque recte. Sic Fast. IV. 'quod nunc Cerealis Eleusis Dicitur, hic Celei rura fuere senis:' et Metam. l. VII. 'Cercyonis lethum vidit Cerealis Eleusis.' Exemplaria vetustiora pari modo *Eleusin* agnoscunt. Ut et apud Claudianum l. I. de Raptu, 'sanctasque faces attollit Eleusis.' Neque aliter apud Senecam in Tragœdiis non uno loco, Silium ac Statium in optimis codicibus exaratum offendi. Grammatici præterea utrumque dici monent. Servius in Georg. I. 'Talis est et in Græcis ratio; nam *Attis* et *Attin* dicunt: *delphin* et *delphis*, *Eleusin* et *Eleusis*; sed verius in *en* desinunt, quod in obliquis habent *Attinos*, *delphinos*, *Eleusinos*:' sic scribe. Similia habes apud Priscianum l. VI. 'Et sciendum quod omnia in *in* desinentia etiam in

Digitized by Google

is producta finiuntur. *Attin* proprium nomen et *Attis*, *delphin* et *delphis*, *Eleusin* et *Eleusis*, *Trachin* et *Trachis*. Et notandum quod auctores Græcorum in *is* magis terminatione sint usi: nostri vero frequentius in *in*. etsi Cicero pro Scauro *Aris* et *Arin* dixerit:' sic et illa sunt constituenda. Neque aliter Ammianus Marcellinus, lib. XVII. Pomponius Mela, Plinius, alii. Apud Senecam Natural. Quæst. VII. 31. scribendum videtur, 'Eleusin servat, quod ostendat revisentibus.' *Heins.* *Tempore*] Commemorat tempus, quo primum est capta amore Hippolyti. Dicit enim fuisse, Cum mysteria Cereris Eleusinæ, &c. Est autem Eleusin, sive Eleusis urbs Atticæ, ita dicta ab adventu Cereris: nam ἔλευσις Græce adventum significat. In ea, fuit Eleusinæ Cereris templum, ubi mystica Cereris sacra celebrabantur. In his igitur sacris dicit Phædra se vidisse Hippolytum, et ejus amore exarsisse: quo tempore optat se fuisse in Creta, quia non incidisset in tantas curas amoris. *Cerealis Eleusis*] Id est, Cereri sacrata, vel in qua Ceres colitur.

68 *Gnosia humus*] Id est, terra Cretensis, in qua sum nata.

70 *Acer*] Vehemens et inexpugnabilis. *Extremis ossibus*] Id est, in medullis, quæ sunt intra ossa: vel dicamus extrema ossa magis propinqua medullis, in quibus maxime dicitur esse amoris calor. Virgil. 'Est mollis flamma medullas.'

71 *Candida*] Ostendit ea, quæ excitaverunt tantam flammam amoris: scilicet cultum Hippolyti, et naturalem quendam decorem. *Candida*] Aut quia Hippolytus in signum integritatis et pudicitiæ delectaretur tali veste: aut quia mos sacrorum fortasse talem exigeret habitum. *Præcincti*] Ornati. *Flore*] Floreis coronis. *Verecundus*] Juvenilis, et qualis ex verecundia provenire solet. *Præcincti flave capilli*] Hujus argumenti opinor fuisse Tragœdiam Euripidis, quæ Ἱππόλυτος στεφανηφόρος inscribebatur. Meminerunt ejus non uno loco Stobæus et Hesychius. *Heins.*

73 *Quemque vocant aliæ*] Malim *vocent*. Idem. *Quemque vocant*] Quia Phædra non poterat negare in Hippolyto esse quandam vultus severitatem, ascribit eam virtuti, et dicit non appellandum rigidum aut truculentum vultum Hippolyti, ut aliæ mulieres dicunt; sed suo judicio esse fortem, id est, virilem: nam fortitudo proprie est virorum.

74 *Pro rigido*] Id est, loco rigidi.

75 *Sint procul*] Non placent, inquit, nobis isti muliebres ornatus in viris.

76 *Coli*] Ornari. *Fine modico*] Apparatu non nimio, ut mulieres: ideo in primo de Arte dixit, 'Forma viros neglecta decet.' *Fine modico*] Sic Electr. apud Eurip. 948. ἀλλ' ἐμοί γ' ἐν πόσει Μὴ παρθενικὸς, ἀλλὰ τἀνδρείου τρόπου. Τὰ δ' εὐπρεπῆ δὴ κόσμος ἐν κορεῖς μόνον. Aristoph. Cereal. Τὶς δὲ καὶ κατόπτρου καὶ ξίφους κοινωνία. Qui ideo similes dicuntur τοῖς ἁρμαῖς. 'Nil nisi Cecropides, truncoque simillimus Hermæ.' Juven. Sat. VIII.

77 *Te tuus*] Dicit illum rigorem, quem aliæ mulieres damnant in Hippolyto, 'decet.' *Rigor*] Severitas in aspectu sine aliqua lascivia. *Sine arte*] Quia ars etiam est in ordinandis capillis.

78 *Levis*] Tenuis pulvis, qui significat exercitium. *In ore*] In facie.

79 *Sive ferocis equi luctantia colla retorques*] *Recurvas* priscæ editiones et scripti codices; placet: nam 'torques' mox sequitur. Præterea duo exemplaria *fugacis equi* exhibere jam supra monui; idque prætulerim, quod 'ferocem iacertum' mox subjungat. *Heins.* *Sive*] Discurrit Phædra per varios actus et exercitia Hippolyti, quibus omnibus dicit se delectari, et primum arte equitandi. *Recurvas*] Flectis. *Luctantia*] Dura, resistentia freno.

Digitized by Google

80 *Miror*] Laudo, et cum admiratione aspicio. *Pedes*] Scilicet equi. *Exiguo in orbe*] In exiguo spacio.

81 *Seu lentum valido*] *Vastum* libri veteres sat multi: ut scripserit forsan Ovidius, *Sive actum valido torques hastile lacerto.* Heins. *Seu lentum*] Aliud exercitium juvenile in jaculando. *Torques*] Jacis tuum. *Huber.*

82 *Ora versa*] Convertis me in admirationem. *Ant.*

85 *Sylvis jugosis*] Id est, in sylvis montium, ubi soles plurimum versari.

87 *Quid juvat*] Quasi dicat, Nihil. *Studia*] Exercitia. *Dianæ*] Id est, venationis. *Incinctæ*] Expeditæ et agilis.

88 *Eripuisse*] Imminuisse. *Suos*] Sibi debitos.

90 *Fessaque membra levat*] *Novat* potiores scripti; et recte, pro *renovat.* Sic in Fastis l. I. 'Ingratos nulla prole novare viros,' quod in liberis patres renasci videantur. Sic 'novare gregem' dixit Statius Theb. x. et 'novare pignora' eodem libro, 'Non ego monstrifero coitu revoluta novavi Pignora, nec nato peperi funesta nepotes:' quomodo illic omnino scribendum. Art. Am. III. 'Ignotum hoc aliis ille novavit opus:' hoc est, primus excogitavit. Sic et 'vulnus novatum' Remedio Amoris dixit: et 'Naturam novare' Met. VIII. et 'naturæ jura novanda,' Artis Amator. II. et 'novare fata.' Met. II. Denique 'membra novare' Valerius Flaccus l. III. apposite, ad hunc Nasonis locum, 'Hic sale purpureo vivaque nitentia lympha Membra novat, seque horrificis accommodat actis.'

91 *Arcus et arma tuæ tibi sunt imitanda Dianæ*] *Sunt* scripti nonnulli. Scribo et distinguo, ut melius cohæreant, *Arcus (ut arma tuæ tibi sint imitanda Dianæ) Si nunquam cesses tendere, mollis erit.* Mox *per herbam* duo libri ex melioribus. *Heins. Arcus et arma*] Similitudine sententiam firmat. *Ant.*

92 *Mollis erit*] Scilicet arcus: et per consequens inutilis.

93 *Clarus erat*] Adducit Phædra exemplum quorundam, qui in simili vitæ studio versati sunt, quo Hippolytus: quos dicit ab Hippolyto esse imitandos in amore, sicut in venatione.

95 *Tamen*] Scilicet, quamvis daret operam venationi. *Male*] Invitum, imo libenter adhærebat ejus amori. *Hubert. Auroræ*] Aurora Cephalum amavit. *Ant.*

96 *Diva*] Aurora. *Sapiens*] Quæ providerat sibi amatorem pulchrum et juvenem. *A sene viro*] Id est, a Tithono marito suo sene. Fuit autem Tithonus Laomedontis filius, et Priami frater: qui ex Aurora filium suscepit Memnona.

97 *Sæpe*] Aliud exemplum hominis etiam soliti versari in sylvis, quem nihilominus amori indulsisse dicit. *Hub. Cinyraque creatum*] Adonem Cinyræ filium ex Myrrha significat, quem Venus amasse traditur, percussus apro interiit. Vide Ovid. Metam. V. *Ant.*

98 *Sustinuit positos quælibet herba duos*] Malim, si per libros liceat, *quamlibet;* ut Epistola Canaces, 'Urnaque nos habeat quamlibet arcta duos;' plura de hoc loquendi modo mox notabimus Ep. VI. *Heins. Positos*] Id est, compositos. *Ilicibus*] Sunt enim ilices arbores magnæ, et glandiferæ. *Hub.*

99 *Arsit*] Amore incensus est. *Mænalia Atalanta*] Id est, Arcadica, a Mænalo monte Arcadiæ. Narrata est hæc fabula supra in Epist. Briseidis. *Idem. Œnides*] Meleager Œnei filius.

100 *Illa*] Atalanta. *Hub. Feræ spolium*] Apri Calydonii caput, quod illi Meleager dedit in fidem amoris. *Ant.*

101 *Nos*] Ego et tu. *Turba in ista*] In numero istorum: qui licet venatione delectati sint, tamen ab amore

Digitized by Google

non abstinuerunt. *Hub.*

102 *Si Venerem tollas*] Si non amori succubueris, rusticitate insimulandus es. *Ant.*

103 *Nec me latebrosa movebunt Saxa*] *Salebrosa* priscæ editiones cum uno Medicæo; quod et in suis Naugerius invenerat. Propert. lib. III. 'Luna ministrat iter, demonstrant astra salebras.' *Heins.*

104 *Obliquo dente*] Aut quod vere sit incurvus dens apri, aut quod obliquum ferat ictum.

105 *Æquora*] Dicit Phædra se non derelicturam Hippolytum, et futuram cum eo in Trœzene urbe, quam ille libenter habitabat: dicit autem Trœzena esse in Isthmo Achaiæ. Est autem *Isthmos* terra angusta inter duo maria. Duo autem Isthmi celebres memorantur: unus Achaicus, in quo fuit Corinthus: et alter Thracius. In eo Trœzen urbs: in ea regnavit Pittheus pater Æthræ, avus maternus Thesei. Ovid. Met. XV.

106 *Jam nunc et patria charior illa mea est*] Puteaneus cum aliis nonnullis, *Jam nunc est patria gratior illa mea.* Heinsius. *Illa*] Trœzen. *Gratior*] Quia tu ea delectaris. *Hub.*

109 *Tempore abest, aberitque diu*] In tempore et oportune abest: quæ duo Plautus etiam in Asinaria conjunxit. Sic Ciceron. Offic. 'Ad cœnam tempore venit.' Cæterum ab Ovidio scriptum fuisse arbitror, *absitque diu.* Sic voventes et bonum augurium captantes loquebantur. Noster Pont. lib. IV. El. 12. 'Hic cumulus nostris absit absetque malis.' Virgilius lib. X. 'Æneas ignarus abest, ignarus et absit.' *Heins. Tempore abest*] Solvit quæ obesse potuissent. Primum fore rem facilem demonstrat, Thesei absentia: deinde in odium eum adducit, gravia recolens facinora. *Aberit diu*] Quo nos facilius nostram assequemur voluntatem. *Neptunius heros*] Theseus, qui se apud Minoëm Neptuni filium jactavit: probavitque factum annulus, quem in mare projectum ad Minoëm rettulit.

110 *Pirithoi ora*] Significat Thessaliæ oram, quæ circa Peneum erat, ubi potentatum Ixionem Pirithoi patrem tenuisse scribit Diodorus. *Ant.*

111 *Præposuit*] Adducit Theseum in odium Hippolyti, dicens eum pluris facere Pirithoum, quam se, et quam ipsam Phædram. *Nisi nos manifesta negemus*] *Negamus* potiores scripti. Puteaneus et Farnesianus, *nisi manifesto negamus.* Scribe, *nisi si manifesta negamus;* eleganter. Epistola Helenæ, 'At tu dissimula, nisi si desistere mavis.' Remedio Amoris, 'Posse pati facile est, nisi si patientia desit:' ita et illic censeo rescribendum. Met. X. 'Quæ mea culpa tamen? nisi si Insisse vocari Culpa potest, nisi culpa potest et amasse vocari.' Lib. XIV. 'Quid mihi tunc animi (nisi si timor abstulit omnem Sensum animumque) fuit?' Elegia de Nuce, 'Nil ego peccavi: nisi si peccasse vocatur, Annua cultori poma referre suo.' Trist. IV. El. 3. 'Tempus ubi est, quo te (nisi si fugis illa referre) Et dici memini, juvit et esse meam.' Ita enim scribendum suo loco monebimus. Vatinius Ciceroni lib. V. Ep. 9. 'Dicitur mihi servus tuus anagnostes fugitivus cum Vardæis esse, et profecto tibi illum reperiam, nisi si in Dalmatiam aufugerit.' Sulpitius Severus Dial. 'quod utrum solers antiquitas procurarit, an solis natura gignat, ignoro: nisi si Deus præscius habitandam quandoque a sanctis eremum, hæc servis suis paraverit.' Trist. lib. V. El. 9. ex vestigiis veterum librorum, 'At non parerem, nisi si meminisse putares.' Pont. III. El. 1. 'Non avis obloquitur silvis, nisi si qua remotis Æquoreas rauco gutture potat aquas.' *Heins.*

113 *Nec sola hæc ad nos injuria venit. Sola nec hæc* scripti, præter Barberinum codicem et alterum Lovaniensem Societatis Jesu, in quibus, *Sola nec*

Digitized by Google

hæc nobis injuria venit: eleganter. Τὸ *venire* enim cum tertio casu jungit frequenter Ovidius, ut in Fastis lib. v. fide optimorum codicum, 'Et tandem Caco debita pœna venit.' Sic et Græci ἔρχεσθαι, pro, esse. Propertius multus quoque est in hac locutione. Noster Artis Amator. lib. I. 'Forsitan et primo veniet tibi littera tristis.' Lib. II. 'Non ego divitibus venio præceptor amandi.' Et 'Non mihi venistis Semele Ledeve docendæ.' Ep. Laodamiæ, 'Tu mihi luce dolor, ni mihi nocte venis.' Rem. Am. II. 'Et tibi jam cani venient, formose, capilli.' Mox, 'Nec tibi morosi veniant fastidia morbi.' Lib. III. 'Fac metuat speretque simul, quotiesque remittes, Spes magis huic veniat certa minorque metus.' Sic et ibi lego, non cum vulgatis, *hinc veniat*. Epistola Œnones, 'Quæ venit indigna pœna, dolenda venit:' perperam vulgo, *indigne;* atque ita passim. Statius Sylvis, 'Quicunque venit mihi dexter Apolline Cæsar.' Plura Art. Am. lib. II. initio. *Heins.* *Sola*] Pergit amplificare odium Thesei. *Sola hæc injuria*] Scilicet quod plus amet Pirithoum quam nos.

115 *Mei fratris*] Minotauri. *Clava*] Telum fuit, quo Theseus ad imitationem Herculis est usus.

116 *Soror*] Ariadne. *Præda*] Rapina: ut in ejus epistola ad Theseum videbimus.

117 *Prima*] Nunc narrat injurias illatas Hippolyto: et ut injuria videatur major, proponit laudem ejus matris, in qua accepit injuriam. *Securigeras inter puellas*] Inter Amazonas, quæ securi pro telo utebantur.

118 *Nati digna favore parens*] *Digna vigore*, uno consensu scripti; et vere. Silius lib. III. 'Gelidos nec scandere tecum Deficiam montes conjux tua: crede vigori Fœmineo.' Posset et *rigore* legi cum excerptis Vossianis, ut supra, 'Te tuus iste rigor.' *Heins.* *Parens*] Hippolyte, mater tua. *Nati digna favore*] Digna talem filium peperisse.

119 *Ubi sit*] Mater. Invidiose objicit matris interitum. *Latus ense peregit*] Theseus illam trucidavit.

120 *Nec tanto pignore tuta fuit*] Id est, Nec propter te pater tuus eam minus interfecit. *Tanto pignore*] Tanto filio.

121 *At nec nupta quidem*] Alia injuria, quod non acceperit uxorem legitimam Hippolytam, matrem Hippolyti, idque factum fuisse dicit a Theseo in odium Hippolyti: ut non legitime natus, non posset succedere paternæ hæreditati.

122 *Cur*] Scil. non est accepta.

123 *Addidit fratres, &c.*] Id est, Genuit etiam alios filios ex me, qui sunt fratres tibi: nam si amasset te, non curasset ex alia muliere suscipere, ne te offenderet. Ex Phædra enim natus est Demophoon, et Antilochus, vel, ut alii volunt, Acamantes.

124 *Non ego, &c.*] Excusat se: quia posset Hippolytus dicere, Quare ergo aluisti, si sciebas hoc esse mihi nociturum? dicit se non fuisse, sed Theseum qui aluerit. *Tollendi*] Alendi, educandi.

125 *O utinam*] Optat se fuisse mortuam in partu, si filii, quos ex Theseo gennit, sint nocituri Hippolyto.

126 *In medio nixu*] *Nisu* Puteaneus et alii meliores; parum refert. Sic et Fast. v. quidam veteres, 'Hunc stirps Oceani maturis nisibus Æthra Edidit.' *Heins.*

127 *I nunc et meriti*] Scripti nonnulli *immeriti*, vel, *emeriti*. In quibusdam vetus lectio est erasa. Excerpta Jureti *sic meriti*. Puteaneus *ii meriti* a manu prima. Lego *I nunc, i, meriti lectum reverere parentis.* Trist. lib. I. El. 1. 'I tamen, i pro me tu, cui licet, aspice Romam:' sic lego. Ep. Cydippes, 'I nunc, i, solitoque tibi me decipe more:' ita et ibi scribendum. Virgilius lib. VI. 'I decus, i nostrum, melioribus utere fatis.' Plura

Digitized by Google

congessi ad Amor. III. El. 3. *Idem. I nunc*] Irrisio. *Meriti*] Quasi dicat, Imo non meriti. *Reverere*] Id est, Honora, et venerare, et cave ne violes. *Huber.*

128 *Et factis, &c.*] Omni conatu a successione dejicit. *Ant.*

130 *Nomina vana*] Privigni et novercæ: qui licet nomine ipso videantur habere affinitatem, tamen non habent: et ideo dixit *vana*, nullius effectus. *Coitura*] Commiscenda. *Huber.*

131 *Ista*] Hoc pronomen ad contemptum refertur. *Vetus*] Et ideo jam digna deponi. *Moritura*] Quæ deficiet. *Pietas*] Religio et reverentia concubitus inter affines. *Hub.*

132 *Rustica Saturno*] Post hunc versum insulse codices nonnulli hoc distichon addunt, *Saturnus periit, perierunt et sua jura. Sub Jove nunc mundus: jussa Jovis sequere.* Heinsius. *Rustica*] Ante Saturnum nullo cultu mortales vixerunt: regnante Saturno fuit hæc pietatis observantia, non virtute, sed rusticitate. *Ant. Fuit*] Id est, servata est.

133 *Esse pium*] Id est, licere, et recte fieri. *Quodcunque juvaret*] Id est, quicquid liberet. *Hub.*

134 *Fas facit*] Ostendit esse pium, quicquid delectaret suo exemplo. *Ant. Fratre*] Vel cum fratre. *Hub.*

135 *Illa coit*] Cum viro jungitur. *Ant. Illa*] Laudat vinculum necessitudinis, amoris, et coitus: quod quidem dicit esse firmissimum. *Junctura*] Sensus est, illa conjunctio affinitatis, vel consanguinitatis, quæ Veneris nodis est ligata, est valda firma, et inseparabilis.

137 *Nec labor est, celare licet*] Scribo, *Nec labor, et celare licet;* ut τὸ *est* subintelligatur. *Heinsius. Nec labor est celare*] Id est, occultare: scilicet concubitum nostrum. *Pete munus*] Scilicet, celandi. *Ab illa*] Scilicet, Venere. *Licet*] Id est, est licitum tibi, ut petas.

139 *Viderit amplexus aliquis*] *Amplexos* Puteaneus. Val. Flaccus lib. IV. 'pallentia jungunt Oscula, vix primis amplexi luminis oria.' Silius lib. XII. 'Inque vicem amplexi:' sic Epistola Medeæ ex libris antiquis, 'Complexos utinam Symplegades elisissent.' Virgilius, 'Complexi inter se noctemque diemque morantur. *Heins. Viderit*] Id est, si viderit. *Laudabimur*] Quia dicet nos hæc facere ex charitate et pietate, quæ debet esse inter filium et matrem: et non credet esse ex turpi affectu.

140 *Fida*] Bona, et non insidiosa.

141 *Non tibi*] Arguit a facilitate negotii. Dicit, quod cum ambo sint in eadem domo, non erit multum laborandum, ut habeat aditum ad concubitum Phædræ: quemadmodum sæpe laborant alii amantes. *Duri*] Inexorabilis, vel crudelis, qui plus æquo sævit in adulteros deprehensos.

142 *Nec custos*] *Non custos*, meliores. *Heins.*

143 *Ut tenuit*] Id est, Sicut alias mecum fuisti in eadem domo patris tui, ita nunc erimus, et nihil quod faciemus erit suspectum.

144 *Aperta*] In conspectu omnium. *Aperta dabis*] Ex affectu amoris Venerei.

147 *Tantum*] Quasi dicat, Cum nihil sit quod obstet. *Properata*] Id est, sine dilatione facta. *Fœdera*] Scilicet nostri coitus.

149 *Ego*] Quæ sum neptis Jovis, et Solis.

150 *Heu ubi nunc fastus altaque verba jacent*] *Ubi nunc flatuit* mendose alter Moreti. Sed *flatus* forte reponendum. Vide quæ notavi ad lib. I. Artis Am. Porro libri nonnulli, *Heu mihi.* Excerpta Puteani, *Hei mihi!* ut opiner legendum, *Hei mihi! num fastus altaque verba jacent?* vel etiam hoc modo, ut vulgatæ lectionis vestigiis insistamus, *Heu! ubi nunc fastus altaque verba jacent? ubi nunc*, ut Epistola Medeæ, 'Dotis opes ubi nunc? ubi nunc

Digitized by Google

tibi regia conjux?' quomodo et illic scripserim. Met. XIII. 'Ubi nunc facundus Ulysses?' Val. Flaccus lib. IV. 'Heu ubi nunc regni generisque ubi gloria?' Claudianus l. III. Raptus. 'Heu ubi nunc, ubi, nata, mihi es?' Petronius: 'Ubi nunc est, inquam, iracundia tua? ubi impotentia tua?' Noster Art. Am. lib. I. 'Vis ubi nunc illa est?' Fast. III. 'Heu! ubi pacta fides? ubi quæ jurare solebas?' Lib. V. 'Heu! ubi Mars pater est?' Statius Thebaid. IX. ubi *Heus* vulgo perperam scribitur, 'Heu ubi nam ille frequens modo circa limina matris Ambitus?' Et lib. V. 'Heu ubi nunc furiæ?' Et lib. VIII. 'Heu ubi laurigeri currus?' Sylvar. lib. III. 'Heu ubi nota fides?' Noster Amor. III. El. 8. ut libri meliores, 'Heu, ubi mollities pectoris illa tui est?' *Heinsius. Heu ubi nunc fastus*] Id est, superbia, et elatio mei generis: quasi dicat, Amor omnia depressit.

151 *Et pugnare*] Ad excusationem suam hæc subdit. *Pugnare*] Resistere. *Pugnare*] Repugnare: sic in Metamorph. lib. VII. fab. 1. 'Et luctata diu, postquam ratione furorem Vincere non potuit: Frustra Medea repugnas, Nescio quis Deus obstat, ait.'

152 *Certi si quid*] Correctio: quia amor levis est, et inconstans.

153 *Victa*] Scilicet, ab amore.

154 *Quid deceat*] Quid sibi sit honestum; quia multa facit contra dignitatem suam.

155 *Depudui, profugusque pudor sua signa reliquit*] Scribe vel invitis libris, *profugusque rubor;* quod omnino concinnius. *Relinquit* præterea Puteaneus et alii ex melioribus. *Depudere* etiam in Amoribus dixit lib. III. El. 10. 'Et quæ depudui ferre, tulisse pudet;' ut quidem illic optime Jureti excerpta. Suetonius, 'depudere didicerat.' *Heinsius. Depudui*] Id est, pudorem abjeci. *Profugus*] Qui a me discessit. *Sua signa*] Honestatem. Translatio sumpta a militibus, qui fugientes relinquunt signa, sic et ego ruborem. *Depudui*] Ἐλφέτω αἰδὼς, ἐλφέτω ἀγλαΐη· Medea. in Argon. 3. Hinc recte a Plaut. Trin. II. 2. 'Tu si animum vicisti, potius quam animus te, est quod gaudeas.'

156 *Fassa*] Id est, mihi, quæ confessa sum tibi amorem meum. *Domo*] Flecte. *Hub.*

157 *Quod mihi sit genitor, qui possidet æquora Minos*] Sic Puteaneus, et alii nonnulli; sed legendum, *Quo mihi, si genitor:* ut in illo Juvenalis Sat. VIII. 'quo, si nocturnus adulter Tempora Santonico velas adoperta cucullo?' Propertius lib. IV. El. 3. 'Nam mihi quo, Pœnis si purpura fulgeat ostris, Crystallusque tuas ornet aquosa manus?' Vel etiam, *Quo mihi, quod genitor;* idque verum esse sequentia liquido evincunt. Nam quinque libri, *Quid mihi quod.* Plura congessimus ad Epistolam 2. *Heins. Quo mihi*] Quasi dicat, Quid prodest nunc mihi nobilitas? quid mei majores? nam nobilitas ab amore vincitur, et ei cedit. *Qui possidet æquora*] Id est, qui dominatur Cretæ, et multis insulis, quæ in mari sunt.

158 *Prosevi*] Jovem significat: cui assignantur fulmina: ab eo erat prima Phædræ origo. *Aut. Torta*] Id est, acta: a torquere pro jacere.

159 *Quod sit*] Subaudi, quid prodest, quod sit avus, scilicet Phœbus. *Vallatus*] Circumdatus. *Vallatus*] Quasi vallis armatus: qui etiam pectines dicuntur; et 'Lucida tela diei.' Lucret. Vide et Ovid. Amor. lib. I. El. 14. Quod et alii sunt imitati: 'Et galea annosi vallatur dentibus apri.' Silius lib. IV. et Senec. Herc. Fur. 'Sæva Tisiphone caput Serpentibus vallata.' Et in Her. in Œta. v. 1193. Quod resipit illud Lucret. v. 'Hydra venenatis vallata colubris.'

160 *Axe*] Id est, curru. *Purpureo*] Aut pulchro, aut rubicundo, quia sol mane rubet. *Huber.*

Digitized by Google

161 *Nobilitas sub amore jacet*] Amore victa, generositatis meæ rationem habere non potui. *Miserere priorum*] Meorum majorum decus respicias, ne turpi amoris exitu violetur. *Ant.*

163 *Est mihi*] Post reliqua, quibus conata est persuadere Hippolyto amorem sui, subdit etiam spem dotis. *Creta*] Est insula, ubi Juppiter dicitur esse nutritus. Virg. 'Creta Jovis magni medio jacet insula ponto.'

165 *Potuit*] Argumentum a majori ad minus. *Mater*] Scilicet mea Pasiphaë. *Corrumpere*] In coitum suum impellere. *Truci*] Fero.

167 *Plurima mecum est*] Id est, tota est mecum: vel plurima pro plurimum.

168 *Sic*] Adjurantis particula. *Ames*] Quæ nunquam possit fallere. Id est, Sic amor tuus sit certus, et potiatur votis suis, ut ea mulier quam amabis, nunquam fallat te.

169 *Dea*] Diana. *Agilis*] Velox, qualem oportet esse venatricem. *Adsit*] Præsens sit et faveat.

170 *Perdendas*] Interficiendas.

172 *Sic cadat adversa*] *Et cadat* libri omnes. Habes eundem versum Remedio Amoris. *Heinsius. Fossus*] Percussus. *Cuspide*] Id est, hasta, scilicet, tua. *Adversa*] Opposita.

173 *Sic tibi*] Adjurat Hippolytum per ea, quæ scit optari a venatore. *Nymphæ*] Scilicet quæ præsunt undis et fontibus.

176 *Perlegis et*] *Perlege et* tres libri. Lincolniensis, *Perlege, sed;* bene, nisi fallor. Certe illud *Perlegis* subnatum videtur ex primo verbo sequentis epistolæ. *Heinsius. Finge*] Puta, id est, existima ita videre me flentem, sicut legis verba mea. *Hub.*

EPIST. V. ŒNONE PARIDI.

Excerpta Puteani et nonnulli ex nostris sequens distichon Œnones Epistolæ præfigunt, quod ab aliis rectius abest: *Nympha suo Paridi (quamvis meus esse recuses) Mittit ab Idæis verba legenda jugis.* Heinsius. *Perlegis? an conjux prohibet nova?* Non sine invidia novam conjugem dixit, Helenam significans.

2 *Mycenæa manu*] Agamemnonis, aut Menelai, qui tibi hostes sunt. Mycenæ Peloponnesi urbs, Menelai et Agamemnonis patria.

3 *Pegasis Œnone*] Se nympham significat: fuit Xanthi fluminis filia, Pegasides enim Naiades dicunt, et fontium Nymphas, et Musas ipsas, quoniam fontium sunt cultrices, ἀπὸ τῆς πηγῆς, quod fontem significat. *In Phrygiis sylvis*] In Idæ Phrygiæ montis sylvis. *Ant. Pegasis*] Amnis Cebrenis filia, ideoque una ex Naiadibus, quæ ἀπὸ τῶν πηγῶν *Pegasides* dictæ.

4 *Læsa*] Quæ accepi injuriam a te. *Meo*] Qui es meus conjunx.

6 *Quod mihi crimen obest*] Cum nihil commiserim, nescio quid mihi obsit, cur in tuo non perstem conjugio. *Ant.*

8 *Quæ venit indigne*] *Indigno* Puteaneus cum Jureti excerptis, quæ vir Cl. Philibertus de la Mare Senator Divionensis, qua est humanitate, mecum communicavit: *indigna* meus chartaceus. At Caroli Strozzæ liber, *indignæ;* probe: diximus superiori epistola. *Heinsius. Dolenda*] Id est, cum dolore ferenda.

9 *Tantus*] Tanti nominis, et poten-

Digitized by Google

tiæ: nam pastoris regii servus, non regis filius putabaris. *Ant.*

10 *Nympha*] Scilicet ego. *De magno flumine*] Alii dicunt fuisse filiam Xanthi, alii Cebrenis fluvii: quia quidam poëtæ Græci eam Cebrenida appellant.

11 *Qui nunc Priamides*] Id est, Qui nunc diceris filius Priami. *Absit reverentia vero*] Id est, respectus non habeatur veritati dicendæ: vel, ignoscas, si vera narro. *Absit reverentia vero*] Alii *adsit* atque ita quinque ex nostris; quomodo apud Horatium, 'liceat concedere veris.' *Heins.*

16 *Depressa est humili casa pruina casa*] Libri veteres multi *Deprensa.* Unde *Defensa* scribendum Parrhasius ad Claudianum contendit; nec dubita quin vere. Remedio Amoris, 'Proximus a tectis ignis defenditur ægre.' Horatius Sat. I. 3. 'Toga, quæ defendere frigus Quamvis crassa queat.' Seneca de Providentia c. 4. ubi de Germanis agit, 'Imbrem culmo aut fronde defendunt.' Cicero Catone Majore, 'nimios solis defendit ardores.' Sic et Quadrigarius apud Gellium, Arnobius, Tertullianus, Vegetius, alii locuti. Hinc et 'Vim vi defendere' apud Jurisconsultos. Pluribus de hac locutione egi ad Claudianum III. Cons. Stilich. *Heins. Humili casa*] Pastorea, quam lingua Punica magalia dicimus.

17 *Quis tibi monstrabat saltus*] Exprobrat beneficia. *Tibi*] Qui eras imperitus locorum.

18 *Qua rupe*] In qua parte montis essent ferarum lustra. *Ant.*

19 *Comes*] Scilicet tua, id est, quæ tecum veniebam. *Maculis distincta*] Id est, nodis. *Maculis*] Sic maculæ in arboribus et lignis. Vide Clariss. V. D. Gron. Observ. III. 11.

20 *Egi*] Impuli, instigavi. *Per juga*] Per montes. *Hub. Per juga summa*] *Juga longa* Puteaneus et Jureti Excerpta cum aliis multis. Quomodo Propertius, 'Sectatur patrios per juga longa canes.' Et Virgil. 'Juga longa petebat Solorum nemorum.' Sic *longa Ida* Ep. Parid. 'Innumerasque mihi longa dat Ida trabes.' Noster tamen superiori Epistola, 'Hortari celeres per juga summa canes.' Seneca Hippolyto, 'Summaque montis juga Cecropii.' *Heins.*

21 *Mea nomina*] A te, quæ tu scripsisti. *Ant.*

24 *Crescite*] Apostropha ad arbores ipsas. *Crescite*] 'Tenerisque meos incidere amores Arboribus: crescent illæ, crescetis amores.' Virgil. Ecl. X. *In titulos surgite rite meos*] Puteaneus et alii plurimi, *surgite recta.* Scriverianus *adulta.* Sarravianus *lecta.* Gronovianus, *scripta.* Palatinus *tecta.* Forsan, *surgite secta.* Heins.

25 *Populus*] Arbor, quæ aquis gaudet. Virgil. 'Populus in fluviis, abies in montibus altis.'

26 *Nostri memor*] Quæ mei memoriam servat, propter scripturam tuam.

27 *Consita*] Posita. *Margine*] Extremitate, seu in ripa Xanthi.

28 *Rugoso*] Aspero sive contracto, et pleno rugis: quales solent esse cortices arborum.

29 *Cum Paris*] Hoc est, carmen, quod sui perpetui amoris in Œnonem Paris scripserat: cujus sensus erat: Tunc aquam fluvii Xanthi reversuram ad fontem suum, si Paris posset vivere Œnone a se derelicta. *Spirare*] Vivere.

31 *Veraque recurrite lymphæ*] *Nymphæ* Puteaneus et septem alii. Met. IV. 'Videt hic stagnum lucentis ad imum Usque solum Nymphæ:' ita scripti nonnulli. Statius Villa Surrentini, 'Occurrit dulcis amare Nympha mari.' Et Theb. V. 'Trepidæque latent in pulvere Nymphæ.' Rutilius Itinerario, 'Elicitas simili credamus virgine Nymphas:' ubi *lymphas* perperam reponunt. Propert. lib. III. ex veteri codice, 'Et cadit in patruos Nympha Aniena sinus.' *Heins.*

32 *Sustinet*] Patitur, et potest.

Digitized by Google

33 *Illa dies fatum miseræ mihi duxit*] *Dixit* Puteaneus, Argentinensis, et quatuor alii: bene, apto ad hanc rem verbo. Hinc 'fatidici vates,' et 'dictio' pro oraculo Apollinis apud Accium et Pacuvium, et Plautum Menæchmis, 'dictum Apollinis.' Noster Ep. Paridis: 'Quo ruis? exclamat: referes incendia tecum. Quanta per has nescis flamma petatur aquas. Vera fuit vates; dictos invenimus ignes.' Hoc est, prædictos. Fast. I. de Carmenta vate, 'Talibus ut dictis nostros descendit in annos.' Plura de his ad librum primum Claudiani in Eutropium memini notasse, vs. 160. *Heins. Illa dies fatum miseræ mihi dixit, &c.*] Narrat originem suorum malorum, quæ incepit, quando tres Deæ commiserunt se judicio Paridis. *Hub.*

34 *Amoris hyems*] A nautis translatio. Esse enim in amore hyemem, et tranquillitatem dicimus, cum dissidium, aut pacem significamus. *Aut. Amoris hyems*] Sic alibi: 'Mare meum hybernat:' et Tac. 'eventus hyberni.'

35 *Decentior armis sumptis*] Id est, honestior armis sumptis, quam depositis vestibus. *Armis*] 'Ἡ δὲ χιτῶν' ἐνδύσα Διὸς νεφεληγερέταο, Τεύχεσιν ἐς πόλεμον θωρήσσετο, &c. ubi vide *πανοπλίαν* Pallados. Hom. E. vs. 736. et seqq.

36 *Venit in arbitrium*] In judicium tuum de pomo: de quo diximus in Argumento primæ epistolæ. *Hub.*

37 *Attoniti micuere sinus*] Cor mihi exercet artem ludicram: dicit Plautus, cum illius trepidationem exprimit. *Micuere sinus*] 'Exultantiaque haurit Corda pavor pulsans.' *Æn.* v.

38 *Ut narrasti*] Tres Deas ad judicium tuum venisse: et promissam tibi Helenam.

40 *Constitit esse nefas*] Retulerunt mihi, aliquid mali portendi.

41 *Cæsa abies*] Narrat simpliciter rem ut gesta est. Abies arbor procera, in altis montibus, navigiorum materia, ut scribit Plinius. *Classe parata*] Quam Fereclus fabricavit, ut suo loco dicemus.

42 *Ceratas*] Cera vel pice illitas et occlusas. *Aut. Ceratas*] 'Non satis una tenet ceratas ancora puppes,' Ovid. de Remed. 51. 'Natat uncta carina.' Virg.

43 *Pares*] Noli negare hoc, te fleviase cum a me discederes.

44 *Præterito magis est iste pudendus amor*] *Pigendus* in Puteaneo, quomodo Epistola Didus, 'Adde fidem; nulla parte pigendus erit.' Ausonius de Consulatu suo, 'Emendatissimi viri est, pigenda non facere.' *Heins. Iste amor*] Helenæ. *Præterito magis est pudendus*] Id est, tarpior tibi, quam meus.

45 *Et nostros vidisti flentis ocellos*] Naugerius *madidos* malit, quod est in nonnullis scriptis, sed frustra. Amor. lib. I. El. 8. 'Sic tua defuncta molliter ossa cubent.' Et l. III. El. 2. 'An magis hic animi meus est, non aëris æstus?' Trist. l. IV. El. 3. 'Vultibus illa tuis, tanquam præsentis, inhæret:' ut legunt veteres libri. Epistola Canaces, 'Sic mea vibrari pallentis membra videres:' ita nempe reponendum censeo. Epistola Acontii, 'Inque meo cupidi rapta ferere sinu:' quomodo et illum versum ex vestigiis optimi codicis emendandum censeo. Trist. II. 'At memini vitamque meam moresque probabas, Illo quem dederas, prætereuntis equo:' quod male mutant libri veteres. Seneca Hippolyto, 'quis meas miseræ Deus, Aut quis juvare Dædalus flammas queat?' Ausonius Epist. XXIII. 'non ista duorum Culpa, sed unius tantum tua.' Virgilius Ciri, 'Quod te per Divum crebros obtestor amores, Perque tuum memoris haustum mihi pectus alumnæ.' Qui locus a viro Maximo sollicitari non debuit. Horatius, Sat. I. 4. 'cum mea nemo Scripta legat vulgo recitare timentis.' Cicero Phi-

Digitized by Google

lip. II. 'Tuum hominis simplicis pectus vidimus.' Adeatur Scaliger I. II. Ausoniarum Lect. c. 12. *Heins.*

47 *Ulmus*] Arbor vitibus apta, præsertim in Italia. Virg. 'Ulmisque adjungere vites.' *Appositis vitibus*] Id est, adhærentibus, tanquam maritis suis.

48 *Ut tua sunt collo brachia vincta meo*] *Nexa* veteres libri omnes uno Basiliensi excepto: quod probum est. Statius Sylv. v. 'At nunc heu aliquis longa sub nocte puellæ Brachia nexa tenens ultro te, somne, repellit.' Theb. IV. 'certant innectere collo Brachia.' Claudianus, 'Mutuaque alternis innectite colla lacertis.' Noster ipse Epistola Phyllidis, 'Colla quoque infidis quæ se nectenda lacertis Præbuerunt.' Frustra igitur Ciofanus est, qui *brachia vincta* hoc loco tuetur. *Heins.*

49 *Ah quoties*] Dicit tantum fuisse ante Paridis erga se amorem, ut cum esset discessurus, quereretur ventum esse adversum, cum tamen revera esset secundus: sed pigebat eum discedere. *Teneri*] Impediri.

50 *Riserunt*] Quoniam non vento tenebaris, sed amore nostro.

52 *Quam vix*] Id est, Quam difficile, abiens, scil. præ dolore me vix salutare potuisti!'

53 *Aura*] Exponit discessum Paridis. *Malo*] Arbore navis.

54 *Suscitat*] Movet. *Remis eruta aqua*] 'Adductis spumant freta versa lacertis. Infindunt pariter sulcos, totumque dehiscit Convolsum remis rostrisque tridentibus æquor.' Æn. V. *Canet*] Spumescit. *Hub.*

56 *Qua licet*] Id est, quatenus licet, id est, quantum possum.

57 *Nereidas*] Nymphas, Nerei filias.

58 *Scilicet*] Est quasi irrisio sui ipsius, quæ in damnum suum reditum Paridis optaverat.

59 *Rediture*] Qui eras rediturus. *Alii*] Ad utilitatem alterius, scilicet, Helenæ.

60 *Hei mihi, pro dira pellice blanda fui*] Puteanens et alii nonnulli ex melioribus, *Et mihi*. Gronovianus, *Et tibi*. Puto Ovidium scripsisse, *Et Dis pro dira pellice blanda fui:* ut noster alibi, 'Et pro delictis hostia blanda fuit.' *Heins. Hei mihi*] Dolet, quod precata sit ad utilitatem alterius. *Blanda*] Supplex. *Pro dira pellice*] Id est, in utilitatem pellicis, quæ mihi nocet. *Pellice*] Id est, Helena.

61 *Aspicit*] Describit locum, unde primum vidit Paridem revertentem e Græcia cum Helena. *Moles*] Altitudo, magnitudo. *Nativa*] Non arte facta.

62 *Resistit*] Restat immotus. *Resistit*] 'Stat Marpesia cautes.' Sustinet, repellit undarum impetum.

63 *Hinc ego prima tua prospexi vela carina*] *Vela tua cognovi prima* scripti omnes. *Heins. Hinc*] Ex Sigæo.

64 *Per fluctus ire*] Ut citius te complecterer. *Ant.*

65 *Purpura*] Helena purpurata, cum veste purpurea, qui habitus erat muliebris.

66 *Cultus tuus*] Id est, quem tu soleres gestare, aut qui tibi conveniret.

69 *Non satis id fuerat*] Rapuisse fœminas. *Ant.*

70 *Turpis amica*] Per adulterium et rapinam parta.

71 *Planxi*] Percussi. *Hub. Rupi sinus*] Vestes laceravi. *Ant.*

72 *Ungue rigente*] Id est, unguibus duris. *Hub.*

73 *Sacram Iden*] Vel propter Cybeles ceremonias, et sacra, quæ in Ida celebrabantur: vel quoniam montes et sylvæ sua habeant numina. *Querulis ululatibus Idam*] *Iden* meliores; quomodo sæpe alibi noster: et sequenti versu *Illinc* pro *Illic* iidem recte. *Heins.*

74 *Has lachrymas*] Has imprecationes cum lachrymis. *In mea saxa*] Quæ conscia erant nostri amoris. *Ant.*

75 *Sic Helene*] Imprecatur nunc Æ-

Digitized by Google

none similem infœlicitatem Helenæ.

76 *Ipse ferat*] Id est, patiatur. Ea quæ intulit nobis, id est, similem injuriam, quam nobis intulit.

77 *Nunc tibi*] Conatur inducere in odium Helenam Paridi, commemorans ejus impudicitiam. *Conveniunt*] Invidiose, et ad contumeliam usa est plurali pro singulari. *Nunc te cum veniunt*] *Nunc tibi conveniunt* Puteani et Jureti codex, aliique nonnulli ex præcipuis; recte: qui loquendi modus nostro est usitatus. Amor. III. El. 8. 'Læva manus, cui nunc serum male convenit aurum.' Epistola Sapphus, 'Grata lyram posuit tibi, Phœbe, poëtria Sappho. Convenit illa mihi, convenit illa tibi.' In Ponticis, 'Tu quoque conveniens ingenti nupta marito.' Remed. Amor. 'Hæserat in quadam nuper mea cura puella: Conveniens animo non erat illa meo.' Et mox, 'Exitus ingeniis convenit iste feris.' Fast. III. 'Conveniunt partes hæ tibi, comis anus:' atque ita passim. Cæterum *sequantur* etiam et *destituunt* libri potiores agnoscunt, non *sequantur* et *destituunt* cum vulgatis. *Heins. Aperta æquora*] Patentia, libera. Sic Cæsar. III. de Bell. Gal. 'longe aliam,' inquit, 'esse navigationem in concluso mari, atque in apertissimo atque vastissimo Oceano.' Sic et de cœlo aperto Ovid. 'immensi copia cœli:' et de campo Stat. XI. 'non acer aperto Desudat sonipes campo.' Et lib. XIII. 'vasto patuerunt æquore campi.' Livius utrumque conjungit, III. 7. 'Velut maris vasti, sic immensa panditur planicies, ut subjectos campos terminare oculis haud facile queas.' Thucyd. l. II. ἐς φανερὰν ὁδόν. Et Homer. Odyss. E. 476. ἐν περιφανομένῳ. 'Purus ab arboribus spectabilis undique campus.' Metam. III. 8.

78 *Legitimos viros*] Id est, justo matrimonio sibi junctos, quos non relinquunt nisi impudicissimæ mulieres.

79 *At cum*] Quasi dicat, Non sequuntur te, sed fortunam tuam: quia Priami filius diceris: ego autem secuta sum te, quæ in paupertate tua tibi nupsi, et te amavi. *Agebas*] Ducebas: et bene; nam proprie dicuntur agi pecora. Virg. 'En ipse capellas protinus æger ago.' *Hub.*

81 *Tangit*] Movet. *Hub. Non ego miror opes*] Non me fortuna aut divitiæ impellunt, sed amor, et vetus conjugium. *Ant.*

82 *De tot*] Scilicet, nuribus: erant enim plurimæ. Æn. II. 'Vidi Hecubam, centumque nurus.' Idem, 'Quinquaginta illi thalami, spes tanta nepotum.'

83 *Non tamen ut Priamus*] Perperam quidam rescribunt, *aut Priamus.* Propert. 'Non tamen ut vastos ausim tentare leones.' Noster Art. Am. III. 'Non tamen ut positas mensa deprendat amator Pyxidas:' ita scribendum videtur ex optimo libro, in quo *et positas;* vulgo, *expositas.* Heins.

84 *Dissimulanda*] Tacenda, et occultanda: id est, Non Hecubam debebat pudere, dicere me esse nurum suam. *Hubert.*

85 *Dignaque sum et cupio*] Τὸ *et* abest a libris plerisque. Codex Patavinus præterea, *potenti.* Sequenti versu, *quas possint*, non *possunt* meliores. Sic Briseis, 'Est mihi, quæ lanas molliat, apta manus.' Nonnulli etiam *quæ possint;* ut Fast. II. 'capit ille coronam, Quæ possit crines, Phœbe, decere tuos.' *Heins. Digna sum*] Tuo conjugio: sum enim Nympha. *Matrona*] Ea est, quæ ex legitimo matrimonio viri peperit. *Ant. Matrona*] Sic Plaut. Mostell. I. 3. 'Matronæ, non meretricum est, uni inservire amanti.' 'Matronalis habitus.' Justin. VII. 3.

86 *Decere*] Id est, Non sum ignobilis, et sunt mihi aptæ manus ad ferendum sceptrum, licet in sylvis habitaverim. et ideo dicit, *Nec me, &c.*

87 *Fagineæ fronde*] Aut sub arbore

Digitized by Google

fagi, aut quia ex frondibus arborum fiebant plerumque tori, et præcipue ab iis qui habitabant sylvas. *Fronde jacebam*] *Cubabam* Lovaniensis. *Heins.*

88 *Purpureo toro*] Id est, regio, et purpura ornato: quales sunt tori potentum virorum. *Hub.*

89 *Denique tutus amor meus est tibi*] Sic distinguit Puteaneus, et alii quidam. Puto scribendum, *Denique tutus amor meus est: mihi nulla parantur Bella, nec ultrices advehet unda rates,* Heinsius. *Nulla parantur bella*] Qualia imminent ex Helenæ rapina. *Ant.*

91 *Reposcitur*] A marito, et tota Græcia. *Hub.* *Tyndaris*] Helena, Tyndari filia ex Leda. *Ant.*

92 *Hac dote*] Quasi dicat, Pro dote affert tibi bellum.

94 *Polydamanta*] *Pulydamanta* scribendum monui ad Met. XII. 547. *Heins.* *Polydamas*] Vir Trojanus fuit ex primoribus.

95 *Priamus quid suadeat ipse*] *Censeat* Lovaniensis. Sic Ep. Helenæ vetus codex, 'Quid Priamus de me, Priami quid censeat uxor.' *Heins.*

97 *Turpe rudimentum*] Rudimenta, omnium disciplinarum dicimus initia. *Patriæ præponere raptam*] Si saluti totius patriæ præponas fœminam, et eam, quam rapina tibi comparasti.

98 *Causa pudenda*] Propter inconcessos hymenæos: 'Qua tempestate Paris Helenam innuptis sibi junxit nuptiis.' Γάμος ἄγαμος. *Vir*] Menelaus. *Justa arma*] Quoniam pro rapta conjuge bellum movet. *Ant.*

99 *Nec tibi, si cupias*] *Si sapias* præstantiores libri: ut Epistola Acontii, 'Hunc tu, si sapias, limen adire vetes.' Remed. 'Hanc mihi, si sapiat, per se concedat Achilles.' Lege *sapias;* et vide quæ noto Met. XIV. 675. In Puteaneo hic rursus duplicis paginæ est hiatus. *Heins.*

100 *Sit versa*] Id est, aversa, scil. ab amore Menelai. *In amplexus tuos*] In tuum amorem.

101 *Tumerati*] Adulterio vitiati, et læsi. *Externo*] Peregrino, scil. tuo. *Hub.* *Ut minor Atrides*] Exemplo perfidiam Helenæ demonstrat. *Minor Atrides*] Menelaum significat.

103 *Tu quoque clamabis*] Peperam sequentia distinguuntur in vulgatis libris, ac si clamantis Menelai verba sint; quod poëta minime voluit. *Heins.* *Clamabis*] Cum te deceperit.

104 *Deperit illa semel*] Pudicitia, cum corrupta est, reparari non potest.

106 *Credulus*] Qui pudicam Helenam fore credidit. *Ant.*

107 *Certo marito*] Id est, fido, et stabili.

108 *Ad exemplum fratris*] Quia sicut ille diligit Andromachen, ita me diligere debueras.

109 *Tunc*] Quasi dicat, Non omnibus foliis, sed aridis, quæ solent esse leviora.

110 *Arida facta cadunt*] *Volant* meliores; ut apud Virgilium, 'foliis ne carmina manda, Ne turbata volent rapidis perjuria ventis.' Et in Georgicis, 'Sæpe levis palea et frondes volitare caducæ.' Idem tamen alibi, 'Lapsa cadunt folia.' Noster Art. Am. III. 'Ut Borea frondes excutiente cadunt:' hinc et 'folia caduca,' et 'caducæ frondes.' Am. II. El. 16. 'Verba puellarum foliis leviora caducis.' *Heins.*

112 *Assiduis solibus*] Id est, continuis caloribus.

113 *Hoc tua nam recolo*] *Refero* libri nonnulli, eodem sensu; sic Remedio Amoris: 'Sæpe refer tecum scelerata facta puellæ.' Et ibid. 'Deque tua domina multa querenda refers;' quæ illic vera lectio: ut et Amorum lib. II. El. 8. 'At quanto (si forte refers) præsentior ipse Per Veneris feci numina magna fidem:' quod perperam mutant. Pont. I. El. 9. 'Sæpe refert animus lusus gravitate carentes.' Met. XV. 'Hæc Helenum cecinisse Penatigero Æneæ Mente memor refero.' Trist. IV. El. 3. 'Tem-

Digitized by Google

pus ubi est, quo te (nisi si fugis illa referre) Et dicit memini, juvit et esse meam:' ita enim scribendum; alii codices, *memini;* Regius *memoro.* Ut lib. XIV. Met. 'Nam memoro memoriique animo pia verba notavi.' Sed et illic scribendum censeo *Nam refero.* At Sarravianus hoc loco *recolo:* quomodo etiam multi ex scriptis legunt. Epistola Paridis, 'Hoc mihi (nam repeto) fore ut a cæleste sagitta Figar, erat verax vaticinata soror.' Trist. lib. I. El. 3. 'Cum repeto noctem, qua tot mihi cara reliqui:' ubi vetus liber *recolo* similiter. Virgil. 'Nunc repeto hæc generi portendere debita nostra:' et alibi, 'Nunc repeto, Anchises fatorum arcana reliquit.' Noster Pont. 'Nec repetunt oculi signa vetusta mei.' Juvenal. Sat. IX. 'Nuper enim, ut repeto:' ubi Scholiastes Ms. 'id est, recolo.' *Heins.* *Hæc tua*] Dicit Œnone, hæc sibi fuisse pronunciata a Cassandra sorore Paridis: ponitque verba ejus vaticinii. *Tua germana*] Id est, soror, scilicet, Cassandra: fuit autem Cassandra Priami filia, cujus amore captus Phœbus, promisit ei divinandi artem, si sibi obsecuta esset. Vide Fab. apud Ovid. Vide Lycophr. Tryphiod. et Smyrn. Calab. 12. *Canebat*] Divinabat.

114 *Diffusis comis*] Id est, sparsis per humeros, quemadmodum vaticinantes habere solent: ut Virg. de Sibylla, 'Non comptæ mansere comæ.' *Diffusis comis*] Hom. Eurip. Electr. vocat eam Μαινάδ', ἔνθεον κόρην.

115 *Quid facis*] Verba Cassandræ, quasi dicat, Frustra amas Paridem.

116 *Non profecturis*] Id est, non reddituris fructum. *Hull.* *Littora bobus arat*] *Bubus* recte quidam libri; atque ita ubique ex auctoritate optimorum codicum scribendum. *Heins.*

117 *Quæ patriamque, domumque, perdat*] In excidium Trojanæ urbis, et Laomedontis familiæ. *Ant.*

118 *Juvenca*] Per contumeliam: nam mulieres impudicæ juvencæ et vaccæ dicuntur; nec ob aliam causam Io et Prætides in vaccas conversæ dicuntur, nisi quia factæ sunt impudicæ. *Graia juvenca*] Πόρτις, Lycophr. d. l. *Perdat patriam*] 'Adest, adest fax obvoluta sanguine atque incendio:' in trag. *Scriver.*

119 *Dum licet*] Dum nondum attigit littus. *Obscœnam puppim*] Id est, quæ vehit obscœnam mulierem. *Obscœnam*] Vel propter pessima omina, sic Virgil. 'Obscœnas volucres,' quæ nihil boni ferunt. *Ponto demergite puppim*] Alii *dimergite;* sed meliores *Dimergite:* quomodo scribendum sensus requirit. Sic in Fastis, 'Plenaque odorati Dis ponit pocula Bacchi:' cum *disponit* vulgo nunc legatur. *Heins.*

121 *Dixerat incursu*] Lege *in cursu famulæ rapuere furentem:* hoc est, in ipso furoris cursu. De quo loquendi more plura Met. X. in Fab. Myrrhæ dixi. Nisi cui scribendum videatur hoc loco, *Vox erat in cursu: famulæ rapuere furentem.* Amor. lib. I. El. 8. 'Vox erat in cursu; cum me mea prodidit umbra.' Fast. V. 'Vox erat in cursu: vultum dubitantis habebam.' Fast. VI. 'Spes erat in cursu: nunc lare pulsa suo est.' *Heins.* *Rapuere*] Jussu scil. Priami. *Furentem*] Divinantem: nam furor etiam de divinatione dicitur. *Hub.*

124 *Saltus meos*] Possidet te, quem ego deberem possidere. *Hub.*

125 *Sit facie quamvis insignis*] *Præsignis* codex Ambrosianus; recte. Noster Met. XII. 'Cinctaque adest virgo matrum nurumque caterva Præsignis facie Corniculana fuit.' Fast. V. 'Præsignis facie Corniculana fuit.' Art. Am. III. 'Quæ facie præsignis erit, resupina jaceto.' Sic 'vittis præsignis et auro Victima,' Met. XV. 132. ex veteribus libris: et 'arcu præsignis adunco Delia,' superiori epistola. *Heins.* *Sic facie insignis*] Invidiosa concessio: esto sit pulchra, est tamen incesta. *Ant.*

Digitized by Google

126 *Deseruit patrios hospite capta Deos*] *Socios Deos* codices exarati omnes; vere: nam 'patria' mox sequitur. Deos enim conjugales intelligit. Amor. II. El. 11. 'Ecce fugit notumque torum sociosque penates:' sic ibi veteres libri. Quomodo Æn. III. 'Hospitium antiquum Trojæ, sociique penates.' Et Epist. Briseidis, 'Si tibi jam reditusque placet sociique penates:' ut illic Lincolniensis codex exhibet. *Heins.* *Hospite capta*] Id est, Helena capta amore tui, hospitis sui. *Deseruit*] Fugiens a patria. *Hub.*

127 *Nisi nomine fallor*] Historiam non recte se habere comminiscitur, puellari simplicitate. *Ant.* *De patria*] Scilicet sua. *Hub.*

128 *Nescio quis*] Solemus ita loqui de ignotis.

129 *A juvene et cupido*] Duo sunt quæ pudicitiæ maxime obstant, amor et juventus. Non est, inquit, credibile, quod juvenis, et amans Theseus, castam reddiderit Helenam. *Ant.*

130 *Unde*] Id est, a quo. *Hæc*] Quæ dixi de Helena. *Amo*] Et ideo amor cogit me ista investigare. Virg. 'Quis fallere possit amantem?'

131 *Nomine veles*] 'Prætexas nomine culpam.' Virgil. et Ovid. Metam. VII. 69. 'Conjugiumne putas? speciosaque nomina culpæ Imponis, Medea, tuæ?' Sic et Græci, '*φάντασμα προτείνων*.' 'Et prætextum quidem illi civilium armorum hoc fuit.' Suet. in Cæs. et Justin. v. 8. 'rempublicam sub prætextu liberationis invadere.'

132 *Quæ toties*] Sensus est: Ipsa Helena, quæ toties est capta, voluit rapi. *Toties*] Invidiose dixit, cum bis tantum fuerit rapta: primum a Theseo, deinde a Paride. *Præbuit rapi*] *Εἰ μὴ αὐταὶ ἐβουλέατο, οὐκ ἂν ἡρπάζοντο*. Herod. I. Duxit, non rapuit te, bona sponsa, Paris. Sic Trojani dicuntur Helenam repetentibus Græcis respondisse. '*Ἑρῶν ἐρῶσαν ᾤχετ' ἐξαναρπάσας Ἑλένην*. Eurip. in Aulid. non long. a pr.

133 *Fallenti*] Tibi, qui me fallis. *Hub.*

134 *Legibus tuis*] Quibus tu usus es. Nam tu alteri ademisti uxorem: recte ut jam virum alium ego quærere possem. *Ant.*

136 *Quæsierant*] *Quæsierunt* liber chartaceus Lovaniensis, et placet: sic *steterunt*, *dederunt*, *tulerunt*, et similia penultima syllaba correpta; de quibus ad Epistolam Didus. 166. *Heins.* *Turba proterva*] Sunt enim libidinosi multum. Ovid. 'Et in Venerem Satyrorum prona juventus.'

138 *Faunus*] Quia coronas ex frondibus pineis ferre dicitur. *Tumet*] Alta est, eminet.

139 *Me fide*] Dicit se amatam a Phœbo, ab eoque per vim raptam virginitatem suam. *Munitor*] Conditor: constat ex fabulis, Phœbum cum Neptuno, promissa sibi mercede a Laomedonte, Trojæ muros fecisse. *Conspicuus*] Insignis fidicen. *Fide*] Cithara.

141 *Luctando*] Scilicet, habet, id est, non voluntate mea. *Rupi*] Laniavi. *Capillos*] Ipsius Phœbi. *Hub.* *Rupi tamen ante capillos*] *Ungue* scripti; rectius. *Heins.*

144 *Ingenuum*] Liberum, id est, turpe est liberæ mulieri corpus suum pro quæstu prostituere: inde et meretrices dicuntur, a merendo. *Hub.*

145 *Ratus dignam*] Commendat se ab artificio, et Dei judicio: cum me tanto munere Apollo dignam existimasset. *Medicas*] Cujus inventionem multi ad Apollinem retulerunt.

147 *Radixque medendi utilis*] *Medenti* malim: *medens* pro medico Ep. Cydippes, 'Adjuvor et nulla fessa medentis ope.' Remedio Amoris, 'Tu pariter vati, pariter succurre medenti.' Marcellus de Medicina, 'Vertat in exitium non sollers cura medentis.' *Heins.*

148 *Mea est*] Id est, mihi cognita, et meæ arti subjecta.

Digitized by Google

150 *Destituor prudens artis ab arte mea*] *Deficior* scripti potiores; optime: sic Trist. II. 'Tempore deficior.' Ep. Heronis, ut legendum censeo, 'Deficiar; parvi temporis adde moram.' Silius lib. III. 'gelidos nec scandere tecum Deficiar montes conjux tua:' ita scribo. Sic apud nostrum in Ibide, 'solito defecta favore Fortunæ facies.' Ibidem ex antiquis libris, 'Plenus inextincta deficiare fame.' Neque aliter optimi Latinitatis auctores passim loquuntur. *Heins. Prudens artis*] Id est, perita medicinæ.

151 *Opis*] Id est, medicinæ. *Hubert. Ipse repertor opis*] Exemplo monstrat, amorem nulla se arte medicari posse. Apollo captus amore Alcestidis Peliæ filiæ, Admeti regis pavit armenta. *Ipse repertor opis*] Vide Apollod. lib. I. et III. et Tzetz. Chil. I. hist. 53. Et Ovid. Metam. lib. II. 680. Lucian. dial. 10. et Stat. lib. VI. et Eurip. Alcest. *Vaccas pavisse Pheræas*] Sic meliores libri, non *per æstus*, aut *per herbas*: similiter vetustiora exemplaria Art. Am. II. 'Cynthius Admeti vaccas pavisse Pheræi Dicitur:' ita enim et illic ex optimis libris restituendum. Seneca Hercule Furenti, 'Pastor Pheræos Delius pavit greges.' *Heinf.*

153 *Quod neque graminibus*] Potes, inquit, sanare mea vulnera, quæ nec arte nec Dei ope coirent. *Ant.*

156 *Non arma cruenta fero*] Non sum tibi hostis, nec mea causa bellum subibis. *Ant. Non arma fero*] Virgil. Æn. IV. 'Non ego cum Danais Trojanam excindere gentem Aulide juravi:' et quæ seqq.

EPIST. VI. HYPSIPYLE JASONI.

Etiam huic Epistolæ præfigitur distichon hoc in Excerptis Puteani. 'Lemnias Hypsipyle Bacchi genus Æsone nato Dicit: et in verbis pars quota mentis erat.' *Heins.*

2 *Auratæ ovis*] Hanc fabulam habent Orpheus et Apollonius. Diod. Sicul. lib. V. Apollod. lib. I. Ovid. Metam. VII. 1. Catull. et Valer. Argon. vide et Apoll. Rh. Argon. II. 406. Fuit autem vellus illud in Martis luco clavis fixum, χρύσειον δέρος, 'Auratus aries Colchorum.' Hoc vellus Pind. Pyth. 4. vocat ἄφθιτον στρωμνάν· et δέρμα λαμπρόν.

3 *Hoc tamen ipso*] Argentinensis *ipse*. Lege *ipsa*; nisi malis *ipsum* cum Douza. *Heins.*

5 *Nam ne*] Excusat ipsum Jasonem, qui non redierit in Lemnon, cum reverteretur ex Colchis, ut magis eum accuset, quod posteaquam rediit, nihil rescripserit. *Hub.*

7 *Signetur*] Scribatur et obsignetur, vel signata fuisset: potuisses scribere, si redire noluisses. *Ant.*

10 *Isse sacros Martis*] *Marti* malim: sed obstant membranæ. *Heins. Boves*] Tauros. *Marti*] Erant Marti consecrati propter ferocitatem, quæ ipsi Marti attribuitur. *Panda*] Curva. *Boves*] Propert. III. Eleg. 10. 'Colchis flagrantes adamantina sub juga tauros Egit, et armigera prælia sevit humo.' Et Virgil. Georg. II. 'Hæc loca non tauri spirantes naribus ignem Invertere, satis immanis dentibus hydri.' *Hub.*

11 *Segetes virorum*] Id est, viros seminatos. *Jactis*] Sparsis. *Adolesse*] Id est, crevisse. *Idem. Seminibus jactis*] Dentes serpentis intelligit. *Ant.*

Digitized by Google

Segetes virorum] Quo alludit Amphitr. in Suppos. Plauti: 'Anguineo...Repente hostes peperit seminio:' et Ovid. Metam. III. 1. 'crescitque seges clypeata virorum.' Vide et Argon. Apollon. lib. III. Et Eurip. Supplic. Λόχος δ' ὀδόντων ἔφεος ἐξηνδρωμένος.

12 *Dextra tua*] Quia seipsos interemerunt. Nam cum Jason quædam, quæ Medea dederat, in medios illos terrigenas projecisset, illi arma in se converterunt, et mutuis vulneribus ceciderunt.

13 *Spolium*] Pellem. *Pecudis*] Arietis.

15 *Hæc ego si possem timidè credentibus, Ista*] *Hoc ego* meliores scripti: et sane *Hæc* ac *ista* minus apte cohærent. Lege, *O ego, si possem timide credentibus, Ista Ipse mihi scripsit, dicere, quanta forem!* et vide quæ noto hanc in rem ad epistolam primam vs. 101. Met. VIII. 'O ego, quam felix, si pennis lapsa per auras, Gnosiaci possem castris insistere regis!' Lib. IX. 'O ego, si liceat mutato nomine jungi, Quam bene, Caune, tuo poteram nurus esse parenti.' *Heins. O ego*] Dicit, quod existimaret se felicem, si posset dicere hæc sibi ab Jasone scripta fuisse. *Timide credentibus*] Id est, vix credentibus.

16 *Quanta*] Id est, quam magna, quam felix.

17 *Cessasse*] Defuisse mihi. *Officium*] Scilicet scribendi. *Officium*] Diversæ enim officii significationes sunt. 'Illi dies per somnium, nox officiis et oblectamentis vitæ transigebatur.' Tacit. Annal. XVI. de Nerone. Et Juven. Satyr. II. 'officium eras,' &c. Sic et Græci Κύπριδι χάριν πράσσειν. Δοῦναι χάριν. χαρίζεσθαι. et Iliad. A. 243. ἧς οὕνεκ χάριν ἥδε. Etiam Sacrorum vocabulum. Ovid. Metam. XII. 33. 'et inter Officium, turbamque sacri, vocesque precantum.' Item de inferiis. Senec. Troad. 'dum officium parens Gnato supremum reddo.' πρόσφορος, officiosa: et τὰ πρόσφορα, *inferiæ, munus supremum*; Eurip. Heraclid. Petronii 'officia prætermittimus.'

18 *Obsequium*] Id est, rem gratam; id est, satis mihi fecisti, si modo remaneo tua. *Hub.*

19 *Barbara venisse*] Medeam circumscribit, quæ suo obstare conjugio ferebatur. *Ant.*

23 *Æmoniis*] Thessalicis: nam Æmonia Thessalia dicitur.

24 *Tactum vix limen erat*] Id est, vix erat ingressus domum.

25 *Æsonides*] Jason filius Æsonis. *Meus*] Scilicet maritus. *Ille*] Hospes. *Pudore*] Quia non audebat mihi dicere, quod feceras.

26 *Hæsit*] Tacuit. *Lumina fixus*] Id est, habens oculos fixos. *Opposita humo*] Tres libri *apposita*: idque rectius fortasse. *Heins.*

27 *Tunicisque a pectore ruptis*] *Raptis* libri meliores: sic 'deripere ex humero vestem' et similia. At libro III. Art. Am. 'tenues a pectore vestes Rumpite.' Sequenti præterea versu quidam libri *fata vocant* cum Jureti excerptis. *Idem.*

28 *Fata trahunt*] Id est, mors etiam me vocat, si ipse mortuus est. *Hub.*

29 *Vivit, ait: timidumque mihi jurare coëgi*] *Timidum quod ait jurare coëgi*, vel *timide* libri veteres. Puto corrigendum esse, *Vivit, ait timide: timidum jurare coëgi*; nisi *timidus* malis. Ejusmodi repetitiones vocum a supinis librariis ut plurimum neglectæ (dum semel tantummodo exprimunt, quod bis fuerat exprimendum) corrumpendo non uni apud Ovidium loco occasionem dederunt. Ep. VII. 'Nec mihi parcatur, puero parcatur Iulo:' quæ vera ibi lectio est. Ep. VIII. 'Quem sibi permisit, genero permittet amorem:' ubi *concedet* reponunt. Ep. IX. 'Ingreditur late lato spectabilis auro:' sic scripti omnes; pro quo *multo auro* reposuerant: 'In thalamos læti, thalamos sua busta fe-

Digitized by Google

runtur:' et mox, 'Nuda nuda recumbis humo.' Ep. XVII. ex veteri libro, 'Nec tamen irascor: quis enim irascatur amanti?' Ep. XVIII. 'Me pariter venti teneant, teneantque lacerti:' ut scribendum conjeci. Amor. lib. I. El. 2. 'Tu pennas gemma, gemma variante capillos:' qui etiam locus male in vulgatis codicibus est habitus: et pari id modo passim apud nostrum. *Heins.* *Ait*] Thessalus hospes. *Ant.*

31 *Utque animus rediit*] Turbant hic denuo libri. Sed Excerpta Jureti cum uno Patavino, *Ut rediit animus.* Producitur enim Ovidio aliisque poëtis passim ultima ejus syllaba, quemadmodum et in *adiit, abiit, iniit, rediit, subiit, praeteriit*, et similibus, de quibus suo loco. Epistola Laodamiæ, 'Ut rediit animus, pariter rediere dolores.' Art. Am. III. 'Ut rediit animus, tenues a pectore vestes Rumpit.' Pastor. lib. III. 'Ut rediit animus, Da certa piamina, dixit.' Lib. V. 'Ut rediit animus, cultorem pauperis agri Immolat:' quibus etiam in locis libri veteres sibi non constant; dum alii, *Ut rediitque animus*, alii, *Utque redit animus*, alii alia, substituunt: meliores constanter, quod nos exhibemus, agnoscunt. Met. XIV. 'Mox ubi mens rediit, et contempsere sequentem.' Fast. II. loco itidem in vulgatis libris mendoso, 'Attonitusque metu rediit, ut sæpe viator Turbatum viso rettulit angue pedem.' *Heins.*

32 *Retulit æripedes*] Sic correctores hæc interpolarunt. Nam vetusta exemplaria *Narrat et æripides*, vel, *Narrat æripedes.* Scribe, *Narrat ahenipedes Martis arasse boves.* Epistola Medeæ, 'Jungis ahenipedes inadusto corpore tauros:' quomodo et illic scribendum: *aheneus* et *ahenus* pro æreo passim poëtæ. Martialis Spectaculorum Ep. 27: 'Ignipedes' vocat hos tauros, 'Ignipedes posset sine Colchide vincere tauros.' Sed vide ne et illic *Æripedes* sit scribendum: quanquam 'Ignipedes Solis equi' Nasoni et Statio dicantur. *Heins.* *Ahenipedes*] Id est, habentes pedes ære munitos.

33 *Vipereos*] Illius serpentis, quem Cadmus peremit, erant dentes.

35 *Civili Marte*] Non externo, sed inter se bello conserto. *Ant.*

36 *Fata diurna*] Quoniam uno die nati, et extincti sunt. *Ant.*

38 *Spesque*] Quæ faciebat credere. *Timorque*] Qui prohibeat credere: sic Virgil. 'Spemque, metumque inter dubii.'

40 *Vulnera nostra*] Vel injuriam: vel Medeæ raptum significat, quæ Hypsipyles conjugio obstitit. *Ant.*

42 *Faxque*] Scilicet, connubialis. *Sub arsuras rogos*] Id est, dignior, quæ interfuisset funeribus, et rogis mortuorum, quam nuptiis, quia erat futura infelix.

43 *Furtim*] Clam, et per adulterium: inde furta dicuntur adulteria, quia clam fiunt. *Furtim*] Sic Ovid. Met. III. 'quis enim deprendere possit Furta Jovis?' Et alibi: 'celari vult sua furta Venus.' *Cognita*] 'Quam adulterio cognoverat,' Justin. V. 2. Et Plaut. 'Nos nostris tantummodo noscimur viris.' Et Cæs. Bel. Gall. VI. 'Intra annum fere vicesimum fœminæ notitiam habuisse, in turpissimis habetur.' Similiter in aliis linguis hoc vocabulum sic usurpatur.

44 *Tempora vinctus*] Id est, habens tempora, id est, caput vinctum, id est, ornatum et cinctum. *Sertis*] Coronis.

46 *Infaustas*] Ut in fabula Terei. Metam. lib. VI. 'Eumenides tenuere faces de funere raptas.'

47 *Myniis*] Myniarum familia, ex Orchomeno Bœotiæ oppido Iolcon in Thessaliam commigravit, unde Argonautæ Myniæ sunt appellati. *Ant.*

48 *Tiphy*] Gubernator navis Jasonis. Alloquitur autem ipsum absentem, tanquam præsentem. *Quid tibi*

Digitized by Google

cum patria mea] Id est, Quid negotii tibi erat, quare huc venires?

49 *Villo*] Vellere.

50 *Æetæ*] Æetes dicitur, et Æeta: pater fuit Medeæ: Solis filius, et Persæ frater. *Hub.*

51 *Certa fui primo*] Fatis imputat, quod non in sententia perstiterit. *Me mea fata trahebant*] *Mala fata* Puteaneus et duo alii: sic 'malus error' et similia. Noster in Amorib. 'Cum rapiant mala fata bonos.' *Heins.*

52 *Hospita castra*] Argonautas: cum quibus primum pugnasse Lemniades, scribit Papinius: deinde, mutato consilio, et domo et thalamo excepisse. *Ant.*

53 *Lemniades*] Id est, mulieres Lemni. *Nimium norunt*] Id est, optime sciunt. *Viros vincere*] Quia deleverunt maritos suos, et omnem prolem masculam. *Hub.*

54 *Milite tam forti vita tuenda fuit*] *Fortuna tuenda* Puteaneus; mendose. At in uno Vossiano pro diversa lectione *ripa tuenda;* quod placet. Hoc enim omni studio Lemniades agebant, ut Argonautas littore prohiberent: de vita nullum certamen fuit. Causam dedit loco interpolando, quod *ripam* pro littore nonnunquam sumi nesciret, quisquis *vitam ripa* supposuit. Met. XIII. 'Prohibent aditu, littusque tuentur Troës:' apud Germanicum in Arateis pro *vita* et *vitta: ripæ* legitur etiam in antiquissimo codice Puteaneo. *Heins. Milite tam forti*] Lemniadum viribus et virtute.

55 *Urbe virum vidi*] Tò *vidi* vehementer friget; nec juvant tamen membranæ nostræ. Scribo: *Urbe virum vidua, tectoque, animoque recepi. Viduam urbem* eleganter dixit, quod viri in ea omnes ab uxoribus essent occisi: nihil notius hac fabula. Eandem conjecturam Capoferreo etiam in mentem venisse serus nunc intelligo. *Heins. Virum*] Non adulterum, sed maritum. *Ant.*

56 *Hic*] In Lemno.

57 *Coactus*] Instante Hercule cum cæteris.

58 *Implesti lacrymis talia verba tuis*] Malo *lacrymis suis;* vel contra membranarum auctoritatem. Vide notas ad Epist. XVII. 252. *Heins. Implesti*] Perfudisti; quia non potuisti ea dicere sine fletu.

59 *Abstrahor*] Id est, violenter et contra voluntatem meam. *Recursus*] Regressum, reditum. *Si dent modo fata recursum*] *Sed dent modo fata recursus* libri meliores. *Heins.*

61 *Tamen*] Licet hinc discedam.

62 *Vivat*] Servetur a te diligenter, ut vivat.

63 *Hactenus*] Scil. locutus es.

65 *Ultimus*] Ut ostenderes, quod te pigebat me relinquere. *Sacram*] Quæ, ut diximus, erat sub tutela Minervæ, cujus cura fuerat fabricata.

66 *Illa volat*] Alludit ad etymon ἀργοῦς, quæ idcirco cita navis a veteribus dicta est. *Ciof. Tenet*] Implet.

67 *Propulsæ*] Subactæ remis et ventis. *Subducitur unda*] Sic Æn. v. 'Subtrahiturque solum:' et lib. III. 'Tollimur in cœlum curvato gurgite, et iidem Subducta ad manes imos descendimus unda.'

68 *Tibi*] Pro, a te. *Hub.*

70 *Lacrymis ora sinusque madent*] *Osque sinusque.* Heins. *Sinus*] Δείοντο δὲ δάκρυσι κόλποι, Hom. Il. IX. 566. estque sinus pectoris. Vide Serv. ad illum Virgil. IV. 'Hæc effata, sinum lacrymis implevit.' Ovid. Epist. VIII. 62. 'Perque sinum lacrymæ fluminis instar eunt.' 'Et tunicas' lacrymis sicut ab imbre graves.' Epist. X. 138.

71 *Cupidæ faventia menti*] Quia quod ego optabam, ipsi oculi volebant, ut aspicerem: ex affectu enim alicujus rei et acutius et longius videmus.

72 *Assueto*] Id est, solito.

73 *Immixta timori*] Timide suscipiebam vota. *Timori*] Quem habebam de periculo tuo.

75 *Vota ego persolvam*] Cum indig-

Digitized by Google

natione pronunciandum est, sicut cætera verba sequentia. *Votis fruetur*] Capiet fructum et utilitatem ex votis meis. *Hub.*

76 *Cor dolet*] Quoniam non mihi, sed Medeæ rediit Jason. *Aut. Iræ mistus abundat amor*] *Ira* libri fere omnes. *Heins.*

77 *Vivum quod Iasona perdam*] *Perde* Puteaneus cum Regio: et sequenti versu *concidat* pro *concidet;* probe utrumque. Et tum *fruatur* paulo ante legendum. Fuit cum emendarem, *Dona ferum templis; vivumque Iasona perdam, Hostia pro damnis concidat icta meis?* Heins. *Quod*] Id est, quia; quasi dicat, Cum ob beneficia soleant reddi vota, et dari dona Deis, egone dabo propter damna mea?

80 *Argolica urbe*] Thessalica.

81 *Argolicas timui*] *Argolidas* Puteaneus. Sic 'Argolis Alcmene' Met. IX. et 'Argolides puppes' Remedio Amoris. Statius Theb. VI. 'Argolidasque habitu præstabo maritas:' sic malo quam cum vulgatis *Argolicas.* Idem Theb. II. 'Casta matres cinxere corona Argolides:' et lib. VI. 'Argolidum cœtu circumdata matrum.' Lib. V. 1. 'Neque enim ipse Deorum Arbiter Argolidum thalamis novus.' Vide quæ noto Epistola IX. 72. *Heins. Nécuit barbara pellex*] Pontica.

82 *Expectato hoste*] *Expectata* Puteaneus. recte. *Heins.*

84 *Dira pabula*] Herbas noxias. *Cantata falce*] Id est, incantata, ut majorem vim nocendi haberent. Falce autem dixit, quia secundum rationem magicam herbæ aliæ vellebantur, aliæ incidebantur.

85 *Illa*] Id est, Medea. *Deducere Lunam*] Virg. in Buc. 'Carmina vel cœlo possunt deducére Lunam.' *Reluctantem*] Invitam, resistentem. *Cursu deducere Lunam*] Repone *curru* cum tribus codicibus. De curru Solis ac Lunæ apud Poëtas jam protrita sunt omnia. Tibullus, 'Cantus et e curru Lunam deducere tentat.' Sic et 'Lunares currus,' Met. XV. *Heins.*

87 *Illa refrænat*] Retinet. *Obliqua*] Curva, epitheton fluminum. *Sistit*] Moratur. *Obliquasque flumina sistit*] Duo libri, *fulmina;* ut apud Senecam Thyeste, 'Obliqui via fulminis.' Nihil muto tamen; nam et *flumina* recte *obliqua* dicuntur. *Heins.*

88 *Viva*] Naturalia, eo loco nata.

89 *Per tumulos*] Per sepulchra mortuorum. *Passis*] Sparsis. *Discincta*] Soluta, sic enim exigebat ratio magica. *Hub.*

90 *Certaque de tepidis colligit ossa rogis*] Puteaneus *colligat. Cunctaque ossa* Scriverianus et Hafniensis: sed nil mutandum. Vid. Rem. Am. 112. *Heins. Certa ossa*] E rogis non omnia magi ossa colligunt, sed præsertim articulos ad veneficia. *Tepidis*] Adhuc calentibus, ubi paulo ante fuerunt combusta cadavera.

91 *Devovet*] Execratur, et incantationibus suis inficit. *Simulachra cerea*] Id est, effigies cereas, quæ repræsentent eos quos vult devovere. *Simulacraque cerea fingit*] Puteaneus *figit:* optime, ut de defixionibus magicis agatur. Vidit id jam Salmasius. Seneca Hercule Œtæo, 'Hoc, inquit, magæ Dixere amorem posse defigi malo.' Plinius, XXVIII. 2. 'Defigi diris precationibus nemo non metuit.' Seneca de Beneficiis, VI. 35. 'Execraris enim illum, et caput sanctum tibi dira imprecatione defigis.' *Heins.*

92 *Urget*] Infigit: ulcerat imaginem ceream in jecore, quasi in sede amoris, ut ita percutiatur ille, cujus est illa imago.

93 *Et quæ nescierim melius. Male quæritur herbis*] Scripti plerique cum Puteaneo *mage;* perperam: quatuor, *Et quod nescierim.* Cantabrigensis *quas* pro diversa lectione. Emenda, *Et, quas nescierim melius, male quæritur herbis.* Heins.

96 *Impavidus*] Deberes enim sem-

Digitized by Google

per esse in maximo timore quando dormis cum ea.

97 *Scilicet*] Certe quasi dicat, Ita te incantavit, sicut tauros, quos ejus ope dicis te vicisse. *Hub.* *Te juga ferre coëgit*] Scilicet sibi esse subditum.

98 *Ope*] Eadem vi, id est, incantatione.

99 *Adde*] Quod ea, quæ Jason fecit, Medea sibi omnia attribuit. *Adscribi*] Annumerari. *Procerum*] Castoris, Pollucis, Herculis, et cæterorum heroum, qui tecum fuerunt in rapiendo vellere aureo. *Tuis*] Scilicet, factis.

Adscribi factis procerumque tuisque se facit] *Se favet* priscæ editiones cum optimo Puteaneo et aliis nonnullis membranis. Venuste. Ennius Annali XIII. 'Matronæ muros complent spectare faventes.' *Heins.*

100 *Obest*] Nocet.

101 *Peliæ de partibus*] Non intelligamus de Thessalia, sed de iis qui Peliæ favent.

102 *Imputat*] Assignat, et attribuit. *Acta*] Scilicet, a te; id est, victorias tuas. *Venenis*] Id est, incantationibus et herbis Medeæ: et dicit te vicisse ejus auxilio. *Populum*] Maximam partem Thessaliæ. *Qui sibi credat*] Ita esse ut dicit, et ita minoris æstimet virtutem tuam.

103 *Non hæc*] Ponit verba, quæ dicit ille fautor Peliæ. *Æsonides*] Jason. *Non revellit*] Non abstulit: et bene revellit, quia fuerant affixa templo Martis a Phryxo. *Hæc*] Δεικτικῶς, id est, demonstrantis. *Sed Phasias*] Id est, Medea. *Sed filia Phasias Ætæ*] Valde Naugerius aliique interpretes se in hoc loco torserunt, ut et Carrio Notis in Val. Flaccum: libri quidam *Phasis Ætæ*, pessime. *Aëta* enim vel *Æetes* trisyllabum est. Nam quod Epistola Medeæ legitur, 'Excipit hospitio juvenes pater Æta Pelasgos.' Et Metamorph. l. VII. 'Dissimilemque animum subiit pater Æta relictus.' Tò *pater* ex fide optimorum codicum delendum. Cæterum in veterrimo codice Puteaneo pars posterior hujus versus in litura cubabat, veteri lectione erasa, cujus tamen e vestigiis utcunque appareret scriptum primo fuisse *Phasias Æetine*, cum τὸ *filia* a manu secunda sit additum. Atque hanc esse genuinam auctoris lectionem ausim adfirmare, quam et Mezeriacus Gallicis in has epistolas Notis Salmasio suggerente laudavit. *Æetine;* ut Neptunine, Nereine, Oceanine, Adrastine, Nonacrine, Evenine, et similia. Pari modo duo quoque patronymica conjunxit Met. VII. 'Calydonides Evenine:' ut quidem illic monui corrigendum: Ita et 'Inachis Acrisione' Virgilio Danaë dicta Elegia ad Messallam: et 'Tyndaris Lacæna' Helena Æn. II. Medeam vero Æetinen dictam ab Avieno descriptione Orbis apparet hisce versibus: 'Absyrti cautes et crebras protinus arces Inveniet. Colchos huc quondam cura fidesque Extulit, insanam sectantes Æetinem:' sic enim versus ultimus minima mutatione scribendus. *Heins.*

104 *Terga revellit ovis*] Ita meliores libri, non *revulsit*. Amor. III. El. 10. 'Prima jugo tauros supponere colla coëgit, Et veterem curvo dente revellit humum:' frustra *revulsit* quidam codices: ut et l. VIII. 'A sylvis sylvas et ab arvis arva revelli.' Lib. IX. 'Infregit cornu truncaque a fronte revellit.' Lib. XII. 'Ingemuit, duroque sudem vix osse revellit.' Atque ita locutos scriptores antiquos observant Grammatici: quos inter Diomedes l. I. 'sunt quædam verba, quæ habent perfecta duplicia, ut *pango pepigi* et *panxi: pungo pupugi* et *punxi: vello velli* et *vulsi;* sed melius *velli*, ut Æn. IV. 'Cineres manesque revelli:' idem, 'ima de stirpe revelli:' sic *divellit* pro *divulsit* non uno loco in veteribus libris Metamorphoseon, ut suis locis monebitur. Nec minus ta-

Digitized by Google

men venustum, quod Matthæus Herculanus in codice suo, qui in Vaticana extat bibliotheca, obiter mihi inspectus, ex veteri libro notarat, *reflexit*. Heins.

105 *Non probat Alcimede mater tua*] Hanc Hyginus Clymeni filiam facit: alii Autolyco natam volunt. Sunt tamen qui Rhœo vel Polymelam Jasoni matrem adsignent. Vide Tzetzen Chiliad. VII. hist. 96. Sequenti versu malim *quis venit*, ut tam ad matrem quam patrem referatur. *Idem. Non probat*] Dicit hanc famam non placere iis qui amant ipsum Jasona.

106 *A gelido axe*] Id est, a regione septentrionali: nam Colchi in regione frigida sunt.

107 *Illa sibi a Tanais Scythicæque paludibus undæ*] *Illa sibi Tanais* potiores scripti. Lege, *Tanai*. Naugerius et Ciofanus ex suis, *a Tanai*. Deinde major codicum pars cum Puteaneo, *Scythiæque paludibus undæ*; sed *Scythiæ udæ* rescribendum, ut recte quatuor libri veteres. Sic et Fast. II. corrigendum *Tyberinides udæ* pro *undæ*. Deinde *Phasides* sequenti versu pro *Phasidis* sex libri: sic 'limosi Phasidos' noster dixit Met. VII. et Catullus 'Phasidos ad fines.' *Heins. Illa*] Quasi dicat, Non est quod ipsa Barbara debeat quærere maritum in vestris regionibus: sed in suis, quæ ejus moribus conveniunt. *Hub. Tanais*] Fluvius Scythiæ, qui Europam ab Asia dividit.

108 *A patria Phasidos*] Id est, a Colchide, ubi est Phasis fluvius.

110 *Polliciti pondere*] *Pollicito pondere* septem libri, quod non est de nihilo: sic 'polliciti jura tori' Epistola Cydippes, et 'pollicita fides.' Fast. III. 'Pollicitam dictis, Jupiter, adde fidem.' Adeantur Notæ Met. XI. 108. *Heins.*

114 *Minoe Thoante*] Minois nepote, nam ex Ariadna Minois et Bacche natus est Thoas Hypsipyles pater.

115 *Conjux redimita corona*] Ariadnam significat, cui Bacchum coronam dedisse narravimus, quæ in cœlo visitur novem conspicua sideribus.

116 *Prævadiat*] Clariores lucere facit. *Signa minora*] Minus lucentia.

117 *Ingeniosa*] Fœcunda.

118 *Me quoque jam tales inter habere potes*] Libri scripti, *Me quoque quod tales*, vel *res tales;* quod posterius arridet elegantissimo Gronovio in observationibus IV. 11. qui videatur. In Puteaneo *Me quoque q.....lis*, erasis iis quæ per puncta designantur. Unde Mezeriacus *Mexes dotales* concinnat. Salmasius libro de Usuris *Me quoque dotales inter*, ut 'dotales' dixerit Ovidius pro dotatas. Quod legem Latini sermonis ferre pernego; ille contrarium docere nos debuisset. Quid ergo? Scribo minima mutatione, *Me quoque quot tales inter habere potes!* Hoc vult, paucas esse quæ secum comparari possint. Amor. l. II. El. 11. 'Quam vir, quam custos, quam janua firma (quot hostes!) Servabant, ne qua posset ab arte capi:' ita vetus codex. Sentius Augurinus apud Plinium l. IV. Epist. 27. 'Unus Plinius est mihi priores. Mavult versiculos foro relicto, Et quærit quod amet, putatque amare. Ille o Plinius, ille quot Catones! I nunc, quisquis amas, amare noli.' Hoc est, qui unus habet instar multorum Catonum. Ita versus isti ex veterrimo libro Medicæo sunt restituendi, nisi quod minimum nobis indulsimus, reponendo *quot* pro *quod Catones;* *d* in *t* mutato, qui error est frequentissimus. *Heins. Me quoque*] Poteras, inquit, et me habere, quæ digna sum inter meos majores annumerari. *Ant.* Vel ut Hubert. legend. censet, *Res tales:* ut sit sensus, inter tales res, id est, inter nobilitatem et dotem, et similia: non debes me spernere.

122 *Favente*] Dante mihi pariendi facultatem. *Pignora*] Id est, filios.

123 *Si quæras*] *Quæris* meliores Pro *cognoscerís* duo libri *ignoscerís:*

Digitized by Google

hoc est *agnosceris;* vide Fast. III. 65. *Heinsius. Illis*] Id est, per illos: id est, si quis videat illos, videbitur te videre.

124 *Fallere*] Sicut tu. *Hub.*

125 *Legatos, &c.*] Pæne, inquit, ad te infantes misi, ut te mihi conciliarent. *Ant.*

126 *Tenuit*] Impedivit. *Captas*] Institutas et propositas. *Noverca*] Medea. *Hubert.*

129 *Spargere*] Nam cum fugeret cum Jasone, ut patrem insequentem retardaret, fratris sui Absyrti membra dilaceravit, et variis locis sparsit: ut pater occupatus in eis colligendis, desisteret ab insecutione. Is locus postea Tomos, id est, incisio, dictus est; ut Ovid. in Trist. scribit. *Hub.*

131 *Ablate*] Capte, seu omni consilio et prudentia destitute. *Ant.*

132 *Hypsipyles præposuisse toro*] Id est, maluisse eam uxorem, quam me.

133 *Turpiter*] Per cædem et nefas. *Virum*] Scilicet, te. *Hub.*

134 *Tæda pudica*] Legitimum conjugium.

135 *Prodidit illa patrem*] Æetam, cui rapuit vellus aureum: illum Meleager in pugna trucidavit, quæ in littore eum Argonautis est orta. *Thoanta*] Patrem Thoantem a cæde liberavi, cum Lemniades viros omnes trucidassent. *Rapui*] Liberavi.

136 *Deseruit Colchon*] *Colchos* libri omnes, idque recte. Colchos enim non dicitur, sed Colchi. Κόλχοι καὶ Κόλχις Græcis. *Heins.*

137 *Quid referam, scelerata piam si vincit*] *Referat* Puteaneus. Sed verum est, quod ex suis profert Naugerius, *Quid refert? vincet* etiam meliores. Epistola Paridis, 'Quid tamen hoc refert, si te tenet ortus ab illis?' Met. XIII. 'Quid tamen hoc refert, si se pro classe Pelasga Arma tulisse refert?' Fast. III. 'Quid tamen hoc refert? vitio tibi gratior ipso est.' Epistola prima Sabini, 'Quid refert? pelago sunt obruta.' Epistola III. 'Quid refert? causa tu meliore caleo.' Statius Theb. X. 'Quid refert? habet ecce suos Jocasta.' *Idem.*

138 *Emeruitque virum*] *Demeruitque* Sarravianus cum quatuor aliis; sed *emeruisse* pro *demeruisse* simili significatione apud Propertium videor legisse, 'emeruitque virum.' Amor l. II. El. 8. 'Unum est e dominis emeruisse satis:' sic constanter libri veteres. Trist. IV. El. 8. 'At vos admoniti nostris quoque casibus este Æquantem superos emeruisse virum.' Ita et illic editi ac scripti constanter. Art. Am. II. ex veteribus libris, 'Nec tibi sit servos emeruisse pudor.' *Idem.*

139 *Non miror*] Quod interfecerint viros, a quibus spernebantur. *Hubert. Lemniadum facinus culpo*] Quæ una nocte viros peremerunt.

140 *Quælibet iratis*] Alii libri *Quodlibet ad facinus*, vel *Quælibet ad facinus.* Sed recte Puteaneus, *Quamlibet iratis.* Qui loquendi modus unice in deliciis est Nasoni, sed ut plurimum e vulgatis libris per inscitos librarios jussus exulare. Supra, 'Quamlibet adverso signetur epistola vento.' Epistola Canaces, 'Urnaque nos habeat quamlibet arcta duos.' Amor. l. I. El. 7. 'Quamlibet infirmas adjuvat ira manus.' Art. Am. l. II. 'Quamlibet inventis aëra carpe meis.' Lib. III. 'Quamlibet admissas detinuere rates.' Et mox, 'Quamlibet extinctos injuria suscitat ignes.' Et postea, 'Et cedat lecto quamlibet ægra suo.' Remed. Amor. 'Quamlibet impugnent unus et alter opus.' Elegia de Nuce, 'Tangat ut et multis quamlibet una suam.' In Ibide, 'Quamlibet et misero debitus hostis ero.' Fast. II. 'Stricto quamlibet ense furit.' Trist. l. I. El. 2. 'Quamlibet e minimis domui si favimus illi.' El. 3. 'Quamlibet inviso Cæsar in hoste probat.' El. 9. 'Occupat egressas quamlibet ante rates.' Pont. l. III. El. 4. 'Quamlibet invitum difficilemque tenent.' Lib. IV. El. 4. 'Quamlibet absentem qua

Digitized by Google

possum mente videbo.' Et alibi passim. Loca plura adscripsi, quod ea majori ex parte mendosa in vulgatis libris circumferantur. Auctor monostichorum de Moribus in Catalectis Pithœi, 'Quamlibet ignavum facit indignatio fortem:' sic et ibi scribendum. *Heins. Dolor*] Indignatio: dolebant Lemniades viros Thraces servas adduxisse, quibus oblectarentur. *Ant.*

141 *Dic age*] Interrogat Jasona, quo vultu vidisset et se et filios suos, si iniquis ventis delatus fuisset ad littus Lemni. *Hub.*

143 *Fœtu comitatu gemello*] *Comitante* Puteaneus et alii nonnulli. *Heins.*

144 *Hiscere nonne tibi*] *Nempe* scripti fere omnes. *Idem. Hiscere nempe tibi*] Optasses, ut terræ hiatu absorbereris. Ultima imprecatio est, cum terram hiscere optamus. *Ant.*

146 *Perfide quo pretio*] Puteaneus, *Perfidiæ pretio qua nece dignus eras?* Optime; ut et parens meus, et Salmasius de Usuris Commentario restituerunt. Multus est passim in hac locutione Ovidius. Sic Epistola sequenti, 'Grande moræ pretium tuta futura via est.' Et alibi, 'Exul Hypermnestra pretium pietatis iniquum Quam mortem fratri depulit, ipsa tulit.' Amor. II. El. 1. Corinnam pretium carminis vocat, 'Ad vatem pretium carminis ipsa venit.' El. 8. 'Pro quibus officiis pretium mihi dulce repende Concubitus hodie, flava Cypassi, tuos.' De Jove Danaën adeunte, III. Eleg. 8. 'Corruptæ pretium virginis ipse fuit.' Eleg. 13. de capra, 'jaculis incessitur index, Et pretium auctori vulneris ipsa datur.' Ep. Leandri, 'pretium non vile laboris Jam dominæ vobis colla tenenda dabo.' Art. Amator. lib. I. 'Protinus officii pretium, patiente puella, Contingent oculis crura videnda tuis.' Propertius de Cleopatra, 'Conjugis obscœni pretium Romana poposcit Mœnia.' Sed modus exemplorum non esset. Sic Met. l. II. Fabula Batti, 'Juncta suo pretium dabitur tibi fœmina tauro:' ut in veteri codice scriptum offendi; vere: ubi plura. Sic eodem libro 'Cœlum stupri mercedem' vocat Fabula Calistus, 'Sideraque in cœlo, stupri mercede recepta, Pellite:' sic et ibi corrigendum monebimus ex membranis. *Heinsius. Qua nece*] Quasi dicat, crudelissima.

147 *Ipse quidem per me*] *Per te* Puteaneus. *Heins.*

149 *Pellicis*] Medeæ. *Sanguine*] Quia dilacerassem ejus vultus.

150 *Quosque*] Id est, et vultus, scilicet tuos. *Quos venefiiciis abstulit suis*] Id est, quos suis incantationibus cepit: et a me abegit. *Hub.*

151 *Medeæ Medea forem*] Contra Medeam Medeæ sævitia uterer. *Ant. Quod si quis ab alto Justus adest*] *Quod si quid adest* scripti plerique cum priscis editionibus; venuste et vere: nisi quod in Puteaneo, *quod si quod.* Tò *quid* eleganter redundat. Trist. III. El. 3. 'At tibi, qui transis, ne sit grave, si quid amasti, Dicere:' ita et ibi scribendum ex vestigiis veterum librorum. Trist. V. El. 1. 'Delicias si quis lascivaque carmina quærit, Præmoneo nunquam scripta quid ista legat:' sic et ibi corrigendum suspicor. Sic in Fastis, 'Pacando si quid ab hoste vacas.' Ammianus lib. XXII. 'si quid te læsum existimas, si quid annuis.' Panegyrici ad Pisonem auctor. et Virgil. 'Si quid pietas antiqua labores Respicit humanos.' Deinde *Justus ades* vel sine libris scribendum videtur: ut Jovem alloquatur. Causam mox videbimus. *Heinsius. Quod si quis*] Imprecatur Medeæ eadem quæ ipsa patitur, ut ita aliquando privetur marito, sicut ipsa privata est ab ea. *Quod si quis ab alto*] Virgil. Æneid. I. 'Di tibi, si qua pios respectant Numina, si quid Usquam Justitiæ est.'

153 *Lecti quoque succuba nostri*] Glossæ H. Steph. Παλλακή, *Concubina, suc-*

Digitized by Google

cuba, pellex. Tamen id vix Latinum. Quare Puteaneo et melioribus scriptis accedo, in quibus *subnuba. Subnuba,* ut *prenuba, innuba,* et similia. Prudentius tamen Hymno in Romanum martyrem de Phœbo Hyacinthum lugente, 'Mox flevit impuratus occisum gravi Disco, et dicavit florulentum succubam.' *Heinsius. Succuba*] Concubina, scil. Medea. Alii recte, *subnuba.*

154 *Leges sentiat ipse suas*] *Sanciat* scribendum censeo; atque ita liber Vossianus. 'Sancire leges' obvium apud veteres auctores. Lucanus: 'Romanas sancire volent hoc sanguine leges.' Livius lib. XXIII. 'Jam ego, inquit, sanguine Hannibalis sanciam Romanum fœdus.' Adeantur Jurisconsulti. Noster, Epistola Medeæ, ex eodem Vossiano, 'Flebit, et ardores sanciet usta meos.' *Heinsius. Leges suas*] Quia qui alii facit injuriam, dat quodammodo leges sibi quoque inferendi injuriam.

155 *Ut ego*] Optat, ut Medea jam facta mater de Jasone, post filios susceptos ita relinquatur a Jasone, ut ipsa relicta fuit.

156 *A totidem natis orba sit atque viro*] *Orba a natis* infrequens; usitatum *orba natis* aut *natorum.* Deinde *illa viro* Puteaneus et reliqui plerique. Lego, *Da totidem natis orba sit, orba viro. Dare* ex veteri formula. 'Di date,' et 'Di dent,' quorum pleni scriptores antiqui. Noster Met. XIII. qui locus vulgo pessime habitus. 'Laërtiadæque precaris Quæ meruit: quæ Di dent o non vana preceris.' Τὸ *orba* nimirum geminare librarius neglexerat, ut sæpe: qua de re supra. Alloquitur autem Jovem, quare *et adas* supra pro *adest* reponendum, ut jam diximus: nisi mavis, *A totidem natis orba sit, atque viro:* nam 'orba ab optimatibus concio' apud Ciceronem Oratione pro Flacco exstare nunc deprehendo. *Heins.*

157 *Pejusque relinquat*] *Pejusque relicta* unus Ambrosianus. Patavinus unus *paniique relinquat;* ut *paniique relicta Exulet* videatur corrigendum. Atque ita Jureti Excerpta pro se ferre postea agnovi. *Idem.*

159 *Fratri*] Absyrto, quem laniavit. *Parenti*] Æetæ, quem erat fatum interire cum raptum fuisset aureum vellus, et a Meleagro peremptus est.

160 *Natis*] Didymo et Thesandro. *Viro*] Jasoni, quem ad necem etiam impulit. *Ant.*

161 *Consumpserit*] Ubi se, malitiamque suam defatigarit, exhauserit. Ter. Andr. 'Si quid consilii habet, Consumat nunc:' et alibi: 'Deceptus sum, at non defatigatus;' tanquam quæ animum armatum gesserit, telaque omnia consumserit. Sic et Græci loqui amant. ὅσα εἶχον ἐκηβόλα ἐξανάλωσεν Halicar. lib. VIII. et Diod. Sicul. lib. III. ἀναλωθέντων δὲ τῶν ὀιστῶν. Et Sil. X. 'Consumsit clypeo tela.' *Aëra tentet*] Id est, volet per aëra, quod quidem Ovid. scribit fecisse Met. VII. *Aëra tentet*] 'Hinc Titaniacis ablata draconibus, arces Palladias intrat.' Metam. VII. 399. Et lib. Trist. III. El. 8. 'Nunc ego Medem vellem frenare dracones, Quos habuit fugiens arce, Corinthe, tua.' Et Senec. Med. in fine. 'Sic fugere soleo, patuit in cælum via. Squamosa gemini colla serpentis jugo Summissa præbent...Ego inter auras aliti curru vehor.' Et Cicer. lib. VII. ad Famil. Epist. 6. ex Eurip. Med. 215.

163 *Ego Thoantias*] Id est, Hypsipyle filia Thoantis.

Digitized by Google

EPIST. VII. DIDO ÆNEÆ.

Liber Regius et Excerpta Puteani cum codice Lovaniensi sequens distichon huic Epistolæ præfigunt. 'Accipe, Dardanide, morituræ carmen Elissæ: Quæ legis, a nobis ultima verba legis.' Cæterum *Elissa* non *Elisa* constanter Dido nominatur in veterrimis Virgilii, Silii, Ausonii, Claudiani, et nostri poëtæ codicibus; nec aliter apud Græcos: nam *Elissam* lingua Punica divinam viraginem sonare contendunt. Vide Etymologici auctorem in Διδώ· ubi alia proferuntur ad hanc rem: adi et virum summum Samuelem Bochartum in Phaleg. suo. *Heinsius.*

1 *Sic ubi*] Dicit Dido, se, appropinquante fine suæ vitæ, effundere flebiles voces ad Æneam: sicut cygnus vicinus morti, solet flebiliter cantare.

2 *Meandri*] Fluvii Lydiæ, juxta quem multi sunt cygni. *Concinit albus olor*] Huc facit, quod scriptum reliquit Cicero lib. I. Tusc. disputationum: 'Cygni, qui non sine causa Apollini dicati sunt, quod ab eo divinationem habere videantur, quia providentes quid in morte boni sit, cum cantu et voluptate moriuntur.' Videndus est Ælianus lib. I. de var. Historia, et Hyginus. *Cief.*

3 *Moveri*] Id est, flecti.

4 *Adverso movimus ista Deo*] *Novimus* Puteaneus cum aliis nonnullis. Basiliensis *vois*. Scribe *vovimus*: sed et *averso Deo* corrigendum; sic enim loquebantur: hoc est, non audiente. *Deis aversis* opponuntur *Dei præsentes*. Noster Trist. I. El. 3. 'Multaque in aversos effudit verba Penates, Pro deplorato non valitura viro:' ita legendum. Horatius, 'Placabit aversos Penates Farre pio et saliente mica.' 'Aversum Jovem precari' eidem Epod. X. Amor. III. El. 12. 'Aversis utinam tetigissem carmina Musis:' quomodo illic etiam veteres libri. Paulinus Epistola ad Ausoniam, 'Cum steriles fundas non ad divina precatus, Castalidis supplex averso numine Musis.' Lucanus lib. VI. 'Deserit averso possessam numine sedem, Cæsar:' sic membranæ. Hinc etiam illud Boëthii de morte, lib. I. Cons. Philosoph. 'Eheu, quam surda miseros avertitur aure!' *Heins. Averso*] 'Aversa Deæ mens.' Æn. II. Ἀνένευε δὲ Παλλὰς Ἀθήνη, Iliad. Z. 311. *Deo averso*] Id est, nobis irato, et non favente. *Ant.*

5 *Sed meriti famam*] Gottorphianus *meritam*. Unus Mediceus *merita*. Puteaneus *merite*. Scribe, *Sed merita et famam*. Merita vocat beneficia quæ in ingratum Ænean contulerat. Epistola Sapphus, 'Et forma et meritis tu mihi Phœbus eris:' ubi *et formæ meritis* similiter legebatur: qua elisione literarum sæpe peccatum. Sic infra hac epistola 'temperet usum' pro *tempore et usu*. Lib. I. Art. Am. 'communi noxia culpæ' pro *obnoxia*. Medicamine Faciei 'Addite de querulo,' pro *Adjice et e querulo*. Apud Propertium IV. El. 8. 'Atque ita mutato per singula pallia lecto Respondi, et toto solvimus arma toro:' cum reponendum videatur, *Et sponda et toto movimus arma toro*; nam *respondi* hic præter rem est, et jam paulo ante præcesserat. Idem innuit noster alibi, cum ait, 'Spondaque lasciva mobilitate tremat.' Plura vide sub finem notarum ad Epistolam tertiam Sabini hujus erroris exempla. *Heins. Famam*] Laudem. *Meriti*] Id est, beneficii mei in te collati. *Corpusque*] A te violatum.

Digitized by Google

7 *Certus es*] Id est, deliberatum est. *Certus ire*] 'Certus eundi.' Virg. IV.

8 *Ferent*] Auferent. *Fidem*] Quam mihi dedisti.

9 *Cum fœdere*] Scilicet, connubiali.

10 *Quæ ubi sint nescis*] Quia solum audita, non autem visa sunt tibi. *Hub.* *Itala regna sequi*] 'I, sequere Italiam ventis.' Virgil. IV.

11 *Nec te crescentia tangunt Mœnia*] Sic Virg. lib. I. Æneidos, unde locus hic expressus est, item de Carthagine ait: 'O fortunati, quorum jam mœnia surgunt.' *Cioſ.* Virgil. Æneid. I. 'Surgentemque novæ Carthaginis arcem.' *Hub.*

12 *Nec sceptro tradita summa tuo*] *Sceptrum* Puteaneus a manu prima. Scribo, *Nec sceptri tradita summa mei.* Met. XIII. 'Hunc tamen utilitas populi fraterque, datique Summa movet sceptri.' *Heins.* *Tradita*] Commissa. *Sceptro tuo*] Tuæ potestati. *Hub.* *Summa*] Quicquid erat potestatis.

13 *Facta*] Conditam Carthaginem. *Facienda*] Eam urbem intelligit, quam in Italia se conditurum Æneas fato prædicabat. *Ant.* *Quærenda*] Ordo est, Altera terra, scilicet Italica, est quærenda.

14 *Altera*] Scil. hæc, quam tibi dedi.

15 *Ut*] Id est, quamvis. *Habendam*] Possidendam et habitandam. *Habendam*] Sic de conjugalibus. Virg. III. 'Me famulam, famuloque Heleno transmisit habendam.' Et Ter. 'Nec se posse eam habere domi.' *Quis*] Quasi dicat, Nullus. *Hub.*

17 *Alter amor*] Quem fortasse nunquam invenies.

18 *Quaque iterum fallas*] Recte scripti *Quamque:* fallere fidem; nihil magis obvium apud bonos auctores. *Heins.*

19 *Quando erit*] Quasi dicat, Nunquam, aut tardissime.

21 *Omnia si veniant*] *Ut veniant* quidam ex melioribus, etiam Puteaneus a manu prima. *Heins.*

22 *Uxor*] Hoc ob Laviniam dixit, quæ Turno erat pacta. *Ant.*

23 *Tædæ*] Species arborum, quæ ex se liquorem emittunt. Sunt autem, ut dicit Plinius, flammis luminibusque sacrorum gratæ.

24 *Ut pia fumosis*] Hunc et sequentem versum a vulgatis libris exulantes adjeci ex auctoritate optimarum membranarum; et sunt elegantes, nec Ovidio indigni. Invenerat etiam eos in suis codicibus Andreas Schottus, ut Observationes ejus testantur. Mycillus eosdem quoque agnoscit. *Heins.*

26 *Æneamque animo*] *Æneam animo* meliores: et sic Græco more etiam infra ac passim alibi in optimis libris scribitur. *Idem.* *Refert*] Repræsentat. Virgilius, 'Illum absens absentem auditque videtque.' *Hub.*

27 *Surdus*] Quoniam commemoratione beneficiorum non movetur. *Ant.* *Ille*] Æneas.

28 *Sim stulta*] Quia stultus est, qui eo non vult carere, cui intelligit sua beneficia non esse grata, nec se ab eo amari. *Hub.*

29 *Non tamen Æneam*] Vitia insectatur, non hominem: perfidiam, inquit, odio prosequor, non Æneam. *Male cogitet*] *Cogitat* meliores: et *Æneam* etiam hic. *Heins.* *Male cogitat*] 'Rustici homines minime sunt male cogitantes: qui etsi allium redolent et cepam, optime tamen sunt animati.' Cato de R. R.

30 *Questaque pejus amo*] Querimonia amoris auget æstum. *Ant.*

31 *Nurus*] Id est, mihi, quæ sum nurus tua: nam sum uxor Æneæ filii tui.

32 *Frater*] Scilicet Æneæ; nam ambo estis filii Veneris. *Militet*] Versetur: ut inquit Ovidius, 'Militat omnis amans, et habet sua castra Cupido.'

33 *Aut ego quæ cœpi*] *Quem cœpi* meliores. *Heins.* *Aut ego*] Scilicet militem in tuis castris: quem cœpi amare, ex quo eum vidi, et audivi loquentem. *Hub.*

Digitized by Google

34 *Ille*] Æneas. *Materiam*] Fomentum, nutrimentum: id est, respondeat meo amori: nam cura amorem significat. *Curæ*] Pro amore: Æneid. I. 'puer mea maxima cura.' 'Omnis in Ascanio cari stat cura parentis:' et alibi; sic Ter. Adelph. D. 'Curæ est mihi.' M. 'et mihi curæ est.' Γλυκεῖα φροντίς. Eurip. Med.

35 *Faller*] Id est, Frustra hic cogito et peto, ut meo amori respondeat. *Jactatur*] Ostentatur ab eo. *Et ipsa mihi falso jactatur imago*] *Ista imago* Puteaneus et alii ex castigatioribus; placet: *falsa* quoque idem Puteaneus. Forte, *mihi falsa*. Heins.

36 *Ingenio*] Natura: quia Venus est mollis et placabilis, Æneas vero durus et inexorabilis.

37 *Te lapis*] Hæc supra dicta dixit tanquam de tertia persona: nunc convertit sermonem ad ipsum Æneam, arguens ipsum nimiæ duritiæ. Est autem tota hæc Virgiliana imitatio Æneid. IV.

38 *Robora*] Arbores. *Robora*] Sic Cic. 4. Acad. Quæst. 'non enim est e saxo sculptus, aut e robore dolatus.' Et Hom. Οὐδ' ἀπὸ δρυὸς, οὐδ' ἀπὸ πέτρης. Et Virgil. 'Genisque virum truncis et duro robore nata, Queis neque mos, neque cultus erat.' Vide Tzetz. Chiliad. IX. Histor. 286. περὶ τοῦ, οὐ γὰρ ἀπὸ δρυὸς εἶ σὺ, &c. *Sævæ feræ*] Ut tigres, aut ursæ, aut leænæ.

39 *Aut mare*] Scil. genuit te.

40 *Quo tamen adversis fluctibus ire paras*] Malim *Qua tamen* cum Scriveriano, vel etiam *Quod tamen* cum Strozzæ codice, quia sequitur 'Quo fugis?' qui durus est concursus. *Ire maria* obvium. Ep. Herus, 'Hellespontiacam iturus aquam' ex antiquis libris. Art. Am. II. ex antiquis exemplaribus, 'Restat iter cœli, cœlum tentabimus ire.' Amor. II. El. 11. 'Fallacesque vias ire Corinna parat,' de mari. Epistola Ariadnes, 'Ibis Cecropios portus.' *Ire iter*; vide Notas ad Ep. XVIII. *Heins.*

41 *Quo fugis*] Contumeliose dixit *fugis*. *Hyemis mihi gratia prosit*] Id est, Si tu tua sponte non vis mihi hoc munus præstare, differas fugam tuam: saltem facias hoc necessitate tempestatis.

43 *Quod tibi malueram*] *Maluerim* Argentinensis et quinque alii, rectius. *Heins.*

44 *Justior animo tuo*] Quia vult reddere gratiam mihi bene merenti, cum vult te apud me retinere: tu autem, qui accepisti beneficium, non vis reddere gratiam.

45 *Non ego sum*] Ordo est: O inique, non sum tanti, ut pereas, id est, perire velis, dum fugis me per longa freta. *Quamvis mereearis, inique*] Mirum hic in modum variant libri veteres. Diversas lectiones subjiciam, ut alienæ quoque conjecturæ sit locus. Puteaneus *quid non terreris*; et emendatum *quod*: ut forte corrigendum sit, *quo non terreris*; vel, *quod non tu reris*. At Puteani et Jureti excerptæ, *quod non censeris*, cum quatuor aliis: duo, *quo non cessaris*. Octo alii, *quod non mediteris*; septem *meditaris*: quatuor *quamvis mediteris*; totidem alii *quod tu meditaris*. Scriverianus *quamvis dimittis*, vel *miraris*: alius, *quod tu non credis*. Itaque scribendum videbatur, *quicquid tu reris*, vel *quanti tu reris*. Vel *quamvis id reris*, vel denique, *quanti me reris*. Nisi propius insistendo vestigiis vetustiorum codicum refingi malis, *quamvis censeris*, vel, *quanti censeris*. Ut *censeri* dixerit, quomodo Cicero pro Flacco, 'Census es mancipia Amyntæ.' *Censeri* enim pro æstimare veteres ævo optimo videntur dixisse: ita noster in Ponticis, lib. I. El. 3. 'Est inter comites Marcia censa suas.' Fast. lib. V. 'His sata Majestas, hos est Dea censa parentes:' ut quidam vetustissimi codices illic agnoscunt. Certe Hafniensis liber expresse præferebat, *quantus censeris*. Noster Trist. IV. El. 5. 'Cujus eram censu non me

Digitized by Google

censuras egentem;' quomodo restituendum puto. De eo verbo vide doctissimum et accuratissimum Gronovium in Observationibus, quæ unice huc faciunt. *Heinsius.*

47 *Exerces*] Sensus est: Si habes me odio, et propter hoc parvifacis objicere te morti; hæc tua odia sunt nimis magni precii, et nimis chara. *Constantia magno*] Quia constant tibi vita, quæ res est magna.

48 *Si dum me fugias*] *Me careas* præstantiores: 'fugis' paulo ante præcesserat. *Heinsius. Si est tibi vile*] Id est, Si parvi facis.

49 *Jam venti*] Dicit cito cessaturam tempestatem, indeque eum tutius navigaturum. *Ponent*] Id est, quiescent. *Venti ponent*] Sic Æneid. VII. 'Tum venti posuere, omnisque repente resedit Flatus:' ubi dissimulatur accus. c. Freta vel fluctus. Ovidio sic contra ferre, flare significat: 'fieret vento mora ne qua ferenti.' *Strataque*] Id est, multum quieta.

50 *Triton*] Deus maris, Neptuni ex Salacia Dea maris filius, et ejusdem tubicen. Ovid. Metam. I. *Curret*] Celeri curru ibit per mare. *Cæruleis equis*] Id est, delphinibus junctis ad currum in loco equorum.

52 *Eris*] Scilicet mutabilis. *Nisi vincis*] Id est, nisi es durior roboribus. *Robora*] Species arboris est.

53 *Quid? si nescires*] *Nescieris* tres libri; bene; ultima producta: ut Art. Am. I. 'Et quæ nescieris, ut bene nota refer.' Met. X. 'Forsitan audieris aliquam certamine cursus Veloces superasse viros.' Similiter in *dederis, tuleris*, alibi produxit ultimam. Eodem Artis Amatoriæ libro, 'Aut non tentaris, aut perfice:' quod etiam librarii interpolarant. Remedio Amoris, 'Quid, quod, ut abfueris, avidus sitiensque redibis?' quomodo et illic meliores libri. Pont. lib. I. El. 9. 'Nec tu crediderís urbanæ commoda vitæ Quærere Nasonem.' Seneca Thyeste, 'Nec quod nefandas hauseris angit dapes, Quod non pararis:' ita veterrimus codex; vulgati *tangit*. Trist. IV. El. ult. 'Quem legis, ut noris, accipe posteritas.' Art. I. 'Ut puto non poteris ipsa referre vicem.' Fast. I. 'Hanc simul ut noris officiumque meum.' Lib. II. 'Qua positus fueris in statione mane.' Et 'Hæc ubi præstiteris, ut tandem littora tangas.' Epistola Ariadnes, cum optimis codicibus, 'Cum steteris arbis celsus in arce tuæ.' Amorum lib. I. El. 4. 'Quæ tu reddideris, ego primus pocula sumam: Et qua tu biberis, hac ego parte bibam.' Eleg. 8. 'Cum multa abstuleris, at non tamen omnia donet:' et ibidem, 'Hæc ubi præstiteris, usu mihi cognita longo.' Similiter in *tentaritis, dederitis, præstiteritis, abfueritis, steteritis, reddideritis, abstuleritis*, tertiam aut quartam syllabam interdum producebant. Noster Met. lib. VI. 'vitam dederitis in undis.' Ponticorum lib. IV. El. 5. 'Consulis ut limen contigeritis, erit.' Ibid. 'Cum maris Ionii transieritis aquas.' Sic *oderimus*, et *erimus*, tertia et secunda producta apud Paulinum carmine Sapphico ad Nicetam, 'Et quia spes jam rapitur tenendi, Urget adfectus, placitis favere, Jam vias illas licet oderimus, Quæ rapiunt te.' Et postea eodem carmine, 'Quaque contendes, comites erimus Ætheria arce:' ita utroque loco veterrimus codex Vossianus Longobardicis literis exaratus. Priori *execremur*, posteriori, *comites feremur mente sequaci* in vulgatis substituerant. Atque hæc ad hunc locum. *Possint* etiam pro *possent* meliores libri. *Heinsius.*

54 *Tam male*] Id est, tam cum periculo tuo.

55 *Ut*] Id est, quamvis. *Pelago suadente etiam*] Id est, etiam mari tranquillo: quia tunc videtur suadere nobis navigationem.

57 *Nec prodest*] Id est, nocet. *Tentantibus*] Ingredientibus: Virg. 'Tentanda fuga canit æquora Calchas.'

Digitized by Google

59 *Quia mater Amorum*] *Amoris* concinnius libri quatuor. *Heinsius.*

60 *Edita*] Scilicet, genita. *Cytheriacis aquis*] Hoc secundum fabulam dixit, quam Servius in Æneid. v. refert. Inde et Virg. lib. supradicto: 'Fas omne est, Cytherea, tuis te fidere regnis, Unde genus ducis.' *Hub.*

61 *Perdita ne perdam timeo*] Ἀέκων a voluntate. Nollem, inquit, etsi Æneas me fugit, ut mea causa periret. *Ant.*

63 *Vive, precor*] Conciliat sibi Æneam, optans ei vitam. *Sic*] Scilicet vivendo. *Quam funere*] Quam morte: id est, melius est, quod caream te vivo, quam mortuo.

64 *Causa ferere*] *Ferare* Junianus et Douzæ codex; ut sit optantis. Mox pro *rapidâ*, Argentinensis et unus Patavinus *trepido*, ut ad omen referatur. *Heinsius.* *Ferare*] Id est, dicare; potius scil. quam ego dicar esse causa tua mortis.

65 *Finge*] Artificiose ei commemorat recordationem conscientiæ in magnis periculis. *Finge*] Animo tuo cogita.

66 *Deprendi*] Usus est verbo nautico: nam navigantes deprehendi dicuntur. *Deprendi*] Occupari, opprimi, præverti: sic Virgil. 'Argolicove mari deprensus.'

67 *Protinus occurrunt*] *Occurrent* scripti omnes. *Heinsius.* *Occurrent*] Venient in mentem.

68 *Et Phrygia Dido*] Dido coacta mori fraude Phrygia, id est, fraude tua; nam Æneas Phrygius est. *Hub.* *Et Phrygia Dido fraude coacta mori*] Fabulosum et plane falsum est Didonem ab Ænea adamatam fuisse, cum certum atque exploratum sit Æneam ante urbis Romæ primordium anno 400. eoque amplius in Italiam venisse. Carthago autem ante Romam annis 72. vel, ut aliis placet, 97. condita est. Unde probabiliter colligitur Didonem ab Æneæ nec amari, nec videri potuisse. *Cief.* *Coacta mori*] Hinc Buchan. Epigr. lib. II. 'Casta, decens, generosa animi, Phœnissa peregi Fœmina, magnanimis vix imitanda viris. At, tu, sacratam, Maro, labe adspergere famam Conaris,' famæ non sine labe tuæ.'

70 *Sanguinolenta*] Utpote quæ tui causa se interfecerit.

71 *Quicquid id est, totum merui*] Puteaneus *Quid tanti est? tutum:* et emendatum postea, *totum;* quomodo et septem alii. Jureti Excerpta, *Quid tamen est totum.* Latet mendum. *Dicas* etiam pro *dices* Puteaneus, et quatuor alii, quod sequens versus requirit; et *cadent* Hafniensis; *cadunt* duo alii. *Heinsius.* *Totum metum*] Id est, jure patior.

73 *Da breve*] Præscribit modum petitionis suæ. Dicit enim, se non petere ut Æneas perpetuo maneat, sed tantum differat, donec ira ipsius Æneæ et pelagi aliquantulum fuerit remissa. *Breve spatium*] Æneid. IV. 'Quo ruit? extremum hoc miseræ det munus amanti: Exspectet facilemque fugam, ventosque ferentes. Tempus inane peto; requiem, spatiumque furori.'

74 *Grande mora*] Sensus est, Hæc mora erit utilis, quia postea habebis navigationem tutam. *Via*] Navigatio.

75 *Nec mihi tu parcas*] *Tu curæ* Puteaneus et alii nonnulli ex potioribus. Codices Andreæ Schotti in Observationibus *Nec mihi parcatur;* non invenuste: quomodo et tres ex nostris. *Heins.*

76 *Titulum*] Nomen et famam.

77 *Quid meruere*] Scilicet, ut submersionis periculo a te objiciantur. *Dii Penates*] Quos tecum, ut dicis, portas.

78 *Ignibus*] Incendiis Trojanis.

81 *Nec incipit a nobis*] Quia jam est assueta fallere alios.

83 *Si quæras*] Probat quod alias deceperit. *Mater*] Creusa.

Digitized by Google

85 *Hæc mihi narrabas*] *Narrarus* meliores. *Hoc* etiam: quod non placet; ut nec *novere* pro *movere*. Sequenti versu, Puteaneus, pro *Illa*, habet *Ure*. *Ure: minor culpa pœna futura mea est:* ut Creusam igne absumtam illi oblique exprobret. Mezeriacus in Gallico ad has Epistolas commentario Puteaneum codicem minus diligenter visus est consuluisse. Septem libri *Inde minor;* duo, *Unde;* unus *Atque;* alius *Ipsa*. Videtur aliud quid latere. *Heinsius*. *Hæc*] Scil. Creusam esse relictam. *At me movere*] Alii *novere:* alii *movere* legendum putant, quasi dicat, Narrabas mihi, Creusam a te relictam: sed ego non solum fui tibi uxor, sicut ipsa, sed ego tibi præstiti beneficia, unde majorem pœnam es daturus, quod me deceperis et dereliqueris, quam quod illam reliqueris. *Merentem*] Id est, præstantem tibi beneficia.

86 *Illa pœna*] Quam tu dabis, et patieris propter Creusam relictam.

87 *Quin te tua numina damnent*] *Munera* multi ex scriptis. Puteaneus, *Quin te te munera damnant;* quod non assequor. De Diis certe Æneæ comitibus jam supra egerat. *Heins.*

89 *Tuta statione*] Portum Carthaginensem intelligit. *Ant.*

91 *His officiis*] Scilicet quod te hospitio excepi, et regna dedi.

92 *Fama*] Quæ jam sparsa et vulgata est, me tecum concubuisse.

93 *Illa dies*] Commemorat tempus, quo primum se cum Ænea commiscuit. *Nocuit*] Virgil. 'Ille dies primus leti, primusque malorum Causa fuit.' *Declive*] Id est, in speluncam.

94 *Cæruleus*] Obscurus. *Cæruleus*] Æn. III. 'Mihi cæruleus supra caput adstitit imber:' quem nigrantem dicit, Lib. IV. 'His ego nigrantem commista grandine nimbum Desuper infundam.' Sic et 'cæruleæ naves:' quæ Homero 'nigræ' dicuntur.

95 *Audieram voces*] *Vocem* meliores. *Heins. Audieram voces*] Id est, clamorem. *Nymphas ululasse putavi*] Virgil. 'Summoque ulularunt vertice Nymphæ.'

96 *Eumenides*] Quasi dicat, Non fuerunt Nymphæ, sed Furiæ, quæ signa dederunt. *Fatis meis*] Id est, infelicitati.

97 *Exige*] Non ad Sichæum, ut quidam male existimant, sed ad pudorem a se violatum, sermonem convertit. *Pudor*] Virgil. 'Ante, pudor, quam te violem, aut tua jura resolvam.' *Violate Sichæo*] *Sichæu* veteres omnes: quod notandum. *Heins.*

98 *Ad quem, me miseram*] *Ad quas* scripti, ut de pœnis agat; bene. *Heins.*

99 *Est mihi*] Dicit Dido se vocatam fuisse noctu a simulachro mariti, quod in domo colebat summa veneratione. *Sichæus*] Virgil. IV. 'Præterea fuit in tectis de marmore templum Conjugis antiqui, miro quod honore colebat, Velleribus niveis et festa fronde revinctum.'

100 *Oppositæ frondes*] *Appositæ* quatuor libri; et placet. Sic 'apposita humus' superiori Epistola 26. ex membranis. Art. Am. lib. III. ex iisdem, 'Surgit et appositas agitato corpore frondes Movit.' Noster Fast. III. 'Nymphas Hanc frondem cunis apposuisse ferunt:' ita scripti. Fast. IV. 'Sensit et apposita texit sua corpora myrto;' quomodo meliores lib. Trist. III. El. 1. 'Cur tamen apposita velatur janua lauro:' quod et ibi codices emendatiores agnoscunt. Sic *apposita foliorum* quoque legendum puto apud Ausonium Perioch. Odyss. VI. Fast. VI. 'crescebat imagine luctus: Donec eam appositis occuluere togis.' Sic scribendum opinor, non *positis*. Epistola Œnones, 'Non sic appositis vincitur vitibus ulmus.' Plura Epistola Deianiræ, vs. 60. et Amor. III. El. 6. *Heins. Vellera*] Lanæ. *Tegunt*] Ornant.

101 *Hinc*] Ex illa æde. *Noto ore*]

Digitized by Google

Id est, notis verbis. Virg. 'Hinc exaudiri voces, et verba vocantis Visa viri, &c.'

102 *Elisa*] Hoc enim fuit prius nomen Didonis: nam postquam Carthaginem condidit, Dido appellata est: quod nomen lingua Punica significat viraginem.

103 *Nulla mora*] Dicit se paratam mori, ut sit cum Sichæo: quod etiam libentius et celerius faceret, nisi pudicitiam amisisset. *Hub.*

104 *Admissi*] Impudicitiæ criminis. *Ant.*

105 *Da veniam*] Ad Sichæum loquitur. *Idoneus*] Cui credendum quisque putaret.

107 *Diva parens*] Enumerat ea quæ fecerunt fidem. *Diva*] Non mortalis. *Pia sarcina*] Pium onus: id est, pater, quem humeris suis se gestasse dicebat.

108 *Spem*] Neque videbatur, qui talia fecisset, posse quenquam decipere.

109 *Si fuit errandum*] Quasi dicat, Si ob ullam rem debui non servare quod Sichæo promiseram, in hoc erravi. *Honestas*] Probabiles.

110 *Adde fidem*] Quam dedit mihi; id est, adde, quod mihi juravit. *Adde fidem*] Si datam fidem servet. *Nulla parte pigendus erit*] *Pigendus amor*, quatuor scripti: vide notas Epistola v. 44. *Heinsius.*

111 *Durat*] Dicit se esse infœlicem usque ad ultimam vitæ spiritum, et enumerat seriem suarum infœlicitatum. *Novissima*] Ultima: id est, usque ad mortem.

112 *Fati tenor*] Ordo, et continuatio. 'Illuxisse dies, allumve habuisse tenorem Crediderim.' Virgil. II. Georgic. Et Ovid. 'Inceptum peragit fortuna tenorem.'

113 *Occidit internas conjux mactatus ad aras*] *In terras* Puteaneus cum aliis plerisque: quinque libri *ad terras*: quatuor *in terris*: duo *in terra*: *externas* totidem. Mycillus *Herculeus* reponit. Forte rescribendum *Herceas ad aras*. Ara enim in interiori parte ædium dedicabatur Jovi Herceo. Talis illa, ad quam a Neoptolemo interfectus est Priamus. Noster in Ibide de Priamo, 'Cui nihil Herceï profuit ara Jovis:' atque ita passim, cum extrema Priami describunt auctores. Hesychius, Ἕρκειον κύκλος αὐλῆς, οἰκία, τειχίδιον, στεφανὴ δόματος. Idem, Ἕρκειον Διός, τοῦ ἀσφαλίου ἢ τοῦ κατὰ τὴν οἰκίαν. ἔστι δὲ ἑρκεῖος ζεὺς παρὰ Ἀθηναίοις. Vide et Harpocrationem in eadem voce, et Suidam et Etymologici auctorem, et Eustathium in Iliada atque Odysseam. Unde liquet Latine sine diphthongo id nomen scribendum. Lucanus lib. IX. de Cæsare Troadem transeunte, 'Herceas, monstrator ait, non respicis aras!' ubi pari modo quo Ovidius, 'Herceas aras' dixit pro aris Hercei Jovis Festus: 'Herceus Jupiter intra conseptum domus cujusque colebatur, quem et Deum penetralem appellabant.' Servius in Æn. II. 'Singula domus sacrata sunt Diis, ut culina Diis Penatibus; maceries, quæ ambit domum, Herceo Jovi.' *Heinsius. Occidit*] Incipit enumerare infortunia, inter quæ primum ponit mortem mariti sui Sichæi, quem miro amore dilexit. *Occidit*] Periit. *Mactatus*] Tanquam victima interfectus. *Internas ad aras*] Id est, ante Deos penates. Virg. vide Æn. IV.

114 *Frater*] Scilicet meus, quod magis est dolendum. *Præmia*] Nomen et titulum.

115 *Exul agor*] Narratio est reliquarum infœlicitatum. Expellor a patria. Nam crudelitas fratris coëgit eam fugere, suadente Sichæi imagine, quæ Didoni noctu apparuit, et omne facinus Pygmalionis enarravit.

116 *Et feror*] Amplificatio infœlicitatis: dicit enim se non habuisse locum certum, quo iret, neque etiam tuto navigasse. *Hoste sequente*] Id est, fratre Pygmalione. *In duras*

Digitized by Google

hoste sequente vias] *In dubias vias*, Basileensis: sic sæpe alibi, ut et *fallaces vias*, quoties de mari agitur. *Heinsius.*

117 *Applicor ignotis*] Puto Ovidium scripsisse, *Applicor his oris:* ut apud Virgilium, 'Quæ vis immanibus applicat oris?' *Heinsius.* *Elapsa*] Clam et cum difficultate erepta.

118 *Emo*] Sic legendum est in præsenti tempore, sicut et supradicta verba: quod etiam ratio carminis exigit. *Hub.*

120 *Invidiosa*] Quæ sua magnitudine vicinis moverent invidiam.

121 *Bella tument*] Hyarbas, quoniam contemnebatur ejus conjugium, bellum Carthaginensibus minabatur: ut author est Trogus. *Virg.* 'Quid bella Tyro surgentia dicam?' *Ant.*

123 *Qui in me coiere querentes*] Alii codices *me cupiere* vel *petiere:* sed vera lectio est vulgata, si τὸ *in* tollas ex auctoritate optimorum exemplarium. Refer autem *me* ad *querentes* non ad *coire*. *Coire* pro convenire. Met. VIII. 'Lecta manus juvenum coiere cupidine laudis:' ut et illic scribendum. lib. XIV. 'Coëunt, et saxa trabesque Conjiciunt.' Virgil. Æneid. VII. 'Undique collecti coëunt, Martemque fatigant.' Fast. IV. 'Mille manus coëunt.' *Heinsius.* *Coiere querentes*] Conspirarunt in me non sine querela, quoniam tua caussa contempti sunt.

124 *Nescio quem*] Cum Æneam significet, ignorantiam fingit, ut deteriora melioribus præposuisse videatur. *Ant.*

125 *Quid dubitas*] Pietatem in Ænea deprimit: cum præsentibus periculis non modo bene meritam non eripiat, sed in illa conjiciat. *Ant.* *Gætulo*] qui imperat Gætuliæ, quæ est pars Africæ.

126 *Præbuerim*] Pro præbebo. *Sceleri tuo.*] Ecce hoc verbo magis prohibet, quod videtur concedere. *Hubert.* *Brachia nostra*] Translatio est ab iis, qui duello superati, vinciendæ præbent membra.

127 *Est etiam frater*] Pygmalion, inquit, paratus est ad exitium meum. *Ant.* *Cujus manus impia poscit*] *Possit* constanter libri veteres, quos sequor. *Heinsius.*

128 *Sparsa*] Fœdata. *Viri*] Mariti mei Sichæi, quem interfecit.

129 *Profanas*] Quia ab impiorum manibus Dei tangi indignantur.

131 *Si tu*] Sensus est, Dei nollent se esse liberatos ab incendio Trojano. *Si tu*] Scilicet sceleratus et impius. *Igne*] Quia mallent se esse combustos, quam habere talem cultorem.

135 *Miserabilis*] Qui nulla culpa sua morietur.

136 *Et nondum nati funeris*] Scribe *nato;* ut ambiguitas vitetur. *Heinsius.*

137 *Frater Iuli*] Qui erit ex te genitus, sicut Iulus. *Cum parente sua*] Id est, mecum, quæ sum mater ejus.

138 *Pœna una*] Id est, una mors. *Connexos*] Conjunctos, matrem scil. et filium.

139 *Sed jubet*] Objectio, quam posset facere Æneas. *Deus*] Mercurius. Vel certe Apollinem intelligit, cujus jussu petebat Italiam: ut ipse apud Virg. lib. IV. 'Sed nunc Italiam magnam Grinæus Apollo, Italiam Lyciæ jussere capessere sortes.'

141 *Hoc duce*] Nempe Deo. Ironiam perficit. Si is esset Deus, inquit, quem sequeris, non septem annis per summas procellas vexatus Italiam quæreres. *Ant.*

143 *Tanto labore*] Quanto petis arva aliena.

145 *Non patrium Simoënta petis, sed Tibridis undas*] Argentinensis liber *bibis:* quomodo et Gronovianus pro diversa lectione. Scribe *bibes.* Epistola Med. 'Grajaque Phasiacam turba bibistis aquam.' Art. Amand. 'Sed neque Caucasea doceo de rupe puellas, Quæque bibant undas, Myse Calce, tuas.' Virgilius, 'Aut Ararim Parthus bibet; aut Germania Tigrim.' Et alibi, 'Qui Tiberim Fabarimque bibunt.' Claudianus, 'Patri-

Digitized by Google

amque bibens Mæotin Alanus.' Exempla propemodum infinita ex Græcis Latinisque poëtis possent proferri, si liberet in re protrita morari. Hoc primum. Deinde optimus Puteaneus *Tybridas undas;* egregie: sic 'Cephisidas undas' noster dixit libro primo Met. et Lucanus lib. III. *Mæotidas undas*, ex veteri codice, 'Quaque fretum torrens Mæotidas egerit undas:' et 'Garamantidas undas' l. IX. idem. *Heins.*

146 *Ut*] Id est, quamvis. *Quo cupis*] Scilicet, ad Italiam. *Hospes*] Novus, et advena.

147 *Utque latet, refugitque tuas*] *Vitatque tuas* Puteaneus et alii quidam: sic Virgilio, 'Italiam sequimur fugientem.' *Abstruso* etiam meliores. Alii aliter, eodem tamen omnes sensu hunc versum libri exhibent. *Heinsius.*

148 *Seni*] Vix senex in Italiam venies. *Ant.*

149 *Hos populos potius in dotem ambage remota*] *Potius populos* cum quibusdam lege, ut versui consulatur. *Ambage remissa* deinde meliores. Et *Pygmalionos* sequenti versu Puteaneus: sic 'incœptum opus remittere,' et 'remittere incœpta fila,' Noster alibi; de quo diximus ad lib. II. Art. Am. vs. 79. Sic Fast. II. 'sed verum ambage remota Abdidit, et dubio terruit ore virum:' ubi vetus liber *remissa* similiter. Pro *advectas opes* libri multi *adductas;* prima editio *aductas.* Scribo *avectas opes.* Heins. *Hos*] Meos. *Remissa*] Omissa. *Ambage*] Circuitu.

150 *Pygmalionis opes*] Quas Pygmalion cupiebat et sperabat.

151 *Ilion in Tyriam*] Sic Virgil. I. 'Ilium in Italiam portans.' *In Tyriam urbem*] Id est, in Carthaginem, quam Tyriam a conditoribus appellavit. *Ilion*] Id est, res Ilienses, et esto hujus loci rex.

152 *Inque loco regis sceptra sacrata tque*] In Puteaneo totus hic versus erat erasus, sed sic ut liqueret scriptum fuisse *sceptraque sacra;* quod et in aliis plurimis extat. Reliqua a me legi non potuerunt. At Salmasius monet a manu prima fuisse *Nomine coregis.* Unde is faciebat *Nomine cum regis.* Forte *Nomine et hanc regis.* Leidensis *hancque loco.* Barberin. et Voss. *Inque locum.* Heinsius. *Sacra*] Venerabilia: quia omnes reges erant sacri.

155 *Quem superet*] *Quod superest* Puteaneus et alii ex melioribus. Forte *Quos superet hostes.* Heinsius. *Nequid desit*] Id est, ut omnia habeas, scilicet, regnum, et etiam opportunitatem victoriarum et triumphorum.

156 *Hic pacis*] Id est, et paci et bello convenit. *Hic locus*] Noster.

157 *Tu modo per patrem*] Imo *matrem* cum novem scriptis. De patre mox aget. Erfurtanus *per Venerem.* Heinsius. *Fraterna tela*] Cupidinis, quem Æneæ fratrem diximus.

160 *Damni sit modus ille tui*] *Damnis tuis* Erfurtanus et alter Lovaniensis; rectius. *Heinsius. Damni tui*] Id est, ultra illud bellum nullum unquam patiaris damnum.

161 *Suos annos*] Natura vel fato sibi deditos.

162 *Molliter*] Talia enim mortuis precari solebant. *Cubent*] Id est, quiescant.

163 *Domui*] Scilicet meæ. *Habendam*] Possidendam.

165 *Non ego sum Phthia*] *Phthias* Puteaneus cum emendatioribus novem aut decem aliis; vere: fœmina Phthias et Phthiotis. Euripides Andromacha choro primo, nam apud alios vix occurrit: *Φθιὰς ὅμως ἤμολον ποτὶ σὰν Ασιήτιδα Γόναν. Ad te Phthias ego quamvis Asiatida veni.* Heinsius. *Non ego*] Dicit se non fuisse hostem Trojani nominis, nec natam in locis hostilibus. *Phthia*] Urbe Thessaliæ, unde Achilles dicitur. Virg. Æn. I. 'Cum domus Assaraci Phthiam clarasque Mycenas Servitio premet.'

166 *Nec steterant in te*] *Steterunt*

Digitized by Google

Puteaneus et Leidensis; recte. Virgil. 'Obstupui, steteruntque comæ.' Sic *Quæsierunt* Epistola Œnones ex veteri libro; et *Vagierunt* in Fastis: sic apud Statium Theb. III. 302. *Exciderunt*. Theb. v. 274. *Absciderunt* XII. 167. *Horruerunt*. Epist. Medeæ ex veteri libro, 'Nostin? an exciderunt mecum loca?' Epistola Hypermnestræ 72. *Expulerunt:* Ep. Acontii. 242. et Art. Am. III. 405. *fuerunt;* et 188. *Exciderunt: Mollierunt* Amor. II. El. 1. *Terruerunt* Lib. III. El. 5. *Profuerunt* Remed. 263. *Præbuerunt* Ep. II. 142. *Contigerunt* Fast. I. 592. *Vagierunt* Fast. II. 505. *Horruerunt* Fast. II. 502. *Annuerunt* Fast. II. 497. *Audierunt* Fast. III. 65. *Finierunt* Fast. III. 231. *Polluerunt* Fast. III. quæ loca in vulgatis libris sunt depravata. Plura alibi dicemus. *Heinsius.*

167 *Si pudet uxoris*] Id est, Si pudet te habere me nomine uxoris. *Hospita dicar.*] 'Cui me moribundam deseris, hospes? Hoc solum nomen quoniam de conjuge restat: Non jam conjugium antiquum, quod prodidit, oro.'

168 *Quidlibet esse feret*] *Quodlibet* Puteaneus et alii meliores. Propertius tamen, 'Si cuivis nuptæ quidlibet esse licet:' sed et ibi forte scribendum *quod libet*. Heinsius.

169 *Nota mihi*] Arguit a natura maris Libyci, non esse nunc navigandum, sed differendum. *Afrum frangentia littus*] Alii *tangentia*. Puto scribendum *plangentia*. Epistola Herus, 'Me miseram! quanto planguntur littora fluctu!' ubi etiam *franguntur* in veteri libro male. Fluctus enim a littore frangi potius poëtis dicuntur, quam littus a fluctibus: quomodo 'fluctifragum littus' Lucretio: 'fluctus plangentes saxa' apud eundem libro II. *Heinsius.*

173 *Manda*] Committe, et da hoc negotium.

174 *Nec te, si cupias, ipsa manere sinam*] *Si cupies ipse*, meliores. *Heins.*

175 *Laniata*] Ventis quassata.

177 *Debebimus ultra*] *Ultro* Puteaneus et Argentinensis: hoc est, si quid tibi debebimus, quod vincat mea beneficia. *Heins.*

179 *Dum freta mitescunt, et amor dum temperat usum. Fortiter ediscam tristia posse pati*] *Edisco* meliores omnes; hoc primum. Puteaneus deinceps priore versu *dum temperet usum:* sed sic ut in voce *usum* prisca scriptura prorsus sit erasa. Unde Salmasius teste Mezeriaco, *Dum freta mitescunt et amor: dum tempore et usu Fortiter edisco tristia posse pati.* Cui emendationi nos subscribimus: nam et ex nostris nonnulli *temperet usum* vel *usus*. Idem. *Mitescunt*] Fiunt tranquilla. *Ant. Et amor*] Id est, dum assuetudine amor fit tolerabilis.

180 *Edisco*] Consuesco. *Tempore et usu edisco*] Virgil. IV. 'Dum mea me victam doceat fortuna dolere.' *Tristia*] Tui discessus dolores. *Hub.*

182 *Diu*] Quia cito moriar, et tua crudelitas non poterit nocere mihi mortuæ.

184 *Troicus ensis*] Quem mihi reliquisti. *Troicus ensis*] 'Non hos quæsitum munus in usus.' Virgil. IV.

188 *Instruis*] Ornas. *Hub. Impensa brevi*] Unius ensis munere. *Ant.*

189 *Nec mea nunc primum*] *Primo telo* codex alter Regius, et Erfurtanus. placet. *Heins. Nunc primum*] Quia etiam antea percussa sum.

190 *Ille locus*] Id est, pectus meum. Virgil. 'Vulnus alit venis.' *Hub.*

191 *Anna soror*] Ad absentem sororem est apostropha, quam, cum se vellet trucidare, sub commento res magicas deferendi a se dimiserat. *Male*] In meum exitium. *Ant. Conscia culpæ*] Nam, ut est apud Virg. ei amorem suum detexit: culpam dicit, propter fidem non servatam priori marito. *Culpæ*] 'Non licuit thalami expertem sine crimine vitam Degere more feræ?' Æn. IV.

Digitized by Google

192 *Ultima dona*] Exequias, quæ et justa dicuntur. *Hubertus. Ultima dona*] Τὰ νόμιμα Eurip. Helen. 'Quisquis honos tumuli, quidquid solamen humandi est.' Æn. x. 'Qui solus honos Acheronte sub imo est.' Æn. xi. Τὸ γέρας θανόντων. Hom.

193 *Nec inscribar Elissa Sichæi*] Scil. uxor: nam in mulierum epitaphiis scribebantur nomina maritorum suorum.

194 *Carmen*]. 'Tumulo superaddite carmen.' Virgil. Eclog. v. ubi, Serv. 'Duos versus carmen vocavit:' imo etiam unum versum Æn. iii. Sic Eurip. Troad. v. 1190. Epigramma vocat. Τὸν παῖδα τόνδ' ἔκτεινον Ἀργεῖοι ποτὲ, Δείσαντες; αἰσχρὸν τοὐπιγράμμα γ' Ἑλλάδι.

195 *Causam*] Quia decepit. *Et ensem*] Quia reliquit ensem quo se interfecit. *Hub. Causam mortis*] Ennianum commentum est: nam Dido non Æneæ causa se peremit, sed cum a suis cogeretur Hyarbæ nuptias inire, tres menses ad perficiendam rem petit. Constituto tempore, instructa pyra in eminentiori urbis parte, convocatoque populo, cum dixisset se ad virum ire, seipsa trucidavit: ut Trogus auctor est.

196 *Sua concidit usa manu*] Interfecit se; aut, tulit sibi ipsa manus.

EPIST. VIII. HERMIONE ORESTÆ.

Primum hoc distichon ab omnibus, quos vidi, libris manu descriptis abest, nisi quod in uno meo margini est adjectus, et quidem manu recentiori. Videtur autem ejusdem notæ esse, cum iis versibus, quos initio Epistolæ Œnones et Didus extare in nonnullis libris monuimus. *Heinsius.*

1 *Alloquor Hermione nuper fratremque virumque, Nunc fratrem; nomen conjugis alter habet*] Etiam hos versus velut nothos rejicinnt, et omittunt: quod equidem miror, cum et propositionem epistolæ cum sequentibus contineant, et iisdem omissis epistola ipsa plane ἀκέφαλος relinquatur. Quare nos quidem Aldi auctoritatem sequuti, apud quem idem epistolæ hujus principium est, integros ac suo loco immotos relinquimus. *Mic.*

3 *Pyrrhus Achilleides*] *Achillides* bene Puteaneus: sic Atrides, Ægides, Pelides, Belides, Phenides, Thesides, Driantides, Promethides, Œnides, Amphiaraides, et similia apud nostrum. *Heinsius. Animosus*] Animi vehementis, et elati spiritus. *Ant. Achilleides*] Filius Achillis.

3 *Imagine patris*] Virgil. 'Instat vi patria Pyrrhus.'

5 *Renui*] Id est, recusavi.

6 *Cætera*] Præter renuere. *Fœminea*] Et ideo imbecilles. *Hub.*

7 *Æacide*] Æacus Jovis et Æginæ Asopi filius, ex Endeide Chironis tres filios habuit, Peleum, Telamonem, et Phocum. Ex Peleo et Thetide natus Achilles, qui Pyrrhum ex Deidamia Lycomedis, ut diximus, genuit. *Non sum sine vindice*] Habeo qui possit me ex hac contumelia liberare. Vindex est, qui servili conditione homines in libertatem vindicat. *Ant.*

8 *Sub domino suo*] Non sub te, quia alterius jam sum dicata connubio.

9 *Clamantem nomen Orestis*] Puteaneus *Orestes*. Lege *Orestæ*. In Ibide ex scriptis, 'Utque Agamemnonio vulnus dedit anguis Orestæ.' Orestes, Orestæ: Thyestes, Thyestæ:

Digitized by Google

Geriones, Gerionæ: Pylades, Pyladæ. Trist. lib. I. El. 8. ex membranis. 'De comite Argolici postquam cognovit Orestæ.' Et Amorum lib. II. El. 6. ut optimæ membranæ, 'Quod fuit Argolico juvenis Phocæus Orestæ.' Apud Martialem duo veterrimi codices lib. VI. 'Nec melior rhombus, turdusve dabatur Orestæ.' Sic et *Thyestæ* apud eundem alibi non uno loco. Idem lib. IX. Ep. 2. 'Quid quod nil unquam Pylades donavit Orestæ:' ita sensus jubet esse legendum. Neque aliter vestigia veterrimi codicis Puteanei; in quo *Pila denabitur esse;* vulgati *Pyladi donavit Orestes.* Pont. lib. II. El. 3. cum optimo codice, 'Adfuit insano juvenis Phocæus Orestæ.' Hinc et *Oresta* non semel in quinto casu apud nostrum. At Patavinus liber habet *nomen Oresti.* Quomodo Priscianus, *Bootes, Bootæ*, et *Booti* ex Ciceronis Arateis notat, ut Ulysses, Ulyssi, et similia. Noster in Ibin, 'sit quod Pelopea Thyestæ;' ita enim libri veteres: postea, 'referas exempla Thyestæ;' et 'olla Thyestæ' apud Persium. Hinc *Thyesta* in vocativo, ut apud Ciceronem Tusculanis, et Senecam in Thyeste sæpe. Sic idem Cicero *Philocteta* quoque iisdem libris in vocativo: hinc 'Philoctetæ fama' nostro Pont. III. El. 1. et 'Philoctetæ crura' Propertio, et 'Philoctetæ murus' Virgilio. Sic et *Polydecta* noster ex auctoritate veterum codicum quinto casu Met. V. 'O parvæ rector Polydecta Seriphi.' Geriones, Gerionæ. Virgil. lib. VIII. 'Tergemini nece Gerionæ:' et apud Senecam Agamemnone, 'Hesperium pecus Gerionæ:' ut illis locis legunt optimi Medicei codices. Priscianus Periegesi, etiam ex veteri codice, 'post fata perempti Gerionæ.' *Heinsius.*

10 *Inornatis*] Solutis et laceratis.

13 *Parcius*] Modestius et mitius. *Victrix*] Quæ jure victoriæ poterat esse sævior. *Hub.*

14 *Cum Danaus*] Id est, cum Troja igne Græco consumeretur.

15 *Cura*] Amor.

16 *Injice manus*] Verbum est juris, dicitur enim *injicere manus*, qui nulla judicis auctoritate expectata, rem sibi debitam vindicat. *In tua jura*] Id est, in me vendicandam, quæ sum tua.

19 *Socer*] Menelaus, pater meus, socer tuus. *Nuptæ*] Helenæ, matris meæ, uxoris ejus. *Ademptæ*] Raptæ a Paride.

20 *Cui pia*] Hunc et sequentem versum codices plerique non agnoscunt, sed male. Pro *vacua aula* tres libri *vidua.* Heinsius.

22 *Foret*] Scilicet si fuisset lentus, et non curasset repetere eam armis.

23 *Non tu mille rates sinuosaque vela parabis*] *Nec tu* meliores. Deinde *pararis* Puteaneus et Barberinianus: bene. *Heinsius.*

24 *Nec numerum Danai militis*] *Numeros* Puteaneus, Gottorphianus, et Ambrosianus: sic 'numeri militares' passim; 'Gallicani numeri,' et 'numeri Italici' ac 'Illyrici' Ammiano. Tertullianus Apologetico: 'Si hostes agere vellemus, deesset nobis vis numerorum et copiarum?' Cassiodorus Hist. Tripart. lib. I. 'Romanorum cohortes nunc numeri vocantur.' *Numeri* Græcis σπεῖραι. Theophylactus in Acta Apostolorum Σπεῖρά ἐστιν ὃ καλοῦμεν νῦν Νούμερον. Sequenti versu τὸ est meliores non agnoscunt. *Id.*

25 *Sic*] Scil. cum classibus et numero militum, si opus esset.

27 *Quid? quod*] Quod si jure conjugii nollet Orestes ipsam repetere, dicit, eum tamen id facere debere jure consanguinitatis: erant enim Orestes et Hermione nati ex duobus fratribus. *Atreus*] Pater dicitur fuisse Agamemnonis patris Orestis, et Menelai patris Hermiones. *Pelopeius*] Filius Pelopis, Pelops autem filius Tantali genuit Atreum et Thyesten, Atreus Agamemnona et Menelaum.

Digitized by Google

Thyestes vero ex Pelope filia genuit Ægysthum, qui postea adulter fuit Clytemnestræ.

28 *Frater*] Id est, patruelis: nam in hoc significatu sæpe ponitur et frater et soror. *Frater*] Sic Ajax Metam. XIII. 31. 'Frater erat, fraterna peto:' et deinde 41. 'Nos inhonorati, et donis patruelibus orbi.'

30 *Instant officio tuo*] Id est, urgent te ita facere bina nomina, scil. et mariti et patruelis, sive fratris.

31 *Tyndareus*] Avus meus maternus: nam pater fuit Helenæ.

32 *Arbitrium*] Potestatem. *Neptis*] Id est, mei, quæ nata sum ex ejus filia. *Hub.*

33 *Inscius acti*] Me tibi nupsisse ignorabat Menelaus. *Ant.*

34 *Plus quoque, qui prior est ordine, possit avus*] Puteaneus τὸ *qui* non exhibet. Deinde *posset* habet, ut et alii nonnulli. Lego: *Plus quo, qui prior est ordine, posset avus:* et *promiserit* superiori versu. *Heins.*

36 *Læsus*] Injuria affectus.

39 *Genero permittet amorem*] *Concedet* plerique. *Heins.* *Genero*] Tibi.

40 *Mater*] Mea, Helena. *Exemplo suo*] Quia quod propter eam fecit pater, licebit tibi propter me facere.

41 *Tu mihi*] Id est, sicut pater meus est legitimus maritus matri meæ Helenæ, ita tu mihi. *Quas egerat olim*] Id est, sicut Paris non legitimus conjux erat matri meæ, sed raptor: ita et Pyrrhus agit eas partes, scilicet, raptoris. *Quas gesserat olim*] *Egerat* repone ex optimo Puteaneo. *Heins.*

42 *Dardanius*] Id est, Paris.

43 *Patriis actis*] Sic Epist. III. 'Sic eat auspiciis Pyrrhus ad arma tuis.' Vide et Odyss. X. vs. 505. ubi Ulyss. Pyrrhi virtutes enarrat.

44 *Quæ referas*] Id est, quæ possis memorare. *Facta parentis habes*] Malim *acta* cum uno Vaticano. Met. XI. 'Qui fortibus actis Acta patris vincet:' ut ibi habent præstantiora exemplaria. Sequenti versu Puteaneus, *ipsumque petebat Achillem;* quod non capio quid sibi velit. *Heins.*

45 *Tantalides*] Id est, Agamemnon. *Ipsum*] Habet emphasim hoc pronomen, quasi dicat, Etiam ipsum Achillem, quo Pyrrhus superbit.

46 *Hic*] Scilicet Achilles. *Pars militiæ erat*] Id est, unus ex militibus et ducibus, qui erant sub Agamemnone. *Ille*] Agamemnon pater tuus. *Dux erat ducum.* Quia omnes duces ei parebant. *Hub.* *Dux ducum*] Βασιλεύτατος. Iliad. I. vs. 69. et Sen. Agam. vs. 39. 'Rex ille regum.' 'Ductor Agamemnon ducum.' Ὁ πανελλήνων ἄναξ Eurip. Iph. in Aulid. Et Virgil. XI. de Latino 'Primus sceptris.' Et Cicer. lib. IX. ad Famil. Epist. 14. 'Quod ipsi Agamemnoni, regi regum, fuit honestum.'

48 *A Jove quintus eris*] Lege *ab Jove:* sic alibi semper apud Nostrum in optimis membranis monui Fast. I. vs. 236. Superiori versu *Pelopen* Græco more duo codices. *Heins.* *A Jove quintus*] Jupiter (ut diximus) Tantalum, Tantalus Pelopem, Pelops Plisthenem, Plisthenes Agamemnona, Agamemnon Orestem genuit. *Ant.*

49 *Invidiosa*] Odiosa, quia interfecisti matrem.

50 *Quid faceres*] Quasi dicat, Nihil aliud quam quod fecisti. *Induit illa pater*] Sic recte Puteaneus: reliqui cum vulgatis *patrem.* Noster lib. I. Art. Am. 'Induit arma tibi genitor patriæque tuusque.' *Heins.* *Pater*] Pietas in patrem, ad vindicandam cædem ejus armata manu: vide hac de re Odyss. Δ. et Odyss. A. Ἐκ γὰρ Ὀρέσταο τίσις, ἔσσεται Ἀτρείδαο...ὁππότ' ἂν ἡβήσῃ. Vide porro Tragicos.

52 *Non lecta est*] Excusatio est, quasi dicat, Non sponte, sed coactus hoc fecisti. *Lecta*] Id est, electa a te. *Sed data*] Scilicet et scelere matris, et responso oraculi. *Operi tuo*] Id est, tuo facto, scilicet, parricidio.

53 *Ægysthus*] Adulter matris tuæ.

Digitized by Google

Hub. Hanc tamen implesti]. Necessariam causam perfecisti: hoc est, patris interitum vindicasti. *Ant. Jugulo aperto*] Sic Virgil. 'Latus hausit apertum.'

54 *Cruentavit*] Cruore suo fœdavit. *Quæ pater ante tuus*] Scilicet cruentaverat: id est, Iisdem tectis eum interfecisti, quo ille patrem tuum interfecerat.

55 *Æacides*] Pyrrhus, pronepos Æaci: nam Æacus ejus proavus est. *Increpat*] Scil. hoc factum tuum. *Laudemque*] Id est, ultionem cædis paternæ, quæ tibi laudi est.

57 *Rumpor*] Dolore.

58 *Usta*] Ardentia. *Inclusis ignibus*] Indignationibus, quæ tanquam ignes latentes pectus meum urunt.

59 *Quisquamne objecit Oresti*] Lege *quicquamne* cum tribus quatuorve. Leidensis *quisquamne objectet. Orestæ* præterea legendum. Nisi malis *Hermione coram quisquamne objectet Oresten;* quod placet. Nam in Argentinensi codice, *si quisquam objecit Orestem. Coram*, ut alibi Epistola Briseïdis, 'Neve meos coram scindi patiare capillos.' *Heins. Quicquamne objecit*] Pro quicquamne objiciet: id est, maledicet Oresti in præsentia mea?

60 *Nec mihi sunt vires*] Id est, nec possum ulciscì hanc injuriam.

61 *Flere licet certe. Flendo diffundimus iram*] Sic distinguunt meliores; et *sinum* sequenti versu iidem agnoscunt, nisi malis *flere libet:* cæterum in Puteaneo est, *defundimus;* et recte forsan: hoc est, effundimus, egerimus. Vide quæ noto ad Epist. xv. 13. Lib. IX. 'flendoque dolorem Defudit miseranda suum;' sic et ibi forte scribendum: 'defundere vinum,' Fast. v. 517. ubi plura. *Heins. Diffundimus*] Quia (ut volunt Physici) plus lædit ira retenta et occultata, quam si fletu effundatur.

65 *Hoc generis fatum quod nostros errat in annos*] *Nam generis fato quod nostros erat* Puteaneus: *fato* etiam alii nonnulli: pro *erat* forte *durat* vel *hæret*. vel *perstat* scribendum: et pro *Nam, Num*. Epistola IV. 'Forsitan hunc generis fato reddamus amorem.' *Heins. Hoc generis fato*] Id est, Hoc est infortunium domus nostræ, quod etiam ad meam ætatem pervenit, ut ex gente nostra omnes rapiamur a viris.

66 *Tantalides omnes*] *Matres* scripti, hoc est, matronæ vel nuptæ. Sic 'Dardanides matres' Epistola Helenæ: 'Troades matres' Epistola Paridis: et 'Phylaceides matres' Epistola Laodamiæ: et 'Nysiades matres' Epistola Sapphus, et Met. XIII. et 'Œbalides matres' ac 'Italides matres' in Fastis, II. 3. Epistola Briseidos, 'Inter Achaidas longe pulcherrima matres In thalamos conjux ibit eatque tuos.' Vide notas ad sequentem epistolam 73. *Heins.*

68 *In plumis*] Id est, in forma cygni. Nam Jupiter captus amore Ledæ, uxoris Tyndari, conversus in cygnum, ad eam volavit: quæ, ut fabulæ tradunt: cum eum sinu excepisset, dicitur ova in ejus gremio peperisse, ex quibus nati sunt Castor et Pollux, Helena et Clytæmnestra.

69 *Qua duo*] Refert rapinam alterius. Hippodamia filia fuit Œnomai, regis Elidis et Pisæ: quam cum ob egregiam pulchritudinem multi uxorem peterent, pater proposuit procis hanc legem et durissimam conditionem, ut qui eam vellet, cursus certamine cum ea contenderet: et qui victus fuisset, capite puniretur; qui vicisset, eam uxorem haberet. *Qua duo*] Describit itaque hic locum, ubi rapta est Hippodamia: videlicet in Achaia, quæ postea a Pelope, qui ibi regnavit, Peloponnesus, id est, Pelopis insula dicta est. Nam, *Isthmos*, est terra brevis inter duo maria: et sunt duo Isthmi celebres: unus in Achaia, de quo nunc loquitur: et alter in Thracia. *Freta distinet Isthmos*] *Destinat* vetustiores; quod perperam tam hic

Digitized by Google

quam Epistola Medeæ illo versu: 'Quique maris gemini distinet Isthmos aquas,' Juretus ad Symmachum amplectitur. Quidam codices *detinet*, *separat* et similia; sed frustra. Statius Theb. VII. 'omne quod Isthmius umbo Distinet, et raucæ circumsonat ira Maleæ.' Avienus orbis descriptione, 'Unus utramque salis fluctus secat, et procul unum Distinet os ambas.' Lucretius lib. v. 'Et mare quod late terrarum distinet oras.' Lucanus lib. IX. 'vasti plaga fervida regni Distinet Oceanum.' Prudentius lib. II. contra Symmachum. 'Omnibus in terris quas distinet Occidualis Oceanus:' sic veterrimus liber Bodleianus. Noster *in bivio distineri*, Remed. Amor. 'Et tuus in bivio distineatur amor:' ita legit optimus codex. *Heins.*

70 *Vecta peregrinis*] Omnium optime hunc locum explicat Parrhas. lib. III. in Claud. de Raptu Proserp. *Cief.* *Peregrinis rotis*] Id est, curru peregrino; nam, Pelops ex Phrygia venerat. Inde Ovid. Trist. II. 'Quid nisi Tantalides agitante cupidine currus, Pisæam Phrygiis vexit eburnus equis.'

71 *Castori Amyclæo*] Dictum supra, Helenam in certamine palæstræ a Theseo raptam fuisse, quæ postea Castori et Polluci fratribus, eam bello repetentibus, reddita est. *Amyclæo*] Ex Amyclis urbe Laconiæ. *Hub.*

72 *Tyndaris urbe soror*] Puteaneus *Tænaris:* tam hic, quam sequenti versu; probe. Delectatur enim noster hisce oppositionibus, ut alibi; 'Cum Danaum Phrygias ureret ignis opes:' et 'Graiaque in Iliacis mœnibus uxor erat;' quorum finis non esset. Sic 'Tænaris terra' Ep. Paridis; et 'Tænaris ora' Ep. Helenæ; 'Tænariam maritam' Helenam quoque alibi vocat. *Heins.* *Mopsopia urbe*] Aphidnam Atticæ urbem intelligit, ubi servata est Helena a Theseo rapta. Mopsopia Attica dicta est, a Mopsopo rege: ut Strabo testatur. *Ant.*

73 *Tyndaris*] Narrat secundam rapinam Helenæ, quæ a Paride rapta, et Trojam abducta, belli Trojani causa extitit. *Idæo hospite*] Paride Trojano, quem illa hospitio acceperat. *Trans æquora ab hospite rapta*] Lege *trans æquor*. Heins.

74 *Vertit*] Movit.

75 *Vix equidem*] Dicit se fuisse ad modum parvam, cum mater sua Helena rapta est.

77 *Flebat avus, flebatque soror*] *Phœbique soror* Puteaneus et Junianus. Lege *Phœbeque*. Euripides Iphigenia non longe ab initio apposite, Ἐγένοντο Λήδᾳ Θεστιάδι τρεῖς παρθένοι, Φοίβῃ, Κλυταιμνήστρᾳ· ἐμὴ ξυνάορος, Ἑλένης. Phœbe ergo soror Helenæ. Veram quoque lectionem subodoratus est Mezeriacus. *Heins.* *Avus*] Tyndareus. *Fratresque gemelli*] Id est, Castor et Pollux.

78 *Leda*] Mater Helenæ. *Suumque Jovem*] A quo fuerat amata et compressa.

79 *Etiam nunc scissa capillos*] Lege *etiamnum:* ita in Metamorphosi vetustissimi libri semper scribunt. Certe Farnesianus unus hoc loco *etiam tum*. Heins.

81 *Conjux*] Scilicet, matris meæ, id est, Menelaus. *Aberat*] Iverat enim in Cretam. *Ne non*] Id est, de genere Pelopis: nam dixit supra; 'Tantalides matres apta rapina sumus.'

83 *Utinam vitasset arcus*] Quia si viveret, culparet factum filii, quia alienam uxorem vult rapere. Apollinis autem arcus dixit, non quod revera Apollo eum sagittis interemit, sed quod in ejus templo sit interfectus. *Apollinis arcus*] 'Phœbe...Dardana qui Paridis direxti tela manusque Corpus in Æacidæ.' Æneid. VI.

85 *Quondam*] Abducta Briseide ipse flevit. *Ant.*

88 *Quodve mihi miserae*] Scripti plerique *Quod mihi vae miserae*; et recte:

Digitized by Google

quamvis Puteano obnitente. Epistola Briseidis, ' Hic mihi væ miseræ concutit ossa metus.' Epistola Cydippes, ' At mihi væ miseræ torrentur febribus artus.' In Ibide, ' Tot tibi væ misero venient talesque ruinæ.' Amorum lib. III. El. 6. ' Huic egò væ demens narrabam fluminum amores:' sic scribunt illic meliores libri; atque ita Comici sæpe. Calpurnius Eclog. III. ' Te sine væ misero mihi-lilia nigra videntur.' *Heins.*

91 *Non tibi*] Dicit se caruisse iis jucunditatibus, quas aliæ habere solent in infantia, quæ et parentes delectant, et ab eis gremio tenentur. *Blanditias*] Eurip. in Med. Ὦ μαλθακὸν χρὸς, πνεῦμα δ' ἥδιστον τέκνων. Et in Supplic. Ἰὼ, ἰὼ, ποῦ δὴ πόνος ἐμῶν τέκνων Καὶ φίλαι προσβολαὶ προσόψεων.

99 *Et tamen esse Helenen*] *Te tamen* scripti. Sequenti versu Leidensis et Vossianus cum Jureti Excerptis *quæ tibi nata foret.* Heins.

101 *Pars hæc una mihi*] Malim *sors*, sed obstant libri. Mox *ni pro se pugnat* Puteaneus. Et deinde *Pyrrhus habet raptam;* quod verum est: frustra vulgati *captam.* Heins. *Pars hæc*] Enumeratis multis infœlicitatibus suis, dicit Hermione, se tantum fuisse fœlicem in hoc, quod Orestem conjugem sortita sit.

104 *Et minus a nobis diruta Troja fuit*] Valde hic denuo turbant libri. Puteaneus, *Et minus a nobis diruta Troja dedit;* a pro *ab*, ut Argentinensis et duo alii; quod esset, *Munus id ab nobis diruta Troja dedit.* Priscæ editiones, Excerpta Jureti et ex nostris multi, *Munus et hoc nobis diruta Troja dedit:* sex alii, *Hoc munus nobis diruta Troja dedit:* alii tres, *Et munus nobis diruta Troja fuit:* alii aliter. Lego, *Muneris hoc nobis diruta Troja fuit;* vel, *dedit*, quanquam illud malo. Sic in Fastis, ' Græcia principium moris fuit;' ubi plura. Noster Metamorph. lib. IX. ' Hoc illi dederat Junonia muneris Hebe.' Cicero Ep. famil. IX. 13. ' Oro velis per te hoc muneris cum ipsis amicis hominibus tum municipio Caleno dare.' Fast. IV. ex veteribus libris, ' Hoc argumenti flamma Palilis habet.' Sic ' hoc juris' bis terque apud Lucanum et nostrum: vide quæ noto Amor. I. El. 1. 5. ' Nil mortalibus ardui est,' Horatio lib. I. Od. 3. quomodo legitur in antiquissimis scriptis: infra Ep. XIV. ' parum facti sanguinis,' ex vetustis libris; et Fast. I. 46. ' idem officii,' ubi plura. *Fuit munus;* sic Remed. Amor. ' Auxilium multis succus et herba fuit;' quod non est mutandum. *Heins.*

105 *Cum tamen*] Dicit, quod licet omni tempore sit in mœrore, tamen minus angatur die, quam nocte: nam per totam noctem dicit se flere. *Altus instat*] Id est, est in summo cœli.

106 *Malo*] Id est, dolore. *Liberiore*] Mitiore, et minus urgente me.

107 *Acerba*] Pro acerbe.

110 *Sicut ab hoste viro*] *Virum* quat. scripti; et placet. *Heins. Virum*] Pyrrhum.

112 *Scyria membra*] Contumeliose dictum est in Pyrrhum, qui in Scyro insula natus est ex furtivo concubitu. *Ant. Scyria membra*] Senec. Tro. ' Hos Scyros animos...Ex Virginis concepte furtivo stupro: Et ex Achille nate, sed nondum viro.'

113 *Ut*] Postquam senui me tetigisse illum, quem nolebam.

115 *Nomen Orestis*] *Orestes* unus Farnes. etiam hic *Orestæ* reponendum. *Heins.*

117 *Per genus infelix juro*] *Oro* Puteaneus et alii multi; sed frustra. Sequenti versu *qui sua regna*, non *et sua*, meliores; quod sequor. *Heins. Generis parentem*] Id est, Jovem patrem Tantali: quia fuit frater patris mei. *Hub.*

119 *Quæ tibi debent*] Nam fortiter patris necem ultus est Orestes, et matre Clytæmnestra et Ægisto trucidatis. *Ant.*

Digitized by Google

122 *Tantalidæ*] Id est, Tui, qui et ipse es de eodem genere. Orestes, interfecto Pyrrho, tandem recepit Hermionem, ex qua suscepit filium nomine Orestem; a quo Orestæ populi dicti sunt.

EPIST. IX. DEIANIRA HERCULI.

Huic denuo Epistolæ Puteani Excerpta et vetustæ editiones cum codice Regio sequens distichon præfigunt, 'Mittor ad Alciden a conjuge conscia mentis Littera, si conjux Deianira tua est.' *Heins.*

1 *Gratulor*] Lætor. *Œchaliam*] Urbem Eubœæ, in qua regnavit Eurytus. Hanc expugnavit Hercules, propter Iolen sibi negatam, et ejus fratres interfecit, atque (ut alii volunt) etiam patrem. *Titulis vestris*] Vestris victoriis et laudibus. *Titulis accedere nostris*] Nimis invidiose profecto mariti titulos invadit et sibi vindicat, quod Hypsipyle Medeæ supra objiciebat: 'Adde quod adscribi factis procerumque tuisque Se facit, et titulo conjugis uxor obest.' Recte igitur codices nonnulli *titulis vestris*: sic infra, 'Ne videar titulis insidiata tuis:' et Ariadne, 'Non ego sum titulis surripienda tuis.'

2 *Victorem*] Id est, te. *Victæ*] Scilicet, Iolæ.

3 *Pelasgiadas*] Græcas.

4 *Decolor*] Turpis. *Decolor*] Sic Æneid. VIII. 'Deterior donec paulatim et decolor ætas;' ubi vide Serv. *Inficienda*] Id est, neganda.

5 *Juno*] Quæ semper conata est te opprimere. *Juno*] 'Rege sub Eurystheo, fatis Junonis iniquæ,' Æneid. VIII. ubi hæc omnia habentur. 'Est vero, cur quis Junonem lædere nolit, Offensamque tremat, quæ prosum sola nocendo.' Ovid. Metam. II. 519. Πολυμήχανος Ἥρη. Theoc. Id. XXIV. 13.

6 *Huic*] Scilicet, tibi. *Imposuisse jugum*] Id est, domuisse te. Est ordo: Fama decolor, &c. venit, Iolen imposuisse jugum huic, quem Juno et immensa series laborum nunquam fregit.

7 *Hoc velit*] Quasi dicat, Facis quod placet inimicis tuis, et gaudent quod a muliere sis subjugatus. *Hoc velit*] Æneid II. 'Hoc Ithacus velit, et magno mercentur Atridæ.'

8 *Labe*] Macula, turpitudine.

9 *At non ille venit*] *Velit* legendum esse cum decem libris antiquis superiora satis persuadent. *Heins.* *At non*] Increpat ipsum, quod non respondeat spei, quæ de eo fuit habenda, quia non una nocte generari potuit, ex quo debuit esse vitæ magis admirandæ. *Nox una*] Hinc διγονός a Theocr. Idyll. XXIV. 31. dicitur; τριόνυχος Lycoph. Cass. Vide Pind. Pyth. Od. 9. &c. Sed Seneca recte: in Herc. Œt. 'Falsa est de geminis fabula noctibus. Materna culpa cesset, et crimen Jovis.' Et in Herc. Fur. 'Quid violas Jovem? Mortale cœlo non potest jungi genus.' Et Ovid. Metam. 'Jupiter aut falsus pater est, aut crimine verus.'

13 *Sustulit*] Exaltavit. *Hæc*] Scilicet, Venus.

14 *Qua latam*] Per totum orbem terrarum. *Nereus*] Oceanus.

15 *Pax terræ*] Terra pacata a te. *Tibi se tota æquora debent*] Scribe *tuta*

Digitized by Google

aquora: domitis scilicet monstris marinis. Hinc 'terrarum marisque pacator' Senecæ de beneficiis dictus Hercules. *Heins.*

16 *Solis utramque domum*] Orientem et Occidentem.

17 *Tulisti*] Sustinuisti. *Quod te laturum est*] Quia tuis virtutibus es ascensurus cœlum.

18 *Hercule*] Ferunt enim fabulæ, Herculem pro Atlante cœlum sustinuisse: quod ideo fictum est, quia ei successit in Astrologia. *Fulsit*] Sustentavit.

19 *Quid nisi*] Sensus est, Quid tibi comparasti per hæc tua clara facta, nisi ut nunc magis cognoscatur dedecus tuum? *Notitia*] Cognitio. *Pudori*] Dedecori tuo: nam quo aliquis clarior est, si quid turpe facit, eo magis cognoscitur ejus turpitudo.

20 *Si cumulas stupri facta priora nota*] Cum Regio codice scribendum videtur, *Si maculas stupri facta priora nota;* nisi quod *turpi nota* malim; vel *Si macula turpi facta priora notas*, quod est in aliis quibusdam: nonnulli, *cumulus notat.* Vulgata minus est Latina. *Heins. Nota*] Macula, vitio. *Stupri*] Adulterii et libidinis: Si factis tuis prioribus claris et magnis, addis nunc turpitudinem libidinis.

21 *Tene ferunt*] *Te* habet emphasim, quasi dicat, Qui nunc es ita turpis et infamis. *Hub. Geminos angues*] Plautino carmine notum est, infantem Herculem in cunis duos a Junone missos angues, apprehensis utriusque faucibus, trucidasse. *Geminos angues*] Αἰνὰ πέλωρα δύω. Theoc. Idyll. XXIV. ubi totam hanc fab. invenies.

22 *Jove dignus*] Ut Jovis filius dicereris.

24 *Cedunt*] Inferiora sunt.

25 *Sthenelius hostis*] Eurystheum Stheneli filium significat, quem diximus certamina Herculi superanda proponere solitum.

27 *Quia nominor Herculis uxor*] *Nominer* Argentinensis; quod requirunt sequentia. *Heins. Nominor Herculis uxor*] Sophocl. Trachin. Ταῦτ' οὖν φοβοῦμαι, μὴ πόσις μὲν Ἡρακλῆς Ἐμὸς κληθῆναι, τῆς νεωτέρας δ' ἀνὴρ.

29 *Veniunt ad aratra juvenci*] *Veniant* Puteaneus. *Heins.*

31 *Species læsura ferentes*] *Ferentem* meliores. *Idem.*

33 *Et conjuge notior*] Quia video sæpius hospites, quam maritum meum. *Hub.*

35 *Votis operata pudicis*] *Studiis* Argentinensis: sic 'studiis operata Dianæ' Met. VII. et 'studioque operatus inhæsi,' lib. VIII. *Heins. Operata*] Operari dicimur, cum sacrorum mysteria tractamus. *Ant.*

38 *Jactor*] Versor, scilicet, cogitatione; quia cogito hæc pericula, in quibus ille versatur: et videor esse in eisdem periculis, quod accidit amantibus. *Et hæsuros cerno per ossa canes*] *Esuros* est in multis codicibus. Puteaneus *hæsuros terna per ossa:* in uno Vaticano *esuros cerno per ora.* Scribe, *esuros terna per ora canes.* Cerberum intelligi. Similiter fere Seneca Herc. Fur. de eodem, 'vocis horrendæ fragor Per terna missus ora, felices quoque Exterret umbras.' Met. X. 'Terna Medusæi vincirem guttura monstri.' *Heins.*

39 *Pecudum fibræ*] Id est, exta quæ inspicio, ut intelligam quid sit de te futurum.

40. *Omniaque arcana*] *Ominaque* jam monuerunt alii. *Heins. Ominaque*] Auguria. *Movent*] Terrent me. *Hub. Arcana nocte*] Quæ est maxima curarum nutrix.

41 *Aucupor*] Diligenti inquisitione scrutor. *Aucupor*] Plaut. non invenuste, 'auritas plagas.'

43 *Mater*] Scilicet, tua, Alcmena. Erat enim Deianira in Trachyne, ubi regnavit Ceix, quando scripsit hanc epistolam.

44 *Pater Amphitryon*] Id est, quem cum Cephalo contra Theleboas et Thaphios pugnasse meminit Strabo.

Digitized by Google

Hyllus] Filius Herculis ex Deianira, quos omnes in exilium miserat Eurystheus. *Ant. Hyllus adest*] *Hos* alter Lovaniensis. Lego *Hyllos*. Heins.

46 *Sentitur*] Quasi perniciosus. Nam sentimus proprie, quæ nos lædunt.

47 *Hæc me ferre parum est*] *Hæc mihi ferre parum* meliores. *Heins. Hæc ferre*] Id est, pati hos dolores. *Peregrinos*] Id est, peregrinarum mulierum.

49 *Augen*] Fuit autem Auge, Alei regis Arcadiæ filia, ab Hercule compressa: ex quo gravida facta, peperit filium, qui postea Telephus dictus est. *Temeratam*] Vitiatam. *Parthenii*] Arcadicis.

50 *Ormeni nympha*] Astydamiam dicit filiam Ormenii regis: quam cum Hercules dari sibi conjugem petivisset, pater renuit, sciens eum habere Deianiram. Hercules indignatus, regi bellum intulit: captaque urbe, ac rege interfecto, Astydamiam captam vitiavit, genuitque ex ea Ctesippum filium. Diodor. l. v.

51 *Nec tibi crimen erunt*] *Non tibi meliores. Theutrantia turba*] Quinquaginta Thespii, Atheniensis filii, filias intelligit: quas Hercules una nocte stupravit, ex quibus quinquaginta liberos genuit, qui Thespiades sunt cognominati. Turbam Teuthrantiam non a Mysiæ rege Teuthrante, ut aliqui putarunt, appellavit: sed a Teuthranto Actiæ oppido. *Ant.*

53 *Una recens*] Non de Iole intelligit, sed de Omphale Lydorum regina: cui Hercules ita servisse dicitur, ut omnia faceret quæ imperasset. Ex hac genuit Hercules Lamum filium. *Refertur adultera nobis*] *Refertur* multi ex scriptis: sed *præfertur* legendum cum sex codicibus. Deianira de Iole similiter apud Senecam Hercule Furente, 'capta prælata est mihi, Non præferetur.' *Heins.*

54 *Lydo*] Ex Lydia: ut diximus. Lydi autem Populi Asiæ, qui aliquando Mæonii dicti sunt.

55 *Mæander toties qui terris errat in isdem*] *Ripis in isdem* vetus editio: *terris toties qui volvitur isdem* unus Vaticanus: *versat in isdem* prior Lovaniensis; alter *regnat in isdem. Mæandros* etiam præstantiores libri: quomodo et Met. l. II. 'Quique recurvatis lndit Mæandros in undis.' Et l. VIII. 'Phrygiis liquidus Mæandros in undis.' Lucanus l. III. 'Qua celer et rectis descendens Marsya ripis Errantem Mæandron adit:' ubi perperam vulgo *erectis*. Vibius Sequester, 'Mæandros Cariæ gentis Asiæ: hic tam flexuosus est, ut in sese recurrat.' Cæterum codex Puteaneus hunc versum ita constituit, *Mæandros toties terris erratur in isdem*. Recte, si *erator* reponas. At Scriverianus prior, *Mæander fluvii toties redeuntis eodem*, quomodo Byblis libro Met. IX. dicta, 'Filia Mæandri toties redeuntis eodem.' Tres alii codices non contemnendæ notæ, *Mæander qui se toties concludit in orbem*. Heinsius. *Mæander*] Fluvius, ut Servius dicit, Cariæ, quæ est vicina Lydiæ. *Toties*] Sæpius: quia ita flexuosus est, ut in se videatur recurrere: unde obliquitates omnes, Mæandros, veteres appellarunt.

56 *Qui lapsus in se*] *Lassus* Puteaneus et alii nonnulli cum primis editionibus. Pro *retorquet* vetus Scholiastes in Metamorphoses, *recurvat*, agnoscit, ut alibi, 'Quique recurvatis lndit Mæandros in undis.' *Heins.*

57 *Monilia*] Ornamenta muliebria. *Monilia*] 'Colloque Monile Baccatum.' Æneid.

58 *Illo cui cælum*] *Collo, cui cælum* pro diversa lectione unus ex nostris. *Heins.*

59 *Auro*] Manicis aureis, Phrygum Lydorumque gestamen. *Ant.*

60 *Gemmas apposuisse toris*] Perperam Puteaneus et multi alii *apposuisse*: nec *imposuisse* probum est quod alii exhibent. Vopiscus in Au-

Digitized by Google

reliano: 'Torquem brachialem et annulum apponat;' ubi contraria sententia *ne apponat* puto scribendum: sic et Spartianus in Ælio Vero, 'alas alicui apponere' dixit. Noster initio lib. I. Fast. 'Mensibus antiquis apposuitque duos:' ut illic legendum. Et l. II. Art. Amat. 'vix denique possunt Partibus obscœnis apposuisse manum.' Trist. III. El. 14. 'Hoc quoque nescio quid nostris appone libellis, Diverso missum quod tibi ab orbe venit;' ut et illic recte libri veteres. Pont. III. El. 3. 'Apposui senis te duce quinque pedes.' Plura dixi Ep. VII. 98. *Heins.*

61 *Pestis Nemæa*] Id est, leo Nemæus, quem interfecisti in Nemæa sylva: in cujus facti memoriam gestas pellem ipsius leonis.

64 *Populus alba*] *Alma* Puteaneus; sed nil muta. Superiori versu, *myrto redimire*, pro *mitra*, liber Hafniensis, ut populus myrto opponatur. *Heins.* *Populus*] Herculi sacra, qua sacrificantes huic Deo coronabantur.

65 *Mæonia zona*] Omphales, cingulo fœmineo, more Lydio. *Ant.*

66 *Incingi zona dedecuisse pudet*] *Putas* nonnulli: *putes* Leidensis: certe *puduit* jam præcesserat. Remed. Amor. 'Et nihil est quod se dedecuisse putent:' ubi similiter *pudet* in quibusdam libris. Præterea *Mæoniam zonam* excerpta Dousæ, ut sit Græcismus. *Heins.* *Dedecuisse*] Hercules enim ita Omphalæ deditus fuit, ut omnia quæ illa juberet faceret. Et eum suo cultu instruxisse refert Ovid. Fast. II.

67 *Crudi*] Violenti et inhumani. *Diomedis equos*] Vide hac de re Palæph.

68 *Humana dape*] Hic Thrax tyrannus sævissimus, humanis hospitum carnibus equos equasque suas alebat, et capita suis tectis affigebat: quem Hercules interfecit, et eodem supplicio affecit quo ille hospites. *Qui dape pavit equos*] *Equas* Puteaneus et tres alii: sic infra, 'Non hominum pingues cæde tacentur equæ.' Alii tamen equos fuisse contendunt. Vide quæ noto Met. IX. 194. *Heins.*

69 *Si te vidisset*] Busyris rex Ægypti, ad provocandam Nili inundationem, hospites solebat immolare. Hoc genus sacrificii primum expertus est in Thrasium, a quo sibi monstratum fuerat. Cum autem vellet immolare etiam Herculem, Hercules eum interfecit.

70 *Pudendus eras*] Id est, fuisset ei pudori a te vinci. *Hub.*

73 *Mæonias inter*] *Mæonia zona* paulo ante præcesserat; quare *Mæoniæ puellæ* hic minus placent. *Inter Ioniacas* libri veteres: quo modo et Art. Amat. II. 219. 'Inter Ioniacas calathum tenuisse puellas Creditur, et lanas excoluisse rudes.' Ubi tamen vetustiores libri *Ionicas inter*. Forte *Inter Ioniadas;* quomodo alibi, 'Achaiades matres,' et 'Pelasgiades urbes,' et similia. Stephanus in Ἰωνία, ὁ οἰκῶν Ἴων καὶ Ἰωνὶς καὶ Ἰάς. Scribo καὶ Ἰωνίας. Sic 'Pyrrhiades Methymniadesque puellæ,' et 'Lesbides' et 'Sicelides' Epistola Sapphus, et Paridis Epistola 'Dardanides nurus' vs. 196. ubi plura: et 'Argolides' Epistola Hypsipyles, vs. 81. ubi etiam nonnihil dictum est. 'Italides' et 'Œbalides matres' in Fastis. *Heins.*

74 *Dominæ*] Omphales.

75 *Non pudet, Alcide*] Repone cum melioribus *Non fugis*, noto Græcismo: sic 'fuge credere' apud Lucretium; 'fuge quærere' et 'fuge suspicari' apud Horatium, ut et plura hujusce notæ. Virgilius, 'Mene igitur socium summis adjungere rebus, Nisi, fugis?' Statius, 'Magnos fuge tangere manes.' Noster Trist. IV. El. 3. ex antiquis membranis: 'Tempus ubi est, quo te (nisi si fugis illa referre) Et dici memini, juvit et esse meum.' *Heins.*

76 *Rasilibus*] Politis, Virg. 'Et torno rasile buxum.'

77 *Deducis pollice fila*] *Deducere* ma-

Digitized by Google

lum, si libri veteres assentiantur; et *rependere* sequenti versu. *Heins.*

78 *Æquaque formosa*] *Famosæ* Lovanensis: sic 'famosus Hymen' infra; ubi male turbant libri veteres; et Amor. I. El. 5. 'famosa Semiramis;' ut illic agnoscit optimus liber. Martialis, 'Coccina famosæ ponas et bianthina mœchæ.' Et alibi, 'Subdola famosæ moneo fuge retia mœchæ.' Noster Am. l. III. El. 5. 'Desit famosus, qui notet ora, pudor;' ubi *famosum pudorem*, pro re pudenda posuit: et El. 14. 'Solaque famosam culpa professa facit.' Certe verisimile non fit, Deianiræ laudatam esse a forma Iolen. Œnone de Helena supra, 'Hærebat gremio turpis amica tuo.' Pro *Æquaque pensa* Excerpta Puteani *Cressaque: Crassaque* vel *Grossaque* multi. Regius *Plenaque;* non male: tres *Tu quoque:* duo *Et quoque.* Excerpta Jureti, Barberini et Vossii codex *Et data pensa.* Sic Fastorum l. II. 'Lumen ad exiguum famulæ data pensa trahebant.' Met. XIII. 'Qui me data pensa trahentem Matribus ostendens Ithacis.' Briseis, 'Nos humiles famulæque tuæ data pensa trahemus.' Trist. l. IV. El. 1. 'Cantantis pariter, pariter data pensa trahentis, Fallitur ancillæ decipiturque labor.' *Heins. Rependis*] Ad pensum reddis tu quoque, sicut ancillæ.

81 *Habenis*] Loris. *Hub.*

82 *Ante pedes dominæ*] Hæc eadem fere totidem verbis habes supra 74. quare distichon hoc adulterinum esse opinor; quod in optimo Puteaneo, ut et sequens, margini est adjectum, in ipso contextu non apparet. *Heins.*

83 *Eximiis pompis præconia summa triumphi*] *Eximiis pompis immania semina laudum* Puteaneus: at Scriverianus, *Eximias pompas;* in cæteris cum Puteaneo consentiens. Excerpta Dousæ, *Exuviis positis.* Statius Achilleide, 'Quæ solitus laudum tibi semina pandere Chiron.' Claudianus III. Cons. Hon. 'hæc semina laudum, Hæc exempla dabat.' Sed et hoc distichon suspectum est. *Heins. Pompis*] Τροπαιοφόροις πομπῇ, ἣν καλοῦσι Ῥωμαῖοι θρίαμβον. Halicar. II. Quod de Romanor. Triumphali pompa. Hic intelligit victorias et laudes.

84 *Dissimulanda*] Quæ in eo habitu erant tacenda. *Ant.*

85 *Elisos faucibus hydros*] *Elisis* meliores. *Heins. Elisis*] Strangulatos, præfocatos. *Immaneis hydros*] Maximos angues.

86 *Infantem nuda dilacerasse manu*] *Infantem caudis involuisse manum* Puteaneus et alii plerique. Nonnulli, *Infantem cunis involuisse manum:* quidam etiam, *Infantem nuda dilacerasse manu.* Sed sive *caudis* sive *cunis* legas non refert, dum *Infantem manum* admittamus. Martial. l. IX. Ep. 74. 'Effigiem tantum pueri pictura Camoni Servat, et infantis parva figura manet;' ubi codex Thuaneus, *infantis manus.* Scribe *infantes manus.* Idem l. XII. Ep. 82. 'Sint licet infanti sordidiora sinu;' ut recte Puteaneus: *infantis sinu* vulgo. Noster Fast. IV. 'Tutus ut infanti vagiat ore puer.' Noster Epistola Canaces, 'Ipsa quoque infantes cum vulnere persequar umbras:' quomodo et illic scribendum. Sic 'infantes statuas' Persius et Horatius dixerunt: 'infans pudor' eidem quoque Horatio. Noster Met. IV. 'Infantia saxo Discutis ora ferox.' Fast. VI. 'Pectoraque exsorbent avidis infantia linguis.' In Ibide, 'Gutturaque imbuerunt infantia lacte canino.' *Involuisse* etiam rectum, per synæresin. Trist. II. 'Miror in hoc igitur tantarum pondere rerum Unquam te nostros evoluisse jocos.' Ep. Med. 'Quæ dispensant mortalia fata sorores, Debuerant fusos evoluisse meos.' Fast. VI. 'crescebat imagine luctus, Donec eam appositis involuere togis:' sic rescribo ex vestigiis veteris libri. Epist. Hyps. 'immissaque vota timori Nunc quoque te salvo persoluenda

Digitized by Google

mihi.' Trist. IV. El. 8. 'Ne temere in mediis dissoluantur aquis.' Fast. IV. 'Longamque imprudens exsoluisse famem.' Lib. V. 'consul cum consule ludos Postumio Lænas persoluere mihi.' Cæterum distichon est εἰρωνικὸν, quod loco interpolando causam dedisse videtur. *Heins.*

87 *Tegæus*] Arcadicus. *Erymantho*] Monte Arcadiæ: illic enim interfecit aprum vastantem regionem.

88 *Incubat, et vasto pondere lædit humum*] Puteaneus *Incubet* et *lædat*; optime: ut per interrogationem hæc dicantur. Sciolus tamen aliquis deleverat postea utrumque. *Lædat* etiam Moreti liber: Gronovianus *pulset*; non male. Scriverianus, *Incumbens vasto pondere lædat humum?* Sequentia etiam per interrogationem sunt legenda usque ad 103. *Heins.*

91 *Prodigium triplex*] Geryones, ut fabulæ tradunt, rex regnavit in Gadibus Hispaniæ, quem locum Erytheam appellant, quem tricorporem fuisse fabulantur, ditissimumque pecoris: quod Hercules, eo superato, in Italiam advexisse dicitur.

92 *In tribus unus*] Virg. Æn. VIII. 'Tergemini nece Geryonis, spoliisque superbus.' Et Lucret. V. 'Quidve tripector tergemini vis Geryonai:' quo Plaut. alludit, Aulul. III. 6. 'Coquos cum senis manibus, genere Geryonaceo:' et Apollod. I. τριῶν ἔχων ἀνδρῶν συμφυὲς σῶμα· Et Eurip. Her. Fur. τὸν τρισώματον Βοτῆρ' ἐρυθρείας· et Senec. ibid. 'pastor triformis littoris Tartessii.' Fuere autem tres fratres concordes. Justin. XLIV. 4.

93 *In canes totidem*] Totidem capita canina. *Trunco ab uno*] Ab uno corpore. *Digestus*] Divisus. *Hub.*

94 *Cerberus*] *Cerberos* Puteaneus: ut Met. VII. 'Cerberon abstraxit:' sic etiam Statius, et in Culice Virgilius. *Heins. Implicitis angue*] Nam pro pilis angues habebat.

95 *Fœcundo vulnere*] Quoniam ex una amputata nascebantur geminæ cervices. *Ant. Quæque redundabat*] Serpentem dicit Lernæam, ex cujus corpore centum prodibant serpentum capita et cervices, quarum singulis cæsis, duæ renascebantur. Hanc difficultatem Hercules arte superans: Iolaum monuit, ut incisam cervicem subito face lignea inureret, ne sanguis efflueret. Hoc pacto superata bellua, sagittas suas eo sanguine tinxit, quo illatum vulnus mortiferum redderetur. *Fœcundo vulnere*] Hor. Od. IV. 4. 'Non Hydra secto corpore firmior Vinci dolentem crevit in Herculem.' Θηρίον πολυκέφαλον, et Ovid. Metam. IX. 70. 'Vulneribus fœcunda suis erat illa,' &c. 'Bellua Lernæ' Virgil. VI. ubi vide Serv. *Redundabat*] Validior efficiebatur.

96 *Et damnis ditior ipsa suis*] Puteaneus et cæteri præstantioris notæ, *damnis dives ab ipsa suis*; probe. Epistola Medeæ, 'Ut caderet cultu cultor ab ipse suo.' Laodamiæ, 'Languida lætitia solvar ab ipsa mea.' Art. Am. l. III. 'quid aperto pectore in hostem Nitor, et indicio prodor ab ipse meo?' Pont. III. El. 3. 'Discipulo perii solus ab ipse meo.' In Ibide, 'cui reddere vitam Urbe Coronides vidit ab ipse sua:' sic bene libri veteres. Mox, 'Et læsus lingua Battus ab ipse sua.' Amor. l. I. El. 7. cum optimis membranis, 'Et valui pœnam fortis in ipse meam.' *Heins.*

97 *Quique inter lævumque latus, lævumque lacertum*] Ita aperte legitur in lib. Statii, et in utroque Vatic. vere. Egnatius legit, *dextrumque lacertum.* Quæro qui potuit Hercules Antæum dextro lacerto sustulisse, et inter lævum latus eum, ut est in sequenti carmine, suffocasse? Itaque legendum, ut dixi, hoc sensu: Antæum lævo brachio sublatum et inter lævum latus ab Hercule sustentatum: dextera autem illius fauces compressas fuisse. *Ciofan. Lævumque latus dextrumque lacertum*] *Lævumque lacertum* Puteaneus cum cæteris præstantioribus;

Digitized by Google

quomodo Naugerius et Ciofanus ex suis. *Heins.*

98 *Prægrave onus*] Antæum significat, quem altius sublatum ab Hercule, ne matris auxilium sentiret, trucidatum diximus. *Ant.*

99 *Male confisum pedibus*] Quia velocitate sua freti, effugere non potuerunt. *Formaque bimembri*] Id est, humana et equina, in qua majus inerat robur. *Hub. Confisum pedibus*] Ablativ. sic Metam. IX. 125. 'ope fidis equina.' Et Cæs. III. Bell. Gall. 'Natura loci confidebant.' Et Bell. Afric. plene dixit 'in illorum sibi confidebat multitudine.' Et Cic. 5. Tuscul. 'corporis firmitate, aut fortunæ stabilitate confidere.'

100 *Agmen equestre*] Centauros exprimit, qui superna parte viri, inferna equi fuisse traduntur. Hos Hercules trucidavit cum in domum Pholi Centauri impetum facerent, ad odorem vini accurrentes, quod Dionysius Pholo dederat, ut in adventum Herculis asservaretur. *Ant.*

101 *Sidonio*] Id est, purpureo, qui mulieribus convenit.

102 *Num cultu*] *Non cultu* præstantiores. *Heins. Silet*] Deberet silere præ pudore. *Cultu*] Qui non decet. *Hub.*

103 *Iardanis*] Omphale Iardani filia, quæ et clavam, et leonis pellem, et cætera Herculis arma gestare voluit. *Ant.*

104 *Et tulit e capto nota tropæa viro*] *Bina tropæa* unus Vaticanus et Basileensis et Gronovianus pro diversa lectione exhibent, quod placet; quomodo et Erfurtanus, et Excerpta Vossii. Alterum enim tropæum de amore ejus, alterum de spoliis hisce tulit. Epist. Phædræ, 'Thesides Theseasque duas rapuere sorores. Ponite de nostra bina tropæa domo.' Remedio Amoris. 'Vince Cupidineas pariter Parthasque sagittas, Et refer ad patrios bina tropæa lares.' Epistola Helenæ, 'Utque favet Cytherea tibi, quia vicit, habeique Parta per arbitrium bina tropæa tuum.' Denique Epistola Cydippes, 'Quid tamen huc venias? anne ut miserabile corpus Ingenii videas bina tropæa tui?' Superiori etiam versu præstantiores scripti *ornavit armis* pro *oneravit*. Cornelius Nepos Vita Hannibalis, 'Elephantum ornatum homini inermi opponit:' qui et alibi *ornari* pro *armari* dixit. *Heins. E capto viro*] Ex te, quem cepit, et triumphavit.

105 *I nunc*] Increpatio est per irrisionem. *I nunc*] Sic Virgil. VII. 'I nunc, ingratis offer te, irrise, periclis.' *Fortia facta recense*] *Gesta* Puteaneus et alii quinque. *Heins.*

106 *Quod tu non esses*] *Quem* Puteaneus. Forte *Quom.* Idem. *Quod*] Scil. esse vir. *Tu non esses*] Id est, esse deberes: quia melius esses fœmina, quam vir.

107 *Qua tanto*] Dicit quod quanto difficilius fuit Herculi vincere seipsum, quam eos quos vicit; tanto est Omphale eo major, quia vicit eum. *Hub.*

109 *Illi procedit*] *Procedat* unus Vaticanus: simili modo apud Sallustium, 'Quippe benefacta mea rei publicæ procedunt.' *Prok cedit* Puteaneus a manu secunda. Tum sequenti versu τὸ *est* tollit, ut et alii non pauci. *Heins. Mensura*] Amplitudo rerum gestarum. *Illi procedit*] Ad Omphales laudem accedit.

110 *Cede bonis*] Tuas laudes non jactites. Et est ab his translatio quorum majus est æs alienum, quam summa: qui cum solvere nequeant, bonis cedunt. *Ant.*

111 *O pudor, hirsuti costis exuta leonis Vellera*] *Pro pudor* rectius quinque libri: sic passim optimi auctores. Deinde *costas exuta* eleganti Græcismo Puteaneus. *Heins.*

112 *Vellera*] Pellis. Diximus supra ex pelle leonis Nemeæi Herculem fecisse sibi tegmen corporis. *Texerunt molle latus*] Id est, fœmineum.

Digitized by Google

113 *Spolia*] Dicit, Illa pellis, qua illa induta est, non significat quod tu viceris leonem: sed quod illa te viceriit, et ex te spolia abstulerit.

114 *Tuque feræ victor es*] *Feri* Puteaneus, et Gronovianus pro diversa lectione. Sic Met. VI. 77. 'Exiluisse feram,' pro equo, ubi plura. Met. VIII. 'Ira feri mota est,' de apro Calydonio: et, 'Fixa sub aure feri summum distrinxit arundo Corpus:' quomodo Phædrus de cervo, Fab. I. 12. 39. item de leone Fab. I. 21. 32. de apro 62. Mox, de eodem apro Calydonio noster, 'Immanemque ferum multa tellure jacentem Mirantes spectant:' sic ibi codex longe optimus. Ausonius Epist. V. 'An spumantis apri cursum clamoribus urges, Subsidisque fero?' Hinc *ferus aper* passim poëtis, et *ferox:* de quo Met. III. 213. Met. XI. de lupo, 'vastatoremque cruento Ore ferum spectant.' De bubus Fast. I. 'Traxerat aversos Cacus in antra feros:' ut censeo legendum. *Heins. Feri*] Leonis. *Illa tui*] Scil. victrix. *Hub.*

116 *Gravem*] Plenam.

117 *Clava*] Hercules enim clava ad domandas feras usus dicitur, quam Vulcanus simul cum thorace, ob meritum virtutis, ei dedisse dicitur.

119 *Licuit*] Potui. *Famæ*] Quæ de rebus supradictis ferebatur.

121 *Advena*] Peregrina. Et nunc Iolen intelligit: nam, ut supra vidimus, enumeravit mulieres, quas Hercules amavit: usque ad Iolem, quæ fuit ultima.

122 *Averti*] Amoveri a me. *Hub. Per urbem*] Tirynthem, ubi Deianira degebat.

125 *Nec venit incultis*] Conjecturam firmat signis: passis enim crinibus reginæ ante triumphum incedebant captivæ. *Ant.*

126 *Fortunam vultus fassa tegendo suos*] Hic denuo codices antiqui mirum in modum a vulgata lectione discedunt: pro qua tamen cum alii nonnulli tum Puteaneus stant, nisi quod in eo emendatum, *falso tegente suam.* Quidam hoc uno a vulgatis differunt, quod *falsa* aut *fessa* pro *fassa* agnoscunt. Major librorum pars, *Fortunam vultu fassa tegendo suam;* vel *tegente:* alii, *Fortunam vultum fassa tegendo suum;* vel *suam:* unus, *Fortunam vultu fassa tegente suo:* unus Ambrosianus, *Fortunam vultu dissimulante suam.* Plura hujus notæ qui vult, adeat Ciofanum. Gronovius Observat. lib. II. cap. 11. emendat, *Fortunæ vultum fassa tegendo suum:* ut in Ibide, 'Fortunæ faciens invidiosa tuæ:' et Trist. III. El. 8. 'Adstans fortunæ forma verenda meæ:' et Trist. I. 'His ero dicas inter mutata referri Fortunæ vultum corpora posse meæ.' Quid si legas? *Fortunam vultu fassa rigente suam:* *vultu rigente,* inculto, inornato: sic Epist. Œnones, *ungue rigente* pro *rigido:* 'Et secui madidas ungue rigente genas:' scriptum videlicet *regente* fuerat. Hinc *tegente* factum. Certe postremam syllabam in *tegendo* aut similibus nusquam corripit Ovidius. *Heins. Fortunam suam*] Id est, adversam. *Vultus tegente*] Sicut illæ, quæ sunt in tam misera fortuna, facere solent.

127 *Ingreditur late multo spectabilis auro*] Libri veteres *late lato spectabilis auro;* et recte: ut jam monui. *Heins.*

129 *Dat vultum populo sublimis ut Hercule victo*] *Sublime sub Hercule victo* constanter scripti; quod cur rejiciamus, nihil causæ est. Sic 'sublime ferre,' pro in sublime, aut, sublimiter, passim poëtæ: ita 'sublime ferri' Lucretio, et 'sublime volare:' 'sublime micare' Germanico in Aratæis: et Avieno, 'sublime erigi.' Multus est hac in voce Silius Italicus. *Idem. Dat*] Ostendit. *Sublime*] Pro sublimiter, id est, alte. *Hub. Sublime*] Id non captivitatis, sed fastus et imperii signum est.

130 *Vivo parente*] Incedit, ut si vivus pater Euritus Œchaliæ triumphum duceret. *Ant.*

131 *Forsitan expulsa*] *Et pulsa* Pu-

Digitized by Google

teaneus; recte. Met. II. 'Cur non et pulsa ducit Junone?' Fast. III. 'Pellitur Anna domo.' Trist. 'Pulsus Aristides non tamen urbe sua est.' Fl. Vopiscus in Carino, 'Uxores ducendo ac rejiciendo novem duxit, pulsis plerisque prægnantibus.' *Heinsius. Forsitan*] Addit et aliud, quod sit futurum turpius ipsi Herculi: quia fortasse pulsa ipsa Deianira, accipiet Iolen uxorem. Ordo est, Iole forsitan erit uxor, deposito nomine pellicis. *Expulsa Deianira*] Scil. me. *Ætolide*] Nam Deianira ex Ætolia fuit.

133 *Eurytidos Ioles atque insani Alcidæ*] *Et insani* Puteaneus aliique nonnulli. *Eurytidosque* duo libri præterea. Sequenti versu rectius scripti plerique *junget Hymen*, quam *jungit*, quia 'uxor erit' præcesserat. *Heins.*

134 *Famosus Hymen*] Id est, matrimonium infame; quod erit, si, me legitima uxore pulsa, concubinam duxeris. Nam 'famosus' semper in malam partem accipitur. *Turpia corpora junget*] Id est, turpiter junget.

135 *Mens fugit*] Id est, horret. *Admonitu*] Id est, recordatione hujus facti, ne, me relicta, aliam accipias.

137 *Me quoque*] Sine crimine: quia amasti me ut conjugem, non adulteram aut concubinam. *Hub.*

138 *Pugnæ bis tibi causa fui*] Primum cum Acheloo, deinde cum Nesso Centauro, pro Deianira Hercules pugnavit.

139 *Rapidis Achelous in undis*] *Ripis Achelous in imis* Puteaneus: sed pro *imis* aliud quid a manu prima scriptum videbatur fuisse. Argentinensis et meus, quem a Cl. V. Jacobo Mentelio donum accepi, *ripis udis*; quo alludit et Farnesianus unus, qui *ripis undis* habet. In ripa enim Achelous fluminis, non in ipso flumine, cum Hercule est luctatus. *Heins. Achelous*] Cum eo Hercules pro Deianiræ conjugio pugnavit, primum sub forma serpentis, deinde ut taurus, cui cornu Hercules perfregit: quod excoperunt Nymphæ, et rebus omnibus repletum, Cornucopiæ est appellatum. *Ant. Legit*] Collegit, quasi fracta. *Achelous*] Ideoque Hercules ταυροφόνος dicitur Theocr. Idyll. 17. Hanc fabulam complures celebrarunt poëtæ: vide Metam. IX. 80. ibique Farnab. Sen. Herc. in Œta. Apollod. lib. I. et alios. Achelous autem vere fuit fluvius, duobus alveis celebris. Hinc bicornis: Horat. Od. IV. 4. de Aufido, 'sic tauriformis volvitur Aufidus.' Dixerunt autem fluvios ταυροειδόρφους, propter sonitum: sic Homer. de Scamandro, Iliad. Φ. 237. μαιμώσ' ἠΰτε ταῦρος. Vide Ælian. lib. II. περὶ ἐγκαλμάτων ποταμῶν.

141 *Semivir occubuit vi Lerniferoque veneno*] Illud *vi* a correctoribus est; pro quo libri omnes antiqui *in* agnoscunt: sed et ridiculum *Lerniferum venenum*: quare enim *Lernæum* non dixit? Scripti nonnulli, *Semivir occubuit Lernæi tabe veneni*; vel *trajectus terga sagitta*. Sed et hic interpolatores agnosco. Alii *in lethiferoque veneno*, idque aliquanto rectius, ut Naugerius quoque et Ciofanus observant. Puteaneus a secunda manu, *in lerniferoque veneno*, sed a prima *in letifero eveneno*. Miror Scaligerum, Salmasium, alios viros eruditos qui ante nos eo codice sunt usi, non vidisse veram lectionem, quæ minima mutatione est in promtu, si scribas, *Semifer occubuit in lethifero Eveno Nessus. Semifer* enim, quod est in tribus nostris, præstat *Semivire*. De Eveno confirmant sequentia, 'et infecit sanguis equinus aquas.' Etsi alii Nessum in Eveno non occubuisse dicant, sed vulneratum solummodo fuisse; quos inter et noster Met. IX. et in Trachiniis Sophocles. Vibius Sequester, 'Evenus Calydoniæ, ubi Hercules sagittis Nessum Centaurum interfecit.' Lucanus: 'Et Meleagream maculatus sanguine Nessi Evenos Calydona secat.' Idem mox, 'Hospes et Alcidæ magni Phole; tuque per amnem

Digitized by Google

Improbe Lernæas vector sensure sagittas.' Cæterum Eveni vox Scholiastæ Statii etiam reddenda Theb. XI. 288. 'Hercules enim victo Acheloo Deianiram duxit uxorem, qui cum ad fluvium pervenisset;' lege *fluvium Evenum pervenisset.* Apud Servium quoque lib. VIII. 290. perperam desideratur. Scriverianus codex *sub luxriferoque veneno:* ut fortasse sit scribendum *Centaurifero Eveno;* quomodo idem 'Centaureus Lycormas' Statio est dictus lib. IV. Theb. Sed hoc in dubio facile reliquerim. Neminem autem poëseos utcunque peritum hiatus offendat iste *lethifero Eveno,* qui meminerit istorum Virgilii, 'Ionio in magno,' et similium. Noster hac ipsa epistola, 'in cupressifero Erymantho;' et, 'insani Alcidæ:' quibus fulciendis *τὸ que* incalcabant plerumque insciti librarii: ut in antiquissimis etiam Virgilii exemplaribus est deprehendere. Sic apud Silium quoque peccatum lib. IV. ubi *Aniensicolæ Catilli* ex Virgilii et Veteris libri auctoritate est reponendum. Sed manum de tabula. *Heins. Semivir occubuit*] Nessum Centaurum intelligit, quem Hercules trucidavit, cum in trajiciendo Eveno flumine Deianiræ vim inferre voluit. *Semivir Nessus*] Ἀνδρόλφ τόνῳ βούκρανος, quales vocat Eurip. in Ione. μιξόθηρας φῶτας. Et in Anthol. Græcor. Poët. Ὁ ταυρόκρανος, ἡ πλάνη τῶν σωμάτων, Ὃς οὔτε βοῦς πέφυκεν, οὔτ' ἀνὴρ ὅλως. *Eveno*] Ἐπ' Εὐήνῳ τῷ ποταμῷ Νέσσον τιμωρούμενος, *Ad Evenum amnem Nessum interfecit Hercules.* Pausan. in Laconic.

144 *Virum tunicæ labe perire meæ*] *Tabe* reponatur ex melioribus libris: quomodo et peccatum in Cydippes epistola, 60. Seneca de Hercule, Medea, 'Præbuit sævis sua membra flammis Tabe consumtus gemini cruoris:' 'gemini cruoris,' Nessei et Lernæi. Idem Hercule Œtæo, 'Ut missa palla est tabe Nessea illita.' *Heins. Tabe*] Veneno. *Tunicæ meæ*] Diximus, per Licham puerum tunicam misisse Deaniram, infectam Nesseo sanguine. *Ant.*

146 *Impia*] Quæ virum interimere potuisti. *Ant.*

147 *In media Œta*] In Œta monte Thessaliæ constructa fuit pyra; in qua Hercules combustus est.

148 *Tu sceleris tanti causa superstes eris*] *Viva superstes* Puteaneus et multi alii. Forte, *Tu sceleri tanto viva superstes eris?* Heins.

149 *Et quid adhuc habeo facti*] *Et quid* Puteaneus. Lege, *Si quid. Mors mihi pignus* post libri quidam, pro *mors mea.* Idem.

150 *Mors mihi pignus erit*] Meo exitu fidem faciam, me Herculi nupsisse. *Ant.*

151 *Tu quoque*] Ut videatur esse soror Meleagri: quia sicut ille propter amorem Atalantæ mortuus est, ita ipsa propter amorem Herculis vult mori. *In me*] Id est, in morte mea.

152 *Impia*] Versus intercalaris dicitur, quia sæpe interponitur; sicut apud Virgil. 'Incipe Mænalios mecum, mea tibia, versus.'

153 *Heu devota domus*] Deflet infœlicitatem suæ domus: ut ostendat, se non debere dubitare, quin moriatur. *Hub. Solio sedet Agrius alto, &c.*] Agrius post dispersam Œnei domum Ætoliæ regnum occupavit: eamque rem Deianira inter cætera mala et infortunia generis ac patriæ suæ recenset. Fuerunt autem fratres Agrius, Melas, et Œneus. *Micyl. Solio alto*] Id est, quanto major fuit, tanto est infœlicior. *Solio sedet Agrius alto*] Scripti plerique *acrior:* Puteaneus *acries;* quod est *Agries.* Restituendum idem nomen Pont. lib. III. El. 9. 'Auctor opus laudat: sic forsitan Agrius olim Thersiten facie dixerit esse bona:' ita enim Vaticanus liber; vulgati *Accius.* Fuit autem Thersitæ pater Agrius, ut illo loco dicetur. *Heins.*

Digitized by Google

154 *Desertum*] A filiis derelictum. *Longa senecta premit*] *Nuda* libri veteres; et recte. Sic 'inopem' alibi et 'egenam' vocat senectam. *Heins.*

155 *Tydeus germanus*] Frater meus. *Exulat Tydeus*] Hic, interempto Menalippo fratre in venatione, Argos ad Adrastum fugit, ut diximus.

156 *Alter*] Meleagrum significat, quem Althea mater cum fatali stipite combussit. *Ant.*

157 *Exegit ferrum*] Althea, cum pœnitentia duceretur, quod sua culpa Meleager cecidisset, se ipsam trucidavit: ut Diodorus scribit. *Ant.*

160 *Ne videar thalamis insidiata tuis*] In Puteaneo vetus lectio erat erasa, et repositum *titulis tuis*; quomodo et sex alii: quatuor *fatis tuis*: sex *nostris toris*: tres *toris tuis*: duo *tuis toris*: prisca editio *totis toris*. Latet aliquid. *Heins.*

161 *Avidum pectus*] Nimio amore insanum. *Ant.*

162 *Vires amoris*] 'Velut irritamen amoris.' Ovid. Metam. IX. Ἔσται φρενός σοι τοῦτο κηλητήριον Τῆς Ἡρακλείας. Soph. Trach. Et Juven. Sat. XI. 'Irritamentum Veneris languentis.'

165 *Jamque vale*] Laqueo parato ad interitum, jamjam peritura salutat suos. *Germanaque Gorge*] Œnei filia ex Althea, et Deianiræ soror. *Ant.*

166 *Et patria*] Scilicet Calydon. *Frater*] Tydeu. *Patriæ tuæ*] Qui es exul. *Patriæ frater ademte meæ*] *Tuæ* libri veteres majori ex parte cum Puteaneo. *Heins.*

167 *Tu quoque lux*] *Et tu lux* scripti præter Argentinensem, in quo *Nec non lux*. Idem. *Et tu lux*] Φίλον τὸ φέγγος τοῦτο τοῦ θεοῦ, φίλον. Eurip. Alcest. Quod et Dido Æneid. IV. testatur, 'Ter revoluta toro est, oculisque errantibus alto Quæsivit cælo lucem, ingemuitque reperta.' Ὅμως δὲ καὶ, προσμικρὸν ἐμπνέουσ' ἔτι, Κλέψαι πρὸς αὐγὰς βούλεται τὰς ἡλίου. *Heu! quam suave est luce jam prona frui, Seseque clepere, et trahere vel brevem moram.* Et Ovid. Metam. IV. 144. Et Eurip. Ψυχῆς γὰρ οὐδέν ἐστι τιμιώτερον.

168 *Sed o possis*] Id est, utinam possis, scilicet valere. *Puer Hylle*] Id est, fili Hylle. *Hub.*

EPIST. X. ARIADNE THESEO.

Priscæ editiones et codices nonnulli etiam hic copiosiores sunt vulgatis, cum hanc Epistolam sic exordiantur: 'Illa relicta feris etiam nunc, improbe Theseu, Vivit: et hæc æqua mente tulisse velis.' Ejusdem nempe farinæ, cum iis quæ hic illic jam ante dedimus. *Heins.*

1 *Mitius inveni, quam te, genus omne ferarum*] In tota epistola, perfidiæ est et sævitiæ expostulatio. *Ant.* *Genus ferarum*] 'Hyrcanæque admorunt ubera tigres.' Æneid. IV.

2 *Credita*] Id est, commissa, tradita. *Pejus*] Majori perfidia.

6 *Pro facinus*] *Per facinus* scripti duobus recentioribus exceptis. In Ibide, 'Per facinus soror est cui sua facta parens.' Remediis Amoris, 'Per facinus fieri non meruisset avis.' Fast. II. 'Eripiam, dixit, per crimina vitam:' quæ illic vera est lectio. *Heins.*

7 *Quo primum terra pruina*] Matutinum crepusculum significat: quando terra levi rore madescit. *Vitrea pruina*] Sic Senec. Hippol. a. I. 'dum lux dubia est, Dum signa pedum roscida tellus Impressa tenet.'

Digitized by Google

9 *Incertum vigilans an somno languida*] Scripti omnes, *a somno*. Lego *ac somno languida*. 'Incertum vigilans,' dubie vigilans. Sic Statius Theb. v. qui hæc videtur respexisse, 'Turbidus, incertumque oculis vigilantibus, hostem Occupat.' *Heins.*

10 *Thesea prensuras semisopita manus*] Lego *semisupina*. Ne bis idem dicat, utque metro consulatur: prima enim in *sopita* haud est ut possit corripi. Sarravianus certe pro diversa lectione *semisepulta*; usus etiam est ea voce Martialis l. vi. Sic Amor. l. i. El. 14. 'Purpureo jacuit semisupina toro;' ex auctoritate meliorum codicum. Nam vulgati illic etiam simili prorsus modo peccabant. Art. Am. iii. 'Cum jacet in dextrum semisupina latus:' ubi etiam codices quidam *semisopita*. Scribebant *sopina* pro *supina*; hinc natus error. Sic libro i. Art. Am. in veterrimo codice Oxoniensi, 'sive illa toro resopina feratur.' In Catalectis Scaligeri, 'Et flectat niveum semisupina latus.' *Idem.*

14 *Viduo*] Derelicto a te marito meo.

15 *Sonuerunt*] Propter percussionem.

16 *Erat turbida*] Id est, turbata et incompta.

17 *Luna fuit*] Splenduit clare et plene. Sic Suet. in Cæs. 'seu sol, seu imber esset.'

18 *Nil nisi littus habent*] *Erat* tres scripti; ut Epist. Laod. 'Et quod spectarem, nil, nisi pontus, erat.' *Heins.*

19 *Utroque*] Sursum, deorsum; ἄνω, κάτω περιπατῶν. 'Trepidari sentio, cursari rursum prorsum.' Ter. Hecyr. 'Ut ille trepidabat, ut festinabat miser.' Plaut. Cas. ii. 7. Vide et Epidic. ii. 2. 63. *Utroque*] Huc et illuc. *Sine ordine*] Id est, sine ratione. *Sine ordine*] 'Et nunc huc, inde huc incertos implicat orbes Turnus...Nec se currentem, nec se cognoscit euntem.' Æneid. xii.

23 *Toties locus ipse vocabat*] Quia Echo reddit eadem verba.

26 *Nunc scopulis*] Excerpta Jureti cum aliis nonnullis *Hinc*. Vossianus *Huic:* quatuor *Hic*. Heins. *Adesus*] Corrosus et cavatus. *Hub.* *Scopulus pendet*] Mari imminens. *Ant.*

28 *Metior*] Sequor. *Metior*] Æneid. vi. 'Quantum acie possent oculi servare sequentum.' Et l. viii. 'Oculisque sequuntur Pulveream nubem.' Et l. v. 'Si modo rite memor servata remetior astra.' Senec. Troad. 'et lentum Ilium Metitur oculis: ac decem tandem ferus Ignoscit annis.'

29 *Quoque*] Fuerunt enim crudeles, quia te cito auferebant. *Hubert.*

30 *Præcipiti*] Toto velo ventos excepisti, pernicissime navigans. *Ant.* *Carbasa tensa noto*] *Tenta*, Puteaneus et alii nonnulli: sic Met. xiii. ex veteri codice 'Jamque viam suadet Boreas, flatuque secundo Carbasa tensa sonant:' ubi vulgati *mota*. Heins.

31 *Aut vidi, aut certe quia me vidisse putavi*] Mire turbant hic denuo prisca exemplaria. Puteaneus, hiatu relicto in illis quæ legi non poterant, *Aut vidi a...jam quæ me vidisse putarem*. Puto, *Aut vidi, aut quod erant quæ me vidisse putarem;* quo et alludunt tres alii codices in quibus, *Aut vidi, aut fuerant quæ me vidisse putarem:* multi libri, *Aut etiam cum me vidisse putarem;* etiam non male. Alii aliter: sed piget in his morari. *Idem.* *Aut etiam cum me vidisse putarem*] Quia sæpe ex affectu animi putamus nos videre ea quæ non videmus.

36 *Numerum suum*] Id est, omnes qui in ea esse debent; deest enim Ariadne. *Hub.*

37 *Hoc ego quod voci deerat*] *Hæc* Puteaneus et tres alii: distingue, *Hæc ego quod voci deerat, clangore replebam*. Sulpici. in Satyra: 'Hæc ego: tum paucis Dea me dignatur et infit.' Noster Epistola Hypermnes-

Digitized by Google

træ, 'Hæc ego: dumque queror, lacrymæ sua verba sequuntur.' Amor. II. El. 5. 'Hæc ego: quæque dolor linguæ dictavit.' Remed. Amor. 'Hæc ego: movit Amor gemmatas aureus alas.' Similiter 'sed quid ego hæc?' de quo Epist. XV. 207. *Heins.* *Plangore replebam*] Cum a clamore discederem, me, ut in summo dolore fit, verberabam. *Ant.*

41 *Candida velamina*] Lineum pannum.

46 *Postquam desierant*] *Desieram* Puteaneus et quinque alii. *Heins.*

47 *Aut ego*] Dicit quid egerit, posteaquam non amplius vidit navem Thesei.

48 *Qualis*] Dicit se sic præcipitem cucurrisse, sicut currunt sacerdotes Bacchi, cum Dei sui numine stimulantur. *Baccha*] Μιμαλλόνες Lycoph. Cassand. Vel Mimallonides. Ovid. 'Ecce Mimallonides sparsis in terga capillis:' et Stat. Thebaid. IV. 'Scissasque Mimallones ursas.' Vide Lucian. in Dialog. Διόνυσ. *Ab Ogygio Deo*] Id est, Baccho Thebano. Ogygius rex fuit Thebanorum.

49 *In saxo*] In monte saxeo.

53 *Et tua quæ possum*] *Qua possum* rectius Argentinus cum Jureti Excerptis. Epistola Laodamiæ, ut quidem libri meliores habent, 'Qua possum squallore tuos imitata labores Dicar:' ubi vide quæ noto. Art. Am. l. II. 'Corpora si nequeunt, qua possunt, nomina tangunt.' *Heins.*

55 *Incumbo toro*] Æneid. IV. 'Incubuitque toro, dixitque novissima verba: Dulces exuviæ,' &c. Vide et Argon. Apollon. 4. v. 26. Κῦσε δ' ἑὸν τε λέχος. Et Eurip. Alcest. Ὦ λέκτρον, ἔνθα παρθένει' ἔλυ.' ἐγὼ Κορεύμαι' ἐκ τοῦ δ' ἀνδρός.

59 *Qua sola ferar*] *Quo sola* meliores; et *culto* pro *cultu* Puteaneus. Fast. I. 'Neve graves cultis Cerealia culta, cavete, Agmine læsuro depopulentur aves.' Pont. l. II. El. 9. 'Vana laborantis si fallat culta coloni, Accipiat gravidæ cur suis exta Ceres.' Ita vetus liber. Ausonius Epist. I. 'colui loca juncta superbis Urbibus, et lætis hominum celeberrima cultis.' Hinc *pinguia culta* apud Claudianum et Avienum descriptione orbis. Ammianus, l. XXV. 'Cultorum, ut putant, feracium multiplicantes annuos fructus.' *Heins.*

61 *Omne latus*] Id est, omnem partem. *Navita nusquam est*] Τὸ *est* non agnoscunt meliores. *Heins.*

63 *Finge*] Id est, pone, seu fac.

65 *Ut*] Id est, quamvis. *Labar*] Id est, et celeriter eam.

66 *Temperet ventos*] Id est, licet det mihi ventos secundos. *Æolus*] Puteaneus *Eulos*. Lege *Æolos:* Met. XIII. 'Æolon ille refert Thusco regnare profundo.' *Heins.*

68 *Puero cognita Jovi*] Quia Jupiter illic nutritus est.

69 *Nam pater et tellus*] Puteaneus ac alter Moreti, *At pater:* vetustior ejusdem, *Et pater;* probe. *Heins.*

70 *Nomina chara*] Scilicet, pater et patria.

71 *Cum tibi ne victus*] *Victor* Puteaneus et duo alii: superato scilicet jam Minotauro. *Heins.* *Tecto recurvo*] Periphrasis Labyrinthi.

73 *Tu mihi dicebas*] *Cum mihi* præstantiores. *Heins.*

75 *Si modo vivit Fœmina*] *Vivis* iidem magno numero; ut se ipsam alloquatur; quod ἐμφατικώτερον, ad affectus concitandos. Sic Trist. l. V. El. 7. 'Vivit in his, eheu! tenerorum oblitus amorum; Hos videt, hos vates audit, amice, tuus! Atque utinam vivas, et non moriaris in illis!' Ita optime liber antiquus; vulgo *vivat et moriatur*, contra legem carminis. Ipsa Ariadna, Fast. III. 'Sorte tori gaudens, Quid flebas, rustica, dixit? Utiliter nobis perfidus ille fuit:' non *flebam*, ut est in vulgatis. Epistola Hypermnestræ, 14. 'non es, quam piget esse piam:' ut quidem videtur scribendum. Remed. Amor. 'Nona

Digitized by Google

terebatur miseræ via, videris, inquit, Et spectat zonam pallida facta suam:' sic vetustus codex. *Idem. Si modo vivis*] Ad seipsam convertit sermonem Ariadne, corrigens quod dixerat.

77 *Mactasses*] Deest utinam. *Qua fratrem*] Scil. mactasti, hoc est, Minotaurum.

79 *Quæ sum passura*] Mortem indicat, de qua forte deliberarat.

85 *Tellus alit ista leones*] *Alat* Puteaneus et Sarravianus. *Heins.*

86 *Quis scit an hæc sævas insula tigres habet*] Duo sunt quæ in hoc versu offendunt. Primo quod Latine vix dicitur, *Quis scit an habet*, sed *an habeat*. Deinde quod posteriorem in *tigres* corripiat, quæ Latina vox; nam quarto casu Græco *tigridas* debuisset dixisse. Turbant vehementer libri veteres; ut de mendo dubium non sit. Puteaneus, *Quis scit an et hæc tigrides insula habent:* alii plerique *sævas tigrides insula habet*, vel *tigridas:* vetustior Moreti, *Quis scit an hæc tigres insula sæva ferat:* meus, quem a Mentelio habui, *Quis scit an hæc sævas fert quoque terra tigres.* Sed hæc interpolatorum sunt. Dicam quod sentio. Puto ultimam in *tigrides* aut *tigridas* syllabam absorpsisse vocem, quæ sequebatur, *Dia* videlicet, cujus glossema fuerit τὸ *insula*. Deinde pro *habet* exaratum primo corrupte fuisse *bacet* vel quid simile, unde *habet* sit factum. Lego igitur, *Quis scit an et sæva tigride Dia vacet.* Sic supra 'vacat insula cultu.' Met. I. 'Jupiter ut vidit fessam et custode vacantem:' ita enim illic libri veteres; vulgati *carentem*. Si quis meliora excogitarit, ei ego libens adsurgam et gratulabor. *Idem.*

87 *Expellere*] Id est, ejicere in siccum. *Phocas*] Id est, vitulos marinos. Nullum autem animal, teste Plinio, graviore somno premitur. *Phocus*] Virgil. Georgic. IV. 'Sternunt se somno diversæ in littore phocæ.' Quarum pessimus odor. Homer. Odys. VIII. 442. Φωκάων ἁλιστρεφέων ὀλοώτατος ὀδμή. Unde etiam Ovidio deformes dicuntur. Metam. I. 'Nunc ibi deformes ponunt sua corpora phocæ.' Et Virgil. Georgic. IV. 'immania cujus Armenta, et turpes pascit sub gurgite phocas.'

88 *Quis vetat et gladios*] Leve est quod dicam, dicendum tamen, reponi nimirum debere vel contra codices vetustos, *Quid vetat.* Amor. I. El. 7. 'Quid vetat et nervos magicas torpere per artes?' Art. Am. III. cum veteri codice, 'Quid vetat apposito lumen de lumine sumi?' et 'Quid vetat a magnis ad res exempla minores Sumere?' ubi similiter peccant scripti plerique. Fastor. I. cum optimo Vaticano, 'Quid vetat et stellas, ut quæque oriturque caditque Dicere?' l. II. 'Quid vetat Arcadio dictos a monte Lupercos?' et l. III. 'quid enim vetat inde moveri?' Trist. I. El. 2. 'Quid vetat irato numen adesse Deo?' ut libri veteres agnoscunt. l. V. El. 1. 'Quis te mala sumere cogit? Aut quid deceptum ponere sumpta vetat?' Sic Vaticanus: atque ita apud Petronium legerim, 'Nam quis concubitus, Veneris quis gaudia nescit? Quid vetat in tepido membra calere thoro?' Neque aliter Horatius ac reliqui optimæ Latinitatis auctores. Sic et *Quid prohibet* dicebant potius quam *Quis*. Ep. Helenæ ex fide veterum librorum, 'Quid prohibet raris nomen inesse meum?' Sic et apud Petronium legatur, 'Ceterum Licas ut Triphænæ somnia expiavit, Quid, inquit, prohibet navigium scrutari?' Idem, 'Habes tu quidem fratrem: sed quid prohibet et sororem adoptare?' ita et Virgilius. Apud Ausonium tamen Epist. XXV. circumfertur, 'Quis prohibet, salve atque vale brevitate parata.' *Heins.*

90 *Ne traham*] Ex colo deducam. *Pensa*] Lanas ad pensum datas. *Pensa*] πρὸς ἄλλης ἱστὸν ὑφαίνοις, Καί κεν

Digitized by Google

δίωρ φορέοις, Hector ad Androm. Hom. Iliad. Z. 456. *Δούλιον ἦμαρ*. 'Herile carpere pensum.' Hor. Od. III. 27.

93 *Si mare*] Dicit se undique videre sibi parata pericula.

95 *Cælum restabat*] Unde non essent mihi pericula. *Simulacra*] Figuras, in quas Dei se dicuntur mutare.

96 *Rapidis præda cibusque feris*] *Rabidis* Argentinensis: sic idem codex sequenti epistola, 'rabidarum præda ferarum.' Rapidæ tamen feræ pro rapacibus dictæ videntur. *Heins.*

99 *Viveret Androgeos*] Fuit unus ex Minois liberis, quem Ægeus Thesei pater interemit. Utinam, inquit, Athenienses non interemissent Androgeum: quoniam tu ad perimendum Minotaurum non navigasses, nec ego deserta quererer. *Facta luisses*] *Fata tulisset* Puteaneus; alii *fata luisses* vel *tulisses*: sed nil muto. Sic apud Statium Theb. I. 'Facta luant Thebæ:' et l. XII. 'Aut nece facta luent.' *Heins.*

100 *Funeribus tuis*] Corporibus puerorum et virginum, qui tradebantur Minotauro devorandi. *Ant.*

102 *Ardua*] Id est, in altum sublata, ad inferendum majorem ictum.

104 *Fila per adductas sæpe recepta manus*] Non damno hanc lectionem. Vide tamen, ne scripserit Ovidius *fila relecta*. Met. VIII. de eadem re, 'Janua difficilis filo est inventa relecto:' ubi *relicto* perperam scribebatur. Fast. III. 'Jam male perjuro mutarat conjuge Bacchum, Quæ dedit ingrato fila legenda viro:' sic vere optimi codices; vulgati et illic *regenda*. Propertius l. IV. El. 4. 'Prodita quid mirum fraterni cornua monstri, Cum patuit lecto stamine torta via.' Virg. l. X. 'extremaque Lauso Parcæ fila legunt:' hoc est, colligunt, ut Servius interpretatur. Sic 'collecta fila' Seneca Hippolyto de Theseo, 'Et longa curva fila collegit via.' *Heins.*

106 *Strataque Cretæam bellua stravit humum*] *Tinxit humum* multi ex scriptis; quod admittendum opinor: nisi *planxit* malis. Ep. Parid. 'Cæsaque sanguineam victima planget humum.' Met. III. de Terrigenis, 'Sanguineam trepido plangebant pectore matrem:' de quo loquendi modo alibi. Fast. I. 'Et lato moriens pectore plangit humum:' ubi male *tangit* et *pulsat* veteres nonnulli. Fast. IV. 'Atque indignanti pectore plangit humum.' *Idem.*

107 *Non poterant*] Ecce causa, quare habuerit victoriam. *Cornu*] Scilicet Minotauri. *Figi*] Vulnerari.

108 *Ut*] Id est, quamvis.

109 *Illuc tu silices, illuc*] *Illic* ex castigatioribus repone. *Heins.*

110 *Qui Thesea vincat habes*] Id est, habes feritatem tibi ingenitam, quæ est durior silicibus.

111 *Inertem*] Sopitam, non sentientem.

113 *Nimium parati*] Qui tam cito Theseum abstulistis.

115 *Dextera*] Scil. Thesei. *Fratrem*] Minotaurum. *Et me*] Quia fuit etiam causa meæ mortis.

116 *Fides*] Scil. fuit crudelis. *Nomen inane*] Id est, sine effectu. *Data*] Scilicet, a te. *Poscenti*] Mihi.

120 *Nec mea qui digitis*] *Digitus* Scriver. et Palat. *Heins.* *Qui condat*] Id est, qui claudat. Nam mortuis solebant propinquiores claudere oculos.

121 *Spiritus*] Id est, anima.

122 *Unget*] Nam cadavera prius lavabantur, deinde ungebantur.

125 *Ibis Cecropios portus*] Invidiose hoc dictum est, intrabis Piræeum Athenarum portum. *Ant.*

126 *Cum steteris turbæ celsus honore tuæ*] *Turbæ celsus in aure* Puteaneus; et emendatum postea *urbis in arce*: quomodo et sex alii: vide quæ noto Epist. VII. 51. Dido, 'Et videas populos altus ab arce tuos.' De arce Atheniensi protrita omnia. Lovaniensis *urbis celsus in ore*. Octo, *turbæ*

Digitized by Google

celsus in arce: totidem *turba celsus in ore*: quinque *in orbe*; utrumque bene: unus *turba in urbe*. De *populi ore* in Aponum Claudiani dictum. Trist. IV. El. 2. 'Hos super in curru, Cæsar, victore veheris Purpureus populi rite per ora tui.' *Heins.*

127 *Et bene narraris*] Deest *cum*. *Tauri virique*] Id est, Minotauri.

128 *Saxea tecta*] Id est, labyrinthum.

129 *Solam tellure relictam*] Scribe *sola tellure*. Catullus de hac nostra, 'Desertam in sola miseram se cernit arena.' Sic 'loca sola' et 'sola rura' passim nostro, et similia. *Heins.*

130 *Non ego*] Ironice loquitur. *Surripienda*] Removenda. *Titulis tuis*] Tuis laudibus.

131 *Nec pater*] Præ nimia ira dicit eum non esse humano sanguine genitum, sed saxis. *Nec pater*] Simili furore correpta Dido, Æneid. IV. 'Nec tibi Diva parens, generis nec Dardanus auctor, Perfide.' et Senior Priamus, Æneid. II. 'satum quo te mentiris.' *Pittheidos Æthræ*] Id est, filiæ Pitthei.

132 *Auctores tui*] Id est, parentes, et ex quibus es genitus.

133 *Di facerent*] Nititur movere eum ad commiserationem sui.

134 *Mæsta figura*] Id est, aspectus meus tristis et lachrymosus. *Moviset*] Ad misericordiam et lachrymas deduxisset.

136 *Hærentem*] Id est, Finge videre me stantem in scopulo ab undis pulsato.

137 *Demissos lugentis more capillos*] *In ore* quatuor libri: at Leidensis *lugentum more*; ut Virgil. 'Iliades crinem de more solutæ.' *Heins. Demissos*] Per humeros sparsos.

139 *Corpus*] Dicit se præ dolore et timore tremere. *Sicut segetes*] Tremunt a ventis.

140 *Littera pressa*] Id est, signata, scripta. *Articulo*] Id est, digito. *Labat*] Vacillat: id est, non habet rectum ordinem.

141 *Per meritum*] Id est, Per beneficium, quod tibi præstiti. *Quoniam male cessit*] Quia male locavi illud.

142 *Gratia nulla*] Id est, nulla retributio. *Sit facto meo*] Id est, Beneficio, quod tibi feci.

143 *Sed nec pœna*] *Sed ne* Puteaneus et quinque alii. *Heins. Sed nec pœna*] Scilicet, sit meo facto: id est, Si non vis reddere gratiam facto meo, non debes tamen reddere pœnam et malum. *Si non*] Id est, Si non fui tibi causa salutis, sicut fortasse tu existimas.

146 *Tendo*] Porrigo.

147 *Qui superant*] Id est, Qui supersunt, et restant: nam reliquos præ dolore laceravi et avulsi.

148 *Tua facta*] Scilicet, crudelia: quia me deseruisti solam.

149 *Flecte ratem*] Verte navem ad me recipiendam. *Relabere*] Retronaviga. *Versoque*] Mutato.

150 *Si prius occidero*] Id est, Si mortua fuero, antequam redeas ad me abducendum ex his locis. *Tu tamen ossa feres*] Tres membranæ *leges*; quo et unus alludit Mediceus, in quo *lege*. De ossilegio multa viri eruditi in commentariis funeris antiqui. Noster Amor. III. El. 6. 'O utinam mea lecta forent, patrioque sepulcro Condita, dum poterant virginis ossa legi.' Perperam ibi vulgo, *tecta* et *tegi*. Propert. 'Ossaque legisti non illa ætate legenda Matris.' Sappho apud Nostrum, 'cum lecta parentis Ante diem lacrymas ossa bibere meas.' Atque ita passim veteres: sed ossa non legebantur nisi combustis cadaveribus, quod Ariadnæ in deserto loco haud erat sperandum. *Heins.*

Digitized by Google

EPIST. XI. CANACE MACAREO.

'*Ædis Æolidæ*, quam non habet ipsa, salutem Mittit, et armata verba tetata manu.' Priscæ editiones cum Excerptis Puteani et libri ex nostris multi ita ordiuntur hanc epistolam vulgatis auctiores, sed interpolatoris beneficio. *Heins.*

1 *Si qua tamen*] Quod autem ante *tamen* videatur aliquid esse præponendum, plerumque magis fit in sensu, quam in verbis. Nam intelligitur: Mitto tibi hanc epistolam, tamen. *Errabunt*] Id est, vacillabunt, et non habebunt rectum ordinem. *Lituris*] Maculis. *Cæcis*] Obscuris, quæ non bene possint legi.

2 *Libellus*] Epistola. *Oblitus*] Fœdatus. *A cæde*] Propter cædem. *Domina*] Id est, mea Canace.

6 *Sic*] Scilicet ense parato ad necem meam.

7 *Ipse*] Pater.

8 *Opus*] Id est, cædes mea. *Exigeretur*] Perficeretur. *Oculis*] Id est, in conspectu. *Auctoris*] Scilicet patris, qui est auctor et causa ut me interficiam.

9 *Suis*] Qui sub imperio suo.

10 *Spectaret*] *Spectasset* libri. Puteaneus *spectat sed*. Heinsius.

11 *Scilicet*] Quia versatur et vivit cum ventis, qui sunt sævi; ipse quoque est sævus, et convenit naturæ ventorum.

12 *Populi sui*] Id est, ventorum.

13 *Sithonio*] Threicio; fiat enim ex Thracia. Sithon autem, mons Thraciæ. De his ventis cardinalibus, Metamorph. I.

14 *Pennis*] Quia venti dicuntur habere alas. *Hub. Eure proterve*] 'Procacibus austris.' Æn. I. Et Horat. 'Tradam protervis in mare Creticum Portare ventis.' Et in antiq. Poët. Phrenetici: Septemtrionis filii. *Pennis*] 'Et alitis austri.' Virg. VIII.

16 *Vitiis suis*] Superat, inquit, ventos asperitate et sævitia, quibus imperat. *Aut.*

17 *Quid juvat admotam*] Me per nomina avorum admotam cœlo: hoc est, cœlestibus conjunctam et affinem, posse inter cognatos Jovem referre. *Micyl. Admotam*] Id est, junctam. *Hubert.*

19 *Non minus infestum*] Ita scripti plerique, præter Puteaneum, qui recte *Num minus*. Epistola Helenæ, 'Pulsa est Æsonia num minus illa domo?' Leandri, 'Num minus hæc nobis tam brevis obstat aqua?' Fast. I. 'Num minus hic toto est altior orbe cinis?' Fast. III. 'Num minus ingenuis artibus illa vacat?' Trist. I. El. 2. 'Ut mare considat, ventisque ferentibus utar, Ut mihi parcatis, num minus exul ero?' Lib. II. 'Præda fuit canibus num minus ille suis?' Lib. V. El. 6. 'Mansit in officiis num minus ille suis?' Loca plura adscripsi, quod ea in vulgatis editionibus ut plurimum mendosa circumferantur. Auctor Elegiæ in obitum Mæcenatis, 'Num minus Urbis erat custos et Cæsaris hospes?' *Heinsius. Num minus*] Id est, nihilo minus, quamvis sim de gente Jovis. *Funebria munera*] Id est, apta meo funeri.

20 *Non mea tela*] Id est, non mihi apta aut convenientia.

22 *Leto meo*] Id est, Utinam prius essem mortua, quam me unquam cognovisses.

23 *Plus quam frater*] Metam. IV. 334. 'Sororia saltem Oscula.' *Quam frater*] Quia amor fratris erga sororem debet esse moderatus.

24 *Et cur fui*] Cur obsecuta sum

Digitized by Google

tibi in amore, quod soror facere non debet?

26 *Deum*] Cupidinem. *Nescio quem Deum*] Antea mihi incognitum.

27 *Adduxerat*] Attenuaverat, contraxerat.

29 *Annua*] Longissima: id est, una nox videbatur mihi unus annus.

31 *Nec cur hoc facerem*] *Hæc* Puteaneus et alii multi. *Heinsius. Cur facerem, reddere causam*] Quia nesciebam amorem, qui me faceret suspirare.

32 *At illud eram*] Id est, amans.

33 *Prima*] Ante allos. *Animo anili*] Cauto, et perito talium rerum. *Animo anili*] Æneid. IV. 'illa gradum studio celerabat anili.' Item senex ille in Eurip. Ion. 728. *Ἰδού· τὸ τοῦ ποδὸς μὲν βραδὺ, τὸ τοῦ δὲ νοῦ ταχύ. Malum*] Amorem meum.

35 *Pudor dejecit ocellos*] Æneid. III. 'Andromache Dejecit vultum, et demissa voce locuta est.' Et Statius, Theb. II. 'Ibant Candida purpureum fusæ super ora ruborem, Dejectæque genas; tacite subit ille supremus Virginitatis amor, primæque modestia culpæ Confundit vultus.' Et Eurip. Phœniss. v. 1494. *ὑπὸ παρθενίας Τὸν ὑπὸ βλεφάροις φοίνικ', ἐρύθημα Προσώπου.*

36 *Hæc satis*] Id est, Licet tacerem, hæc erant satis. *Signa fatentis*] Id est, confitentis me amare.

38 *Furtivum onus*] *Σκότιον δὲ ἐγείνατο μήτηρ.* Homer. Il. Z. 24. *Ἐκ λαθραίας μίξεως·* et Homer. ibid. 161. *Κρυπταδίῃ φιλότητι μιγήμεναι.* Et Theoc. Idyll. 27. *ἀνίστατο φώριος εὐνή.* Vide Epist. Leandr. 54. *Onus*] Id est, puer, quem ferebam in utero. *Furtivum*] Occultum: vel furto, id est, stupro conceptum. *Hub.*

39 *Quas mihi non herbas, quæ non medicamina*] Partum abigere conati sunt herbarum succis.

40 *Supposuit*] Utero apposuit ad depellendum fœtum. *Ant.*

41 *Hoc te celavimus unum*] Parenthesis est: id est, Hoc solum tibi occultavimus, quod voluerim arte emittere partum.

43 *Admotis artibus*] Medicaminibus adhibitis excuti non potuit.

44 *Tectus*] Clausus utero. *Ab hoste*] Nutricem significat, quæ illum perimere conata est. *Ant.*

46 *Denaque luciferos Luna premebat equos*] *Movebat* libri veteres uno consensu; et recte. Val. Flaccus lib. III. 'Movet en gelidos Latonia currus.' Fast. II. 'Luna resumebat decimo nova cornua motu: Virque pater subito nuptaque mater erat. Gratia Lucinæ:' sic et ibi codices antiqui; non *decimo mense*, ut est in vulgatis: quem locum receptam scripturam tueri in his Canaces amicus meus contendebat, et evincere, pro *Dena Luna* non esse reponendum *Plena*, uti doctissimo Gronovio in Observationibus videbatur. Nec cum Puteaneo libro et aliis nonnullis, *Nona*, quod magnus Scaliger probavit. Nota illa, 'Matri longa decem tulerunt fastidia menses.' Noster in Fastis lib. II. 'Luna novum decies implerat cornibus orbem: Quæ fuerat virgo credita, mater erat:' et lib. III. 'Vel quia bis quinto fœmina mense parit:' l. v. 'Jamque decem menses: et puer ortus erat.' Althæa apud eundem Met. VIII. 'Et quos sustinui bis mensum quinque labores.' Seneca quoque in Phœnissis; sic enim Thebaidem ejus vere inscribit præstantissimus liber Medicæus, 'per decem mensium graves Uteri labores:' atque ita passim auctores. Sed quemadmodum, *quini et deni calculi* pro decem et quinque calculis recte dicuntur: ita *Lunam denam* pro decima posse dici erat ostendendum. *Heinsius.*

51 *Quid faciam*] Pro, facerem. *Edere*] Emittere. *Gemitus*] Clamores: id est, ex una parte dolor partus cogebat me clamare: ex altera prohibebat timor patris, et nutrix, quæ increpabat me.

Digitized by Google

52 *Et pudor*] Ex tanto scelere. *Hubert.*

53 *Continuo gemitus*] *Contineo* tres libri. *Heins.* *Verba elapsa*] Quæ præ dolore exciderant voces. *Reprendo*] Reprimo, ne audirentur.

54 *Cogor*] Quoniam ita imperabat nutrix. *Ant.* *Combibere*] Intra me tenere. *Lacrymas combibere*] 'Fletumque resorbent.' Sil. XII. et Stat. 'Inclusitque dolor lacrymas.'

55 *Ante oculos*] Certa et parata.

56 *Si morerer*] *Si moriar* multi. Puteaneus et unus meus, *morior*. Heinsius. *Mors erat grave crimen*] Quia non potuissem mori sine infamia, in tali casu, quo fuisset cognitum scelus meum.

57 *Superincumbens*] Scil. tu. *Comaque*] Propter dolorem, quem de me capiebas.

58 *Refovisti*] Recalefecisti.

59 *Charissima, dixti*] *Aisti* Puteaneus, et Argentinensis: multi ex nostris *disti*. Heinsius.

60 *Duos*] Scil. te et filium. *Unius corpore*] Id est, corpore tuo.

61 *Fratri nam nupta futura es*] Vetus lectio erasa erat in Puteaneo, cujus nullum appareret vestigium, ejusque loco repositum, *fratri es nam nupta futura*: quidam ex nostris *germano nupta futura es*; quomodo et in Puteaneo prius fuisse scriptum suspicor. *Heinsius.*

62 *Illius de quo mater es*] *Mater et* Puteaneus et plerique alii cum priscis editionibus. Lego cum Leidensi, *Illius, es de quo mater, et uxor eris*. Id.

63 *Mortua*] Scilicet ut videbar mihi. *Revixi*] Respiravi.

64 *Crimen onusque*] Id est, criminosum onus. *Positum*] Pro, depositum; id est, peperi. *Hubert.*

65 *Quid tibi graturis*] Non esse gratulandum, arguit ab Æoli crudelitate; et facinoris dedecore et periculo. *Ant.* *Æolus*] Pater meus.

66 *Surripienda*] Removenda. *Oculis patris*] Ne ab eo videatur.

67 *Frondibus infantem*] *Frugibus* Puteaneus optime. Molam salsam intellige; quam sacra facturæ in promtu esse oportebat: si *Frondibus* legas, bis idem dixerit. *Heins.* *Frugibus*] Dicit quomodo nutrix eum occultavit, simulans se facturam rem divinam. *Albentis olivæ*] Hæc enim arbor erat tutela Palladis, et dicata paci; apta sacrificiis, quæ anus volebat simulare.

68 *Velat*] Tegit. *Vittis*] Fasciis: tanquam rem sacram. *Sedula*] Studiosa.

69 *Ficta*] Simulata. *Precantia verba*] Id est, dicit hymnos et supplicationes.

70 *Dat viam*] Id est, cedit, quia credebat eam facere vera sacra. *Dat populus*] *Dant populi* Lovaniensis. Forte *Dant populus*. Heinsius.

72 *Proditur*] Detegitur, cognoscitur. *Indicio suo*] Propria voce.

73 *Revelat*] Detegit, remotis frondibus. *Mentita*] Ficta.

74 *Sonat*] Resonat. *Insana*] Magna.

75 *Ut mare*] Facit comparationem de suo tremore, cum audiret patrem ita clamantem. *Stringitur*] Leviter percutitur. *Tenui*] Levi.

76 *Fraxina*] Pro, fraxinea. *Noto*] Id est, vento. *Tepido*] Quia venit a meridie, ideo est tepidus.

77 *Sic mea vibrari pallentia membra videres*] *Pallentis* scribendum videri dixi Epist. v. 45. At unus Regius *Sic mihi vibrari;* etiam non male. *Heinsius.* *Videres*] Pro, videret aliquis. *Vibrari*] Moveri, tremere.

78 *Quassus ab imposito*] Lectus, in quo eram, quatiebatur a meo corpore tremente.

79 *Irruit*] Id est, cum impetu intrat cubiculum meum. *Vulgat*] Manifestat. *Pudorem*] Id est, dedecus, et infamiam.

80 *Vix ab misero continet ore manus*] Id est, vix continet se, quin unguibus dilaceret mihi vultum, et eruat oculos.

Digitized by Google

81 *Præter lachrymas*] Quia nil potui dicere, sed solummodo flevi.

82 *Gelido lingua retenta metu*] *Gelida manu* Puteaneus et alter Moreti: nil muto. *Heins.*

84 *Destitui*] Reliqui sine ullo custode. *Solis*] Desertis, inhabitatis.

85 *Sensisse putares*] Videbatur sensisse illud crudele jussum, ita in tempore vagivit. *Hubert.*

87 *Tunc*] Cum mea pignora lupis edenda tradi conspicerem. *Aut.*

89 *Inimicus*] Satelles vel famulus patris.

90 *Viscera*] Filium meum.

91 *Exierat*] Scilicet pater meus. *Tum demum*] Tunc tandem, scilicet eo egresso. *Tum demum pectora planxi*] *Plangi* iidem libri cum Erfurtano; probe. *Strouza plango. Denique* etiam nonnulli. Epistola Sapphus: 'nec pectora plangi, Nec puduit scissis exululare comis.' *Heinsius.*

92 *Contigit, inque meas unguibus ire genas*] I. e. Tunc demum licuit mihi immittere ungues in genas meas dilacerandas.

93 *Patrius satellos*] *Patruus* Puteaneus. Sequenti versu *prodidit ore* pro *edidit* unus Mediceus; placet. *Heins. Satellos*] Miles, minister. *Vultu mœrente*] Id est, Tristi: ex quo poteram cognoscere, eum afferre tristia mandata.

94 *Indignos*] Crudeles. *Sonos*] Voces, verba.

95 *Æolus*] Verba satellitis ad Canacem. *Tradidit*] Interpositio est: sunt enim verba Canaces.

96 *Et jubet*] Adhuc sunt verba satellitis, post traditum ensem. *Quid velit*] Quare mittatur tibi. *Ex merito*] Scilicet tuo, id est, ex eo quod fecisti, vult intelligas, ad quid eum tibi miserit.

97 *Scimus*] Verba Canaces. Dicit enim: Scio quid velit hic ensis, et eo utar pro merito meo. *Fortiter*] Intrepide: quia non dubito me interficere.

98 *Condam*] Immittam, et abdam. *Dona paterna*] Ensem, quem pater mihi misit.

99 *His meis*] Apostrophem facit ad patrem: et est exclamatio doloris et indignationis plena.

100 *Hac dote dives erit*] Quia nulla re unquam egebit, postquam hoc ense se interficiet.

101 *Tolle procul*] *Precor* Mentelianus. *Heins. Tolle procul*] Dicit, ad connubia sua non adhibendum esse Hymenæum, quia sunt infelicia. *Faces maritas*] Id est, tædas connubiales.

102 *Turbato pede*] Id est, celeri. *Tecta nefanda*] In quibus nefandum facinus admissum est inter fratrem et sororem.

103 *Ferte faces*] Dicit, non Hymenæum adhibendum suo connubio, sed Erinnyn, ferentem faces infœlices. *Erinnyes atræ*] Infernæ. *Faces quas fertis*] I. e. Funebres, et non nuptiales. *Faces atræ*] Senec. Octav. 'Illa, illa meis tristis Erinnys Thalamis Stygios prætulit ignes.' Ἐὸν αἴμασι, σὺν κλαυθμῷ, καὶ φονίοις ὑμεναίοις. Sic Virgil. de Lavinia. 'Fumida lumine fulvo Involvi:' et Ovid. Metam. 'Tisiphone madefactam sanguine sumit Importuna facem.' Quod non erat νυμφίδιον σέλας.

106 *Admissi mei*] *Admissæ mei*, Puteaneus. *Heins.*

109 *Si potuit*] Permissione hac insontem esse puerum ostendit: infans enim nihil committere potuit, nec pro parentum commissis erat plectendus.

111 *Nate*] Vertit sermonem ad filium, cujus miserrimam sortem dolet, quod eodem die natus et mortuus sit.

113 *Pignus*] Confirmatio: nam filii dicuntur pignora conjugii. *Hubert. Parum fausti*] Qui non bene successit. *Aut.*

115 *Nec mihi*] Conqueritur quod non potuerit præstare officium, quod solet in funere filii. *Justis*] Debitis

Digitized by Google

propter affectum naturæ. *Perfundere*] Irrorare.

116 *In tua nec tonsas*] *Non tonsas* scripti. *Heinsius. Non tonsas*] Solebant autem funerali more comas resecare, et in rogum ardentem, aut sepulchrum mittere. *Micyl. Tonsas comas*] Θρὶξ δὲ πάντα νέκυν καταείνυον ἃς ἐπέβαλλον Κειρόμενοι, Hom. Il. Ψ. 135. de Patroclo. Καὶ ἀκαρχὰς ἀπὸ τῶν ἐν τῇ κεφαλῇ τριχῶν δοῦναι, Pausan. Achaic. Et Ovid. Metam. III. 506. 'sectos fratri imposuere capillos.' Ἀποδερόμενοι τὰς κόμας ἐκείροντο. Apollon. lib. I.

117 *Non superincubui*] Nam parentes ex affectu naturali solent incumbere cadaveribus filiorum, et sic eos mortuos osculari.

118 *Diripiunt*] Dilacerant. *Hubert. Avidæ feræ*] Lupos et vultures significat. *Ant.*

119 *Ipsa quoque infantis cum vulnere persequar umbras*] *Prosequar* Puteaneus et alii meliores. *Infantes* præterea *umbras* scribendum monui Epistola IX. *Heinsius. Ipsa quoque*] Dicit se secuturam filium suum, quia gladio a patre misso se interficiet.

120 *Nec mater fuero dicta diu*] Quia privabor filio, sine quo non possum dici mater. *Nec dicta orba diu*] Quæ licet caream filio, et propter hoc sim orba: tamen cito moriar, et sic non dicar orba.

121 *Tu tamen*] Nunc rogat fratrem Macareum, ut colligat ossa matris et filii, et reponat in eadem urna. *Frustra speraste*] Qui cum sperarem te futurum maritum meum, non potui id consequi.

123 *Ad matrem*] Ad me. *Socioque*] Conjuncto, et communi.

125 *Lacrymasque in funere funde*] *In vulnere* Puteaneus et multi alii ex castigatioribus: *vulnera* in excerptis Donsæ. Met. IV. 'Vulnera supplevit lacrymis, fletumque cruori Miscuit.' Lib. XIII. 'Huic quoque dat lacrymas, lacrymas in vulnera fundit.' Pont. l. IV. El. 11. 'Fovisti lacrymis vulnera nostra tuis.' Lucanus lib. IX. 'Ergo indigna fui, dixit, Fortuna, mariti Vulneribus cunctis largos infundere fletus?' Statius Theb. VIII. 'Fassa pios gemitus, lacrymasque in vulnera fudit.' Lib. III. 'hæ lumina signant Vulneraque alta replent lacrymis.' Lib. XI. 'lacrymæque per arida serpunt Vulnera:' et sic passim. *Heins.*

127 *Tu, rogo*] Totum hoc distichon in officina interpolatorum confiatum, vix Latinum est, aut ad Ovidianam elegantiam adsurgit. In Puteaneo certe codice id a manu secunda erat, priscæ lectionis vestigiis penitus sublatis. *Mandatum perfice* Gottorpianus; et *mandatum persequar* notat ex suis Naugerius: quomodo et Puteaneus et Gronovianus. *Idem. Projectæ*] Infelicis et abjectæ.

128 *Mandatis perfruar*] In beneficii loco habebo: nihil mihi enim præter mortem dulce est. Vide Epist. seq. 22. *Mandata*] Hæc, scilicet, quæ tibi commisi. *Ipsa*] Ego. *Mandatis perfruar patris*] I. e. Faciam quod pater mihi mandavit. *Hub.*

Digitized by Google

EPIST. XII. MEDEA JASONI.

Initio hujus Epistolæ rursus audiamus ingenia correctorum. Sic igitur illi: 'Exul, inops, contempta novo Medea marito Dicit: an a regnis tempora nulla vacant?' Et hactenus quidem utcunque erant ferendi, nunc nimis impudenter ineptiunt. *Heinsius.*

1 *Ut tibi Colchorum*] *At tibi* Puteaneus cum aliis nonnullis: optime. Ita enim indignantes aut mirantes exordiebantur plerumque. Noster ipse Amor. III. initio elegiæ 7. 'At non formosa est, at non bene culta puella: At puto non votis sæpe petita meis:' quæ illic vera est lectio. In Priapeis, 'At non longa satis, non stat bene:' ubi frustra *Ut* rescribit vir maximus. In Metamorphoseων libris sic sæpe; ut VIII. Diana; 'At non impune feremus, Quæque inhonoratæ non et dicemur inultæ.' Lib. X. Venus; 'At non tamen omnia vestri Juris erunt, dixit.' Lib. XII. Peleus; 'At inferias, juvenum, carissime Crantor, Accipe, ait:' sic duo illa postrema loca ex optimis libris restituenda. Fast. II. 'At quam sunt similes, at quam formosus uterque!' sic enim et ibi liber optimus: ut et Met. X. 'At quam virgineus puerili vultus in ore est!' Horatius initio Epod. V. 'At o Deorum quicquid in cælo regit!' Virgilius, Æn. II. 'At tibi pro scelere, exclamat, pro talibus ausis, Di, si qua est cælo pietas, quæ talia curet, Persolvant meritas grates.' Ita et Græci indignantes ἀπὸ τοῦ Ἀλλὰ incipiebant. *Idem. Regina*] Id est, Ego filia regis Æetæ. *Colchorum*] Colchi populi sunt in Ponto, quibus imperavit Æeta. Regio ipsa Colchis appellatur. *Vacavi*] Præstiti operam, inservivi tibi. *Hubert.*

2 *Ars mea*] Scil. magica et incantatoria.

3 *Dispensant mortalia fata sorores*] *Facta* Puteaneus et alii nonnulli; frustra. At Scaligeri excerpta cum multis nostris *fila:* quod verum est. Auctor Elegiæ in Obitum Mæcenatis, 'Nestoris annosi vixisses sæcula, si me Dispensata tibi stamina nente forent.' De filis Parcarum res protrita est. *Heins. Dispensant*] Dispensare, suis omnia dividere temporibus. Justin. VII. 6. 'Quoniam omnibus par esse non poterat, dispensanda ratus.' Vide et VI. 1. Et Ovid. alibi, 'Oscula dispensat.' *Sorores*] Id est, tres Parcæ.

4 *Fusos suos*] I. e. Debuerant finivisse vitam meam. *Hubert.*

5 *Quicquid ab illo Produxi vitæ*] *Vitam* Puteaneus et alii multi: nil muto. *Heins. Ab illo*] Ex quo Jason Colchos adiit.

6 *Pœna fuit*] Ad fugam hoc refertur, et ad fratris necem. *Hub. Bene*] Id est, honeste. *Quicquid*] Sensus est: Omnis vita, quæ fuit mihi post illud tempus, fuit pœna: quia semper vixi in magnis curis et doloribus.

7 *Hei mihi*] Longe repetit causam suorum malorum. *Acta*] Impulsa. *Juvenilibus*] Argonautarum viribus.

8 *Arbor*] Navis. *Pelias arbor*] Phædr. lib. IV. 'Utinam ne unquam Pelei nemoris jugo Pinus bipenni concidisset Thessala.' *Phryxeam ovem*] Quam Phryxus Marti consecravit.

9 *Magnetida*] Thessalicam. Magnesia enim regio est annexa Thessaliæ, ut Plin. scribit. Magnates ejus populi dicuntur equitandi periti. *Colchi*] Scilicet, nos. *Argo*] Nomen est navis Jasonis. *Argo*] Cicer. I. Tuscul.

Digitized by Google

Quæst. 'Argo, quia Argivi in ea delecti viri Vecti, petebant pellem inauratam arietis.' Vide Justin. XLII. 2. et XXXII. 3. ubi Argonautæ navem suam dicuntur humeris transportasse per juga montium. Hinc Cato ridicule, Nescio, inquit, Argo navine Græci aquas, an Argo navis humeris montes navigarit. In libr. Origin.

10 *Turba Graia*] Id est, Vos Argonautæ, qui estis Graii. *Phasiacam aquam*] Nam Phasis fluvius est Colchorum.

13 *At semel*] *Aut*, ut et plures ex nostris. *Heins. Nova puppis*] Nam quidam volunt, eam fuisse primam navem. *Nova puppis*] Id est, quæ ipsis mirabilis et nova visa est: qualem nunquam antehac conspexerant. Sic Æn. III. 'nova prælia tentant.' Longe enim ante fuit hæc insula Dauno navigata: qua de re Schol. Aristoph. Vide et Pausan. lib. I. ubi de Theseo, qui etiam hanc insulam navibus accessit. Quanquam Ovid. et alii pluribus in locis primam hanc navem dixerint. Vide Farnab. ad Metam. VI. vs. ultimo.

15 *Iesset*] Id est, Ire debuisset. *Anhelatos*] Efflatos, expiratos ignes e naribus taurorum. *Præmedicatus*] Ita legendum, non *præmeditatus*. Medea autem medicamentis munierat illum, cum esset boves ignem efflantes sub jugum missurus, ne quid illorum igne læderetur. *Mycil.*

16 *Adunca*] Curva.

17 *Semina jecisset, totidem sumsisset et hostes*] Hæc denuo mendosa sunt. Puteaneus, ad quem frequenter recurrimus, tanquam ad sacram anchoram, *Semina sensisset totidemque et semina et hostes:* sed *sensisset* a manu secunda erat, veteri lectione extrita: opinor *sevisset* fuisse. Deinde *seminat hostes* altera manu erat correctum. Melioris notæ plerique, *Semina sensisset totidem quot seminat hostes;* vel *jecisset:* quidam etiam, *totidem sensisset et hostes.* Simpliciter rescribo, *Semina jecisset, totidem jecisset et hostes:* supra posterius *sevisset* Glossa fuit adscripta *quot semina*, quæ in Puteani codicis contextum postea irrepsit. Aliud quidem nunc nil occurrebat: *Jacere* pro serere: sic in Fastis, l. II. 'Seminibus jactis est ubi fœtus ager.' Met. v. 'Semina jacta legunt.' Fast. II. 'Farra tamen veteres jaciebant, farra metebant.' *Heins. Semina*] Dentes serpentis.

18 *Cultu a suo*] Id est, A semine quod ipse seminasset et coluisset tanquam agricola.

22 *Hac*] Scilicet voluptate exprobrandi beneficium.

23 *Jussus*] A Pelia patruo tuo. *Inexpertam*] Insuetam navigationem. *Advertere*] Id est, appellere. *Advertere*] Virgil. 'et notæ advertuntur arenæ:' et l. XII. 'urbique adverteret agmen:' id est, contra urbem dirigeret aciem; vel appropinquaret urbi infesto agmine.

24 *Beata*] Ditia. *Beata*] Florida, felicia, nullisque calamitatibus cognita.

25 *Hoc illic Medea fui*] *Fuit* Puteaneus cum aliis quibusdam. *Heins. Illic*] In Colchis. *Nova nupta*] Creusa, quam nunc accepisti.

26 *Pater*] Scilicet ejus, Creon. *Tam mihi dives erat*] Scil. Æeta, pater meus.

27 *Hic Ephyren*] Ephyre olim dicebatur, quæ postea Corinthus, a Corintho filio Orestis instaurata, nomen accepit, ære clara. *Bimarem* dicit, quia est inter duo maria. Inde Horat. 'Bimarisque Corinthi Mœnia.' *Hic*] Scil. Creon, pater uxoris. *Ille*] Scil. pater meus. *Scythia tenus ille nivosa Omne tenet*] *Scythiam tenet ille nivosam* quidam, vel *Scythiæ nivosæ*. Scriverianus *Scythia tenus ille nivosa Omne latus.* Quid si sit? *Scythiæ tenet ille nivosæ Omne latus.* Sed nil temere mutandum. Claudianus, 'Omne quod Oceanum fontemque interjacet Istri.' Florus: 'Omne intra Iberum et Ta-

Digitized by Google

gum flumen depopulatus.' *Heins.*

28 *Omne Ponti*] Id est, Omnem partem Ponti.

29 *Juvenes pater Æta Pelasgos*] Τὸ *pater* Puteaneus et alii nonnulli ex melioribus haud agnoscunt: recte; ut monui ad Epist. VI. *Heins. Pelasgos*] Id est, Vos Argonautas Græcos.

30 *Premitis pictos toros*] Id est, Discumbitis in toris ornatis pictis tapetibus.

31 *Tunc cœpi scire quis esses*] *Quid esses* codices magna ex parte; quod sequor. Pont. I. El. 7. 'Certe ego cum primum potui sentire quid essem.' Epistola Hermiones, 'Tu mihi quod matri pater es.' Quomodo noster atque alii auctores passim. *Heins.*

33 *Ut vidi, ut perii*] *Et vidi et perii* scripti, sed perperam. Homerus, 'Ὡς ἴδεν, ὡς μὲν μάλλον ἔδυ χόλος. Theocritus, ἁ δ' Ἀταλάντα Ὡς ἴδεν, ὡς ἐμάνη, ὡς ἐς βαθὺν ἄλλετ' ἔρωτα. Hinc illa Virgiliana, 'Ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error.' Epistola Laodamiæ ex vestigiis veterum librorum. 'Ut vidi, ut gemui, tacitoque in pectore dixi.' Art. Am. III. 'Ut patuit miseræ jucundi nominis error: Ut mens, ut rediit verus in ora color:' sic enim codices nonnulli ista constituunt. *Heins. Ut vidi, ut perii*] Id est, Uno eodemque tempore te vidi, et amore tui capta sum. *Nec notis*] Id est, Maximis; non usitatis. *Ut vidi, ut perii*] Ὡς ἴδεν, ὡς ἐμάνη, Theoc. Idyll. III. 42. Quod et Virgil. in Eclog. VIII. ubi vide Serv. Ὡς ἐμοὶ ἐκ τυκινᾶι ἔκεσον φρένες. Apollon. Argon. l. IV. 1018.

34 *Ardet*] Sicut teda accensa ad sacrificia Deorum crematur.

36 *Abstulerant*] Id est, Furati fuerant; multum enim valent nutus oculorum ad provocandum amorem. *Oculi*] Sic et Helena, διὰ καλῶν ὀμμάτων, evertit Trojam. Eurip. Hecub. Quod Theocrit. Idyll. XVIII. 37. tangit: 'Ὡς Ἑλένα· τᾶς πάντες ἐπ' ὄμμασιν ἵμεροι ἐντί. Qualem Homer. Iliad. A. 98. vocat ἐλικώπιδα κούρην· μελανόφθαλμον, Didym. Ὦ τὸ καλὸν πεθορῶσα Theocrit. Idyll. III. 18. 'Ut in ocellis hilaritudo est.' Plaut. Rud. II. 4. 'Læti oculorum honores.' Virgil.

38 *Eminet*] Id est, Apparet. *Indicio suo*] Ut alibi: 'Quoque magis tegitur, tanto magis æstuat ignis.'

39 *Dixerat interea tibi Rex*] *Dicitur* Puteaneus a manu prima. Scribendum omnino, *Dicitur interea tibi lex.* Initio Met. VII. in hac eadem narratione: 'Lexque datur numeris magnorum horrenda laborum;' ita enim optime veterrimi libri. *Legem dicere*, elegans et Latinum est. Noster Met. XIII. 'legem sibi dixerat ipse.' In Ibide, 'Cui legem pœnæ dixerat ipsa parens.' Met. VI. 'Lexque eadem pœnæ, ne sis secura futuri, Dicta tuo generi serisque nepotibus esto.' Epistola Sapph. 'Sive ita nascenti legem dixere sorores.' Propert. l. IV. El. ult. 'Mi natura dedit leges a sanguine dictas.' Male ibi *ductas* nunc legitur. 'Lex dicta officiis' apud Gratium. Sequens distichon Ovidianæ non videtur esse venæ. *Heins. Dixerat*] Ostensura Medea quam magna multaque fuerint sua erga Jasonem beneficia, commemorat singula pericula, quæ Jason fuerat subiturus: a quibus cum eum liberaverit, arguit eum ingratissimum esse, si se deseruerit.

44 *Nigra facta*] Id est, Fumosa et caliginosa per suos afflatus.

45 *Semina*] Dentes serpentis. *Populos*] Id est, homines. *Hub.*

46 *Devota*] Fatalia, et ad suam necem acta et dedicata. *Ant.*

47 *Qui peterent*] Ut supra. 'Et subito natos prima tulisse viros.'

48 *Illa erat agricolæ*] *Illa est* scripti. *Heins. Agricolæ suo*] Cui propter laborem deberet fructum, non damnum reddere. *Hub.*

49 *Lumina custodis succumbere nescia somno*] Is erat draco pervigil, qui vellus aureum custodiebat. *Ant.*

51 *Dixerat*] Supradicta esse tibi facienda. *Omnes*] Scilicet, vos Argonautæ.

Digitized by Google

52 *Mensa deserit toros*] Remota.

53 *Quam tibi tunc*] *Nunc* scripti quidam et editiones priscæ: iidem *erunt* sequenti versu, non *erat*. Heins. *Quam tibi*] Hoc dicit: Tunc non cogitabas de uxore, quæ daret tibi magnam dotem: sed de salute. *Longe erant*] Id est, Remotum ab animo, et cogitatione tua.

54 *Socer*] Creon.

55 *Oculis prosequor*] Proscopio. *Udis*] Id est, lachrymantibus.

57 *Male saucia*] Id est, amore percussa. *Male*] In perniciem meam.

58 *Acta est per lacrymas*] *In lacrymis* Basileensis; venuste. *Heins. Quanta fuit*] Id est, tanta quanta fuit: id est, tota. *Quanta*] Æn. IV. 'Nunc hyemem inter se luxu, quam longa, fovere.'

62 *Soror*] Scilicet mea Chalciope.

63 *Disjectamque comas*] Id est, me habentem comas incomptas et sparsas. *Adversa in ora jacentem*] Id est, cubantem in faciem: quod faciunt, qui non possunt dormire.

65 *Orat*] Scil. soror mea. *Minyis*] Argonautis, vobis Thessalicis. *Petit altera*] Scilicet soror mea. *Altera habebit*] Intelligimus Creusam, id est, altera petit, altera capiet fructum. *Petit altera, et altera habebit*] Salmasius ad Historiam Augustam *alter petit, alter habebit* ex Puteaneo; quomodo et Gottorphianus. Si quid mutandum sit, ita rescripserim, *Orat opem Minyis soror altera, at altera flevit: Æsonio juveni, quod rogat illa, damus.* Tò *soror* exciderat; pro quo male feriati correctores *petit* supposuerunt: *altera flevit* vel *flebat*, facilis mutatio ex *alter habebit* aut *habebat*, quod in multis scriptis est. Cæterum cur Chalciope Argonautis faverit, in promtu causa est, quod filii ejus quatuor ex Phryxo geniti in illorum essent numero. Vide Hyginum fab. III. *Heins.*

66 *Æsonio juveni*] Id est, Jasoni. *Quod rogat*] Scilicet opem.

67 *Est nemus*] Describit locum, in quo Jason locutus est cum Medea, et eam rogavit in auxilium suum. *Atrum*] Obscurum. *Nemus atrum*] Æneid. I. 'Tum silvis scena coruscis Desuper, horrentique atrum nemus imminet umbra.' *Piceis*] Picea, species arboris. *Frondibus ilicis*] Id est, ilicibus frondosis.

68 *Vix illuc*] Dicit, ex densitate vix posse illum locum illustrari a sole.

69 *Sunt in eo, fuerant certe*] *Fuerantque diu* multi codices; quod admittendum videtur. Delubra enim a vetustate venerationem præcipue mutuabantur. Plena ejus rei poëtarum ubique scripta: malo tamen, *fuerantque diu*. Heins. *Delubra*] Templa.

70 *Dea*] Id est, simulacrum Deæ Dianæ.

71 *Nescio an exciderint mecum loca*] In Puteaneo *Nostin* a manu prima fuisse videtur; et *exciderunt*. Unus Mediceus *Nostis:* alii quinque *Noscis*. Reliqui *Nescis*. *Nostin?* eleganter: sic *viden, scin, vin*, et similia, pro *videsne, scisne, visne* apud veteres: *censen* apud Persium. Sic Fast. l. IV. initio, 'Scin, Dea, respondi, de vulnere?' ita illo loco puto scribendum: ut Fastor. VI. 'Stulta videt Janus, quæ post sua terga gerantur. Nil agis en: latebras respicit ille tuas. Nil agis en: dixin'?' Vulgo *dixit*. *Viden* habes apud Catullum, Virgilium, Statium. Nam Comici assidui sunt in his. De quibus suo loco plura. *Exciderunt* legendum, Epistola VII. 166. jam monuimus, *Venimus illuc* præterea est in melioribus, non *ambo*. Sequenti versu quoque *Ausus es* pro *Orsus* nonnulli. *Heins. Nescio*] Nescio an ita oblitus sis locorum, sicut mei.

72 *Jus tibi*] Verba quibus Jason ad Medeam usus est, eam sibi concilians. *Jus*] Potestatem, arbitrium. *Salutis*] Vitæ.

Digitized by Google

74 *Inque tua est*] Tollunt *est* quinque libri. *Heins.*

75 *Perdere posse sat est*] Si quis delectatur potestate, satis ei debet esse quod possit nocere: non autem debet nocere. *Ista potestas*] *Ipsa* Puteaneus et alii plerique. Idem *juvet* cum Lovaniensi. Amor. III. El. 4. 'ipsa potestas Semina nequitiæ languidiora facit.' *Heins.*

76 *Sed*] Licet possis me perdere. *Servatus*] Id est, Ego tuo auxilio liberatus. *Gloria major ero*] Quam si passa fueris me mori.

77 *Per mala*] Adjurat Jason multis precibus, ut sui misereatur, et sibi opem præstet.

78 *Per genus et numen*] *Nomen* Puteaneus. Vide notas ad Epist. II. 50. nil temere tamen muto. *Heins. Per genus*] Scilicet tuum. *Avi*] Scil. Phœbi, vel Solis. *Cuncta videntis*] Sic Ennius, 'Jupiter, tuque adeo summe Sol, qui res omnes inspicis, Quique tuo lumine mare, terram, ac cœlum contueris.' Ideoque et πολυοφθαλμὸν eum vocant, καὶ πάντα ἐπιβάλλοντα τὰς ἀκτῖνας, ὅσπερ ὀφθαλμοῖς βλέπων ἅπασαν γῆν καὶ θάλασσαν. Diod. Sic. c. 2. ubi et adducit Homer. Il. v. ὃς πάντ' ἐφορᾷ. 'Sol, qui terrarum flammis opera omnia lustras.' Æn. IV.

79 *Per triplices vultus*] *Triplicis* concinnius Puteaneus et duo Ambrosiani. Fast. I. 'Quod semel est triplici pro virgine cæsa Dianæ.' *Heins. Triplicis vultus*] Virg. in IV. 'Tria virginis ora Dianæ.' Triplici autem vultu depingebatur, quia ipsa est Luna in cœlo, Diana in terris et in sylvis, Proserpina apud inferos. *Arcana*] Mystica, quæ noctu celebrabantur.

80 *Et si forte aliquos gens habet ista Deos*] Lege *alios Deos*, vel sine assensu veterum librorum: quanquam Gryphium sit verisimile in suis codicibus id invenisse, quod ejus editiones margini adscriptum ostendunt. sic et alibi non semel peccatum. *Heins. Et si forte alios, &c.*] Supervacaneum enim erat dubitare, si quos Deos haberent Colchi, cum jam Dianæ mentionem fecisset. Illud autem procedit, si roget, ecquos alios præter Dianam habeant. *Micyl.*

81 *Meorum*] Sociorum, qui mecum sunt.

83 *Quod si forte*] Pollicetur etiam ei Jason, se perpetuo habiturum eam legitimam uxorem. *Dedignare*] Fastidis.

84 *Sed mihi tam faciles unde Deosque meos*] *Meosque Deos* Puteaneus et alii multi; quod Salmasio ad Historiam Augustam probatum: libri multi, *unde putabo Deos?* vel, *unde Deos habeam?* et similia; quæ interpolatorum figmenta. Horatius Sat. II. 5. 'Unde mihi tam fortem tamque fidelem?' et, 'Unde mihi lapidem? Quorsum est opus? Unde sagittas?' Seneca Hercule Fur. Act. II. 'Unde illum mihi, Quo te tuamque dexteram amplectar, diem?' Plura ad Statium Gronovius de hoc loquendi modo. *Heins. Sed mihi tam faciles*] Sed unde Deos tam faciles, subaudi, sperem, vel habeam? et unde habeam Deos tam meos, id est, tam obsequentes mihi?

87 *Conscia sit Juno*] *Scit Juno* non male Argentinus. *Heins. Conscia*] Confirmat promissionem suam jurejurando, adducens Junonem testem. *Conscia sit*] Id est, testis; scil. hujus meæ promissionis. *Præfecta*] Quia ipsa præest nubentibus.

88 *Dea*] Diana.

89 *Hæc animum et quota pars horum movere puellæ*] *Et quota pars hæc sunt?* Puteaneus: *quota pars possunt movere*, vel *movisse* alii plerique: tres *possent*: duo *poterant*. Placet Puteanea lectio: sic Pont. II. El. 10. 'Et quota pars hæc sunt rerum quas vidimus una, Te mihi jucundas efficiente vias?' *Heins. Hæc animum*] Dicit, ex minima parte promissionum Jasonis se potuisse moveri et impelli ad id quod petebat. *Hæc*] Scil. quæ a te sunt

Digitized by Google

dicta. *Et quota pars*] Id est, minima pars.

90 *Simplicis*] Credulæ. *Juncta*] In pignus fidei.

91 *An et est pars fraudis in illis*] *An pars est* scripti omnes et primæ editiones. Lege *an pars et fraudis in illis?* ita Lincolniensis. *Heins. Pars fraudis in illis*] Id est, An et ipsæ sciunt fallere?

92 *Sic*] Scil. cum jurasses per Junonem et Dianam, et junxisses dextram dextræ meæ, et addidisses lachrymas.

93 *Jungis et aripedes*] Tò *et* abest a Gronoviano. Scribe *Jungis aënipedes:* dixi Epist. VI. 32. *Heins. Inaduste*] Quia licet semper efflarent ignem, nunquam tamen eo igne urebantur.

94 *Et solidum humum*] *Insolitum* Gronovianus. *Heins.*

95 *Pro semine*] Ita enim sparsit Jason dentes serpentis, sicut spargitur semen.

96 *Scutaque miles habens*] *Habet* Puteaneus et alii septem. *Heins.*

97 *Ipse ego*] Quanto magis tu et reliqui debuistis timere?

98 *Subitos*] Id est, subito natos.

99 *Terrigenæ*] Id est, geniti ex terra.

100 *In se constrictas conseruere manus*] *Inter constrictas* Puteaneus: Stroznæ liber *Inter se constrictas:* novem alii, *Inter se strictas*, quod verum est. *Heins.*

101 *Pervigil ecce draco*] Ita et Met. VII. et Maximianus in Elegiis, 'Pervigil observat non sua poma draco.' Scripti tamen tres *Serpens ecce vigil;* unus Vatic. *Insomnis serpens:* at Puteaneus *Insopor ecce vigil.* Scribe *Insuper ecce vigil: vigil* pro vigili dracone. Germanicus Aratæis de ariete. 'Qui tulit in Tauros Phryxum, qui prodidit Hellen, Quem propter fabricata ratis, quem perfida Colchis Sopito vigile incesto donavit amori:' ita scribendum. *Insopor ecce draco* pro diversa lectione Erfurtanus, cum glossa; 'id est, sine sopore:' mira locutione, nec alias mihi notata. Quomodo l. VII. eundem 'insopitum draconem' voce parum usitata dixit. *Idem. Crepitantibus*] Resonantibus. *Horrens*] Asper: sunt enim serpentes squamiferi.

102 *Torto pectore*] Metam. III. 41. 'Ille volubilibus squamosos nexibus orbes Torquet, et immenso saltu sinuatur in arcus.' Et Æneid. II. 'sinuantque immensa volumine terga.' Et l. V. 'Septem ingens gyros, septena volumina traxit.' Κυανέους φρίσσοντας ὑπὸ σπείρασι δράκοντας. Theocrit. Idyll. XXIII. 14.

103 *Dotis opes ubi erant? ubi erat tua regia conjux*] *Tibi regia conjux* scripti plerique; *ubi tunc et regia* unus Palatinus: duo præterea Medicei, *Dotis opes ubi tunc.* Puto scribendum, *Dotis opes ubi tunc? ubi tunc tibi regia conjux?* vide quæ noto ad Epist. IV. 150. Sequenti versu *distinet* non debere mutari, quicquid turbent libri veteres, dixi Epist. VIII. 69. *Heins. Ubi tunc*] Quasi dicat, Non quærebas tunc dotem, cum solum de salute tibi cogitandum putares. *Regia*] Id est, Regio sanguine creata, ut nunc jactas esse istam tuam.

104 *Isthmos*] Corinthus, quæ est in Isthmo. *Distinet*] Dividit.

105 *Illa ego*] Dicit se fuisse, quæ ei tot et tanta pericula ademerit. *Nunc denique*] Nam tunc non tibi videbar barbara nec spernenda, cum a me opem expeteres.

106 *Tibi*] Id est, Judicio tuo. *Nocens*] Scelerata, venefica.

107 *Subduxi*] Id est, Removi vel clausi. *Medicato*] Id est, Medicamine quodam facto.

110 *Munus in exilio quodlibet esse tuli*] Puto rescribendum, *Et minus exilio quidlibet esse tuli.* Hoc est, omnibus rebus exilium prætuli. Certe unus Patavinus, *Munus exilio.* Art. Amat. II. 'monitis sum minor ipse meis.' Sic 'merces labore minor,'

Digitized by Google

Ep. Herus: 'Ne videar merces esse labore minor.' Hac eadem Epistola, 'Nunc animis audi verba minora meis.' Ep. Canaces, 'Possidet et vitiis regna minora suis.' Propert. 'Et jacit ante fores verba minora Deo;' quæ noster imitatus Met. VI. 'nec dicere sustinet ultra Verba minora Dea.' *Heins.*

112 *Soror*] Scilicet mea Chalciope. *Cum matre*] Scil. Idyia.

113 *At non te*] Fratrem Absyrtum a se interfectum dolet. Dicit ergo: O germane, Absyrte! *Ego fugiens*] E patria. *Non te sine me reliqui*] Nam Medea eum secum duxit: et cum pater eam insequeretur, dilacerato fratre, et membris in variis locis sparsis, patrem remorata est.

114 *Littera*] Epistola. *Deficit*] Quia ex omnibus, quæ pro te feci, hoc unum est, quod non audeo scribere.

116 *Sic*] Sicut frater dilaceratus est a me. *Sed tecum*] Quia etiam tu meruisti.

117 *Quid enim post illa timerem*] Nam qui majora ausus est, non timet minora.

118 *Fœmina*] Naturaliter timida. *Jam nocens*] Quia jam admiseram scelus fraternæ cædis. *Non extimui Credere*] Non verita sum committere me pelago.

119 *Numen*] Scilicet, Dianæ læsæ. *Di*] Scilicet omnes, quos tu perjurasti.

121 *Compressos utinam*] *Complexos* duo Medicei; vide notas ad Epist. IV. 139. *Heins.* *Symplegades*] Dicit, quod vellet se fuisse comprehensam et elisam inter Symplegades. Sunt autem Symplegades, scopuli duo in Bosphoro Thracio, quos aliquando concurrisse Poëtæ finxerunt. *Symplegades*] Quas ideo Eurip. in Taur. vocat Τὰς συνδρομάδας πέτρας· dictæ ἀπὸ τοῦ συμπλήττεσθαι. Quod Senec. exprimit in Medea 342. et seq. 'Cum duo montes, Claustra profundi, hinc atque illinc Subito impulsu, velut ætherio Gemerent sonitu.' *Elisissent*] Nam Jupiter iratus propter Absyrti necem, ingentem Argonautis immisit tempestatem: propter quam ita diu errarunt, ut Libyæ, Galliæ, Sardiniæ, et Hetruriæ littora præterierint.

122 *Adhærerent tuis*] Id est, Utinam ambo simul fuissemus collisi et confracti, ita ut ossa mea fuissent conjuncta ossibus tuis.

123 *Scylla*] In mari Siculo, nautæ magnis pelagi sidentis vorticibus territi, undas latrare putaverunt: quas sorbentis æstus vorago collidit. Hinc fabulæ Scyllam et Charybdim peperere. Hinc latratus auditur, hinc monstri credita simulachra. *Scylla rapax*] Vorax, quæ naves in se rapit. *Canibus*] Propter fabulam, ut diximus. Sic Virg. Eclog. VI. 'Ah, timidos nautas canibus lacerasse marinis!'

124 *Debuit*] Quia et ipsa aliquando inter amantes fuit. Charybdis, ut Servius scribit, mulier fuit voracissima: quæ quia Herculi boves rapuit, a Jove fulminata est et in mare præcipitata. Unde naturam pristinam servat: nam sorbet universa. *Hub.*

125 *Quæque vomit fluctus totidem*] Charybdin intelligit, quæ quatuor et viginti horis bis aquam sorbet et ejicit. *Ant.*

126 *Supposuisset*] Submersisset. *Nos quoque*] Sicut et alia omnia. *Trinacriæ*] Id est, Siciliæ.

127 *Sospes*] Incolumis, victor, et compos voti, quia potitus es aureo vellere. *Hæmonias*] Thessalicas.

128 *Ad patrios Deos*] Id est, Thessalicos: tanquam monumentum victoriæ.

129 *Quid referam*] Commemorat aliud suum erga Jasonem beneficium: quia in ejus gratiam persuasit filiabus Peliæ ut patrem jugularent, pollicita se reducturam eum ad ætatem juveniem. *Pietate nocentes*] Quia non interfecerunt patrem, nisi propter pietatem, scilicet, ut ei prodes-

Digitized by Google

tent. *Pietate*] Nimio amore erga patrem.

130 *Cæsaque*] Incisa, lacerata. *Virgineo*] Puellari. Hanc fabulam scribit plene Ovid. Metam. VII.

131 *Ut*] Id est, Quamvis. *Culpent alii*] Id est, Damnent ea, quæ feci. *Tibi me laudare necesse est*] Quia tuo amore compulsa, ea feci.

132 *Pro quo sum*] Malo *sim*. Superiori versu Sarravianus *aliæ*, non *alii*. Heins.

133 *Ausus es*] Ostendit ingratitudinem Jasonis, qui post tanta beneficia ipsam Medeam ab se ejicere ausus est.

134 *Cede*] Abi. *Æsonia*] Patris mei Æsonis.

135 *Jusso*] Scil. a te. *Natis duobus*] Quos ex te suscepi, Mermerum et Pheretem.

136 *Et amore tui*] Subaudi comitata. *Qui*] Scil. amor. *Me sequitur semper*] Id est, Qui nunquam me derelinquit.

137 *Ut subito*] Sensus est: At postquam audivi carmina vestra nuptialia, vobis quidem socialia, sed mihi funebria, pertimui. *Hymen cantatus*] Id est, cantibus celebratus.

138 *Lampades*] Faces nuptiales.

139 *Tibiaque effudit*] *Effundit* Puteaneus et sex alii. Idem sequenti versu, *Et mihi funesta*. Heins. *Tibiaque*] Tibiæ adhibebantur nuptiis, tubæ vero funeribus. *Tibia*] Etiam in sacris et triumphis. Appian. in Lybico. *Tibiaque*] Scil. postquam. *Effudit*] Emisit. *Socialia carmina vobis*] Id est, tibi et uxori tuæ præbentia signum societatis, id est, matrimonii.

140 *At mihi*] Scil. effudit carmina. *Flebiliora*] Id est, tristiora.

141 *Tantum scelus*] Ut legitime duceres illam, me repulsa. *Frigus*] Id est, timor. *Scelus esse putabam*] *Putabat* Puteaneus. Forte *patebat*. Heins.

143 *Hymen, clamant*] Græci Hymenæum inclamabant, Thalassionem Romani: quod a Sabinarum raptu. Liv. l. 1. vide Plutarch. in Romulo. et Quæst. Rom. 31.

144 *Quo propior vox est*] *Vox hæc* Puteaneus et Gottorphianus: duo alii, *hæc vox*. Heins.

145 *Diversi*] Id est, in diversis locis domus. *Lacrymasque tegebant*] Lucan. l. 1. 'gemitu stat quisque latenti, Non ausus timuisse palam, vox nulla dolori Credita.' Senec. Troad. a. ult. 'timidum Phryges misere gemitum.'

147 *Nescire juvabat*] 'Omne quod est interea tempus, priusquam id rescitum, lucro est.' Quod ex antiq. Comic. ἡμέρας μιᾶς ἀλυπία μέγα ἔστι κέρδος.

148 *Mens mea tristis erat*] Ter. Heaut. 'Nescio quid profecto mihi animus præsagit mali.' Προμάντις θυμὸς, ὅς τι προσδοκῶν. Eurip. Androm. Plaut. Aulul. II. 2. 'Præsagibat mihi animus, frustra me ire, quum Exibam domo.' Quem vs. Cic. 1. de Divinat. laudat.

149 *Pueris*] Ex duobus filiis nostris. *Jussu*] Mandato meo. *Studio*] Id est, cupiditate; quia pueri cupidi sunt videre omnia nova. *Jussus studioque videndi*] *Jussu* multi ex libris scriptis et priscæ editiones: tres *visus*: duo *visu*: totidem *lusu*: unus *missus*: Gronovianus *cursu*; ut Epistola Hypsip. 'cursu studioque loquendi Detegit ingenio vulnera facta tuo.' Hoc tamen loco scribendum videtur, *casu studione videndi*: ut subintelligatur, dubium est, incertum est. Met. XV. 'me Pasiphaëia quondam Tentato frustra, patrium temerasse cubile (Indiciine metu magis, offensane repulsæ) Arguit:' subintellige, dubium est: sic locus ille scribendus: ita et utitur τῷ *an*. Vide Notas Fast. II. 394. *Heins.*

151 *Hinc mihi*] *Huic* prima editio. Scribe, *Hic mihi*, ut est in quatuor calamo exaratis. Unus Vaticanus *Qui mihi*. Sequenti versu *Ducet* pro *Ducit* bene Puteaneus. *Idem. Mater*

Digitized by Google

abi] Verba pueri ad Medeam. *Pompam*] Id est, Nuptialem triumphum et apparatum.

153 *Protinus*] Statim auditis illis verbis. *Planxi*] Id est, percussi. *Abscissa*] Lacerata.

154 *Tuta nec fuere*] Quia dilacerata sunt.

155 *Animus*] Voluntas, impetus animi. *Ire in agmina*] Id est, in mediam multitudinem, quæ circum te et sponsam tuam erat. *Demere*] Id est, auferre. *Serta*] Coronas quas habebat sponsa tua.

156 *Compositis*] Ornatis.

157 *Quin sic laniata capillos*] Puto *quin dilaniata*. Amor. lib. III. El. 9. de sorore Tibulli, 'Venit inornatas dilaniata comas.' *Heine*. *Laniata capillos*] Scil. meos.

158 *Meus est*] Scil. maritus Jason. *Inficeremque manus*] Mihi debitum ipsa vindicarem.

159 *Læse pater*] Convertit sermonem ad eos, quos videtur læsisse, dicens, nunc peractam esse eorum vindictam. *Læse*] Scil. a me. *Colchi*] Populi regionis meæ, quos fugi.

160 *Umbræ fratris*] Quem ego crudeliter interfeci. *Inferias habete*] Id est, Estote placatæ, et habete vobis factas inferias ex malis meis. Existimabantur enim fieri inferiæ mortuis, quoties eorum inimici vel hostes fuissent vel morte vel alio supplicio affecti. Sunt enim inferiæ, sacra mortuorum. *Inferias*] Quæ inferis solvuntur. Serv. Æneid. III. 'Inferimus tepido spumantia cymbia lacte;' ubi Servius, 'Inferimus, id est, inferias damus:' ut exequiæ ab exequendo.

161 *Deseror*] Vidua relinquor.

162 *Conjuge*] Scil. amisso. *Qui omnia solus erat*] Quia omnia amissa æquo animo ferebam, dummodo eum haberem.

165 *Quæque feros repuli*] *Pepuli* bene duo Medicei, et pro diversa lectione Sarravianus; quomodo et Scaliger in ora codicis sui castigarat, et ego in vetusta editione Lugduni edita offendi. Excerpta Puteanei et Jureti cum aliis nonnullis *rapui*; tres *domui*. Heinsius. *Pepuli*] Id est, removi.

166 *Flammas*] Ignes amoris.

167 *Cantus*] Incantationes. *Herbæ*] Vires herbarum. *Artes*] Scil. magicæ.

168 *Dea*] Scil. Diana. *Hecates sacra*] Scil. Proserpinæ.

169 *Non mihi grata dies*] Æneid. IV. 'tædet cœli convexa tueri.' *Amaræ*] Acerbæ, plenæ anxietatis. *Noctes vigilantur*] Æneid. IV. 'infelix animi Phœnissa, nec unquam Solvitur in somnos, oculisve aut pectore noctem Accipit.'

170 *Nec tener in misero pectore somnus adest*] *Nec teneram misero pectore somnus habet*, Puteaneus et cæteri castigatiores magno numero: quinque, *Nec tenero miseram pectore*; quod eodem recidit. Scribe, *Nec tener ah miseræ pectora somnus habet*. Tener somnus, ut Arte Amatoria l. II. 'Cum tener ad partes tu quoque somne venis.' Somnus habet pectora, ut Met. VIII. 'Prima quies aderat, qua curis fessa diurnis Pectòra somnus habet.' Statius, 'nam Tydea largus habebat Perfusum magna virtutis imagine somnus.' Virgil. 'animalia somnus habebat.' Sic et Trist. III. El. 3. 'Perpetuus pectora languor habet;' cum membranis. Lib. I. El. 7. ex scriptis exemplaribus, 'Et rigidum ferri semina pectus habent.' Lib. III. El. 11. 'Et dicam silices pectus habere tuum.' Fast. III. 'Pectora terror habet.' Quomodo et Virgilius, 'Quod si tantus habet mentes et pectora terror.' Art. Am. II. 'Aëre non certo corpora languor habet.' Fast. IV. cum veteri codice, 'Clausum pectora vulnus habet.' Ep. Herus, 'Nescio quæ pavidum frigora pectus habent:' ut meliores libri illic agnoscunt. Petronius, 'sudor quoque perluit ora, Et mentem timor altus

Digitized by Google

habet.' Cæterum hoc loco, de quo nunc agimus, vetus editio et duo scripti, *Nec tacitam misero pectore somnus habet:* tres, *tacito miseram:* unus Ambrosianus, *Nec teneram misero pectore somnus alit;* non male, si rescribas, *tener ah miseræ pectora.* Nam et loco supra adducto ex Met. VIII. in veteri codice offendi, 'Pectora somnus alit.' Noster in Tristibus, 'somnus Non alit officio corpus, ut ante, suo.' Atque ita scribendum censeo apud Martialem lib. III. de Glire, ut acumini Epigrammatis consulatur, 'Tota mihi dormitur hyems: et pinguior illo Tempore sum; quo me nil, nisi somnus, alit.' Servius ad *Æn.* XII. 'Crescit et latenter, unde et glires dicti sunt, quos pingues efficit somnus.' Noster. Remed. Amor. 'somnus, non cura puellæ Excipit, et pingui membra quiete levat:' quæ vera ibi lectio, non *dulci.* Amor. I. El. 12. 'Tunc etiam somni pingues, et frigidus aër.' Sulpicia in Satyra, 'somno moriuntur obeso.' *Heins.*

171 *Quæ me non possum, potui*] Duo libri, *Quæ me non potui, potui:* sic sequenti epistola, 'Ut te non poteram, poteram tua vela videre.' *Idem: Me non possum*] Scil. sopire. *Draconem*] Pervigilem. *Hub.*

172 *Cura mea*] In magico artificio diligentia. *Ant.*

173 *Quos ego servavi*] Scil. a morte.

175 *Jactare*] Ostentare, laudare.

176 *Apta*] Convenientia, scil. de vitiis. *Auribus*] Scil. uxoris tuæ, quæ ut est injusta, ita libenter audiet hæc maledicta.

177 *In faciem moresque meos*] Id est, Maledicis pulchritudini et moribus meis. *Nova*] Inaudita. *Nova crimina fingis*] Bene *fingas* Puteaneus. Sequentia confirmant. *Heins.*

179 *Rideat*] Concedentis est per indignationem, et subauditur, *licet. Sublimis*] Superba. *Tyrio ostro*] Id est, in purpura.

180 *Ardores vincet adusta meos*] Primæ editiones et quinque scripti cum Jureti excerptis, *sentiet usta.* Vossianus *sanciet;* eleganter: dixi Ep. VI. 154. *Heins. Adusta*] Cremata. *Ardores vincet meos*] Quia magis ardebit, quam ego nunc ardeo.

183 *Quod si forte*] Orat nunc Jasona. *Hub.*

184 *Verba minora meis*] Hoc est, verba humilia, et qualia supplices facere soient, quæque animum generosum et regalem dedeceant. *Micyl.*

185 *Nam tibi sum supplex, quod tu mihi sæpe fuisti*] *Quam tu mihi* Puteaneus. Scribendum nempe, ut recte Leidensis, *Tum tibi sum supplex, quam tu mihi sæpe fuisti.* Heins.

187 *Si tibi sum vilis*] Si me parvi facis. *Communes*] Ex utroque nostrum genitos. *Hub.*

188 *Sæviet*] Justas querelas facit, a natorum incommoditate. *Ant. In partus dira noverca meos*] *Noverca manus* Puteaneus. Forte scriptum fuerat primo, *in parvas manus.* Heins.

191 *Lumina*] Id est, radios et lucem. *Avitæ flammæ*] Id est, Solis, avi mei.

192 *Meritum*] Beneficium quod tibi præstiti. *Pignora*] Quia filii sunt pignora matrimonii. *Pignora nostra*] *Pignora cara* duo scripti. Sed Ausonius videtur imitatus in Parentalibus, 'Liquisti natos pignora nostra duos.' *Heins.*

193 *Torum*] Jus tori, id est, matrimonium. *Insana*] Id est, amore demens. *Tot res*] Patrem, patriam, matrem, et sororem.

194 *Adde fidem dictis*] Fac ut dicta tua serventur. *Refer*] Id est, redde, sicut ego dedi tibi.

195 *Contra tauros*] Sicut tu implorasti me.

196 *Quiescat*] Dormiat. *Victa*] Sopita.

197 *Ipse dedisti*] Id est, tu propria voluntate, et sponte.

198 *Cum quo sum facta parente parens*] Id est, ex quo suscepi filios.

Digitized by Google

199 *Campo numeravimus illo*] *Numeramus in illo* scripti plerique; quod Gronovio arridebat. Quatuor, *numeremus in illo*, etiam recte: sed tum sequenti versu scripserim, *Qui tibi laturo vellus arandus erit*. Heins.

200 *Qui arandus erat*] Ut seminares dentes serpentum. *Tibi laturo*] Id est, ablaturo. *Vellus*] Id est, lanam auream: et est sensus: Accepisti a me dotem magnam, cum taurorum ferocitas per me compressa est, et ita terrigenarum; et denique cum abstulisti vellus aureum: est dos illa, quam per me habuisti.

202 *Quam*] Dotem. *Neges*] Id est, nolis mihi reddere.

203 *Tu sospes*] Id est, vita tua præservata est dos mea. *Graia juventus*] Id est, omnes socii tui per me servati sunt.

204 *I nunc Sisyphias, improbe, confer opes*] Lego, *His nunc Sisyphias, improbe, confer opes*. *His* videlicet opibus; cum vulgatis tamen scripti faciunt. *Heins. Improbe*] Perfide. *Confer*] Id est, compara. *Sisyphias opes*] Id est, Opes Creontis, filii Sisyphi.

205 *Quod habes nuptam socerumque potentem*] Malim *potentes*. Sic Œnone, 'Cupio fieri matrona potentis.' *Heins. Nuptam*] Scil. Creusam. *Socerum*] Creontem. *Potentem*] Divitem.

207 *Quos equidem actutum*] Malo, *Quos quidem ego actutum*. Met. III. 'Quem quidem ego actutum (modo vos absistite) cogam, Assumptumque patrem commentaque sacra fateri.' *Heins. Quos*] Scil. te, et uxorem tuam, et socerum. *Actutum*] Subauditur, *puniam*. *Prædicere*] Multo ante minari.

208 *Parturit*] Concipit, generat.

209 *Quo feret ira, sequar*] Quod Arrian. Epict. l. I. c. 28. ex Euripide annotavit: quo respexit Ovid. Καὶ μανθάνω μὲν οἷα δρᾷν μέλλω κακὰ, Θυμὸς δὲ κρείσσων τῶν ἐμῶν βουλευμάτων. *Quo feret ira, sequar*] Id est, Faciam id quod ira suadebit. *Facti fortasse pigebit*] Terret ipsum Jasona, dicens se esse facturam id, cujus fortasse postea eam pigebit.

211 *Viderit ista Deus*] *Videris* Puteaneus: et tum in sequentibus rescribe, *qui nunc mea pectora versas*. Heins. *Qui mea pectora versat*] Id est, qui immittet mihi in animum tam diras cogitationes.

212 *Nescio quid majus*] Pro, Nescio quid magnum et terribile. *Agit*] Moliatur. Exitus rei fuit, quod eum Jason nequaquam precibus et verbis Medeæ flexus esset, sed jussisset, ex urbe statim eam discedere (erat enim, ut diximus, Corinthi), illa a Creonte impetravit unius diei dilationem, et interim noctu regiam clam ingressa, quibusdam medicamentis immutata facie, ne cognosceretur, domum incendit quadam radice a Circe inventa: quæ eam vim habebat, ut incensus ignis nequiret extingui: repente, conflagrante regia, Jasonem exiluisse ferunt; Creontem vero et Glaucam, sive Creusam, igne absumptos. *Hub.*

Digitized by Google

EPIST. XIII. LAODAMIA PROTESILAO.

2 *Æmonis Laodamia*] Id est, Thessalonica: nam Thessalia Æmonia dicta est. *Optat quo mittitur ire salutem*] Id est, pervenire ad maritum suum; id est, cupit eum salvere, et incolumem esse.

3 *Aulide*] Oppidum et portus Bœotiæ contra Chalcidem, urbem Eubœæ. Ad hunc cum Græci pervenissent, Trojam navigantes, Agamemnon Dianæ cervam occidit ignarus: unde irata Dea, flatus ventorum removit, ita ut navigare non possent, et pestilentia laborarent. Quare consulta oracula dixerunt, Dianam Agamemnonio sanguine piacandam esse. *Retinente*] Quia ventus contrarius. *Hub. Aulide*] Lucan. v. 'iniquam classibus Aulin.' Propert. III. Eleg. 6. 'Sunt Agamemnonias testantia littora curas: Pro qua mactata est Iphigenia mora.' Æschyl. Agamemn. 177. Χαλκίδος πέραν ἔχων παλιῤῥόθοις ἐν Αὐλίδος τόποις. Senec. Agamemn. vs. 567. 'hinc et Chalcida, Tardamque ratibus Aulida.' *Vento retinente*] Ovid. Metam. XII. 8. Nec dilata foret vindicta, nisi æquora sævi Invia fecissent venti, Bœotaque tellus Aulide piscosa puppes tenuisset ituras.' 'Contraria classi Flamina sunt.' Met. XIII. 183.

4 *Cum fugeres*] Ex desiderio hoc dictum est: nam Protesilaus non fugit. *Ant.*

6 *Sævis*] Turbatis. *Utile*] Aptum, et commodum.

8 *Dicere multa tibi*] *Plura* magna librorum pars; quod arridet, ut superiorum sit repetitio. *Heins.*

9 *Raptus es*] Ablatus. *Præceps*] Festinus.

11 *Ventus aptus*] Ἴκμενον οὖρον ἵη πλησίστιον, ἐσθλὸν ἑταῖρον. Odyss. M. v. 149. ἔπειγε γὰρ οὖρος ἀπήμων. Ibid. 167. Et Odyss. Λ. 657. Κάλλιμος οὖρος, εὐθὺ πνόου Ζεφύροιο πομπαί. Pindar. Nem. 7. 'Utilibus ventis, æstuque secundo.' Met. XIII. v. 631. Sic et Græci. ἐπαύρεσθαι ἀνέμοιο. Argon. I.

12 *Solvor*] Separor, disjungor.

13 *Linguaque mandatis verba imperfecta reliquit*] *Mandantis* et *relinquit* multi ex scriptis. Sed castigatiores *mandatis*. Quare *mandatrix* est ut censeam esse rescribendum. Sequenti versu *valui* pro *potui* Gronovianus. *Heins. Imperfecta*] Non potui finire, quæ tibi dicere volebam.

15 *Incubuit*] Totis viribus. *Tetendit*] Flatu suo implevit. *Arreptaque vela tetendit*] *Abreptaque* Puteaneus et alii præstantiores. *Heins.*

18 *Sumque tuos oculos*] Id est, Cum tu oculos ad me converteres, ego assidue ad te respiciebam.

21 *Fugacia*] Id est, Celeriter euntia, et quæ videbantur fugere.

23 *Lux abiit*] Scil. ex oculis meis. *Tenebris obortis*] Id est, inducta caligine ante oculos. *Hub. Tenebrisque exsanguis obortis*] *Tenebris* lege cum quibusdam scriptis. Cornelius Nepos vita Eumenis, 'Antigonus tenebris obortis ignes conspicatur.' *Heins.*

24 *Succiduo*] Debili, præ dolore. *Dicor*] Alii narrant, ego præ dolore casum non sensi. *Ant.*

25 *Iphiclus*] Pater tuus, socer meus. *Acastus*] Pater meus.

26 *Refecit*] Instauravit. *Gelida aqua*] Aspersione aquæ frigidæ in faciem. *Hub. Mater*] Laodotheam significat, Laodamiæ matrem. *Ant.*

27 *Sed inutile nobis*] Quia utilius fuisset mihi tunc mori, quam nunc vivere in tantis curis.

29 *Utque animus rediit*] Alii aliter:

Digitized by Google

sed veram esse lectionem quam Puteaneus præfert cum septem aliis, *Ut rediit animus*, dictum Ep. VI. 31. *Animus rediit*] Id est, postquam respiravi.

30 *Momordit*] Pupugit, tetigit.

31 *Nec mihi*] Dicit se ob absentiam mariti ita esse anxiam, ut nec ornatu corporis delectetur, nec possit quiescere. *Pectendos*] Pectine componendos et ornandos. *Præbere*] Scilicet, ancillis meis.

33 *Ut bicorniger*] Id est, Bacchus. Dicit se furore ita agi, sicut aguntur bacchantes. *Pampinea hasta*] Id est, thyrso. Est autem thyrsus, hasta pampinis involuta, quam bacchantes ferre solent. *Pampinea hasta*] Quod ex Æneid. VII. Senec. Hippol. 755. 'Pampinea cuspide.' Et Eurip. Bacch. v. 145. 'Ο βακχεὺς δ' ἔχων Πυρσώδη φλόγα πεύκας, 'Εκ νάρθηκος ἀΐσσει, Δρόμῳ καὶ χόροις ἐρεθίζων πλανάτας. Et alibi. Τὸ κισσινὸν βέλος. 'Pampineas ferulas.' Σείων βακτρίον κλάδον, Eurip. ibid. *Tetigisse*] Stimulasse, concitasse in furorem. Bacchus autem dicitur habere cornua, propter superbiam et elationem, quam fervor vini inducit. *Bicorniger*] Ταυρόκερος. Eurip. Quamobrem autem cornutus fingatur, docent Mythologi.

34 *Qua furor egit eo*] *Quo furor egit* priscæ editiones et multi ex scriptis codices: sic Ep. IX. 'quo me furor egit amantem?' *Heins.*

35 *Matres Phylaceides*] *Phylaides* Puteaneus. Lege *Phylleides*. Phyllus enim Thessaliæ urbs non minus quam Phylace. Stephanus Byzantius: Φυλλοῦς πόλις ἐν Θετταλίᾳ. Στράβων ἐννάτῃ. 'Ριανὸς δὲ Φύλλον θηλυκῶς λέγει ἐν ἐννάτῳ Θεσσαλικῶν, Οἵδ' ἄφαρ ὁπλισθέντες, ἴσαν κραναὴν ποτ' Φύλλον. Οἰκοῦντες, Φυλλεῖς. Noster libro III. Art. Am. 'Nec tibi turpe puta crinem, ut Phylleia mater, Solvere:' ubi perperam Bersmannus *Phylaceia* contra veteres libros reponit. Nostri certe omnes *Phylleia*, præter unum Ambrosianum, nec vetustum illum, in quo *Phylaccia*. Laodamiam autem illic intelligi non est dubium, quæ comis præcipue conspecta habebatur. Noster alibi, 'Sic erat ornatis Laodamia comis.' 'Pecorosaque Phyllos' Statio dicta Theb. IV. 'Aptior armentis Midea, pecorosaque Phyllos.' Hinc 'Phylleius juvenis' Nostro. Met. XII. 'Nudaque Phyllei juvenis ferit ossa sarissa.' Cœneus enim Thessalus. Videtur et mons ejus nominis fuisse. Apollonius lib. I. Πιρεσίας ὄρεος Φυλληΐου ἀγχόθι ναίων· ubi Scholiastes: τὸ δὲ Φυλλείου ὄρος Μακεδονίας. *Phyllei* in Thessalia montis etiam Hyginus meminit fab. 14. at codex Leidensis *matres Phylotides*, ut *Phthiotides*; sed id posse dici vix opinor. Cur *Phylaceides* hic minus admitti debere censeam, facit, quod primam in *Phylacides* Ovidius alibi plerumque producat, geminato *l*. a φυλάκη, φυλλακίδης· ut a φυλύρη, φυλλυρίδης. Phylacides Protesilaus dictus a Phylaco avo, Iphicli patre, potius quam oppido Phylaceo, in quo avus regnarat. Hic locus commodum me admonet alterius apud Statium insigniter mendosi, nunc simili opera corrigendi, qui Domitium et Domitio viros longe doctiores valde exercuit. Is est Sylvarum quinto, Epicedio in Patrem. 'Si chelyn Odrysiam pigro transmisit Averno Causa minor: si Thessalicis Admetus in oris, Silva una retro Phylaceida rettulit umbram:' sic priscæ editiones. Si una mutata litera pro *Silva* reponas *Si lux* habebis veram lectionem. Unus enim dies Protesilao impetratus est, quo ad superos rediret. Rem narrat in Dialogis mortuorum Lucianus. Huc et allusisse videtur Propertius lib. IV. El. 7. 'At mihi non oculos quisquam inclinavit euntes, Unum impetrassem te revocante diem.' Sed jam plus satis super hoc loco. *Heins.* *Matres*] Matronæ, mulieres.

37 *Saturatas*] Bene tinctas; unde

Digitized by Google

dibaphæ vestes dicebantur, quæ bis erant tinctæ. *Murice*] Purpura. Est enim murex piscis, cujus sanguine tinguntur lanæ.

39 *Ipsa comas pectam*] Alter membranaceus Moreti codex *pectar*; eleganti Græcismo: superiora confirmant, 'Nec mihi pectendos cura est præbere capillos.' Hoc enim ancillarum officium, quæ 'ornatrices' hinc dictæ. Sic 'pexa comam Elegeia' lib. III. Amor. El. 1. 'Venit odorato Elegeia pexa capillos:' ita scribo. Nam vulgatum *nexa* ferri non potest, ut illic dicemus. *Prematur*, et mox *gerat*, scripti nonnulli. *Heins.*

40 *Dura*] Aspera, quasi dicat, Non decet, ut ego sim in deliciis, et maritus meus sit in laboribus.

41 *Quo possum*] *Qua* Puteaneus, Argentinus, et meus Mentelianus. Ep. Paridis, 'Qua licet et possum, luctor celare furorem.' At Trist. IV. El. 10. 'Tristia quo possum carmine fata levo.' *Heins. Squalore*] Sorde, neglectu corporis.

43 *Dux Pari*] Neque convenit, ut irata et turbata ducem appellet Paridem. Et ex verbis Homeri Iliad. III. videtur legendum esse *Dyspari*. Dicit enim: Δύσπαρι εἶδος ἄριστε, &c. Alludens igitur Ovid. ad illa verba Homeri, facit iratam Laodamiam loqui de Paride contumeliose, sic: 'O Dyspari:' id est, o male et infelix Pari. Verum Egnatius hanc expositionem exsibilat. *Damno formose tuorum*] Id est, Cujus forma et pulchritudo magno constatura est tuis. *Damno formose tuorum*] Quem ideo Coluth. Theban. vocat 'Τὸν...ἀρχόκακον πολιήτην.' 'Θεσπεσίῃσιν ἀγαλλόμενον χαρίτεσσιν.' Quale vocatur ἀτυχὲς κάλλος.

44 *Tam sis hostis iners*] Id est, Ita negligens et ignavus sis pugnator. *Quam malus hospes*] Scilicet apud Menelaum. *Malus hospes*] Id est, perfidus.

45 *Aut te*] Aut Helena displicuisset Paridi, aut Paris Helenæ. *Tænariæ maritæ*] Id est, Uxoris Helenæ Lacænæ. Nam Tænarus promontorium est Laconiæ, ex qua Helena orta est.

47 *Tu*] Scil. o Menelaë.

48 *Flebilis ultor*] Homer. Odyss. Ξ. vs. 68. Ὡς ὤφελλ' Ἑλένης ἀπὸ φῦλον ὀλέσθαι Πρόχνυ, ἐπεὶ πολλῶν ἀνδρῶν ὑπὸ γούνατ' ἔλυσεν. Eurip. Rhes. μυριάδας τε πόλεις Ἀνδρῶν ἀγαθῶν ἐκένωσεν. *Flebilis ultor*] Quia multa hac tua ultione peribunt.

49 *Di, precor*] Quia quoties Laodamia recordabatur belli, trepidabat et flebat. Ideo precatur, ut hoc non sit ei malo omini, id est, augurio. *Sinistrum*] Infelix. *Hub. Omen*] Futuri mali præsagium.

50 *Det*] De more Jovi conservatori suspendat arma. *Ant.*

51 *Sed timeo, quotiesque subit miserabile bellum*] Libri veteres præter unum Vaticanum constanter, *Sed timeo quoties subiit*. Existimo scribendum, *Sed timidæ quoties subiit*, vel *timidam*. Heins. *Subiit*] Venit in mentem.

52 *Madentis*] Liquescentis.

53 *Ilion*] Quoties audit aliquod nomen regionis Trojanæ, fere solo nomine terretur. *Ilion*] Oppidum ipsum Trojæ. *Tenedos*] Insula in conspectu Trojæ. *Et Xanthus*] Fluvius juxta Trojam. *Ide*] Mons Phrygiæ. *Xanthus et Ida*] *Ide* scripti plerique. *Heins.*

55 *Nec rapere*] Occurrit objectioni: quia posset dici, magnas esse vires Græcorum. *Nisi se defendere posset*] Tolle distinctionem. *Heins.*

57 *Spectabilis*] Ornatus.

58 *Suo corpore*] Quia qui vidisset eum ita ornatum, potuisset judicare, quam dives esset Phrygia.

59 *Per quæ fera bella geruntur*] Malim *per quos*, ut milites intelligantur. *Heins.*

60 *Et sequitur regni pars quota quemque sui*] Recte *quotacunque* Puteaneo pro diversa lectione. Sarravianus *quotaquæque*, vel *quotaquamque*: *quo-*

Digitized by Google

taquæque etiam multi alii ex scriptis. Art. III. 'Forma Dei munus: forma quotaquæque superbit.' At Tibullus, 'Moverit e votis pars quotacunque Deos.' Medicamine Faciei, 'Est etiam placuisse sibi quotacunque voluptas:' sic ibi scribendum. *Heins. Quota*] Id est, minima.

61 *Consors Ledæa gemellis*] *Ledæi* censeo castigandum; ut et initio Epistolæ Paridis. Græcis enim patronymicis impense delectatur noster. Sic Met. I. 'Nympha precor Penei mane:' pro quo *Penea* in vulgatis libris legebatur; et similia passim. *Heins. Ledæa*] Helena filia Ledæ. *Consors*] Id est, soror, et sanguine conjuncta. *Gemellis*] Id est, Castori et Polluci, qui gemini fuerunt, eodem nati ovo.

62 *Hæc*] Scil. divitias et potentiam Trojanorum. *Danais*] Græcis.

63 *Nescio quem*] Quasi dicat, Inter Trojanos fortissimum.

64 *Ferrea bella*] Aut aspera, aut quæ ferro geruntur.

65 *Hectora*] Adjurat Protesilaum per amorem suum, ut caveat hunc Hectora. *Si sum tibi chara*] Si me amas.

66 *Signatum*] Intimum, et quasi signo quodam notatum. *Nomen*] Scilicet, Hectoris.

68 *Multos Hectoras*] Id est, multos fortes, qualis est Hector.

69 *Pugnare parabis*] *Bellare* Scriverianus: ut Epistola Briseidis, 'Partaque bellando gloria dulcis erat.' Gronovianus *facito dicas* pro *facito ut dicas;* venuste. *Heins.*

70 *Parcere me sibi*] Ut me ei servem.

71 *Si fas est*] Id est, si licet, et fata permittunt.

74 *Ut rapiat*] Hic versus cum sequenti absunt a Puteaneo et Lovaniensi. *Heins.*

77 *Causa tua est dispar*] Scripserat, puto, Ovidius, *Causa tuæ dispar:* nam τὸ *est* abest a duobus scriptis. Epistola Acontii, 'Non erit idcirco par tua causa meæ.' *Heins. Vivere pugna*] Sicut Menelaus, ut Helenam habeat, pugnet: ita, ut me habeas, tu vivere pugnes. *Hub. Est dispar*] Non convenit cum Menelao: nam tibi uxor domi est.

80 *Meus sanguis*] Nam salus mea a Protesilao pendet, cujus vulnera mea sunt. *Ant.*

83 *Fortius ille potest, multo qui pugnat amore*] *Cui pugnat* unus Vaticanus; *quam pugnat amare* Puteaneus. Scribe, *quum pugnat amore.* Pergit de Protesilao loqui. Sequenti versu *Protesilaos* Puteaneus. *Heins.*

85 *Hunc fateor volui*] *Nunc* scripti omnes. Met. XIII. 'Nunc equidem fateor (fassoque ignoscat Atrides) Difficilem tenui sub iniquo judice causam.' *Idem. Nunc fateor*] Antea dicere non sum ausa. *Revocare*] Ne ires ad bellum Trojanum. *Ferebat*] Id est, cupiebat.

86 *Substitit auspicii lingua timore mali*] *Sed stetit* quinque libri. Puto *Destitit,* ut dictum Epist. IV. 8. *Heins. Substitit*] Id est, hæsit, cessavit timore mali auspicii: id est, metu ne darem tibi malum auspicium, et augurium revocando. *Hub. Auspicii mali*] Μηδέ μοι αὐτὴ Ὄρνις ἐνὶ μεγάροισι κακὸς πέλεν, οὐδέ με πείσεις. Homer. Iliad. Ω. 218. 'Ominibus parce, et lacrymis.' Sil. III.

88 *Pes tuus offensus limine*] Pedum offensiones in auguriis mala ferre præsagia Tibullus docet.

89 *Ut vidi, ingemui*] Sex scripti, *Ut vidi, gemui:* unus Patavinus *Et vidi et gemui.* Lege *Ut vidi, ut gemui:* vide Notas Epist. XII. 33. *Heins. Ut vidi*] Pedis offensionem. *Ant.*

90 *Signa sint ista*] Id est, Utinam hæc sint signa, maritum meum posse reverti a bello Trojano.

91 *Nunc*] Quæ ante non ausa sum dicere. *Ne sis animosus*] Id est, Ne sis audax. *Hub.*

92 *In ventos eat*] Sit vanus.

93 *Sors quoque nescio quem*] In fatis

Digitized by Google

est, nomine non exposito, qui primus in littus Trojanum exscenderit peritorum. *Sors*] Id est, oraculum. *Fato*] Id est, morti.

94 *Troada tanget humum*] *Tangat* meliores. *Heins.*

95 *Ademptum*] Sublatum, et ereptum sibi.

96 *Strenuus*] Audax et animosus: ut velis primus exire in terram.

97 *Millesima*] Id est, ultima.

100 *Terra paterna*] Ad hostes, ad exilium ruis: non petis patriam, hostile solum petis.

103 *Sive*] Dicit, se interdiu noctuque assiduis curis angi propter absentiam mariti, et ejus pericula: sed magis tamen nocte. *Latet*] Nocte.

107 *Aucupor*] Dicit se multa somniare de marito: quæ licet sint falsa, tamen afferant voluptatem. *Lecto cælibe*] Id est, sine marito.

109 *Sed tua*] Dicit sibi apparere tristia omnia, scilicet imaginem ipsius Protesilai mortui. *Occurrit*] Apparet. *Hub.*

110 *Multa querela*] Protesilai umbra cum Laodamia queri videbatur.

111 *Adoro*] Supplicationibus placare nitor, ne me terreant. *Ant. Excutior*] Violenter excitor.

112 *Fumo meo*] Id est, meo sacrificio: quia ubique sacrifico. *Hub. Thessalis ara*] Sacrifico in omnibus templis ejus Thessaliæ regionis, quam tenemus.

113 *Thura damus lacrymasque super, quæ sparsa relucent*] *Lacrymamque* iidem: sic δάκρυ pro δάκρυα sæpe apud poëtas Græcos. Deinde *quæ sparsa relucet* veteres omnes præter Puteaneum; in quo *quæsa relucet*, et emendatum *quis ara*. Lego *qua sparsa relucet*, flamma, nimirum, quod sequitur *qua*, subintellige, lacryma. Propert. l. IV. El. 3. 'Lacrymis spargitur ara meis.' Epistola Helenæ, 'Flamma recens parva sparsa resedit aqua.' Fast. I. 'noxæ tibi deditus hostis Spargitur affuso tempora, Bacche, mero.' Art. Am. I. 'Vinaque cum bibulas sparsere Cupidinis alas.' Mox 'Sed tamen et spargi pectus amore nocet.' *Heins.*

114 *Affuso mero*] Vinum in sacris adhibebatur cum lacte, si manes et nocturnas umbras essent placaturi. *Ant.* Etiam sanguis: sic Æneid. III. ubi vide Servium, 'Sanguinis et sacri pateras.' Quod ex Homer. Odyss. Λ. Et Enn. in Hecub. 'Unde animæ excitantur, obscuræ umbræ, aperto ostio Alti Acheruntis, salso sanguine, imagines mortuorum.' Et Statius, 'Spumantesque mero pateræ verguntur, et atro Sanguine.

116 *Languida lætitia solvar ab ipsa mea*] Male *tristitia* quidam: sic 'mero solvi' et 'solvi gaudio:' contra 'adstricta dolore pectora' apud nostrum Artis Amatoriæ l. I. Petronius, 'Aniculæ quamvis solutæ mero essent ac libidine, eandem viam tentant.' *Heins.*

117 *Lecto*] Sic Ulysses Penelopæ omnes suos labores exantlatos suaviter enarrat. Odyss. Ψ. a vs. 306.

119 *Audire juvabit*] 'Η δ' ἄρ' ἐτέρπετ' ἀκούουσ', οὐδὲ οἱ ὕπνος Πίπτεν ἐπὶ βλεφάροισι πάρος καταλέξαι ἅπαντα.

120 *Multa tamen rapies oscula, multa dabis*] Libri septem veteres, *capies*: optime, hoc est, accipies, quod respondet τῷ *dabis*. Epistola Sapphus, 'Oscula cognosco, quæ tu committere linguæ, Aptaque consueras accipere, apta dare.' Oscula non rapiuntur, nisi ab invitis. Art. Am. 'Tantum ne noceant teneris male rapta labellis, Neve queri possit dura fuisse cave.' *Heins.*

121 *Narrantis verba resistunt*] *Narrantia* scripti potiores et priscæ editiones recte: *narranti* Moreti liber. *Idem. Resistunt*] Interrumpuntur.

122 *Mora*] Quia recreata aliquantulum, promptior postea efficitur ad narrandum.

123 *Sed cum Troja*] Ostendit superius, se delectari falsis somniis de

Digitized by Google

marito suo. Nunc dicit, quando recordatur belli Trojani, et navigationis ejus, decollare omnem spem.

125 *Hoc quoque*] Quia supra dixit se audisse, eos retineri in Aulide: dicit nunc, se vereri, ne illud sit malum omen. *Exire*] Discedere ex Aulide.

126 *Movet*] Terret et turbat me.

127 *Quis velit*] Si enim nemo contrariis ventis vellet redire in patriam suam, cujus quisque cupidissimus est: quanto minus deberet ventis contrariis a patria sua discedere?

130 *Quo ruitis*] Ita præcipites et inconsiderati?

131 *Audite*] Sentite, et eis ne resistite.

133 *Ista mora*] Quæ vobis a superis objicitur, quo minus navigetis. Aulide, cum non potestis inde discedere.

132 *Tanto bello*] Ideoque Eurip. Cyclops, 282. illud vocat, Αἰσχρὸν στράτευμα. Et vs. 279. Ἡ τῆς κακίστης οἱ μετήλθεθ' ἁρπαγὰς Ἑλένης.

134 *Inachiæ rates*] Id est, Græcæ, vel Argolicæ. *Vertite vela*] Id est, Revertimini in patriam.

135 *Sed quid ego revoco hæc? omen revocantis abesto*] In alia omnia discedunt veteres libri, quorum nonnulli, *Sed quid ego revoco? lævum procul omen abeste:* vel *revoco hæc;* et *sævum omen;* vel *hæc revoco:* alii, *Sed quid ago revocans? revocantis nomen abesto;* vel, *omen;* vel, *omen revocantis:* alii aliter. Puto scribendum, *Sed quid ego hos revoco? revocaminis omen abesto;* vel, *revocatibus:* nam unus Mediceus, *revocantibus omen abesto;* alterum tamen præfero. Fast. I. 'Accipio revocamen, ait.' Met. II. 'tibi, ait, revocamina, corvus, Sint precor ista malo.' Met. III. 'irritaturque retenta, Et crescit rabies, revocaminaque ipsa nocebant:' ita vetustus liber. Multus est in his vocibus noster, si attendas: hinc *renovamen, remoramen, moderamen, solamen, oblectamen, irritamen, piamen, levamen, juvamen,* et infinita hujus generis; qualia et apud Lucretium passim occurrunt, ut *lateramen, duramen, clinamen, glomeramen,* aliaque l. IV. *frustramen,* quomodo ex optimo codice Vossiano scribendum, 'Ac nos in fraudem induimus frustraminis ipsi.' In Puteaneo codice erasa erat vetus lectio, pro qua repositum. *Sed quid ego revoco revocantis et omen abesto.* Jureti, *Sed quid ago revocans? omen revocantis abesto.* Posset et legi, *Sed quid ego hæc?* (vel *hos?*) *lævum revocaminis omen abesto:* ut abrupta sit oratio, qualis et alibi occurrit; ut Epistola Medeæ, 'Quos quidem ego actutum.' Adi Notas Epist. XV. 267. et Fast. IV. 83. Viderint acutiores, si se felicius ex hoc loco expediant. *Heins.*

136 *Compositas*] Quietas. *Blandaque*] Mitis, suavis.

137 *Troadas invideo*] *Troas invideo* Puteaneus. Unde Salmasius, τῷ *in* geminato, feliciter, teste Gronovio in Observationibus, reponebat, *Troasin invideo,* tertio casu Græco plurali. Sic et in Tristibus idem l. v. El. 5. 'Edidit hæc mores illis heroisin æquos' emendabat etiam vere: nam perperam vulgo *heroibus* legitur. Art. Amand. III. 'Lemniasin gladios in mea fata dabo:' sic corrigo ex vestigiis veterum librorum. Apud Propertium habes 'Dryasin' et 'Hamadrysin' et similia. *Quæ si lacrymosa suorum* præterea legendum cum Puteaneo. Vulgati *sic.* Heins.

138 *Funera*] Cædes.

143 *Producet*] Longa mora detinebit. *Reverti*] Hoc mandabit, ut confestim redeat. *Ant.*

144 *Referas*] Reportes.

147 *Exuet et reduci*] *Hæc reduci* Puteaneus: mox *pectora lassa,* non *corpora,* quatuor scripti. *Heins.*

150 *Facta putare*] Id est, putare evenisse tibi.

151 *Dum tamen arma geris*] *Geres* Puteaneus et septem alii: quidam *geras.* Heins.

152 *Cera*] Imago cerea. *Referat*]

Digitized by Google

Repræsentet.

153 *Tibi debita verba*] Id est, Quæ tibi deberem dicere, si adesses.

155 *Plus est, quam quod videatur imago*] Puto, *quam quo videatur:* quo pro, ut. *Heins.* *Imago*] Illa cerea. *Plus est*] Plus voluptatis mihi affert. *Quam videatur*] Scilicet esse imago.

156 *Adde sonum ceræ*] Id est, si habeat vocem. *Protesilaus erit*] Id est, Videberis ipse esse.

157 *Specto*] Cum delectatione intueor.

158 *Et tanquam possit*] Malo rescribi, *Huic, tanquam possit verba referre, queror.* Heins. *Et queror*] Apud eam. *Tanquam possit referre*] Id est, tanquam sit viva, ut possit mihi respondere.

159 *Per reditus*] Jurat nunc, se secuturam Protesilaum, sive vivum sive mortuum; hoc est, si vixerit, se victuram cum eo: si vero mortuus fuerit, se etiam morituram. *Mea numina*] Quod ego colo tanquam numen.

160 *Pares animi faces*] Id est, par parem amorem.

161 *Canis albere capillis*] Id est, Quod utinam videam senescere.

162 *Quod tecum possit*] Lego *O tecum possis,* vel, *Huc.* Nam Vossianus *Ut tecum.* Dixi Epist. I. 101. *Heins.*

163 *Quocunque*] Ad quamcunque conditionem me vocaris.

164 *Quod*] Scil. ne moriaris. *Hub.* *Sive, quod heu timeo*] Tacuit, quod dictura erat (necaberis) ut interpellata locutione omen averteret. *Ant.*

165 *Ultima epistola*] Id est, ultima pars epistolæ.

166 *Sit tibi cura mei, sit tibi cura tui*] *Si* utroque loco pro *sit* Puteaneus: scribe *Si tibi cura mei, sit tibi cura tui:* atque ita Regius unus cum uno Mediceo. *Heins.* *Sic tibi*] Ecce mandatum, ut servet se, et propter seipsum, et propter uxorem. *Hub.*

EPIST. XIV. HYPERMNESTRA LYNCEO.

1 *Mittit*] Epistolam. *Ant.* *De tot*] De quinquaginta. *Uni*] Soli. *Cætera turba*] Fratrum tuorum. *Jacet*] Periit.

2 *Nuptarum crimine*] Quas ideo Horat. impias vocat. Od. III. 11. 'Impiæ sponsos potuere duro Perdere ferro.' Ubi vide plura, quæ huc faciunt.

3 *Clausa domo teneor*] *Domi* meus chartaceus. *Heins.*

4 *Est mihi supplicii causa fuisse piam*] Si elegantias capio Nasonianas, scripserat ille, *fuisse piæ:* sic alibi, 'Vobis immunibus hujus Esse mali dabitur;' et similia: de quibus paulo post plura dicentur. *Idem.* *Supplicii causa*] Causa pœnæ. *Est fuisse piam*] Est pepercisse tibi.

5 *Quod manus*] Ecce pietas. *Jugulo demittere ferrum*] Id est, te jugulare. *Jugulo demittere ferrum*] Scripti *dimittere.* Heins.

6 *Laudarer*] A patre meo. *Scelus*] Te interficiendi.

8 *Non piget*] Quia fuit voluntarium factum. *Immunes*] Vacuas.

10 *Tendat*] Id est, immittat. *In ora*] In faciem meam. *Quæ aderant faces*] Quæ erant incensæ. *Sacris*] Nuptialibus.

11 *Non bene tradidit*] Non juste, neque honeste mihi tradidit ad interficiendum maritum meum. *Non bene*

Digitized by Google

tradidit] Stat. Thebaid. v. 'potnitne ultricia Graiis Virginibus dare tela pater, lætusque dolorum, Sanguine securos juvenum perfundere somnos?'

12 *Qua non cecidit vir nece*] Id est, Licet moriar ea nece quam maritus meus evasit, non tamen efficiet. *Nupta cadat*] *Cadam* meliores. *Heins.*

13 *Morientia ora*] Id est, ora mei morientis.

14 *Non est quam piget esse piam*] Scripti sex, *non sum*. Lego *non es*: vide notas ad Epist. x. vs. 75. *Heins.* *Quam piget esse piam*] Horat. Od. III. 11. 'Una de multis face nuptiali Digna, perjurum fuit in parentem Splendide mendax, et in omne virgo Nobilis ævum.'

15 *Pœniteat*] Scil. facti. *Danaum*] Patrem meum. *Sceleris*] Crudelitatis, quam mandavit. *Sorores*] Quæ perfecerunt crudelia mandata patris.

16 *Hic eventus*] Scil. pœnitendi. *Facta nefanda*] Id est, crudelia. *Facta nefanda*] Virgil. x. 497. 'Impressumque nefas: una sub nocte jugali Cæsa manus juvenum fœde, thalamique cruenti.' Quod Stat. imitatur Thebaid. IV. 'Perfectaque vivit in auro Nox Danai.' Vide et Æschyl. Prometh. vs. 827. et seqq. Τοιάδ' ἐν' ἐχθρὸν τὸν ἐμὸν ἔλθοι Κύπρις.

17 *Admonitu*] Id est, recordatione. *Temeratæ*] Pollutæ, fœdatæ.

18 *Præpedit ossa tremor*] Sic nostri constanter. Naugerius *ossa* malit ex suis perperam: *concutit* quatuor libri; ut Epistola Briseidis, 'Hic mihi væ miseræ concutit ossa metus.' Noster alibi, 'gelidusque cucurrit, Ut mihi narrasti, dura per ossa tremor;' quæ ex illis Virgilianis est imitatus, 'gelidus Teucris per dura cucurrit Ossa tremor.' *Heins.* *Dextræ ossa*] Id est, Digitos, quo fit ut scribere non possim.

19 *Quem tu cæde putes fungi potuisse mariti*] *Marito* Puteaneus. Lege *cæde marita*: sic 'thori mariti' pro maritales, Epistola Phyllidis: 'faces maritæ' Canaces. Medeæ 'sacra marita:' et 'Venus marita' Paridis Epistola. Seneca Agamemnone Act. II. 'Palam maritam possidens pellex domum:' sic scribe. Vetus codex Mediceus *marita*. Vulgo *mariti*. Idem Hercule Œtæo, 'quas, mater, in latebras agar, Ubique per te nota! sed patriam petam Laresque miseros: Argos Eurystheus tenet. Marita Thebæ regna et Ismenon petam?' Ita totus locus optime in eodem Mediceo libro legitur, nisi quod scribendum *Marita Thebas regna*, vel *Theben*. Sic et 'fœdus maritum' nostro Pont. III. El. I. et 'Vota marita' apud Statium Epithalamio Stellæ: et 'furta marita' Theb. x. ut utroque loco arbitror reponendum. Plura de hac voce observabamus ad Claudianum Bello Gild. 407. *Heins.* *Quam tu*] Argumentum est magnum suæ pietatis. *Quam*] Scil. dextram. *Cæde fungi potuisse*] Id est, potuisse interficere maritum.

21 *Modo facta*] Incipit narrare totius facti processum, sumpto initio unde oportuit.

22 *Ultima pars lucis, primaque noctis erat*] *Ultima pars noctis, primaque lucis erat* Puteaneus et sex alii: recte. In multam enim noctem protracta cœna sub exortum lucis sponsos cum novis nuptis in thalamum vult ductos. Hæc post cœnam facta hic describuntur. *Heins.*

23 *Inachides*] Proneptes Inachi. Nam Inachus genuit Io: ex ea et Jove natus est Epaphus, ex Epapho Belus Priscus, ex Belo (ut diximus) Ægyptus et Danaus, cujus hæ sunt filiæ: ergo Inachides. *Pelasgi*] Is fuit rex, a quo populi quibus imperavit Pelasgi dicti sunt: qui postea Danai sunt nominati.

24 *Socer*] Ægyptus. *Armatas*] Gladiis instructas, quos Danaus nobis dederat. *Accipit ipse murus*] *Illæ* complures libri. Unus Ambrosianus *ælæ*; quo et Jureti excerpta alludunt, in

Digitized by Google

quibus *inde*. Heins.

25 *Præcinctæ*] Auro ornatæ, sicut in regalibus nuptiis mos erat.

26 *In invitos impia thura focos*] *In antiquos* Barberinianus; non male. *Heins. Invitos*] Sic Ter. Adelph. ' Tu potius Deos comprecare: nam tibi eos certe scio, Quo vir melior multo es quam ego sum, obtemperaturos magis.' Et Plaut. Rud. prol. 25. ' Facilius, si qui pius est, a Dis supplicans, Quam qui scelestus est, inveniet veniam sibi.' *Impia*] Quæ ab impiis offerebantur. *Invitos*] Non libenter accipientes ipsa thura et sacrificia, quæ ab impiis offerebantur.

27 *Vulgus, Hymen*] Hæc vox celebrabatur in nuptiis et epithalamiis. *Fugit*] Quia ad infaustas nuptias non solet venire. Unde supra Hypsipyle: ' At mihi nec Juno, nec Hymen, sed tristis Erinnys Pertulit infaustas sanguinolenta faces.'

28 *Ipsa Jovis conjux*] Quæ solet adesse conjugiis. *Cessit*] Discessit. *Ab urbe sua*] Argis, ubi præcipue colitur.

29 *Dubii*] Scil. sponsi nutantes ebrietate. *Mero dubii*] Mero saucii. Justin. I. 8. et XXIV. 8. ' percussus tempora Baccho.' Tibul. I. 2. vs. 3. οἰνοπλήξ· οἰνοβαρῆ κεφαλήν. 'Ονομάκρετε, καί με βιάσαι οἶνος. Philæm. apud Stobæ. Serm. 44. Sic et Latini, ' vicit vinum quod bibi.'

30 *Impediente*] Ligante. *Madidas*] Unguento delibutas.

32 *Strata premunt*] Id est, jacent in lectis. *Funere digna*] Quæ strata magis erant digna funere, quam nuptiis.

33 *Graves*] Gravati et oppressi. *Somno*] Qui maxime ex cibo et vino fit.

34 *Quies alta*] Id est, profundus somnus. *Securum per Argos*] Id est, ubi nullus erat timor. *Quies alta*] Quod silentium noctis Virg. Æn. IV. egregie descripsit: idque a Scalig. de Re Poët. pro divino habetur. Et inferius: ' media cætera nocte silent.'

36 *Et tamen audieram*] *Audibam* Puteaneus: et sequenti versu *relinquit*, quomodo et alii nonnulli: lego præterea, *quodque vererer erat*. Infra, *Quod metuas non est*. Heins.

39 *Utque levi Zephyro graciles vibrantur aristæ*] *Ut leni Zephyro* Puteaneus cum septem aliis: quomodo Amor. I. l. 1. El. 7. idem codex, et alii nonnulli, ' Ut leni Zephyro gracilis vibratur arundo.' Art. Amat. lib. III. ' Lenibus impulsæ Zephyris auraque salubri Tot generum frondes herbaque summa tremit.' Comparationem autem mutuatus est ab Homero Illiad. B. 'Ὡς δ' ὅτε κυκήσῃ Ζέφυρος, βαθὺ λήϊον, ἐλθὼν, Λάβρος, ἐναιγίζων, ἐπί τ' ἠμάθεϊ λοιταχόεσσῳ. Nisi quod λάβρον hic Zephyrum, noster ' lenem' vocat. Hoc primum. Deinde *fragiles aristæ* Junianus et mens Mentelii; quæ lectio etiam arridet, etsi locus Ovidii ex Amoribus jam adductus alteram scripturam tueri videatur: sed et illic *fragilis arundo* forte rescribendum. Calpurnius Ecloga VI. ' Ungula quæ viridi sic exsultavit in arvo Tangeret ut fragiles, sed non curvaret aristas.' Priscianus de Ponderibus, ' Ducitur argento tenuive ex ære chylindrus, Quantum inter nodos fragilis producit arundo.' Avienus Fab. XVI. ' In fragiles calamos grande resedit onus.' Idem ' culmos fragiles' dixit Fab. XXI. ' gracilem' tamen ' arundinem' Seneca Hippolyto. Præterea pro *vibrantur aristæ*, tres scripti *agitantur*. Quomodo Art. Am. l. I. ' Horruit, ut steriles, agitat quas ventus, aristæ.' Sed cur ' steriles aristas' ibi dicat, haud video: quare *teretes* existimo reponendum. *Heins.*

40 *Comas*] Frondes.

41 *Ipse*] Tu. *Jacebas*] Dormiebas.

42 *Quæque tibi dederant*] Non damnarem hanc lectionem, nisi libri meliores magno numero *dederam* agnoscerent. *Heins. Soporis erant*] Id est, Erant vina quæ facerent soporem.

Digitized by Google

45 *Non ego falsa loquor*] *Loquar* Puteaneus et Gronovianus. *Heins.*

46 *Male sublato*] Non fortiter elevato: vel *male*, non juste contra maritum. *Decidit ense manus*] *Concidit* ex scriptis non pauci: unus Patavinus *cecidit*. Puteaneus mendose *tetendit;* emenda *recidit*. Est enim ambigua prima syllaba, ut Giphanius in Indice Lucretiano jam monuit. Remed. Am. 'Recidit, ut cupidos inter devenit amantes:' sic veterrimus codex Regius, nisi quod in illo *Recidit*, quomodo passim vetustiores libri constanter, ut et in *rettulit*. Metam. lib. VI. 'vosque est postponere natis Ausa suis; et me (quod in ipsam recidat) orbam Dixit.' Lib. X. de Orco, 'In quem recidimus quicquid mortale creamur:' et mox, 'Recidit in solidam longo post tempore terram Pondus:' sic loca illa in præstantissimis codicibus scribuntur. Quomodo et ille Epistola Acontii, 'Reciderint humero pallia lapsa meo.' Propert. 'Recidit inque suos mensa supina pedes:' ita libri meliores. Juvenal. Sat. XII. 'tunc adversis urgentibus illuc Recidit.' Ausonius Parentalibus, 'regnum cum Victorinus haberet Victor, et in Tetricos recidit imperium.' Plura ad Claudianum de hoc verbo. *Heins.*

47 *At rursus monitis jussuque coacta parentis*] Longe aliam lectionem Puteaneus liber cum aliis quibusdam hic exhibet: *Admovi jugulo (sine me tibi vera fateri.)* Quidam hunc versum substituunt: *Tandem victa mei sæva formidine patris.* Neuter satisfacit. Expungendum totum distichon puto, utpote confictum a sciolo, qui superiora cum sequentibus arbitrabatur non cohærere. Cohærebunt autem optime, si pro *Sed* reponas *Et. Et timor et pietas crudelibus obstitit ausis.* Idem.

49 *Timor*] Quia naturaliter insitus est mulieribus. *Pietas*] Mea erga te.

51 *Sinus*] Vestes.

52 *Exiguo*] Tenui, demisso, ne audirer. *Sono*] Voce.

53 *Sævus*] Dicit hæc verba secum.

54 *Iste*] Lynceus. *Germanis sit comes*] Interficiatur, sicut alii fratres sui.

55 *Femina sum et virgo*] Quinque codices τὸ *et* non agnoscunt. *Heins.*

56 *Molles*] Muliebres. *Hub.*

57 *Jacet*] Facultatem rei gerendæ monstrat. Perficiam, inquit, jussa patris facillime, quoniam hic somno oppressus jacet. *Aut.*

61 *Quid meruere necem*] *Quo* Puteaneus. bene. Alii codices *Haud*, *An*, et *Non*. Virgil. 'Quo molem hanc immanis equi statuere?' Idem, 'Quo vitam dedit æternam?' *Heins.* *Patruelia regna*] Scil. regna patrui. Nam Danaus coactus fuerat, non solum dare filias uxores filiis fratris, ut dictum est: sed etiam regna sua.

62 *Externis danda ferent generis*] Id est, peregrinis: quia Danaus non habet filios masculos.

63 *Quid, &c.*] Id est, Nos quid peccavimus, quare debeamus fieri homicidæ?

64 *Quo mihi commisso non licet esse piam*] *Esse piæ* Puteaneus: optime. Horatius Sat. lib. II. 1. ut in veterrimis libris legitur 'Munifico esse licet:' et Sat. I. 'atqui licet esse beatis.' Martial. lib. VI. 'Et satis est, pigro si licet esse mihi.' Lib. XI. 'Penelopa licet esse tibi sub principe Nerva.' Lib. IX. 'Nobis non licet esse tam disertis.' Lib. X. 'Quid faciet pauper, cui non licet esse clienti?' Noster ipse Met. VIII. 'Licet eminus esse Fortibus.' Elegia de Nuce, 'tutæ non licet esse mihi:' quomodo illic ex fide veterum membranarum castigavi. Amor. lib. I. El. 6. loco in vulgatis insigniter depravato, 'Redde vicem meritis: grato licet esse quid obstas?' Trist. III. El. 11. 'In caussa facili cuivis licet esse diserto;' perperam *disertum* plerique ex scriptis. El. 14. 'Urbe tamen natis

Digitized by Google

exulis esse licet.' Seneca Hercule Œtæo, ex Mediceo codice, 'Quodcunque tellus gennit infesta, occidit Meaque fusum est dextera: iratos Deis Non licuit esse.' Juvenalis Sat. x. 'Non licet esse viris:' ita enim et illic libri veteres. Sulpicius Severus sacræ Hist. lib. II. 'Post etiam datis legibus religio vetabatur, palamque edictis propositis, Christiano esse non licebat:' sic et ibi censeo reponendum. Exempla plura passim occurrunt: sic 'contigit esse Jovis nepoti.' Met. XI. 'si quidem Jovis esse nepoti Contigit haud uni, conjux Dea contigit uni:' quomodo vetustissimus codex: 'satis est esse Jovi,' Met. III. 'Nec tamen esse Jovi satis est, det pignus amoris:' nam ita illic etiam codex antiquus. Quare et lib. XIII. lubens rescripserim, 'non hæc sententia tantum Fida, sed et felix; cum sit satis esse fideli:' sed hoc dubie: tutius reponas apud Senecam Œdipo: 'unica Œdipodæ est salus, Non esse salvo:' et apud Ausonium Idyll. XXXI. 'Esse simul dominis, gratior ordo piis.' Lucret. 'Quidve mali fuerit nobis non esse creatis?' Horatius Sat. I. 'Primum ego me illorum, dederim quibus esse poëtis, Excipiam numero:' sic scribe; neque aliter citatur ab antiquo Scholiaste ad Sat. VI. ejusdem libri ad illa, 'quo tibi, Tulli, Sumere depositum clavum, fierique tribuno?' Ep. I. 16. 'Da mihi fallere, da justo sanctoque videri.' Arte poëtica, 'mediocribus esse poëtis Non Di, non homines, non concessere columnæ.' Vide quæ ad Nucem noto, v. 107. *Heins.* *Commisso*] Peccato.

65 *Quid bellica tela puellæ*] *Quo* Puteaneus et Argentinus; recte: dixi Epistola II. 53. *Heins.*

66 *Lana colusque*] Quia hæc conveniunt mulieribus. *Hub.*

69 *Dum petis amplexum*] Puto *amplexu*: ut Met. VI. 'Oraque develat miseræ pudibunda sororis; Amplexuque petit:' ita enim hic vetusti codices. Epistola Leandri, 'Excipis amplexu.' Heins. *Jactas*] Moves in somnis.

72 *Expulerant somnos*] *Expulerunt* Puteaneus; probe. Vide Notas ad Epist. VII. vs. 166. *Heins.* *Expulerant somnos tuos*] Id est, excitaverant te.

73 *Belide*] Nepos Beli, Lynceus. *Hub.*

74 *Nox perennis*] Mortem significat, quam Catullus dicit noctem esse perpetuam. *Ant.* *Ni properes*] Meliores *properas*. Heins.

76 *Fortia tela*] Id est, ensem, qui solet esse telum fortium. *Hub.*

78 *Ipsa*] Ego. *Moror*] Remaneo.

79 *Mane erat: et Danaus*] Malim, *at Danaus*. Pro *in cæde* scripti fere omnes *ex cæde*. Heins.

80 *Unus*] Id est, tu solus. *Summæ criminis*] Id est, numero cædis.

81 *Male*] Inique. *Jacturam*] Damnum: id est, ægre fert, te solum non fuisse interfectum, et defuisse morti aliorum. *Cognatæ*] Consanguineæ.

82 *Et queritur factum sanguinis esse parum*] *Facti* præstantiores omnes. Facere sanguinem, ut 'facere cædem,' apud Livium. Phædrus lib. III. 46. 'unde fecisti tantum corporis?' hoc est, unde tam obesus factus es? *Heins.*

83 *Abstrahor a patriis manibus*] *Pedibus* idem. Fast. II. 'Et cadit in patrios sanguinolenta pedes.' Sed Scriverianus et Hafniensis cum Erfurtano *laribus*. Sic Remediis Amoris, 'Nec te lar patrius, sed amor revocabit amicæ.' Atque ita passim auctores. *Heins.*

84 *Hæc meruit pietas præmia*] Horat. 'Me pater sævis oneret catenis, Quod viro clemens misero peperci: Me vel extremos Numidarum in agros Classe releget.' *Raptam capillis carcer habet*] Id est, Ego rapta capillis in carcere servor.

85 *Scilicet ex illo*] Scaliger versus triginta quatuor huic loco alienos et

Digitized by Google

alio referendos censebat: sed frustra. Nihil enim iis convenientius aut aptius. Quod ut magis liqueat, adeantur Æschyli 'Ικέτιδες similis omnino argumenti, ubi et tota hæc Ius fabula recensetur. Danaus nempe Argorum Rex, Hypermnestræ pater, ab Ione et Epapho originem trahebat. *Heins. Scilicet ex illo Junonia permanet ira*] Excusare facinus nititur a Junonis potentia, quæ Argivas puellas oderit, ex quo Io Inachi Jovi placuit. *Ira*] Argivis puellis irata est.

86 *Ex homine*] Ex fœmina facta est vacca. *Facta Dea*] Isis in Ægypto est nuncupata, ut scribit Herod. *Ant. Bos ex homine*] Βοῦς Lycophr. 'Io versa caput primis mugiverat annis, Nunc Dea, quæ Nili flumina vacca bibit. Cornua nec valuit curvare in pellice Juno, Aut faciem turpi dedecorare bove?'

87 *Ah satis est pœnæ*] Præstantiores *At*. Heins. *Satis est pœnæ*] Satis supplicii.

88 *Nec modo*] Ordo est: Et est satis pœnæ, illam modo formosam: id est, quæ paulo ante erat pulchra. *Nec posse placere Jovi*] Propter formam pecudis.

89 *Liquidi*] Propter aquas. *Hub. Liquidi parentis*] Inachum fluvium significat. *Ant.*

90 *Cornuaque non sua*] Id est, aliena, et non sibi convenientia: quia sunt belluarum, et non hominum.

91 *Et conata queri*] Puteaneus, *Conata eloqui*: unus Regius *Conatoque queri*, quod verum est: sic et Met. I. in hac eadem fabula est peccatum; ubi similiter ex antiquis libris scribendum, 'Conatoque queri mugitus edidit ore.' Oscitantia librariorum loco corrumpendo utrique causam haud dubie dedit, qui τὸ *que* geminare neglexerant, ut sæpe alibi. Sic Epistola Helenæ, 194. 'In non exhibitis utraque juncta thoris,' vulgo nunc legitur: et differunt inter se membranæ. Liber optimus *utraque justa*. Scribe *utraque questa*. Sic et Fastorum lib. I. 'Jane, face æternos pacem pacisque sequestrum.' Quomodo Nasonem scripsisse vix dubito: at nunc *pacisque ministrum* circumferunt codices vulgati. Vide notas sequenti epistola, 49. *Heins.*

92 *Forma*] Figura. *Voce*] Sono.

93 *Quid fugis, infelix? quid te miraris in unda*] *Quid furis?* libri plerique: quo verbo designat οἰστρηλασίαν Ius a poëtis tantopere decantatam: de fuga mox agitur. *In umbra* etiam Puteaneus, cum altero Moreti; recte. Nam de unda jam dixerat. *Heins.*

94 *Numeras pedes*] Quia sunt quatuor.

95 *Ipsa Jovis magni pellex*] *Illa* Puteaneus et quatuor alii venuste: sic et sequenti Epistola scribendum videtur, 'Cui colar infelix, aut cui placuisse laborem? Ille mei cultus unicus auctor abes:' ubi *abest* nunc legitur. Satius lib. I. Sylv. 'at nunc æterna silentia Lethes Ille canorus habes.' Met. XIII. 'Ille igitur tantorum victor Achille Victus es a timido Graiæ raptore maritæ?' Amor. lib. III. El. 6. 'Ille fluens dives septena per ostia Nilus.' El. 9. 'Ille tui vates operis, tua fama Tibullus.' Art. Amat. lib. II. 'Ille fatigatæ vincendo monstra novercæ Qui meruit cœlum, quod prior ipse tulit.' Amor. lib. III. El. 9. 'Carminibus confide bonis: jacet ille Tibullus:' ita veterrimus codex. Sic et 'Ille ego,' passim. Vide Notas Trist. v. El. 7. Ad Claudianum quoque nonnihil jam dixi. *Heins. Ipsa*] Tu. *Pellex*] Scil. ante. *Jovis sorori*] Junoni, quæ est et soror et conjux Jovis. *Metuenda*] Ne propter pulchritudinem tuam te sibi præponeret.

96 *Levas*] Minuis, sedas. *Fronde*] Pro, frondibus. *Cespitibusque*] Herbis. Nam *cespes* proprie est terra cum herba revulsa: sed hic pro herba capitur.

97 *Stupefacta*] Territa.

Digitized by Google

98 *Et ne te feriant*] *Te ne* meliores; ut in illo Virgilii, 'ah te ne frigora lædant!' et sequenti versu pro *posses* iidem *possis*. Heins. *Quæ geris arma*] Id est, cornua.

99 *Quæque*] Id est, Tu, quæ ita eras dives et deliciosa, ut posses æstimari digna Jove.

100 *Nuda nuda recumbis humo*] *Dura humo* aut *uda* aut *gelida* aut *solida* quidam scripti: nil muta. Met. IV. 'Sedit humo nuda nudis incomta capillis.' Art. Am. II. 'Frigidus in nuda sæpe jacebis humo:' et mox, 'Perferet in nuda ponere corpus humo:' quomodo illic nonnulli veteres. *Heins. Recumbis*] Jaces. *Nuda humo*] Id est, dura, vel sine stramine.

101 *Cognata*] Quæ sunt tibi cognatione conjuncta propter patrem tuum, qui est fluvius.

103 *Pererras*] Percurris.

104 *Vultus tuos*] Bovinos, qui te terrent: quia, quocunque fugis, te sequuntur.

105 *Inachi*] Id est, Filia Inachi. *Eadem sequerisque fugisque*] Id est, Ipsa es, quæ sequeris, et ipsa, quæ fugis: nam licet credas refugere vaccam, una tamen eademque es.

106 *Comiti*] Scil. tibi: id est, Te ipsam præcedis, te ipsam comitaris.

107 *Per septem portus*] Dicit eam in Ægypto deposuisse figuram bovis. *Nilus*] Fluvius Ægypti, in mare per septem ostia influens. *Septem portus*] Æneid. VI. 'Et septemgemini turbant trepida ostia Nili.' Ovid. Metam. I. 'Septemfluus.' Et Virgil. IX. vid. Serv. 'Ceu septem surgens sedatis amnibus.' *Demissus in æquor*] *Emissus* præstantiores. Sequenti versu *boci* pro *bovis* scribendum; atque ita Lovaniensis. *Heins.*

108 *Exuit*] Deposuit. *Ora*] Faciem. *Bovis*] Vaccæ. *Insana*] Furentis, et stimulis exagitatæ. *Hub.*

109 *Ultima quid referam*] Imo *refero* censeo reponendum vel contra librorum auctoritatem. Quid, inquit, calamitatem domus nostræ ultima ab origine recenseo, e senibus intellectam, cum ne nunc quidem desit, quod lugeamus? Sic Auctor Elegiæ in obitum Drusi, 'Prisca quid huc repeto? Marcellum Octavia flevit.' Quanquam, ne quid dissimulem, distichon hoc mihi suspectum est non uno nomine, nec Nasonem omni ex parte refert. *Heins. Ultima*] Quæ a nostra memoria sunt remotissima. *Ant. Quorum*] Scil. ultimorum. *Cana senectus Auctor*] Id est, Quæ ab antiquis audivi.

111 *Bella pater*] Incipit commemorare infœlicitates sui temporis. *Pater*] Danaus. *Patruus*] Ægyptus.

112 *Pellimur*] Pater, et nos filiæ. *Ultimus orbis*] Id est, ultima pars orbis: quia venimus in remotissimas regiones. *Ejectas*] Regno expulsas. *Ejectas ultimus orbis habet*] *Ejectos* scripti ferme omnes; ut etiam de patre intelligatur. Sequenti versu iidem *sceptroque*, non *sceptrisque*. Heins.

113 *Ille*] Patruus. *Solio*] Sede regia. *Sceptro*] Imperio.

114 *Cum sene*] Danao. *Vagamur*] In alienis terris erramus.

115 *De fratrum*] Alia infœlicitas sui temporis, quia ex tot fratribus unus solus Lynceus superfuit. *Exiguissima*] Minima. *Pars exiguissima restat*] Bene *restas* Gronovianus et quatuor alii. *Heins.*

116 *Quique dati*] Id est, Doleo et propter eos qui interfecti sunt, et propter eas quæ interfecerunt.

117 *Nam mihi*] *Tibi* iidem. *Heins. Fratres*] Consanguinei. *Periere*] Amissæ sunt: quia licet vivant, non tamen eas habebo sorores: vel forte mortem ob ultionem præsagit.

118 *Utraque turba*] Et interfectorum et interfectricum.

119 *Ego pœnæ reservor*] Id est, ad pœnam.

120 *Quid fiet sonti*] *Fieret* septem libri; duo *fiat*: utrumque bene. *Heins. Quid fiet*] Quasi dicat, Multo crude-

Digitized by Google

lius. *Cum rea laudis agar*] Id est, Cum accuser de eo, de quo laudem mereor.

121 *Et consanguineæ*] Lubens rescripserim *En*. Heins. *Quondam centesima*] Quia cum vos essetis quinquaginta fratres, et nos quinquaginta sorores, eram quinquagesima.

122 *Cadam*] Moriar. *Manente*] Superstite.

123 *At tu, si qua piæ remanet tibi cura sororis*] Pro *remanet* primæ editiones et scriptorum plurimi *Line est*. In Puteaneo *remanet* a manu secunda, nullo priscæ lectionis apparente vestigio. Scribe *Lynceu*. Lynceus enim Hypermnestræ maritus dictus, non Linus. Ita eum Pindarus appellat et Apollodorus et Libanius in Diegematis ab Allatio editis, et Tzetzes in Chiliadibus et Zenobius (apud quem tamen Λυγγεὺς perperam pro Λυγκεὺς scribitur) et Hyginus, Servius et Scholiastes Statii non uno loco. Apud Scholiastem Germanici tamen et Horatii, Statii quoque uno in loco *Linus* mendose appellatur. Ex hoc conjugio natus est Abas, qui Metapenthem Prœti filium, ut mortem ulciscereturpaternam, occidit. *Heins. At tu*] Nunc rogat Lynceum, ut aut ferat opem, aut ut eam sepeliat. *Si qua cura*] Si quis amor. *Piæ*] Quæ te amavit. *Sororis*] Patruelis, consanguineæ.

124 *Quæque*] Subaudi. *Si tu dignus habes*] Id est, Si mereris. *Quæ tribui numera*] Id est, vitam.

125 *Defunctaque vita*] Id est, mortua.

126 *Corpora furtivis insuper adde rogis*] Scribe, quicquid dissuadeant libri veteres, *i, superadde:* sic lib. v. Fastorum hactenus legebatur, 'Si vir es, indictas exige dotis opes,' cum, *i, dictas* sit reponendum: et libro IV. 'Dic ter, et i, vivo perlue rore manus:' cum *in vivo rore* nunc legatur. Pessime verbum id monosyllabum plurimis apud scriptores optimos in locis est habitum, de quo multis egi ad Epistolam IV. 127. *Heins. Furtivis*] Occultis, clandestinis, si aperte non audes mihi facere rogum.

128 *Scriptaque sint titulo*] *Sculptaque* scripti nostri omnes cum primis editionibus. At Tibullus, 'Fac lapis inscriptis stet super ossa notis.' Ausonius Parentalibus, 'Gaudent compositi cineres sua nomina dici: Frontibus hoc scriptis et monumenta jubent.' Sic 'scriptum aurum' Juvenali, 'Dacius, et scripto radiat Germanicus auro.' *Heins. Sculptaque*] Incisa, inscripta. *Titulo*] Epigrammate.

129 *Pretium iniquum*] Appositio est: id est, iniquam remunerationem.

131 *Libet*] Est animus. *Pendere catena*] Quia pater meus jussit me ligari.

132 *Et vires*] Alia causa quare non possit scribere: quia *timor*, scilicet, patris. *Subtrahit*] Aufert. *Vires*] Scil. scribendi.

EPIST. XV. SAPPHO PHAONI.

Sapphus ad Phaonem Epistola in nullis Heroidum Ovidianarum exemplaribus, nisi recentissimis, apparet, neque hoc loco, sed ut plurimum rejecta in calcem operis. In qua tamen emendanda usi sumus libro Bodleiano, tribus Lincolniensibus, Scriveriano, Palatino, Regio, Sarraviano, Mazariniano, quinque Mediceis, totidem meis, Patavino, Vati-

Digitized by Google

cano, Farnesiano, Arondeliano; quorum omnium pars major non in membranis, sed charta, fuit exarata. Hujus Epistolæ optimo exemplari usus est Naugerius, cujus ope instructus multa feliciter castigavit. *Heins.*

1 *Ecquid ut aspecta est*] Sic Naugerius: nostri perperam, *Nunquid ubi.* Naso alibi, 'Ecquid, ut e Ponto nova venit epistola palles?' *Inspecta* etiam probe unus Ciofan. *Idem. Studiosæ litera dextræ*] Cum, inquit, videres characteres tam studiose et docte formatos, an cognovisti esse epistolam a me?

3 *Auctoris Sapphus*] Id est, Nisi legisses, me esse eam quæ mitteret epistolam (nam ita scripta erat Sappho Phaoni), penitus ignorabas a quo mitteretur.

5 *Requiris*] Rectius *requiras* unus Mediceus. *Heins. Mea alterna Carmina*] Elegiaca: nam alternis numeris succedunt Heroici.

7 *Flendus amor*] Rationem affert, quare a lyricis ad elegos transierit: ait enim argumento operis se impelli. Possem, inquit, lyricis amores etiam includere: sed lachrymis non convenit, quibus elegia manare solet. *Elegia flebile carmen*] Elegia est carmen flebile: propterea nunc mihi magis convenit, quam lyricum.

8 *Barbitos*] Pro carmine Lyrico. Æschines docet, Barbiton esse genus citharæ lyricæ, vel ipsam lyram. Multis chordis fuisse indicat Theocritus, qui eam πολύχορδον appellat.

9 *Exercentibus*] Diversas in partes jactantibus. *Exercentibus*] Urgentibus, excitantibus. *Indomitis Euris*] Vehementibus, et ferocibus.

10 *Ardet*] Ardere solet.

11 *Phaon*] Lesbius insignis forma, deliciæ Sapphus, carmine tantum amicæ nobilis. *Celebrat*] Tenet et incolit. *Ætnæ*] Ætna mons Siciliæ notissimus, sub quo Typhœum fulmine ictum esse, poëtæ fabulantur. Typhon vero pater Harpyiarum fuit. *Arva diversa*] Remota, et procul posita. *Celebrat*] Frequentat. Cicer. 'Domus mea celebratur quotidie.'

12 *Me calor Ætnæo non minor ignis tenet*] *Coquit* alii ex suis notant; quod damnare Ciofanus non debuit: ego certe amplector. Noster de Hercule Œtæo Met. IX. 'Coquiturque ardente veneno.' Apposite Seneca Hercule Furente Act. I. 'acrior mentem excoquit, Quam qui caminis ignis Ætnæis furit:' et Hercule Œtæo, 'Non virus artus, nate, fœmineum coquit.' Virgilius, 'Fœmineæ ardentem curæque iræque coquebant.' Ennius, 'O Tite, si quid ego adjuro curamve levasso, Quæ nunc te coquit.' *Heins.*

13 *Nec mihi dispositis*] Nervis concinnatæ citharæ. *Jungam*] Jungam cum sono citharæ. Amphion autem primus cum cantu cithara usus dicitur, antea Thamyras sine voce. Qui autem simul canunt cum cithara, psallocitharistæ dicuntur. *Jungam carmina nervis*] Idem, Metam. V. 112. 'Citharam cum voce moveres.' Tibull. III. 4. 'digiti cum voce locuti:' et deinde: 'similes chordis reddere voce sonos.' Silius XI. 'Concordem citharæ movit per carmina linguam.'

14 *Vacuæ mentis opus*] Ostendit se ad pangenda carmina aptam non esse, cum ea tranquillitatem vel imprimis requirant: ipsa autem amore correpta huc atque illuc mentis inops agitabatur.

15 *Nec me Pyrrhiades*] Ita ex suo libro optime Naugerius: nostri codices hic vehementer turbant. *Heins. Nec me Pyrrhiades*] Cum Sappho ostendere velit, se ad carmen non moveri ulla ex his causis quibus olim solebat: triplicem canendi causam ait sibi fuisse: aut cum furore poëtico ageretur: aut cum, relaxans animum, in sylvis sine curis vagaretur inter Dryadas et Hamadryadas: aut cum puellis, quas amabat, blandiretur, quæ sibi Thespiadum et Musarum instar erant. 'Nunc,' inquit, 'nec

Digitized by Google

Pierides subeunt;' id est, Furor poëticus: 'Nec Dryades;' id est, Nec relaxatio animi in sylvis inter Dryades, provocat me ad carmen.

16 *Nec Thespiadum cætera turba*] Nec amicæ, quæ tertia et reliqua carminis causa mihi erant, jam exhilarant aut delectant: atque ita omnis canendi ratio mihi periit.

17 *Vilis Amythone, vilis mihi candida Cydno*] Sic Naugerius: at primæ editiones cum scriptis quibusdam *Vili Amatorie:* alii *Amintorie*, vel *Ametorie*. Lege *Anactorie* ex Maximo Tyrio. Γόρυνα, καὶ Ἀτθὶς, καὶ Ἀνακτορία· quod Bersmannus jam monuit: pro *Cydno*, scripti, *Cydro*, *Credo*, *Clio*, et similia. *Heins.* *Vilis Anactorie*] Ingenue hic fatetur, se tribadem fuisse, et impudice amasse nonnullas; de quarum numero dissentit ab eo quod scribit Suidas. Ille enim tres fuisse scribit: quibus ad libidinem usa dicitur Sappho, Telesippam, Megaram, Atthidem. Sed duarum nomina mutantur, quas hic appellat Anactorien et Cydno, de tertia convenit. Nam ab utroque Atthis dicitur.

19 *Aliæ centum*] Mille, centum, et sexcenta, sæpe pro infinito numero accipiuntur. Omnino intelligendum est, ante nominatas, concubinas fuisse Sapphus: quas vero nunc designat, fuisse discipulas, et sine infamia fuisse amatas.

20 *Improbe*] Dicimus improbum, non tantum malum, sed nimis avidum, nec contentum etiam re immodica. *Improbe*] Qui non contentus es tanto amore meo. *Unus habes*] Solus possides. *Multarum quod fuit*] Id est, Affectus meos amatorios, quos in multas puellas dispensaveram, pudice alias, alias impudice amando, in te unum contuli: et quod multis satis erat, tibi uni esse non potuit.

21 *Est in te facies*] Ætate et forma amabilis quispiam esse potest: quod utrumque cum in Phaone sit, lasciva Sappho formam et faciem tantum suspirat. *Apti lusibus anni*] Lusus vero ad voluptatem comparati sunt, sine ulla arte: et puerorum proprie dicuntur.

23 *Fidem*] Id est, citharam. *Et pharetram*] Nam hæc duo insignia sunt Apollinis.

24 *Accedant capiti cornua, &c.*] Cur Bacchus cornua gestaret, Diodorus ita in IV. hist. scribit: Traditur Hammon galea in bellis usus, cujus insigne fuerit arietis caput. Sunt qui ipsum dicant in temporibus parvula habuisse cornua, propterea filius ejus Bacchus eodem fuisse aspectu: posterisque traditum, Deum hunc cornua gestare: unde et Bacchæ κεραοῦχοι, id est, cornigeræ dicuntur; quod numinis personam imitantes, cornua sumebant.

25 *Et Gnosida*] Gnosus urbs Cretæ, in plano sita, ambitu triginta stadiorum: regia Minois, patris Ariadnes, quæ rapta est a Theseo.

26 *Nec norat lyricos*] *Norant* malo. *Heins.* *Lyricos modos*] Formæ damna doctrina emendat, qua potissimum gloriatur.

27 *Pegasides*] De Pegaso et Musis lege quæ luculentissime dictavimus in eum versum Ovid. 'Pegasis Œnone Phrygiis celeberrima sylvis.' *Dictant*] Nam Musæ mihi scribenti dictare carmina videntur.

29 *Nec plus Alcæus*] Alcæus Mitylenæus fratrem Antimenidem habuit, quem a virtute bellica laudat. Oppressa autem patria a tyrannis, poëmata lyrica adversus eos edidit, quæ στασιωτικὰ, id est, continentia seditiones, inscribuntur. Propterea aureo plectro dignus censetur, elocutione magnificus, et diligens: sed ad lusus et amores descendit, cum tamen esset majoribus aptior. *Censors patriæ*] Nam et ipse Mitylenæus fuit. *Censors lyræ*] Et ipse lyricus.

30 *Grandius*] Sappho se inferiorem esse negat: quia scilicet tantum assequatur suavitate carminis, quantum ille granditate.

Digitized by Google

31 *Si mihi difficilis*] Incipit ab eo quod firmissimum est in adversario, quod formosa non sit, quod diluit, et transferendo crimen in naturam, quæ sibi formam negarit: et opponendo ingenii laudem, quæ plus amari potest, quam ipsa forma. *Domit.*

33 *Sum brevis*] Hoc etiam distichon Naugeriano libro debetur. Ante insulse legebatur, *Nec me despicias, si sum tibi corpore parva, Mensuramque brevis nominis ipsa fero.* Heins. *Sum brevis: at nomen quod*] Quæ lectio ἀντιθέσει ornatur. Opponit enim inter se staturam corporis, et famam: dicitque se brevitatem corporis, mensura nominis tueri. *Micyl.*

35 *Candida si non sum*] Andromede Cephei Æthiopum regis filia, a Perseo amata est: et ipsa liberata, nullis precibus parentum potuit retineri quo minus Perseum liberatorem sequeretur. Relata in cœlum, Minervæ beneficio.

37 *Et variis albæ*] Arist. in VII. de historia animalium docet, quæ animalia inter se amica sint, quæ item inimica. Hinc Sappho etiam ostendit aliorum amantium exemplo, se quamvis nigra sit, a Phaone candido amari posse: cum aves diversorum generum et coloris, naturali quadam jungantur amicitia, ut columbæ et pavones. *Variis jungunturr*] Varietate colorum distinctis.

38 *A viridi ave*] A psittaco, qui ex India mittitur, viridis toto corpore: ut scribit Plinius.

40 *Nulla futura tua est*] Prior pars hujus versus sub conditione profertur, altera sub affirmatione. 'Si,' inquit, 'nulla tua est futura,' hoc est, nullam amabis: 'nisi quæ facie;' id est, præstantia formæ: 'poterit videri digna te;' id est, convenire formæ tuæ: 'nulla futura tua est;' affirmando negat; id est, nullam omnino amabis: nulla enim tam formosa est, quam tu.

41 *At mea cum legeres*] *Me cum legeres* nostri, et recte: sic Amor. lib. II. El. 1. 'Me legat in sponsi facie non frigida virgo:' et, 'Si quis in hoc artem populo non novit amandi, Me legat.' *Heins.*

47 *Lascivia nostra juvabat*] *Juvabant* Vaticanus, Regius, et duo ex meis; bene. *Idem.*

49 *Et quod ubi amborum*] Scripti nonnulli, *At simul*, vel, *Ac;* majori tamen ex parte, *Atque ubi jam:* lego *Quique, ubi jam, &c.* Librarius que expresserat solummodo pro *quique* solenni errore: hinc *Atque* postea natum. Vide Notas ad Ep. XIV. 91. *Idem.*

52 *Cum Lesbo*] Lesbos insula, quasi metropolis Æolicarum urbium, nobilis vinetis, et vini præstantia: nomen sortita a Lesbo Lapithæ filio Hermete. Patriæ autem charitatem Sappho amori postponit.

53 *Nec vos erronem tellure admittite nostrum*] Scripti nonnulli, *At vos erronem tellure remittite vestrum.* Puto, *At vestra erronem tellure remittite nostrum:* vel, si vulgatum malis, *Nec vestra errorem.* Per 'Nisiadas' autem 'matres' Megarenses littorales intelligi non est dubium. Megara enim Siciliæ portus a Megaris Atticis, quæ et Nisea dicta antiquitus, a Niso rege. Sequenti versu *Neu vos decipiant* tres libri. Severus in Ætna, 'Nec te decipiant stolidi mendacia vulgi.' *Erronis* vox etiamnum corrupta in Diris Catonis, ubi castigandum, 'Nec nos tros servire sinant erronibus agros.' *Heins.*

54 *Nisiades matres*] Id est, Siculæ. Cum ergo ante dixerit, ad Ætnam esse Phaonem, appellat mulieres Siculas, Nisiadas, a regione proxima.

57 *Montes Sicanos*] Hæc quoque a Naugerio. Nam nostri omnes *immites Sicanos*, ut ad Palicos respiciat, qui humanis hostiis placabantur. Sed præstat Naugeriana lectio, ut Eryx subintelligatur, a quo Erycina hæc Dea dicta est poëtis. *Heins. Sicanos*] A Sicano rege appellatos. *Erycina*]

Digitized by Google

De fœlicitate templi Veneris Erycinæ, et de mulieribus ejus ministerio dicatis, diximus in comment. Sylvarum. Invocat autem Venerem: quoniam Poëtæ, qui amatoria scribunt, sunt in Veneris tutela. *Domit.*

61 *Natales*] Anni. A sexto, inquit, anno, per mala, tanquam per articulos producta sum. *Lecta ossa*] Legebantur ossa, id est, cineres, cum flamma rogi subsederat. *Lecta ossa*] Virgil. Æneid. vr. 'postquam collapsi cineres,' et quæ seqq. ubi vide Serv. et lib. XI.

63 *Arsit inope frater*] Sappho tres fratres habuit, Larychum, Lurigium, Charaxum, qui Rhodopem meretriculam amavit.

65 *Inope*] Redempta in libertatem meretricula.

66 *Male*] Turpiter, et per infamiam. *Male quærit*] Magno discrimine et incommodis.

67 *Monui multa*] Immo laceravit fratrem multis carminibus.

70 *Filia parva*] Hanc peperit Cercyla, Andrio conjuge jam mortuo, puella, quæ appellabatur Cleis.

73 *Ecce jacent collo sparsi*] *Passi* Regius. *Heins.* *Sine lege*] Incompti, et sine ordine.

74 *Nec premit articulos*] Annulum etiam, inquit, deposui.

76 *Non Arabum noster dona capillus olet*] Sic Naugerius: nostri omnes *Arabo rore;* quod temere mutare nolim. Nam et Met. v. *olere* cum sexto casu conjunxit; ubi habes 'olentia sulphure stagna Palicorum:' quo nomine a Diomede grammatico notatur tanquam improprie locutus. At Valerius Flaccus lib. VIII. 'olentes sulphure crines' quoque dixit. Martial. 'Atque oluere lares comessatore Lyæo.' 'Rorem Sabæum,' ut Noster 'Arabum rorem,' dixit Val. Flaccus lib. VI. 'Et gravidæ maduere comæ, quas rore Sabæo Nutrierat, liquidoque parens signaverat auro:' ita scribo; *flore Sabæo* vulgati. *Heins.* *Arabo rore*] Id est, Myrrha: qua uncti crines, myrrhei dicuntur. *Domit.*

78 *Auctor abest*] Malim *abes.* Vide notas superiori epistola, 95, *Heins.*

81 *Sive ita nascenti*] Ex disciplina mathematicorum, qui dicunt, hominem sortiri vitam ab ineunte ætate. *Sorores*] Parcæ, quæ tres sunt, notæ carmine Hesiodi.

82 *Et data sunt vitæ*] Imo *Nec data:* quicquid obnituntur libri veteres. *Heins.* *Fila severa*] Allusio est ad Parcas, quæ vitam humanam nere dicuntur. *Fila severa*] Τριπλαῖς πήναις κατεκλώσαντο, Lycoph. Cass. Silius, 'immobile filum.' Homerus Iliad. Ω. 209. Τῷ δ' ὅτ' τοθι μοῖρα κραταιὴ Γεινομένῳ ἐπέκησε λίνῳ. Horat. Od. II. 3. 'dum sororum Fila trium patiuntur atra.'

83 *Sive abeunt studia in mores artesque magistras*] *Magistræ* omnino scribendum. Arte Am. lib. III. id ipsum dixit, 'Scilicet ingenium placida mollimur ab arte, Et studio mores convenienter eunt.' Virgilius, 'omni nunc arte magistra Præcipitate moras:' et alibi, 'Non hæc humanis opibus, non arte magistra Proveniunt:' sic 'digiti magistri' Symposio Ænig. II. et 'bonitate magistra' in Catalectis Pithœi; et 'jussa magistra' apud Silium lib. III. et 'Roma luxuriæ magistra' apud Propertium. Noster lib. I. Art. Am. 'Effugiant voces verba magistra tuæ:' sic ibi vetus codex. Œnones Epistola, 'Consule, queis ætas longa magistra fuit.' Posset tamen et legi *artisque magistra,* ut ad Thaliam referatur. *Heins.* *Abeunt studia in mores*] Id est, Sive formamus mores studiis, quibus versamur.

84 *Thalia*] Studium poëtices.

86 *Abstulit*] Rapuit allectam in amorem, dejecitque mentem et consilium.

87 *Raperes*] Nam Aurora Cephalum, cujus amore capta est, rapuit, abduxitque per auras.

Digitized by Google

89 *Hunc si conspiciat*] Alludit ad fabulam Endymionis, qui, quoniam primus cursum Lunæ deprehendit (ut ait Plinius) dictus est dilectus fuisse a Luna, quem dormientem osculabatur.

90 *Jussus erit*] *Eris* quidam. *Heins.* *Jussus erit somnos continuare*] Curabit enim Luna, ut semper dormiat Phaon, qui formosior est, ut hunc osculetur.

91 *Curru eburno*] Argenteum curum tribuunt Lunæ Poëtæ, quoniam illi argentum dicatum sit, ut scribit Eustathius: eburnum Veneri.

96 *Verum ut amare sinas*] Durius id, quam ut Ovidio exciderit. Scripti plerique, *sed quod amare sinas: sed te ut amare* ex veteri libro notarat Politianus: alii, *sed ut amare.* Forte, *Non ut amas, oro: me sed amare sinas.* Heinsius.

98 *Hoc loco*] Hac parte epistolæ, quæ obliterata est manantibus lachrymis.

100 *Si mihi dixisses*] Scripti nonnulli *Si modo:* alii, *Et modo;* bene. *Heins.*

101 *Oscula nostra tulisti*] *Oscula summa* plerique veteres: sic 'extrema oscula,' 'suprema oscula,' 'ultima oscula,' et 'oscula prima,' passim apud poëtas. Trist. lib. I. El. 3. 'Sæpe vale dicto rursus sum multa locutus, Et quasi discedens oscula summa dedi.' *Idem.*

102 *Quod dolitura fui*] Non timui discessum tuum, ob quem eram dolitura.

103 *Injuria*] Quod scilicet me deseruisti.

104 *Admoneat quod tu munus amantis habes*] *Pignus amantis* quinque libri. *Admonuit* præterea in multis; utrumque recte: quod Naugerius etiam vidit, et ad Statii Sylvas noster Gronovius. *Heins.* *Nec Admonuit, quod tu munus amantis habes*] Causam ostendit, quare munera discedentibus amicis dari, accipique soleant, ut scilicet sint monumenta amici absentis, cujus repræsentent memoriam. Sed nec tu, inquit, reliquisti mihi aliquid discedens præter injuriam, qua sum deserta.

107 *Qui nunquam longe discedit*] *Discedat* veterum non pauci: probe; est enim optantis. Met. IX. 'Vel certe non hoc, qui plurimus urit (et urat) Pectora nostra, Deo, sed victa libidine credar:' ita locus ille scribendus; vulgatum *ussit et urit* non est nauci. Amor. III. El. 11. loco itidem mendoso, 'Parce, per o lecti socialia jura, per omnes (Qui dent fallendos se tibi sæpe) Deos.' *Heins.*

111 *Et verba palato*] *Lingua* veteres. *Idem.*

113 *Postquam se dolor imminuit*] Iidem *invenit;* optime: ut Observationum libro secundo, cap. 21. jam monuit idem ille præstantissimus Gronovius. Petronius, 'Diu vocem neuter invenit:' et de Bello Civili, 'Quærit se Natura, nec invenit.' Statius Theb. v. 'Postquam laxata dolori Vox invenit iter:' sic scribo; non *dolore.* In loco tamen Curtiano lib. IX. quem vir idem doctissimus adduxit, illud, 'liberius dolor egeri cœpit manantibus lacrymis,' non ausim damnare, si veterum librorum nitatur auctoritate, cum Noster in Tristibus quoque dicat, 'Aufertur lacrymis egeriturque dolor:' nec necesse pro *raptis* capillis *ruptos* reponi Art. III. 'Nos male detegimur, raptique ætate capilli, Ceu Borea frondes excutiente, cadunt.' Ep. Ariadnes, 'Utque erat e somno turbida, rapta coma est.' Art. Am. III. 'Nec raptus flendi causa capillus erit:' ubi Passeratius ad Propertium male *carptus* lectum velit. *Idem.*

116 *Corpus inane*] Cadaver vacuum anima.

117 *E nostro crescit merore*] Eleganter. Paulinus Oratione ad Deum, 'Non obitu adfligar cujusquam, aut funere crescam.' Seneca Medea, 'Quid mi-

Digitized by Google

sera feci? misera, pœniteat licet, Feci: voluptas magna me invitam subit. Ut, ecce, crescit!' sic emendo: nisi malis, *Et eade crescit:* vulgati, *Et ecce crescit.* Glossarium Ms. Vossianæ Bibliothecæ, *Ovare, crescere, gaudere.* Heins.

120 *Quid dolet hæc*] Verba Charaxi insultantis sorori, et acerbe objurgantis amoris turpitudinem.

121 *Veniunt in idem*] Idem non potest pudoris habere rationem, et dare operam amori.

123 *Tu mihi cura Phaon*] Id est, negligo omnes, nec me eorum pudet: tui enim amoris legibus indulgeo, Phaon.

125 *Illic te invenio*] In somnis saltem te amplector.

130 *Vigilant sensibus ora meis*] Non aliter, inquit, loquor, et exprimo, quod sentio, quam si vigilarem: nam reliqua corporis parte sopita, os vigilat ad verba exprimenda.

133 *Ulteriora pudet narrare: sed omnia fiunt*] Ita etiam recte ex suis Naugerius. Fast. v. 'Pudor est ulteriora loqui.' Art. III. 'Ulteriora pudet docuisse: sed, alma Dione, Præcipue nostrum est, quod pudet, inquit, opus.' *Heins.*

134 *Et juvat, et sine te non licet esse mihi*] *Non libet* bene quatuor libri. Opinor scribendum, *sed omnia fieri Et juvat, et sine te non libet esse mihi:* sæpe *libet* in *licet* degeneravit. Sic l. II. Art. Am. 327. 'quotiesque libebit, Quæ referas illi, somnia læta vide.' Fast. VI. 'Nec libet, et longum est epulas narrare Deorum.' Ita locis istis scribendum. *Idem.*

139 *Mentis inops*] Amens. *Erichtho*] Maga, celebrata etiam carmine Lucani, incantatione potentissima. *Ut quam furialis Erichtho Impulit*] Scripti multi cum primis editionibus *Attulit.* Unde *Attonat* olim fingebam: de quo verbo Met. III. 532. Nunc *Abstulit* repono, propius insistens vestigiis scriptæ lectionis: supra, 'Quid mirum, si me primæ lanuginis ætas Abstulit?' Epistola Paridis, 'Phryx erat Auroræ conjux: tamen abstulit illum Extremum noctis quæ Dea finit iter.' Art. Am. I. 'Implicitamque sinu (neque enim pugnare volebat) Abstulit.' Lib. II. 'Decidit, atque cadens, Pater, o pater, auferor, inquit:' et mox, 'subitus cum Pergama fluctus Abstulit.' Hinc patet cur 'ablatum cervum' Met. I. in descriptione diluvii Deucalionei dixerit; ubi *alato* insulse reponebant. Remed. Amor. 'Auferimur cultu.' Epistola Hypsip. 'o demens, Colchisque ablate venenis.' Statius Theb. IV. 'abstulit igne Napæas:' ut est in nonnullis exaratis codicibus. Cornelius Severus apud Senecam, 'Sed enim abstulit omnes, Tanquam sola foret, rapti Ciceronis imago:' hoc est, in se convertit omnes. *Heins.*

141 *Pendentia*] Sublimia, arcuata. *Domit.* *Scabro topho*] Tophus, lapis scaber et pumicosus, familiaris specubus et antris montium est. *Micyll.*

142 *Instar*] Non minoris precii apud me erant. *Mygdonii marmoris*] Mygdonia Phrygiam terminat a meridionali latere: marmor item Mygdonium, Phrygium intelligimus, quod precii magni erat.

144 *Coma*] Multis frondibus.

145 *Sed non*] *At non* scripti. Mox *Agnovi* pro *Cognovi* quidam. *Heins.*

146 *Dos erat*] Id est, precium loci.

150 *Grata prius*] A mutatione fortunæ excitat misericordiam.

151 *Positis frondibus*] Omnia mœrent: et sylva, quæ in doloris indicium frondes deposuit: et aves, quæ ne vocem quidem emittunt, conquerendo calamitatem nostram, ut eo silentio major dolor designetur.

153 *Sola*] Sola mater, quæ impie ulta est virum: impie scilicet, quod in eo ulciscendo, filium interfectum epulandum apposuit. *Micyll.*

154 *Daulias ales*] Philomela a multis Poëtis Daulias cognominata est:

Digitized by Google

Homerus non Dauliam, sed Daulida scribit.

156 *Hactenus: ut media cætera nocte silent*] Scripti quidam *et media*; perperam: nam et pari modo est locutus in Fastis v. 'Hactenus; ut vivo subiit rorantia saxo Antra.' *Heins.*

157 *Est nitidus, vitroque magis perlucidus amnis*] Hæc Naugeriana lectio; sed ridicule fontem et amnem eundem facit. Primæ editiones et scripti plerique *vitreoque amne*. Mazarinianus *vitreoque amni*. Scribe, *vitroque magis perlucidus omni*. Sic 'Fons Blandusiæ, splendidior vitro' apud Horatium: ita Poëtæ passim. *Idem.*

158 *Numen*] Genium: qui tam loci, quam hominis Deus est.

159 *Quem supra ramos extendit*] *Expandit* primæ editiones et scripti plerique. Virgil. 'In medio ramos annosaque brachia pandit Ulmus opaca, ingens.' Ausonius, 'Et passura comas radicitus erigitur stirps.' *Idem. Lotos*] Arbor in Africa insignis, de qua Plinius multa. Ejus fructu vescuntur Africæ populi, Lotophagi inde nominati. Oblivionem is cibus facit inde discedendi: quod nonnullis sociis suis accidisse Ulysses refert apud Homerum. Eadem aptissima est tibiis. Lotophagorum insulæ mentionem facit inter alios Polyb. l. I. quæ non longe abesse dicitur a minore Syrte, et Mionix vocari. Diodor. Sicul. Nilum etiam παρέχεσθαι τὸ λωτὸν, affirmat, c. 2. Λωτοφάγους μὲν λέγουσι τοὺς νῦν Ἀκραγαντίνους. Didym. Λωτοῦ ἔρωτες. Eurip. Troad. *Aquatica*] Quæ gaudet aqua. *Aquatica*] Idem Metam. IX. 342. 'Haud procul a stagno, Tyrios imitata colores, In spem baccarum florebat aquatica lotos.'

160 *Una nemus*] Sic et Met. l. VIII. 'Stabat in his ingens annoso robore quercus, Una nemus.' *Heins.*

Una nemus] Id est, Sola lotos facit nemus ramis suis. *Domit.*

161 *Lassos posuissem flebilis artus*] *Fletibus* quatuor scripti; placet. *Heins.*

162 *Constitit ante oculos Naias una meos*] Hæc etiam Naugerio debentur. Nostri cum vulgatis, inepte, *Formosus puer est visus adesse mihi*. Repone in Naugeriana lectione *Naias uda*, et refer ad Naiada hujus fontis. Sic 'uda Thetis,' Met. XI. et 'Tyberinides udæ' Fast. II. 597. ex antiquis codicibus: ubi Naiadas Tyberinas innuit. *Idem. Constitit ante oculos, &c.*] Alii legunt, *Ante oculos visu est Nais adesse meos*, quæ lectio concinnior paulo est, et pluribus etiam placet. *Micyll.*

164 *Ambracia est terra petenda tibi*] Libri veteres, *Ambrachiis*, *Ambrachiæ*, *Ambrachis*. Optime Vaticanus unus *Ambracias*, Græco more. Horatius: 'Quale portentum neque militaris Daunias latis alit esculetis.' Ita in duobus veterrimis libris inveni scriptum; egregie. Vulgati *Daunia in latis*. Seneca Hercule Œtæo, 'te Rhodope tulit, Te præruptus Athos, te fera Caspias, Quæ virgata tibi præbuit ubera.' Sic et ibi optimus Mediceus: ita 'Appias via' pro *Appia* non uno loco apud Nostrum. 'Cephesias ora' Metam. VII. Festus Avienus Descriptione Orbis, 'Eois Hadrias unda vadis largam procul expuit algam.' Remedio Amoris Noster, 'Quid te Phasiados juverunt gramina terræ?' Quomodo ex vestigiis antiquæ lectionis videri scribendum illic monebitur. 'Amazonias securis' Nostro l. III. El. 1. Pont. ut videtur corrigendum. 'Amathusias renidens' pro Venere Symmachus in versibus a me emendatis ad Met. X. 558. Sic 'Actias Cleopatra' Statio in Silvis: 'Actias Ausonias fugit Cleopatra catenas.' Et 'Actias Orithyia' Virgilio: 'Nasamonias Arpe' Silio l. II. 'Opposito procul insidiis Nasamonias Arpe Corpore præripuit lethum.' Sic et *Sidonias* apud eundem l. XIV. utram-

Digitized by Google

que ex optimo codice. *Heins.*

165 *Phœbus*] Ad templum Actiacum, quod in sinu Ambracio est, petra prærupta esse ferebatur: unde qui se demitterent in mare, amoris flamma levarentur. *Phœbus*] Ex templo suo. *Actæum*, a littore: *Actiacum*, a promontorio. *Domit.*

166 *Actæum populi*] *Actiacum* Scaliger; ut et Sarravianus. Infra, 'Cur tamen Actiacas miseram me mittis ad oras?' Ab Actio oppido tamen Ambracici sinus, quod Acte aliis dictum, etiam Actæum deducitur: hinc 'Ακταῖος 'Απόλλων καὶ 'Ακτίακος, teste Stephano Byzantio. *Heins.* *Actiacum populi*] Actiacum vocant populi, inquit, Leucadiumque. Hoc a vulgato nomine insulæ scilicet, illud ab antiquo. Quare Actiacum hoc loco gentiliter ac proprie accipiendum, non appellative, ut Domitius exponit pro littorali. *Micyll.*

169 *Nec mora, versus amor fugit lentissima mersi Pectora*] Sic Naugerius. Scripti nostri, *jussus amor tetigit lætissima Pyrrhæ*, vel *justus amor*, vel *jussus amans. Pyrrhæ*, tamen omnes. Scribo, *Nec mora: versus amor tetigit lentissima Pyrrhæ Pectora:* 'versus amor,' ut Epistola Briseidis, 'Aut si versus amor tuus est in tædia nostri.' *Lentus* proprie, qui tarde se promovet; sed et pro flexibili sumitur, et pro securo atque otioso, etiam pro frigido et remisso, quemadmodum hic loci Glossæ Stephani, *Lentus*, Εὔτονος, Λεπτὸς, Ἀργός. *Lentus*, qui tarde irascitur, ubi de ira agitur: sic Ep. Helenes, 'Tu fore tam lentum justa Menelaon in ira?' Amor. l. II. El. ult. 'Lentus es, et pateris nulli patienda marito.' Lib. III. El. 6. 'Ille habet et silices et durum in pectore ferrum, Qui tenero lacrymas lentus in ore videt:' hoc est, qui lacrymis non movetur: sic ibi vetus codex: est autem convitium amatorium. Ita Penelope initio Epistolæ *lentum* vocat Ulyssem. Phyllis Demophoonti 'At tu lentus abes:' et nostra Sappho Phaoni, 'Lente redi:' tum, 'Hoc te, si saperes, lente, decebat opus.' Ep. Herus, 'Certe ego tum ventos audirem lenta sonantes;' hoc est secura: et Trist. II. 'Scenica spectasti lentus adulteria:' quomodo illis locis est legendum. Vide Notas ad Ep. XIX. 81. et Rem. Amor. 774. Hinc *relentescere*, Remed. Amor. 'Neve relentescat sæpe repulsus amor.' *Heins.* *Lætissima Pectora*] Quæ prius contemnebant amantem; id est, vicissim Pyrrha cœpit amare Deucalionem, jam vacuum flamma, unde ipsa torquebatur. *Micyll.*

173 *Cum voce abiit*] Id est, silluit, nec postea usquam apparuit. *Ego territa surgo*] *Frigida* scripti nostri: unus *Pallida*. Heins.

176 *Timor*] Dejiciendi se de saxo.

177 *Quicquid erit*] Non vult sibi ominari mortem, sed tamen eam postponit præsenti calamitati. *Aura subito*] Per aversionem misericordiam movet, cum et absentes appellat, et responsuros. *Subito*] Corpus, cum demittetur.

178 *Et mea non magnum*] Potero, inquit, sustineri: nam corpus leve est, et sum parva.

179 *Tu quoque mollis Amor*] Cupidinem invocat, non tam numen propitium, quam ad historiam alludens, de qua ante dictum est.

181 *Inde chelyn Phœbo*] Chelyn citharam dixerunt: quoniam ex χελώνης, id est, testudine, primum eam formaverit Mercurius: unde et testudo dicitur. *Communia*] Convenientia mihi et Phœbo.

182 *Unus et alter erit*] *Erunt* bene Sarravianus. *Heins.*

183 *Grata lyram posuit*] *Posui* maluerim; patet ex sequenti versu: et sic Farnesianus cum uno meo. *Idem. Grata*] Quod tuo nomine servata est incolumis, et amore liberata vates tua. Lyram primus fecit Mercurius. Ea relata est in cœlum, mortuo Or-

Digitized by Google

pheo, favore Apollinis, quem plurimum apud inferos laudaverat: et voluntate Jovis, qui id concessit Calliopæ filiæ, matri Orphei. *Domit.*

186 *Poesis inde referre pedem*] *Ipse* scripti; et recte. Non enim in Leucadiam Phaon, sed in Siciliam profugerat. *Heins.*

188 *Et formæ meritis*] *Forma* Regius. Lege, *Et forma et meritis.* Vide notas Ep. VII. 5. Ep. Hyps. 'Nec facie meritisque placet, sed carmine movit.' *Idem.*

195 *Nunc vellem facunda forem*] *Forent* rectius libri. *Idem.*

196 *Plectra dolore tacent*] *Silent* unus Mediceus. *Idem.*

200 *Æolia lyra*] Id est, Lesbia: nam Lesbos insula Æolicarum ferme urbium metropolis.

201 *Lesbides infamem*] Nunc concubinas suas appellat, Telesippam, Megaram, et Atthidem.

204 *Quam modo pene, meus*] Ut conjungas: Quam pene dixi, Meus Phaon.

207 *Ecquid ago precibus? pectusne agreste movetur?*] Scripti nostri magna ex parte *Hæc quid ego*, vel, *Ecquid ego: Hæc quid ego an* tres: *Hæc ego quid* unus. Lego, *Sed quid ego hæc? precibus pectusne agreste movetur?* Noster Epist. XIII. quomodo illic legendum monui, 'Sed quid ego hæc? lævum revocaminis omen abesto.' Statius Theb. VIII. 'Sed quid ego hæc? I, Tartareas ulciscere sedes, Tisiphone.' Lib. XI. 'quod innumere Lethæa examine gaudet Ripa, meæ vires, mea læta inignia sed quid Hæc ego?' Theb. IV. 'Sed quid ego hæc? fessosque optatis demoror undis?' Theb. I. 'Sed quid ego? aut hodie spoliis gavisus abibis, Quisquis es, his, aut me magni de stirpe creatum Œneos accipies.' Ausonius Præfatione septem sapientum 'Sed ego quid isthæc? non hac causa huc prodii.' Ennius apud Donatum, 'Sed quid ego hæc animo lamentor?' et idem alibi, 'Sed quid ego hæc memoro?' Virgil. 'Sed quid ego hæc autem nequicquam ingrata revolvo?' Quomodo fere Apollonius l. III. 'Αλλὰ τίη τάδε τοι μεταμώνια πάντ' ἀγορεύω; Similiter abruptum *Hæc ego.* Vid. Ep. X. 37. Sarravianus, *Hæc quid ego? an precibus tibi pectus agreste movetur?* Forte, *Ecquid, io, precibus tibi pectus agreste movetur?* ut alibi, 'Ecquid io sylvæ crudelius, inquit, amavit?' *Heins.*

211 *Si redis*] Id est, si cogitas de reditu. *Votiva Munera*] Soteria.

213 *Mene præstat amanti*] *Eunti* Veterum librorum plerique. Duo *præstet*, quod amplector. *Heins.*

217 *Pelasgida*] Nam Pelasgi, per universam ferme Græciam vagi et errabundi, rem militarem exercuerunt. Locis nonnullis dederunt nomina. *Juvat*] Seu tibi consilium est. *Pelasgida Sappho*] Id est, Sappho Lesbiam.

219 *Hoc saltem miseræ*] *O saltem* cum scriptis; ut dictum ad Epistolam primam. Cæterum distichon hoc postremum pro legitimo Nasonis vix est ut agnoscam: nec satis assequor quid sibi velit. *Heins.*

220 *Fata*] Miserabiliter saltum Leucadium, jam fatum et mortem suam appellat: et, si Straboni credimus, inde se dejecit. *Domit.*

Digitized by Google

EPIST. XVI. PARIS HELENÆ.

1 *Priamides*] Ego Paris filius Priami. *Ledæa*] Helena filia Ledæ.

3 *Non est opus indice*] Quoniam per se amor indicatur, nec dissimulari potest.

4 *Plus quam vellem*] Cum is esset, qui occultari non posset. *Ant. Extat*] Eminet, apparet.

5 *Tempora*] Opportunitates. *Hub. Dum tempora dentur Lætitiæ*] Tacere, inquit, amorem, utile est: quoniam tempora futura sunt, quæ omnem abjicient metum. Nam de Menelao innuit; multa enim fecerat ob amorem, quæ ille potuisset animadvertere, antequam discesserat. *Ant.*

7 *Male*] Ægre.

8 *Lumine suo*] Suo splendore. *Hub.*

9 *Vocem rebus ut addam*] Ut, quid velim, aperte fatear. *Vocem rebus addam*] Qui dicitur confessus Amor: infr. 11. 'Parce precor fasso.' Et Metam. IX. 517. 'Littera celatos arcana fatebitur ignes;' et alibi.

10 *Uror*] Tui amore ardeo.

11 *Fasso*] Mihi confesso amorem meum

13 *Quod epistola nostra recepta est*] Τὸ *est* una cum distinctione tollendum ex fide Puteanei et trium aliorum. *Heinsius. Recepta*] Artificiose fingit epistolam hanc benigne esse acceptam: et, quod non debebat, sibi assumit.

14 *Hoc modo*] Scil. Quo epistola mea est recepta.

15 *Quæ rata sit*] *Sint* bene Puteaneus. Trist. I. El. 8. 'Quæ quoniam rata sunt, tota mihi mente tibique Gratulor.' Et lib. III. El. 6. 'Quæ si non rata sunt, alium, quo longius absim, Quære (suburbana hæc sit mihi terra) locum.' Ita illis locis est scribendum. Plura Fast. II. vs. 688. *Heinsius.*

17 *Divino monitu*] Non sponte mea, sed Veneris suasu et mandato. *Hub. Ne nescia pecces*] Ut scias, qua auctoritate tuam culpam defendere possis. *Ant.*

19 *Non indebita*] Quia sunt promissa mihi ab ea, cui licuit promittere. *Non indebita*] Æneid. VI. 'Da, non indebita posco Regna meis fatis.'

21 *Hac duce*] Suscepi hanc navigationem a Troja in Græciam. *Sigæo a littore*] Trojano: nam Sigæum promontorium est Trojæ.

22 *Phereclea puppe*] De Phereclo hujus classis structore omnia ex antiquis obvia. At Puteaneus aliique quidam, *Feraclea;* nonnulli, *Phareclea;* alii aliter: alter Palatinus, *Phelacrea.* Forte *Phalacræa puppe:* sic Lycophroni hæc classis φαλακραῖοι πόδες. Phalacræ enim una ex quatuor partibus Idæ montis. Stephanus: Φαλάκραι, ἄκρα τῆς Ἴδης, ἥτις οὐκ ἔχει ζωόφυτον, διὰ τὴν χίονα καὶ τὸν κρύσταλλον, ἀλλ' ἐψίλωται. καὶ πάντα δὲ τὰ ἐψιλωμένα ὄρη ἐλέγετο Φαλάκραι. ὁ ἐκ τόπου, Φαλακραῖος. Λυκόφρων, Ἀτέρδαν Κόβαλιν ἢ Φαλακραῖον κλάδον. Καὶ θηλυκῶς Φαλακραῖαι κόραι, καὶ οὐδέτερον. In Arondeliano codice legebatur, *Farasea;* cum glossa, 'a loco sic dicta.' *Heins.*

24 *Orta mari*] Venerem ex mari ortam, scribit Varro.

25 *Perstet*] A proposito non discedat. *Pelagi æstum*] Amorem meum secundet, ut navigationem. *Adjuvet æstus*] *Æstum* scripti. *Heinsius.*

26 *Mea vota*] Quæ erant, ut Helena potiretur. *In portus suos*] Ad optatum exitum.

27 *Flammas*] Amores ex Troja attulit. Trojæ te, inquit, amavi.

Digitized by Google

29 *Tristis hyems*] Tempestas. Æn. I. 'Emissamque hyemem sensit Neptunus.' Similiter et Græcis dicuntur νῆες χειμασθεῖσαι. Æn. IV. 'Dum pelago desævit hyems.' Et alibi.

30 *Tænaris terra*] Laconiam significat, cujus promontorium est Tænaros. *Ant.* *Petita*] Id est, Venit classis mea dedita opera in hanc terram propter te.

32 *Findere*] Secare, scindere: sic et Græci. Homer. Odyss. Γ. vs. 174. Καὶ ἠνάγει πέλαγος μέσον εἰς Εὔβοιαν Τέμνειν. Et Odyss. Ε. vers. 409. Καὶ δὴ τόδε λαῖτμα διατμήξας ἐπέρησα. Argon. Apollon. lib. IV. vs. 771. De Iride. Αὐτίκα δ' Ἶρις ἀπ' Οὐλύμποιο θοροῦσα Τέμνε τανυσσαμένη κοῦφα πτερά. Quod Virgil. exprimit Æneid. V. 'Ingentemque fuga secuit sub nubibus arcum.' Et Æneid. IV. 'Ventosque secabat Materno veniens ab avo.' *Tueantur*] Servent.

33 *Nec veni Graias*] *Venio* scripti. Τὸ *veluti* suspectum est de mendo. *Heins.* *Spectator*] Admirator, ut videam pulchras urbes Græciæ.

34 *Divitiora*] Opulentiora: nam Asia ditissima est. Horat. 'Et dites Asiæ campos.'

35 *Aurea*] Formosa. *Pepigit*] Promisit.

37 *Animo*] Cogitatione, desiderio. *Quam lumine*] Quam oculis corporis.

39 *Nec tamen est mirum*] Versus centum et quatuor sequentes absunt ab omnibus scriptis codicibus, uno Palatino, eoque recentiori, excepto. *Heins.* *Nec tamen est mirum*] Ab hoc loco, versus qui proxime sequuntur centum et quatuor, hoc est, ad vs. 143. in antiquissimis exemplaribus non haberi dicuntur: ideoque a plerisque pro Ovidianis non censentur et seorsim notantur. Ipsi etiam interpretes tanquam nothos, inexplicatos reliquere. Sed tamen utut hæc sunt, ne quid a quoquam in hoc opere desiderari possit, et ipsos versus, ut habentur, apposuimus; et quod alii in cæteris fecerunt, eosdem brevibus scholiis illustravimus. *Nec tamen est mirum*] Digressio est, qua causam et originem sui amoris expositurus est. Repetit enim ab initio natales suos, deinde et sententiam latam de Deabus: et postremo, quibus impulsus, expeditionem hanc susceperit. *Si sicut oporteat arcu*] Hæc non sunt sana. Puto, *sicut oportuit actum;* ut agi oportuit. *Heinsius.* *Arcu Missilibus telis*] Hoc est, arcu emissis.

41 *Sic placuit fatis*] Rejicit amorem suum in voluntatem Deorum, et necessitatem fati: quo videlicet Helenam magis impellat.

46 *Flammiferam pleno reddere ventre facem*] Nam visa est in somnis Hecuba parere sibi facem, qua tota Asia illustraretur. Nota est historia.

50 *Pectoris fax fuit*] Hoc est, Amorem meum significabat illa fax; de qua mater somniarat.

51 *Forma vigorque animi*] Distichon hoc loco alienum videtur, quod in sequentem paginam rejicietur aptius, post illa, 'Regius agnoscor per rata signa puer;' qui versus est nonagesimus hujus epistolæ. *Heins.* *Quamvis de plebe videbar*] Nam inter pastores educabatur. Priamus enim, postquam interpretationem vatum audierat, infantem natum exponi imperaverat. Sed ii, quibus negocium commissum erat, forma infantis commoti, clam educavere: atque ita inter pastores enutritus fuit, et pro pastoris filio habitus. *De plebe*] Vide vs. 357. h. ep. ubi causa additur quare Alexander dictus: nempe auxiliator: unde et Theocrit. Idyll. I. 105. Parin vocat βωκόλον.

57 *Hinc ego Dardaniæ muros*] Dardaniæ muros improprie dixit, pro Troja; alia enim Dardania, alia Troja fuit.

59 *Ecce pedum pulsu*] Ex signo adventum Deorum colligit.

60 *Vera loquar; vero vix habitura fidem*] Scribendum *veram fidem* aut *veri fidem:* ut supra, 'Accipe cum

Digitized by Google

vera dicta relata fide.' Amor. lib. II. El. 2. 'Et veram falso crimine deme fidem.' Fast. III. 'Fama nec a vera dissidet illa fide.' Sic locus uterque in antiquis codicibus leguntur. Pont. lib. III. El. 7. 'Proximus huic gradus est, bene desperare salutem; Seque semel vera scire perisse fide.' Trist. IV. El. 1. 'Utque nec insidias, capitisque pericula narrem, Vera quidem, vera sed graviora fide:' sic et ibi eleganter veteres libri, et apposite ad illa Paridis, de quibus nunc agimus: vulgo, *Vera quidem vidi.* Propert. lib. IV. 'Vera sed invito contigit ista fides.' Petronius: 'Jurat Eumolpus se mente simplicissima et vera fide in navigium comites induxisse.' Noster Met. XII. 'adjuro, tam me tibi vera referre, Quam veri majora fide.' Claudiano, 'Veri sera fides.' Sic contra 'falsa fides.' Met. XV. 'falsamque in imagine credens Esse fidem.' *Heinsius.*

62 *Atlantis magni, Pleionesque nepos*] Intelligit Mercurium, cujus mater Maia fuit, filia Atlantis et Pleiones.

64 *Aurea virga*] Χρυσόῤῥαπις Homer. Odyss. K. 331. Et Pind. Pyth. 4. Caduceum, κηρύκειον· ideo et Caducifer. Metam. II. 710. Vide Æneid. IV. ibique Serv. 'Tum virgam capit,' &c. 'Ramum Lethæo rore madentem,' Æneid. V. Et Stat. Thebaid. II. 'Lethæum vimen.' Vide et Pausan. Arcad. ubi et de animarum deductione.

67 *Gelidusque comas erexerat horror*] Malim *arrexerat.* Virgil. 'Arrectæque horrore.' *Heins.*

68 *Nuncius ales*] Mercurius, cui talaria tribuuntur. *Nuncius ales*] Metam. IV. 665. 'pennis ligat ille resumtis Parte ab utraque pedes, teloque accingitur unco, Et liquidum motis talaribus aëra findit.' Et Stat. Thebaid. I. 'Summa pedum propere plantaribus illigat alis:' ubi strenue imitatur Virgil. 'Pictæ vincula plantæ,' Silius XVI. 'Alatæ plantæ.' Virg. Hinc prov. 'Talaria induere:' fugam adornare: Cic. ad Att. 'Quare talaria induamus.'

69 *Arbiter es formæ*] Hoc est, Delectus es judex, qui de forma harum pronuncies, quænam sit pulcherrima. *Certamina iste Dearum*] Compone.

70 *Vincere quæ forma, &c.*] Scilicet, pronuncia.

74 *Quamque notare*] Nudas enim, et quamque seorsim aspexisse, apud Lucianum fingitur.

75 *Judexque verebar Non omnes causam vincere posse suam*] Scribe *causæ sua.* *Vincere* enim *causa* Latinum est, et *tenere causam:* non *vincere causam.* Noster in Amoribus lib. III. El. 14. 'Et si non causa, judice vince tuo.' Sic et 'vinci causa.' Art. Amat. lib. I. 'Vincuntur Parthi causa, vincantur et armis.' Hoc autem vult, trium Dearum causam longe optimam fuisse in hoc certamine de formæ principatu, ac proinde doluisse sibi, quod harum uni tantum palma esset deferenda pulchritudinis. *Heinsius.*

79 *Ingentibus ardent*] Hoc est, vehementer cupiunt et student.

80 *Sollicitare*] Id est, labefactare, et corrumpere.

81 *Virtutem filia jactat*] Pallas. *Virtutem jactat*] Hoc est, fortitudinem et virtutem bellicam. Est enim belli Dea habita: unde et armata fingitur hasta et clypeo.

83 *Dulce Venus risit*] Pro, suaviter. *Tangant*] Moveant. Naut. Epid. V. 2. 40. 'Istis adeo te tetigi triginta minis.' Et in Pseud. I. 1. 118. 'Si neminem alium potero, tuum tangam patrem:' item, 'tangere aliquem bolo.'

84 *Utraque munera*] Hoc est, regna, quæ Juno promittit; et virtus bellica, quæ a Pallade proponitur.

85 *Pulchra filia Ledæ*] Id est, Helena, Jovis et Ledæ filia.

86 *Pulchrior illa*] Scil. matre sua.

87 *Et ex æquo donis, &c.*] Donis quod ad Paridem attinebat, cui Helena pro dono promittebatur, si Veneri victoriam dedisset. Forma au-

Digitized by Google

tem, quantum ad Venerem attinebat, cujus formam præstare cæterarum pulchritudini, Paris sententia sua judicarat. *Denis formaque probata*] Concinnior erit lectio, si *probatis* reponas: sic infra, 'Collatis forma Menelaus et armis.' Fast. III. 'Bellice, depositis clypeo paulisper et hasta, Mars ades.' *Heinsius.*

88 *Victorem cœlo retulit, &c.*] Hoc est, rediit in cœlum victrix, parta victoria.

89 *Versis ad prospera fatis*] Diis jam meliora de me statuentibus.

90 *Regius agnóscor puer*] Agnoscor esse filius Priami. *Per rata signa*] Certis signis et indiciis.

91 *Læta domus*] Fuit, scilicet. Domum autem intellige, regiam Priami. *Per tempora longa recepto*] Lege, *post tempora longa recepto.* Heinsius.

92 *Addit et ad festos*] Eumque diem quo agnitus fui pro festo celebrant.

94 *Multarum votum sola, &c.*] Me, quem aliæ cupierunt, tu sola frui potes.

96 *Sed Nymphis etiam, &c.*] Nam ab Œnone amatus est, dum in sylvis et inter pastores adhuc degeret.

Curaque amorque fui] Post hunc versum Palatinus et veteres editiones addunt, 'Quas super Œnonem facies mutarer in orbem. Nec Priamo est ad te dignior ulla nurus.' Quos Ovidianos esse versus non dubito; sed prior est mendosissimus, ac proinde uterque a nuperis editionibus jussus exulare, ni fallor, idque pessimo exemplo. Posteriori legendum *a te.* Noster alibi, 'A Veneris facie non est prior ulla tuaque.' *Heinsius.*

97 *At mihi cunctarum, &c.*] Id est, Cæteras omnes fastidire et contemnere cœpi. *Fastidia*] Plaut. Mil. IV. 2. 43. 'Face te fastidii plenum Quasi non lubeat.' Ter. 'Eja, ut elegans est: ut fastidit.' Et in Milite IV. 6. 20. 'Atque ejus elegantia meam extemplo speciem spernat.' 'Philippus, venditatione gloriæ suæ, tantarum urbium fastidium agitat; atque utras potius dignetur æstimat.' Justin. lib. VIII. c. 4. vide lib. XIV. c. 2.

98 *Tyndari*] Helena, Tyndari filia.

101 *Quid facies præsens*] Scribe, *faceres.* Jam enim viderat Helenam. *Heinsius.*

102 *Ardebam, quamvis hic procul ignis erat*] Puto *hinc procul;* hoc est, procul a me: et *eras;* ut per ignem Helenam amores suos intelligat. Amor. II. El. 16. 'At meus ignis abest: verbo peccavimus uno. Quæ movet ardores est procul, ardor adest.' Epistola Leandri, 'Ut procul aspexi lumen, Meus ignis in illo est; Illa meum, dixi, littora lumen habent.' Virgilius, 'At mihi sese offert ultro meus ignis Amyntas.' Calpurn. 'Nam Mopso Meroë, Lycidæ formosus Iolas Ignis erant.' *Idem.*

103 *Nec potui debere mihi, &c.*] Nec potui spem istam amoris potiundi longius differre.

104 *Cærulea via*] Quo minus per mare navibus peterem. *Mea vota*] Id est, te, quam cupiebam et amabam.

106 *Quæque erat arbor*] Navibus fabricandis.

107 *Ardua Gargara*] Gargara generaliter τὰ ἄκρα, hoc est, summitates montium, sive vertices dicuntur. Sed hoc loco de parte, sive colle Idæ montis accipiendum, quæ proprie hoc nomine appellatur: in cujus radicibus et oppidum ejusdem nominis fuit, cujus ager frugibus fertilis fuit. Dicta autem Gargara, a Gargaro Jovis et Larissæ filio: ut Suidas. *Proceris sylvis*] Hoc est, arboribus.

109 *Fundatura citus robora naves*] Hoc est, fundamenta datura navibus.

112 *Accipit et pictos puppis, &c.*] Puppis adunca, a forma dicitur. Pictos autem Deos, intelligit imagines Deorum, quibus naves insigniri solebant.

114 *Sponsor conjugii stat Dea picta sui*] Twi Naugerius. Sed nihil temere

Digitized by Google

muto: *suum conjugium*, quod illa promiserat. *Heins. Sponsor conjugit*] Sententia est: Dea quæ mihi conjugium tuum spopondit, stat picta cum Cupidine parvo.

116 *Ægæis ire jubebar aquis*] A quibus autem jubebatur? A parentibus certe inhibitum sequenti versu ait. Priscæ editiones *jubebat*. Scribe *lubebat* vel *juvabat*; nam hæc duo verba sæpe confunduntur in libris vetustis. *Heins. Ægæis aquis*] Hoc est, per Ægæum mare in Græciam ire jubebar, meis fatis scilicet.

118 *Propositumque viæ voce moramur iter*] Repone meo periculo *pia voce*. Heinsius.

119 *Et soror Cassandra*] Hæc vates fuit: quod munus ab Apolline acceperat.

120 *Cum vellent nostræ jam dare velu rates*] Illud *nostræ* friget hoc loco. Rectius legatur *properæ*. Vel, *Cum vellem nostræ jam dare vela rati*. Heins.

123 *Dictos invenimus ignes*] Hoc est, te, quæ me ardere facis.

124 *Et ferus in molli*] Puto *En ferus*. Heins.

126 *Œbali Nympha*] Œbalidem vocat ab avo Œbalo, Tyndari patre.

128 *Non sine consilio*] Virgil. IV. 'Dis equidem auspicibus, reor, et Junone secunda Huc cursum Iliacas vento tenuisse carinas.'

134 *Attonitus curis intonuisse novis*] Illud *intonuisse* huic loco alienum est. Forte *indoluisse*. Nam Mycilli illud *intumuisse* parum placet. *Heins.*

138 *In dubium*] *In dubio* malit Mycillus. Ego ἀρχαϊσμὸν hunc non temere loco moveam, minime ignarus elegantiæ studiosos auctores *in* cum casu quarto frequenter conjunxisse loco sexti: exempla passim sunt obvia. *Idem. In dubium Veneris, &c.*] Sensus est: Si tu in judicium cum Venere venisses, dubitassem, tibi an illi victoriam adjudicarem.

139 *Rumor, &c.*] Hoc est, rumor, sive fama magnis te laudibus et præconiis celebravit.

141 *Nec tibi par usquam Phrygiæ*] Lego *Phrygia*, hoc est, in Phrygia. Ante *Phrygiam* legebatur: *usquam Phrygiæ* Naugerii conjectura est. Sed vix persuadet *usquam Phrygiæ*, ut *usquam locorum*, Latine posse dici. *Heins. Nec solis ab ortu, &c.*] Hoc est, et in toto Oriente nulla alia æque nomen habet, hoc est, celebratur, et in ore omnibus est, quoties de forma mentio fit, &c. hactenus. *Mycill.*

143 *Credis et hoc nobis*] Nunc denuo veterum librorum opem advocemus: qui ab hoc versu denuo nobis adsunt. *Credis et hæc* tres scripti. Barberin. *Credis ad hæc*. Lego *Crede sed hoc*. Heins. *Credis et hoc*] Extollit ejus pulchritudinem, ut ita laudando eam alliciat ad amorem suum. Nulla enim est mulier, quæ laudibus suæ formæ non delectetur.

144 *Maligna*] Detractatrix: quia minus dicit quam debet.

145 *Quam quod promiserat illa*] *Promiserit* tres libri. *Heins.*

146 *Materia victa sua est*] Id est, a pulchritudine tua, quæ est materia ipsius gloriæ. *Hub.*

147 *Qui noverat omnia Theseus*] Plutarchus et Diodorus puellam Helenam Theseo raptam fuisse scribunt, Castori et Polluci redditam. *Ant.*

148 *Et visa est*] *Visa es* legendum ex scriptis nonnullis. *Heins.*

149 *Tuæ gentis*] Id est, Laconicæ: Nam Lacedæmonii præcipue palæstra delectati sunt. *Nitida*] Propterea quod corpora oleo ungebantur.

150 *Nudis fœmina mista viris*] Οὐδ' ἂν εἰ βούλοιτό τις, Σάφρων γένοιτο Σπαρτιατίδων κόρη, Αἳ ἐν νέοισιν ἐξαρημοῦσαι δόμους, Γυμνοῖσι μηροῖς, καὶ πέπλοις ἀνειμένοις, Δρόμους, παλαίστρας τ' οὐκ ἀναισχετοὺς ἐμοὶ Κοινὰς ἔχουσι. Peleus Menelao. Eurip. Androm. 595. et seqq. vide et Propert. III. Eleg. 13. cujus hoc et principium: 'Multa tuæ, Sparte, miramur jura palæstræ, Sed magis virginei tot bona gymnasii,

Digitized by Google

Quod non infames exercet corpore laudes, Inter luctantes nuda puella viros:' et quæ seq. Et in Tragic. antiq. 'Nihil horum simile apud Lacænas virgines, Quas magis palæstra, Eurota, sol, polvis, labor, Militia in studio est.' Vide et Plutarch. in Lycurgo: et Thucyd. lib. I. Alii hunc morem laudant, alii culpant.

155 *Tene manus unquam nostræ dimittere vellent*] *Dimittere ferrent* scribam libenter, si per codices antiquos detur. Met. XIII. 460. ex optimis codicibus, 'Scilicet aut ulli servire Polyxena ferrem.' Pro quo similiter *vellem* vulgo legebatur. *Heins.*

156 *Vivus*] Dum viverem.

157 *Fores*] Id est, fuisses propter necessitatem. *Hub.* *Aliquid tulissem*] Non te intactam, ut Theseus, remisissem. *Aut.* *Aliquid tulissem*] Æneid. IV. 'fuit aut tibi quidquam Dulce meum:' et Epist. seq. 28. 'Ulterius nil habet ille mei.'

158 *Ex toto*] Penitus.

159 *Vel tua virginitas*] *Vel mihi* Puteaneus et alii multi. *Heins.*

160 *Suba virginitate*] Oscula intelligit, quæ etiam non rapta virginitate ferri possunt.

161 *Da modo te*] Eas in meam sententiam. *Aut.* *Da modo te*] Præbe te mihi. Fac mihi tui copiam. Verbum amatorium: sic infra 195. 'Da modo te facilem.' Et Martial. Epigr. VII. 30. et alibi. Item Sueton. in Julio, ex Cicer. 'notum est, et quid ille tibi, et quid illi tu dederis.' *Quæ sit Paridis constantia nosces*] Legendum *Paridi:* atque ita Barberinianus. *Heins.*

162 *Flamma regi*] Id est, Amor meus sola morte finietur. *Hub.*

163 *Præposui regnis ego*] Electione suum amorem probat. Cum potuerim habere regna, te malui. *Aut.*

164 *Pollicita est nobis*] *Pollicitæ nobis* Puteaneus. *Heins.* *Pollicita est*] De judicio Paridis etiam Homer. hoc habet, Iliad. Ω. 28. 'Αλεξάνδρου ἕνεκ' ἔτης· Ὃς τέλεσσε θεὰς, ὅτι οἱ μέσσαυλον ἵκοντο, Τὴν δ' ἥτης' ἣ οἱ πόρε μαχλοσύνην ἀλεγεινήν.

166 *Contempta est virtus*] Corporis aut animi virtutem contempsi, ut te frui possem. *Dante*] Virtutis optionem. *Aut.*

167 *Stulte legisse*] Quod te potius, quam regna, vel virtutem elegerim. 'Cum Venus et Juno Pallasque in vallibus Idæ Corpora judicio supposuere meo.' Hoc distichon a Puteaneo aliisque melioribus abest. In quorundam margine manu recentiori adscriptum legitur. Sed tollendum est. Cum enim judicium suum luculentis versibus paulo ante copiose recensuerit, quid opus ejusdem rei denuo meminisse? *Stulte elegisse videbor*] *Legisse* Puteaneus et quinque alii: quod versum utique molliorem præstat. *Legere*, pro eligere: *fatebor* etiam tres codices. *Heins.*

168 *In voto suo*] Ut te haberem conjugem.

169 *Caducam*] Vanam.

170 *Deprecor*] *Te precor* unus Vaticanus; recte: nisi quod legendum censeo, *Ne precor.* Claudianus bello Gildon. 'Ne consanguineis certetur cominus armis: Ne, precor.' Ita ibi ex vetustis exemplaribus esse reponendum monui. Respexit enim ad illa, 'Ne, pueri, ne tanta animis adsuescite bello.' Statius Achilleide, 'Ne solum Danaas admitte carinas, Ne, precor:' quomodo et illic rescribo; nam scripti, *Deprecor.* Vulgati *Te precor.* Idem Theb. IV. 'Ne tenues annos nubemque hanc frontis opacæ Spernite; ne; moneo.' *Heins.*

173 *Pleiada si quæras*] *Pliada si quæres* Puteaneus. *Idem.* *Pliada*] Suæ genealogiæ vetustatem repetit a Jove et Electra. Nam Jupiter concubuit cum Electra filia Atlantis, quæ fuit una ex septem Pleiadibus, quæ in cœlum inter stellas translatæ sunt: et ex ea genuit Dardanum, a quo

Digitized by Google

Trojani originem et nomen ducunt. *Pleiada*, id est, Electram: quæ ita dicta est, vel a Pleione matre, vel a πλέω, Græce navigo: quia navigantes solent Pleiadas ipsas observare.

174 *Medios avos*] Id est, qui sunt inter Jovem et nos. Intelligit Erichthonium, Troëm, Ilum, Assaracum, Capym, et reliquos.

175 *Ora*] Regio. *Beatior*] Ditior.

176 *Finibus immensis*] Propter magnos fines et ambitus. *Hub.*

177 *Tecta*] Ut barbarorum mos fuit, tecta auro ornare, quod sero ad Romanos pervenit. *Ant.*

180 *Phœbeæ lyræ*] Quia Neptunus et Phœbus mœnia Ilii condiderunt. Est autem Ilium, oppidum ipsius Trojæ maximum et celeberrimum. Troja est regio. *Hub.* *Canore lyræ*] Quorum saxa in opus exilibant, Phœbo ad citharam carmina modulante.

182 *Tellus illa*] Phrygia, quæ adeo populosa est, ut vix teneat quos habeat mortales: id monstrat, posse se tutari Helenam contra Græcorum potentiam. *Ant.*

183 *Troades*] Mulieres Trojanæ.

185 *Achaia*] Græcia.

186 *Una domus quævis*] *Quævis* Gottorphianus; probe: nisi *quamvis* malis. *Heins.*

187 *Nec mihi*] Ne videatur spernere Græciam, dicit se venerari plurimum Lacedæmona, terram natalem ipsius Helenæ. *Sparten*] Lacedæmona.

189 *Parca*] Non luxuriosa, neque sumptuosa. *Parca Sparta*] Ex institutis Lycurgi: Justin. lib. III. cap. 2. 'Parsimoniam omnibus suasit, existimans, laborem militiæ assidua frugalitatis consuetudine faciliorem fore. Auri argentique usum, velut omnium scelerum materiam, sustulit.' Vide et Plutarch. in Lycurg. *Tu cultu divite digna*] *Digna es* multi ex scriptis. *Heins.*

192 *Luxuriare*] Abundare, affluere.

194 *Quales Dardanias credis habere nurus*] *Quales* meliores cum primis editionibus: quare et superiori versu *cultum* lege cum tribus scriptis. Deinde *Dardanidas* multæ membranæ: vide Ep. VIII. 66. *Heins.* *Quales*] Multo sumptuosiorem et splendidiorem. *Nurus*] Puellas.

195 *Facilem*] Exorabilem, non duram.

196 *Rure Therapnæo*] Therapnæ Laconiæ oppidum est.

197 *Qui nunc Cum Diis potandas*] Ganymedem intelligit. Hic filius fuit Troïs, regis Trojanorum, amatus a Jove, et in formam aquilæ transfigurato raptus. Et pincerna Jovis est.

198 *Cum Dis potando*] Lege ex decem codicibus, *Cum Dis potandas nectare miscet aquas.* Heins. *Nectare miscet aquas*] De fabul. Ganymed. inter alios habes hoc in Æneid V. 'Intextusque puer frondosa regius Ida,...quem præpes ab Ida Sublimem pedibus rapuit Jovis armiger uncis.'

199 *Auroræ conjux*] Id est, Tithonus. Is frater fuit Laomedontis: qui ab Aurora amatus, ex ea genuit Memnona, quem postea in auxilium Trojanorum misit.

200 *Extremum noctis quæ finit iter*] Quia Aurora tenet confinia lucis, quæ inchoat; et noctis, quam finit.

201 *Anchises*] Is filius fuit Capys formosissimus, amatus a Venere: cum quo concumbens in monte Ida, postea apud Simoënta fluvium genuit Æneam. *Anchises*] Æneid I. 'Tunc ille Æneas, quem Dardanio Anchisæ Alma Venus Phrygii genuit Simoëntis ad undas?'

203 *Collatis forma Menelaus et armis*] *Et armis* Puteaneus et alii quidam: de armis postea agetur: 'Nec plus Atrides animi Menelaus habebit, Quam Paris; aut armis anteferendus erit.' *Heins.*

205 *Non dabimus*] Ita laudat se, ut deprimat patrem Menelai. Dicit enim, se non habere patrem, qui sit

Digitized by Google

futurus socer Helenæ, qui filios coxerit, et solem eo scelere fugaverit. *Fugantem*] Vide Senec. Thyest. 'Quæ causa tuos limite certo Dejecit equos,' &c.

206 *Qui trepidos a dape vertat equos*] Lego, *cui trepidos Sol dape vertat equos.* Non enim exprimit vulgata scriptura, cujus equi a dape vertantur. Nota est fabula. Propert. 'Non fugis Ausonias Phœbe fugate dapes.' *Heins. Trepidos*] Vel territos, vel festinos. *A dape*] A convivio suo scelerato. Dicit ergo: Non dabo tibi talem socerum qualis fuit Atreus, qui humanas dapes fratri apponat.

207 *Nec pater est*] Id est, Nec pater Priami, avus meus, socerum suum interfecit, sicut Pelops, avus Menelai. Diximus supra, in epistola Hermiones, fabulam Œnomai patris Hippodamiæ, quam Pelops cursu vicit. Is autem Pelops, ut regno soceri potiretur, eum interfecit.

208 *Et qui Myrtoas*] Id est, Nec dabimus avum, qui aliquem in mare præcipitaverit: sicut Pelops Myrtilum aurigam Hippodamiæ, quo favente eam vicerat, in mare præcipitavit, a quo mare Myrtoum dictum est.

209 *Nec proavo*] Tantalus proavus Menelai et Pelopis pater.

211 *Si ortus*] Id est, si Menelaus natus ab illis.

212 *Cogitur*] Nam si Helena, quæ est filia Jovis, sit ejus uxor, necessario Jupiter erit ejus socer.

216 *Hoc tempus*] Mensæ et cœnæ. *Quæ lædunt*] Quæ displicent.

220 *Imponit collo rusticus ille tuo*] *Imposuit* scripti quidam et primæ editiones. Præterea *rusticus iste* Puteaneus; probe: nam τὸ *iste* contemtum præ se fert. Sic Ajax Met. XIII. quoties loquitur de Ulysse, fere semper subjungit τὸ *iste;* ubi plura. *Heins.*

221 *Quid nunc tamen omnia narrem*] Prima editio, cum Puteaneo et aliis tribus, *quid nam tamen.* In Puteaneo tamen vetus lectio penitus abrasa: reliqui maxima ex parte, *quid non tamen:* quatuor, *quid tamen omnia narrem,* omisso τῷ *nunc.* Mentelianus et unus Vossii, *quid enim non.* Argentinensis *quid n. tamen;* hoc est, *quid enim tamen:* sequor. Nisi malis, *quid ni tamen.* Nam Jureti excerpta *quid ne.* Idem.

222 *Superjecta veste*] Theocrit. simile quid in Epithal. Helenæ: ὑπὸ τὰν μίαν ᾤχετο χλαῖναν. Idyll. XVIII. vs. 19. Vide Amor. I. Eleg. 5. 48.

223 *Non dura*] Mollia et lasciva.

224 *Ante oculos posui pocula*] Ne viderem.

226 *Crescit et invito lentus in ore cibus*] Juvenalis, 'Interque molares Difficili crescente cibo.' *Heins. Crescit in ore cibus*] Videtur crescere, quia præ dolore comedere non possum.

227 *Notavi*] Adverti. *Hub.*

229 *Flammam compescere*] Cohibere amoris æstum, infuso fortius mero.

230 *Ebrietas ignis in igne fuit*] Accendit amoris insaniam. *Ant.*

231 *Versa cervice*] Verso capite in aliam partem. *Hub.*

233 *Dolor est illa videre*] Terent. 'Quod tuo viro oculi doleant.' Et Plaut. Mostelle. IV. 2. vs. 10. 'Oculi dolent. Serv. Cur? Phanisc. Quia fumus molestus.' Et Asinar. V. 1. vs. 4. 'Pietas, pater, oculis dolorem prohibet. Quanquam ego istanc amo,' &c. 'Nunquidnam hic, quod nolis, vides?' Ter. Eunuch.

235 *Qua licet*] Quatenus licet.

238 *Soli tibi*] Ne alius advertat.

240 *Ille*] Maritus tuus. *Hub.*

241 *O quoties aliquem narravi potus amorem*] *O quoties juvenum* Puteaneus pro diversa lectione; quomodo et alii nonnulli: decem scripti, *juvenum amores.* Forte, *alium amorem.* Heins. *Aliquem amorem*] Quo pacto multi amarint, exposui. *Ant.*

242 *Referens*] Convertens. *Ad vultus tuos*] Ut intelligeres, me ea dicere

Digitized by Google

propter te. *Hub.*

243 *Indiciumque mei*] Me amare indicavi.

244 *Ille*] Cujus amorem narrabam.

245 *Verbis petulantibus uti*] *Petulantius* Puteaneus; et reliqui plerique. *Heins.* *Petulantius*] Licentius, audacius.

247 *Prodita*] Aperta. *Tunica laxa*] Id est, veste laxata, et largius aperta.

253 *Natæ*] Filiæ tuæ Hermione.

255 *Modo*] Interdum. *Hub.* *Veteres amores*] Veterum gesta in amore. *Ant.*

256 *Per nutum*] Ut ipse in I. Amorum: 'Me specta, nutusque meos, vultumque loquacem.'

257 *Primas*] Id est, præcipuas, et tibi intimas. *Clymenen Æthramque*] Septumius tradit, duas has Menelai affines fuisse relictas ad Helenæ custodiam. *Ant.*

258 *Ausus sum blandis*] *Cum blandis* Puteaneus et reliqui: et superiori versu *Clymenen Æthramque.* Heins. *Adire*] Alloqui.

259 *Quæ mihi nil aliud*] *Non aliud* scripti et primæ editiones. *Heins.* *Quæ*] Comites tuæ. *Non aliud locutæ*] Id est, nil aliud respondentes. *Quam formidare*] Quam se timere.

260 *Medias deseruere preces*] Id est, noluerunt audire meas preces. *Deseruere preces*] *Destituere* Barberinus et Vossianus: vide Notas sequenti epistola, 196. *Heins.*

261 *Pretium certaminis esses*] Id est, Ut proponereris pretium ei, qui te aliquo magno certamine vincendo consequeretur.

263 *Ut tulit*] Sumit exempla quorundam qui certarunt pro amore, quos dicit se esse imitaturum. Sicut Hippomenes, non territus conditione mortis, certamine cursus Atalantam meruit: ita et ipse idem facerem pro Helena. *Hub.* *Hippomenes*] Onchesto Neptuni filio natus est Megareus, qui filium habuit Hippomenem. Is Atalantam Schœnei filiam cursu superasse traditur, a Venere adjutus, quæ illi tria poma ex hortis Hesperidum dedit, quibus projectis, puellæ cursum impedivit. Vide Met. X.

264 *In Phrygios sinus*] De Pelope intelligit, qui, cum ex Phrygia in Peloponnesum navigaret, uxorem Hippodamiam Œnomai filiam duxit: quam tulit victoriæ præmium, ut diximus. *Ant.* *Hippodamia sinus*] Alii libri hunc versum sic habent, *Quæ propero cursu vicerat ante proces:* sed frustra. *Heins.*

265 *Acheloia cornua*] Sic et Virgil. Georg. I. 9. 'Pocula Acheloia:' ubi vide Servium. De Acheloo vide Epist. Deianir. 139. *Acheloia cornua*] Id est, cornua Acheloi, qui et ipse pro Deianira certavit. *Hub.*

267 *Audacia fortiter isset*] Alii *victoria.* Vossianus, *audacia fortior;* placet. *Heins.*

268 *Opus*] Præmium meæ victoriæ.

269 *Nil superest*] Quoniam certaminis præmium esse non potes. *Ant.*

270 *Amplecti pedes*] Quod precantes facere solent.

271 *Fratrum*] Castoris et Pollucis.

273 *Sigeos*] Trojanos. *Te conjuge*] Te abducta mecum.

274 *Aut hic Tænaria*] *Aut ego Tænaria* sex libri. *Heins.* *Aut contegar*] Sepeliar. *Tænaria humo*] In hac tua terra Laconica. *Exul*] Nunquam domum reversurus.

275 *Districta*] Percussa. *Districta*] Æneid. X. 'Tandem etiam magno strinxit de corpore Turni.' Quæ est significatio levis vulneris: vide Serv.

276 *Vulnus*] Amoris. *Ad ossa*] In medullas.

277 *Hoc mihi, nam repeto*] *Recolo* multi ex scriptis. Vide Notas ad Ep. V. 118. *Hoc*] Ostendit amorem suum esse fatalem, quem dicit prædictum sibi fuisse a Cassandra sorore sua divinatrice. *Repeto*] In memoriam reduco.

279 *Parce datum fatis*] Lego, *ratum fatis:* sic Cicero Ep. Famil. l. VII. Gallo: 'Quæ emisse te rescribis,

Digitized by Google

non solum mihi rata erunt, sed etiam grata.' *Heins.* *Parce ratum fatis*] Arguit, amorem hunc necessarium a fato.

280 *Faciles*] Exorabiles, benignos. *In tua vota*] Ad ea quæ optaveris.

281 *Subeunt*] Succurrunt, veniunt in mentem, quæ possim scribere.

283 *An pudet? an metuis*] *Et metuis* scripti: sic infra: 'Si pudet, et metuis, ne me videare secuta.' *Heins.* *An pudet*] Excipere me lecto tuo.

284 *Legitimi*] Menelai, quem legitimum tibi putas.

285 *Simplex*] Imprudens.

286 *Hanc*] Talem, tam pulchram. *Posse carere putas*] *Putes* tres libri. *Heins.*

288 *Lis est*] Pudicitia et pulchritudo non concorditer simul esse possunt. Juvenal. 'Rara est adeo concordia formæ Atque pudicitiæ.'

289 *Furtis*] Adulteriis. *Hub.*

290 *Hæc*] Talia. *Tibi patrem Jovem*] Quia nisi mater tua, quæ uxor erat Tyndarei, cum Jove concubuisset, non esset pater tuus.

291 *Vix fieri, si sint vires in semine Amorum*] *Si sunt* Puteaneus aliique tres. Pro *Amorum*, decem libri, *avorum*; quod placet: ita etiam apud Persium, 'si testiculi vena ulla paterni Viveret in nobis.' *Heins.* *Vix fieri*] Latenter ostendit, filios filiasve trahere mores a parentibus.

293 *Casta tamen*] Dicit: Nunc velim fallas maritum tuum, sed cum eris mecum, sis casta et cum nullo pecces nisi mecum.

295 *Ea peccemus*] Ea committamus. *Quæ corriget hora jugalis*] Id est, quæ postea emendabit matrimonium, et faciet non esse peccatum. *Quæ corriget hora jugalis*] *Corrigit* multi ex scriptis. Scriverianus et Moreti *corrigat*; bene. *Heins.*

297 *Sed tibi*] Arguit commoditatem, quam absentia mariti ei præstat. *Non voce*] Quia non dicit tibi, ut hoc facias: sed significat se esse contentum, cum me hic præsente discesserit.

298 *Et abest, &c.*] Id est, ne præsentia sua impediat amorem et concubitum meum tecum.

299 *Cressia*] Cretensia. Nam (ut dixi) Menelaus profectus fuerat in Cretam, quo tempore Paris in ejus domo hospitabatur.

300 *O miru calliditate*] Pro, mirus calliditatis et astutiæ. Et est ironia.

301 *Exit et Idæi*] *Esset* Puteaneus mendose: an pro *Hæsit?* Multi codices *Ivit*, *et Idæi*. Sarravianus *Ibat*. Leidensis, *Ibit*. *Ipse abit* plerique scripti: duo *Ille abit*; quæ ab interpolatoribus sunt. *Heins.*

302 *Curam agas*] Quinque libri *habe*: sed male. Trist. lib. v. El. 7. 'curamque futuri Nominis, utilius quod latuisset, ago.' *Idem.* *Idæi hospitis*] Paridis Trojani, ab Ida monte Phrygiæ. *Hub.* *Curam hospitis agas*] Paridem cures. *Pro nobis*] Loco nostro. *Ant.*

303 *Negligis*] Quia ei non pares.

305 *Hunccine tu sperns*] *Speres* bene Lovaniensis. *Heins.* *Sine pectore*] Id est, sine sapientia. *Sine pectore*] Horat. de Tibull. 'Tu non corpus eras sine pectore.' Et Metam. XIII. 290. 'rudis et sine pectore miles.' Cui cor non sapit. *Dotes*] Pretium, excellentiam.

306 *Tyndari*] O Helena.

307 *Nam si bona magna putaret*] *Nec si* veteres. *Heins.* *Bona magna*] Scil. pulchritudinem.

308 *Crederet*] Committeret.

309 *Ut*] Quamvis. *Mea voce*] Licet nec verbis meis, nec vehementi meo erga te amore exciteris, tamen debes mihi morem gerere: quia simplex est, et stultus.

310 *Cogimur ipsius commoditate frui*] Malim *commoditate viri: absentis commoditate viri* Gronovianus; probe etiam. *Heins.*

311 *Ut superemus et ipsum*] Id est, Ut simus etiam ipso stultiores.

Digitized by Google

312 *Iners*] Id est, sine effectu amoris.

313 *Pene suis manibus ad te deduxit amantem*] Scribe cum antiquis melioribus, *Pene suis ad te manibus deducit amantem*. Heins. *Amantem*] Me. *Pene*] Quod solent facere lenones et lenæ.

314 *Mendantis simplicitate viri*] *Non cafri* Mentelianus; et sic pro diversa lectione Puteaneus. Confirmant ista Helenæ, 'Simplicis utamur commoditate viri.' Sic Art. Am. lib. III. 'Qua vafer eludi possit ratione maritus.' Barberinianus *non cauti viri*; ut Remed. Am. 'Verbaque dent cauto qualibet arte viro.' Met. IX. 'Non patris asperitas, non cauti cura mariti.' Contra Trist. l. II. 'Verbaque det stulto callida nupta viro.'

318 *Candidior*] Id est, Erit mihi ita jucunda, ut videatur esse lætior medio die.

320 *Astringam verbis in sacra jura meis*] Scripti plerique *tua jura, tua jussa*, vel *tua verba*. In Puteaneo vetus lectio erat erasa; *verbis in rata jura tuis* videtur scribendum: certe in quinque scriptis legebatur, *verbis tuis, tuis verbis*, quia tu mihi præscribes jurisjurandi formulam, qua tibi addicar: hinc 'jurare in alicujus verba,' sacramentum alicui dicere. Par huic jurisjurandi formula Amor. III. El. 2. 'Per Superos juro testes pompamque Deorum, Te dominam nobis tempus in omne peti.' Sic Cydippe se adstrinxit verbis Acontii in pomo lectis. Ipse Acontius infra, 'Te mihi compositis (si quid tamen egimus) a me Adstrinxit verbis ingeniosus Amor. Dictatis ab eo feci sponsalia verbis, Consultoque fui juris Amore vafer.' De *jure* dixi Epistola III. sub finem. Possint tamen et *sacra jura* ferri pro sacratis: ut apud Virgilium, 'Fas mihi Graiorum sacrata resolvere jura.' *Heins. In sacra jura*] Scil. matrimonii: id est, obligabo me futurum semper maritum tuum.

322 *Mea regna petas*] Id est, venias in Trojam.

324 *Ipse reus*] Volo omnem culpam hujus facti in me transferri. *Reus sine te criminis hujus ero*] *Agar* Vossianus cum uno Mediceo: sic Epistola Acontii, 'Nunc reus infelix absens agor.' Amor. I. El. 2. 'Egit me lacrymis voce silente reum.' Trist. 'Et peragar populi publicus ore reus.' Atque ita passim. Vulgatam tamen haud damno. *Heins.*

325 *Sequar*] Imitabor. *Ægida*] Thesei. *Fratrum tuorum*] Castoris et Pollucis.

326 *Propiore*] Quam fratrum tuorum. *Tangi*] Moveri, incitari.

327 *Illi*] Castor et Pollux. *Geminas Leucippidas*] Id est, duas filias Leucippi, subaudi, rapuerunt.

328 *In exemplis annumerabor ego*] *Annumerari exemplis* Latinum est: alterum Latinitas vix admittit. Subscribo igitur sex exemplaribus, quæ *enumerabor* præferunt; nisi malis, *Quartus ut exemplis annumerarer ego*. Sic Elegia de Nuce, 'annumerare fructus colono.' *Heins.*

329 *Troica classis adest*] Puteaneus, Gronovianus, et unus Vatic. *Troia*: vide Epist. I. 28. *Idem. Troia*] A facilitate. Dicit enim, se habere omnia parata. *Hub.*

334 *Planget*] Percutiet, cum in terram cadet.

336 *Totaque Troja dabit*] *Dabunt* Hafniensis et unus Vaticanus; bene. *Heins.*

341 *Ecquæ est repetita per arma*] *Ecquæ repetita per arma est?* unus Regius; quod utique minus durum. *Idem.*

343 *Aquilonis*] Boreæ. *Hub. Erechthida*] Thraces Erechthei Atheniensis regis filiam duce Borea rapuerunt, ex quibus nati sunt Zetus et Calais: ut autor est Diod.

344 *Bisthonis ora*] Nec tamen Thraciam Athenienses bello molestarunt. *Ant.*

345 *Phasida*] Thessalicus; a Pa-

Digitized by Google

gasco sinu, unde solvit navem. *Pegasaeus Iason*] *Pegasaeus* bene Puteaneus et Sarravianus: sic noster alibi sæpe. *Heins.*

346 *Colcha manu*] Exercitu et viribus Colchorum.

347 *Minoida*] Ariadnen.

349 *Major periclo*] Secundum eam sententiam: Pejor est bello timor ipse belli.

351 *Finge*] Pone, fac.

353 *Copia*] Multitudo virorum.

354 *Illa*] Asia.

358 *Caesum nominis*] A robore enim et virtute corporis Alexander postea dictus est, quasi auxiliator vir, ἀπὸ τῶν ἀνδρῶν et ἀλέγω, id est, auxiliator: quia hostibus armenta abducentibus (ut nunc refert) auxilium suis tulit, et armenta recuperavit.

359 *Vario certamine*] In ludis agonalibus. *Hub.*

360 *Ilioneus Deiphobusque fuit*] Ilioneus Phorbantis filius fuit: de quo Virgil. Deiphobus ex Priamo et Hecuba natus est. *Aut.*

361 *Nisi cominus*] Id est, certamine, in quo prope, et manu solum pugnatur.

364 *Non potes arte mea*] *Num potes* Puteaneus pro diversa lectione; quomodo et præcedenti versu puto reponendum. Sappho supra, 'Num potes, o scopulis undaque ferocior illa, Si moriar, titulum mortis habere meæ?' Trist. lib. I. El. 3. 'Num potes avelli?' ut scribo. *Heins. Arte mea*] Artem sagittandi et palæstram intelligit. *Aut.*

365 *Nunquam dabis Hectora fratrem*] *Nunquid* Puteaneus et tres alii. Elegia de Nuce, 'Non equidem invideo: nunquid tamen ulla feritur?' Fast. IV. initio: 'Saucius an sanus, nunquid tua signa reliqui?' Ita enim utroque loco ex optimis libris reponendum. *Heins.*

366 *Unus is innumeri militis instar erit*] Longe elegantius in sex codicibus *instar habet*. Ep. Phyllidis, 'Sed scelus hoc meriti pondus et instar habet.' Pont. 'Instar et hanc vitam mortis habere puta.' Art. Am. I. 'Improbitas muneris instar habet.' lib. II. 'His ergo atque illis vigilatum carmen in ipsas Forsitan exigui muneris instar habet:' sic et ibi codices nonnulli. Lib. III. 'Sed tamen Ætnæi fulminis instar habet.' Atque ita alii auctores ex optimis frequenter. *Idem.*

369 *Aut igitur*] Concludit epistolam, inferens ex supradictis, quod aut non repetetur bello: aut si repetita fuerit, defendetur; et ei erit maxima gloria, quod propter eam Europa et Asia magno bello certaverit.

370 *Dorica*] Græca. *Cedent*] Vincentur.

371 *Nec tamen indigner pro tanta sumere bellum Conjuge*] *Sumere ferrum* Puteaneus et multi alii. Scribe præterea, *Nec tamen indigner*. Heins.

373 *Contenderit*] Certaverit. *De te*] Propter te.

375 *Tu modo*] Id est, tantummodo. *Hinc egressa*] Domo Menelai, et Lacedæmone.

376 *Exige*] Reposce. *Pacta*] Promissa tibi a me. *Cum plena fide*] Id est, plenissime, et sine fraude, vel sine dubitatione. *Hub.*

Digitized by Google

EPIST. XVII. HELENA PARIDI.

Puteaneus margini adscriptos habet hos versus initio Epistolæ, 'Si mihi quæ legi, Pari, non legisse liceret, Servarem numeros, sicut et ante, probæ.' *Heins.*

1 *Tua cur: epist ola*] Qua conatus es alienare me ab amore mariti, et ad tuum sollicitare. *Violarit*] Læserit.

2 *Non rescribendi*] Gloria rescribendi est visa mihi non levis, id est, non parva: id est, Putavi magnam gloriam mihi fore, rescribere tibi: quia affecisti me magna injuria.

3 *Hospitii sacris*] Æschyl. Agamemn. 394. Ἤσχυνε ξενίαν τράπεζαν κλεναῖς γυναικός. *Temeratis*] Violatis. *Hub. Temeratis sacris*] Hospitalitatis jura exprimit, quæ sub Jovis tutela sunt. Veteres, quamprimum hospites excipiebant, Jovi et Diis aliis sacra facere consueverunt.

4 *Sollicitare*] Adulterio interpellare. *Legitimam fidem*] Lege et conjugii sponsione firmatam. *Ant.*

6 *Tænaris ora*] Portus Laconicus ad Tænaron promontorium.

7 *Quamvis a gente venires*] *E gente* meliores. *Heins.*

8 *Oppositas fores*] Clausum hospitium.

9 *Esset merces*] Id est, remuneratio et præmium. *Officii tanti*] Id est, Beneficii accepti a nobis.

10 *Sic*] Ea intentione, ut mihi injuriam faceres, et me abduceres. *An*] Quasi.

11 *Nec dubito*] Id est, Scio, licet juste de te conquerar, judicabis me tamen rusticam et rudem quæ conquerar.

13 *Sim*] Concedentis est. *Dum*] Pro dummodo. *Hub.*

14 *Tenor*] Continens vivendi ratio. *Sine labe*] Culpæ offensa, aut nota infamiæ. *Ant.*

15 *Si non*] Respondet ei parti, qua dixit: 'Vultu non cætera duro Perlege, sed formæ conveniente tuæ.'

16 *Nec sedeo*] *Videor* Puteaneus pro diversa lectione et sex alii; quod placet: nam *sedere* quem hic locum habeat, non video. Idem *vixi* pro *lusi* diversa itidem lectione sequenti versu; ut et alii multi: sed *lusi* præstat; quod verbum est amatorium, ut dicemus alibi: ita Græci suis παιδίζειν et ἀφροδισιάζειν utuntur. Ipsa Helene mox, 'Lude, sed occulte.' In Amoribus, 'Ludunt formosæ: casta est quam nemo rogavit.' Propertius de Thaide, 'In qua populus lusit Erichthonius.' *Heins. Torva*] Terribilis. *Superciliis*] Quibus ostenditur severitas et superbia.

17 *Lusi*] Id est, fui læta, et jocata sum: salva tamen pudicitia mea. *Lusi*] Sic Ter. Eunuch. 'et quia consimilem luserat Jam olim ille ludum.'

18 *Laudem de me*] Ut possit se jactare de concubitu meo.

21 *Vim nobis Neptunius intulit heros*] *Attulit* Puteaneus cum prima editione et scriptis plurimis. Art. Am. lib. I. ex codicibus scriptis: 'Vim passa est Phœbe, vis est allata sorori.' Cicer. Philipp. II. 'Ut illa (credo) nefaria senatus consulta fierent, vim adferebam Senatui.' Æmilius Probus vita Dionis, 'Nam celeri rumore delato Dioni vim allatam multi concurrerant.' Sic et 'adferre sibi manum,' quod *inferre* alii. Petronius, 'sicut eram sine gladio in lectulum decidi, et attulissem mihi damnatas manus:' quomodo et Probus vita Timoleontis. *Heins. Neptunius heros*]

Digitized by Google

Id est, Theseus nepos Neptuni. *Vim attulit*] Qui me rapuit per vim.

23 *Delinita*] Id est, blanditiis captata et illecta. *Crimen erat nostrum*] Id est, fuisset mea culpa.

24 *Rapta*] Violenter abducta. *Meum quid fuit*] Id est, quid potuit imputari mihi. *Nisi nolle*] Id est, quod nolui, et voluntas mea non adfuit.

25 *E facto*] Id est, ex rapina. *Petitum*] Desideratum.

30 *Di melius*] Volnerunt et consulnerunt mihi. *Similis tui*] Ita protervus et libidinosus ut tu es.

31 *Reddidit intactam*] Nec defuerunt tamen, qui Iphigeniam ex Helenæ Theseique concubitu fuisse prognatam asseverarint. Vide Antoninum Liberalem Metamorphos. XXVII. et Pausaniam in Corinthiacis. *Heins. Modestia*] Ipsius Thesei. *Minutique crimen*] Culpam rapinæ.

33 *Theseu panituit*] Interrogative legendum est, quasi dicat, An ideo pœnituit, ut tu postea me raperes? *Hub.*

34 *Ne quando nomen*] Ut semper sinistro rumore in hominum ore verser. *Ant. Nomen non sit in ore meum*] Scilicet, populi. *Heins.*

35 *Nec tamen irascor*] Ecce more muliebri jam incipit conciliari Paridi, et ei blandiri. *Quis*] Nisi stultus et stulta. *Quis enim succenset amanti*] *Irascetur* Scriverianus. Lego *irascatur*, venusta repetitione, de quo Ep. VI. 29. Statius Sylv. lib. IV. ad Julium Menecratem, 'Irascorque etiam, quantum irascuntur amantes.' *Heins.*

36 *Prafers*] Ostendis. *Non simulatur*] Id est, non est fictus.

39 *Credulitas*] Facile credere. Multæ enim propter hoc sæpe decipiuntur.

40 *Carere fide*] Terent. 'Fidelem haud ferme mulieri invenias virum.'

41 *At peccant*] Qui dixerat, 'Lis est cum forma magna pudicitiæ:' dicit se velle esse inter raras, id est, inter eas quæ servant pudicitiam.

42 *Quis prohibet*] *Qui* Puteaneus. Scribe, *Quid prohibet*: vide Notas Ep. X. 88. *Heins.*

43 *Nam mea*] Quia Paris dixerat, 'Hæc tibi nempe patrem furta dedere Jovem:' ad hoc respondet, matrem posse excusari, quia decepta sit; se vero nullam posse habere excusationem imprudentiæ. *Hub. Idonea*] Apta, digna. Ter. Andr. IV. 5. 'Adeon' videmur vobis esse idonei, In quibus sic illudatis?' Plaut. Aulul. II. 2. 74. 'Video hercle ego te me arbitrari, Euclio, hominem idoneum, Quem senecta ætate ludos facies, haud merito meo.' Et Ter. Heaut. IV. 3. 'dignam me putas, quam illudas.'

45 *Falsa sub imagine*] Falsa forma, specie. 'Pulcraque Deum sub imagine ponit.' Metam. II. 806. Et Æn. VII. 'curvam servans sub imagine falcem.' Vide Clariss. Gronov. Observat. lib. II. c. 15. *Falsa sub imagine*] A Jove, qui falso se cygnum simulavit.

47 *Nil ego, si peccem, possum nescisse*] *Possim* duo codices: *possem* Argentinus. *Heinsius.*

48 *Obumbret*] Specioso aliquo nomine prætexat culpam.

50 *Falix in culpa quo Jove dicar ego*] Sententia est: Mater vitium suum excusare potest magno nomine Jovis: ego vero, si peccem, quem Jovem habeam, quem prætendere possim culpæ meæ? 'Fœlicem in culpa' vocat, quæ culpam suam defendere possit. *Micyl.*

51 *Et genus et proavos*] *Quod genus* scribe ex codicibus sex aut septem, quo alii plures alludunt, in quibus *Quid genus*. Noster Met. IX. 'Nam quod te jactas Alcmena matre creatum, Jupiter aut falsus pater est, aut crimine verus.' Et infra hac eadem Epistola, 'Quod bene te jactas et fortia facta recenses, A verbis facies dissidet illa suis:' quomodo illic ex

Digitized by Google

fide optimorum codicum scribendum. Lib. IV. Pont. El. 2. ex scriptis exemplaribus, 'Scylla feris trunco quod latrat ab inguine monstris, Heniochæ nautis plus nocuere rates.' *Heinsius.*

52 *Domus hæc*] Quæ te hospitio suscepit, quam tu contemnere videris. *Nobilitate*] Antiquitate generis.

53 *Soceri proavus*] Id est, Atrei. Diximus supra.

54 *Tyndareique genus*] *Decus* Puteaneus, pro diversa lectione; quod probum est: nam *genus* paulo ante præcesserat. *Heinsius.*

57 *I nunc*] Quasi dicat, Frustra jactas genus tuum.

58 *Priamo Læomedonta*] *Prianum Læomedonte* Puteaneus et Leidensis. Sequenti versu *τὸ est* Gronovianus non agnoscit, ut omnia referantur ad *τὸ erit*. Heinsius.

59 *Suspicio*] Veneror. *Sed qui tibi gloria, &c.*] Sed is, quo tu potissimum gloriaris.

60 *A nostro sanguine primus erit*] *Nomine* Puteaneus et multi alii; quod verum est: nomen pro gente; qua de re nonnihil jam dictum est ad Epist. II. 50. Sic apud Virgilium Ge. III. 'demissæque ab Jove gentis Nomina, Trosque parens et Troiæ Cynthius auctor.' Idem eodem libro, 'Neptunique ipsa deducat origine nomen.' Quomodo in veterrimo Pierii Valeriani codice legebatur: vulgati *gentem*. Et Æn. XII. 'Ille Talon Tanaimque neci fortemque Cethegum, Tres uno congressu, et mœstum mittit Onyten, Nomen Echionium:' ubi vetustissimus noster Mediceus *Nomine;* quanquam et *nomen* recte se habet; ut sit Græcismus: quomodo apud nostrum in Fastis 'Graius uterque genus,' pro genere. *Heinsius.*

61 *Sceptra*] Respondet ad id, quod dixerat: 'Sceptra parens Asiæ, qua nulla potentior ora est,' &c. *Potentia Trojæ*] *Terræ* vel *Trojæ* Puteaneus. *Heinsius.*

62 *Hæc*] Nostra Græcia. *Hub.*

65 *Epistola dices*] Quæ divitias pollicetur.

67 *Fines puderis*] Quibus terminatur honestum. Quanto præclarius Penelope de suo Ulysse, quem absentem caste expectabat; Odyss. Ξ. 263. *Εἰ κείνος γ' ἐλθὼν τὸν ἐμὸν βίον ἀμφιπολεύοι, Μᾶλλόν κε κλέος εἴη ἐμόν, καὶ κάλλιον οὕτω.*

68 *Tu major culpæ causa*] *Tu melior* Puteaneus et alii quidam: sic alibi, 'Causa mea est melior.' *Heinsius. Tu melior causa*] Tua causa, non ob divitias flecterer.

71 *Sic acceptissima semper Munera sunt*] *Acceptissima quondam* Gottorphianus; eleganter mehercules; pro quandoque, aliquando, nonnunquam: ut in illis Maronis, 'Quondam etiam victis redit in præcordia virtus.' Idem Virgilius, 'Qualis in Euboico Bairum littore quondam Saxea pila cadit:' et in Georgicis lib. III. 'Ut quondam in stipulis magnus sine viribus ignis Incassum furit.' Lib. IV. 'Frigidus ut quondam silvis immurmurat Auster.' Noster Art. Amat. I. 'Scilicet ut pudor est quondam cœpisse priorem, Sic alio gratum est incipiente pati.' Ita veteres libri Trist. II. ut legendum puto ex vestigiis membranarum, 'Ipsa suo quondam pondere tecta ruunt.' Fast. II. 'Sed tremit, ut quondam stabulis deprensa relictis, Parva sub infesto cum jacet agna lupo.' Elegia in Mortem Drusi, 'Liquitur, ut quondam Zephyris et solibus ictæ Solvuntur teneræ vere tepente nives.' Met. lib. VIII. 'sic rustica quondam Fistula disparibus paulatim surgit avenis.' Lib. IX. 'Ipse cruor, gelido cen quondam lamina candens Tincta lacu stridet.' Ita et 'olim:' Fast. III. 'ut olim Amisso dubiæ Rege vagantur apes.' Plura loca ex aliis auctoribus poterant adduci, nisi hæc sufficerent. *Heinsius. Munera auctor pretiosa facit*] Sic Ter. Eunuch. III. 1. 'Læta est, non tam ipso quidem Dono, quam ab

Digitized by Google

te datum esse: id vero serio Triumphat.'

73 *Plus multo quod amas*] Magis tuo amore quam divitiis ad amandum moveor.

74 *Spes tua*] Quæ est, ut me abducas conjugem. *Per longas aquas*] Ex Troja per Hellespontum in Laconiam usque.

75 *Illa quoque apposita*] Amoris signa, quæ Paris dederat, recenset: ut a causa arguat, se allici posse ad amandum. *Improbe*] Improbum dicimus, qui in petendo audacior. *Improbe*] Utitur verbo mediæ significationis: pro audaculo. Æneid. XII. 'improbus advena.' Sic 'improbus amor.' Æneid. IV. 'Improbus anser,' 'Improbus anguis,' Georg. 'Labor improbus,' Georg. I. pro indefesso, assiduo. Vide epist. XII. 57.

77 *Tu modo me spectas*] Scripti plerique, *Cum modo me spectes*. Sed lege *Cum spectas*: alioquin sequenti versu *Suspires* et *sumas* et *bibas* quoque sit emendandum. *Heinsius.*

78 *Instantes oculi*] In me defixi, et quasi procantes. Æneid. I. 'Obtutaque hæret defixus in uno.'

79 *Et modo suspiras*] Nam ipse dixit, 'Sæpe dedi gemitus.'

82 *Superciliis pene loquente*] Id est, ita declarante animum tuum, ac si locutus esses.

83 *Et sæpe extimui*] Malo *Ut sæpe extimui!* Heinsius.

85 *Exigue murmure*] Tenui et submissa voce, ne audirer. *Vel longo murmure dixi*] *Vel nullo* Puteaneus; sed nihil accedo. Fast. IV. 'Mira canam: longo tremuit cum murmure tellus.' Alibi, 'Et longum Getico murmur in ore fuit.' *Heinsius.*

86 *Hunc*] Paridem.

87 *Nec mea falsa fuit*] Id est, et vera dixi.

88 *Deducta*] Expressa. Ovid. 'Verba leges digitis, verba notata mero.'

89 *Renuente*] Nutu tibi respondente et negante.

90 *Sic quoque posse loqui*] *Sic ego* Puteaneus et Regius. *Heinsius.*

91 *Si peccaturu fuissem*] Id est, si voluissem fallere fidem conjugii.

93 *Rara*] Cui similis vix alia reperiatur. *Ant. Est quoque*] Respondet ad id quod dixit, 'Nec puto collatus forma Menelaus et annis, Judice te, nobis anteferendus erit.'

95 *Altera sed potius*] *Vel potius* iidem. Pro *vel altera*, quamvis altera: et τὸ *vel* miram habet hic ἐμφασιν: quasi occulte innuat se invita alteram fore felicem. *Heinsius. Felix*] Quæ habeat talem maritum, qualis tu es. *Altera*] Quæ non sit nupta.

97 *Meo exemplo*] Quæ, licet non habeam maritum pulchrum, tamen eo sum contenta. *Hub.*

99 *Quam multos credis juvenes optasse, quod optas*] *Credas* duo libri; bene. Deinde *optare* est in scriptis plerisque melioribus. *Heinsius. Quod optas*] Multi proci conspirant cum tuo desiderio, et formam meam expetunt.

100 *Oculos an Paris unus habes*] *An Pari solus habes* unus Vaticanus. *Heinsius.*

102 *Sed minus oris adest*] *Magis oris* non pauci ex scriptis: sic Trist. lib. I. 'vel, si satis oris habebis, Œdipodas facito Telegonosque voces.' et Amor. lib. II. El. 1. 'Ausus eram (memini) cœlestia dicere bella, Centimanumque Gygen; et satis oris erat.' Sed *os* pro pudore hic sumitur diverso nonnihil sensu. *Inest* etiam duo codices: quatuor alii *habes*. Idem. *Cordis*] Intellectus. *Minus oris*] Minus verecundiæ.

107 *Ad possessa*] Ad ea gaudia quæ aliorum sunt. *Præcepta*] Occupata. *Præceptaque gaudia serus*] *Præceptaque* Puteaneus aliique non pauci ex præstantioribus. Elegia in Mortem Drusi, 'Fingebas reducem, præceptaque mente fovebas Gaudia.' Noster Met. XI. ut scripti quidam, 'Phœbus anum simulat, præceptaque gaudia sumit.' Sic et Fastor. IV. ex

Digitized by Google

optimis codicibus, 'Tosta sitit tellus præcipiturque seges.' Virg. Æn. l. x. ex longe veterrimo codice Mediceo, 'Haud tamen audaci Turno fiducia cessit Littora præcipere, et venientes pellere terra.' 'Si lac præceperit æstas' apud eundem in Bucolicis. *Heins. Præceptaque gaudia*] Jam ante percepta. Item, animo præoccupare: 'Victoriam animo præceperant.' Cæs. 'Spe jam præcipit hostem.' Virgil.

109 *Ut tunen*] Quamvis libenter fuisset ejus conjux, si venisset in tempore: tamen non est sic invita et male cum Menelao, ut nunc optet esse conjux Paridis. *Fieri tua Troïa conjux*] *Troïa* Puteaneus: quatuor alii *Troia;* bene: dictum Epistola I. Veterrima editio et tres scripti *fieri tibi;* etiam probe. *Heinsius.*

110 *Non Menelaus*] *Nec Menelaus* Puteaneus et sex alii. *Idem.*

111 *Convellere*] Commovere, labefactare. *Molle*] Muliebre, et per consequens mutabile.

113 *Fortuna tueri*] Vel *natura* Puteaneus; quomodo et alii complures. *Heinsius.*

116 *Exhibuere Deæ*] *Exposuere* non minus eleganter Moreti alter: ut Art. Am. lib. III. 'Nec tamen expositas mensa deprendat amator Pyxidas.' Mox *Tyndaridos* prior Moreti: sic *Æolidos* et similia. Græco more. *Heinsius.*

118 *Tyndaridos*] Helenæ.

119 *Cœlestia numina possum*] *Corpora* scripti plerique, et primæ editiones. Noster Met. xv. 'tantusque videbor In quantum verti cœlestia corpora debent.' Pont. IX. El. 8. 'Felices illi, qui non simulacra, sed ipsos; Quique Deum coram corpora vera vident.' Virgilius, 'Hæc adeo ex illo mihi jam speranda fuerunt Tempore, cum ferro cœlestia corpora demens Appetii.' *Heinsius.*

121 *Utque sit hoc verum*] Esto, quod judicaris de illarum forma.

122 *Judicii pretium*] Nego Venerem præmium victoriæ tibi me proposuisse. *Dicar ego*] *Dicor* meliores; et *Non est tanta mihi fiducia*, pro *mei*, proximo versu iidem. Val. Flaccus, lib. III. 'Nec parva mihi fiducia gentis.' *Heinsius.*

123 *Fiducia corporis*] Formæ.

127 *Sed nihil infirmo*] Glossa Puteanei libri, 'id est, vitupero:' libri multi *infirmor;* quomodo et Jureti Excerpta: *insinuo* Palatinus: an *insimulo* scribendum? ut Epist. VI. 'Criminibus falsis insimulare virum:' et Amor. lib. II. El. 7. 'Nunc temere insimulas.' Duo alii *offendo: forte* pro *offendor.* Unus Lovaniensis et Vaticanus cum Hafniensi *inficior;* etiam concinne. *Heins. Faveo*] Assentior et gratæ sunt mihi tuæ laudes. *Ant.*

128 *Quod cupit esse*] Scil. pulchra.

129 *Nec tu*] Quod judicio Veneris ego sim existimata pulcherrima.

134 *Auditis Helenes*] *Helenæ* scripti et veteres editiones. *Heins. Auditis Helenæ bonis*] Id est, Pulchritudini meæ, quam nunquam videras.

135 *Ego sum virtus, &c.*] Me pro virtute, me pro regno, quod a Junone promittebatur, accepisti.

136 *Ferrea*] Dura, inhumana. *Si non hoc pectus amem*] Id est, talem animum tuum. *Hub.*

137 *Sed amare recuso*] Puteaneus et reliqui majori ex parte *repugno.* Spartianus in Caracalla, 'Severus dicitur animo volutasse ut et hanc occideret, nisi repugnassent præfecti ejus et viri graves.' Sic contra, 'vivere pugno' Epistola Laodamiæ. Fast. II. 'Et solida ramos figere pugnat humo.' In Ibide, 'Naufragii tabulas pugnat habere mei.' Rem. Am. 'Pugnat in adversas ire natator aquas.' Met. V. 'Nititur ille quidem, pugnatque resurgere sæpe.' Quicquid turbant veteres libri iis locis. Adi Notas Fast. III. 307. *Heins.*

138 *Vix puto*] Dubio sermone usa est, ne omnino amantem excludere

Digitized by Google

videretur, demum in illius sententiam concessura. *Ant.*

140 *Locus ipse neget*] *Neget* duo scripti: et mox *sint testes* plurimi, non *sunt*. Similis diversitas Met. IX. 'omnia feci (Sunt mihi Di testes) ut tandem sanior essem.' *Heinsius. Quam locus ipse neget*] Nulla enim spes segetis a bibulo littore. Æneid. IV. 'Cui littus arandum.' Sic etiam video exiguam spem, nec commodum amoris tui exitum.

141 *Veneris furtum*] Vide Epistol. Leandri 54.

142 *Lusimus*] Decepimus.

143 *Hunc quoque*] Dicit se nunquam ante scripsisse ad alium. *Tacito libello*] Secretæ epistolæ.

144 *Novo*] Inusitato.

145 *Usus*] Id est, experientia et exercitatio. *Nescia*] Imperita.

147 *Ipse malo metus est*] Id est, Timor jam nocet mihi. *Jam nunc*] Antequam peccem. *Omnes In nostris oculos vultibus esse*] Et dicere, Hæc est quæ maritum decepit, quæ est adultera.

149 *Mala murmura*] Rumorem lævum. Etiam pro secundo fremitu Virgil. v. 'magnoque virum se murmure tollit.'

151 *Nisi si desistere mavis*] Libri veteres magna ex parte *nisi tu*; alii, *nisi te, si non, nisi me, nisi jam*, et similia. At Puteaneus vulgatis accedit: recte. Vide Notas ad Epist. IV. 111. *Heins.*

153 *Non maxima*] Quoniam quamvis absit, non tamen omnia audere licet. Custodem sibi appositum significat. *Ant.*

156 *Magna causa*] Ea erat, ut dividerentur in Creta Atrei bona.

157 *At mihi sic jussum est*] *At mihi sic visum est* plerique scripti. Puteaneus et Leidensis, *Aut mihi sic visum est*; vere, quod et Dousæ arridebat. Simile mendum insedit codices Valerii Flacci lib. I. quod miror viris eruditis non animadversum, 'At quibus arvorum studium atque insontis aratri, Hos stimulant, magnaque ratem per lustra viasque Visi laude canunt manifesto in lumine Fauni:' sic scribe. Perperam *jussi* nunc circumfertur. Virgiliana illa respexit ex Æn. IV. 'ipse Deum manifesto in lumine vidi.' *Heins.*

160 *Et tibi sit curæ*] *Sint* unus Farnesianus: puto etiam *Troius hospes*. Vide Notas ad Ep. I. *Idem. Tibi sit curæ*] Et hoc est, quod dixit, 'Curam pro nobis hospitis, uxor, agas.'

164 *Sed tu non ideo*] *Adeo* Puteaneus. *Heins.*

166 *An nescis longas regibus esse manus*] Paræmium Græcum, Μακραὶ τυράννων χεῖρες. Vide Apostolium. *Idem.*

167 *Fama quoque*] Dicit se etiam terreri metu infamiæ: ne dicatur adultera, quod, derelicto marito legitimo, secuta sit amatorem. *Est oneri*] Id est, affert onus et difficultatem. *Ore vestro*] Id est, verbis omnium virorum.

168 *Justius*] Quanto enim aliqua mulier magis laudatur, tanto magis de ea timendum est. *Hub.*

169 *Quæ juvat*] Latenter inquit, quod libenter peccaret, si auderet. *Nunc est*] Id est, honesta, ut nunc est. *Mihi damno est*] Quia injicit mihi ruborem faciendi quod a me petis.

170 *Et melius foret*] Id est, Utilius mihi esset. *Famæ verba dedisse*] Id est, Decepisse ipsam famam: et me non esse talem, qualem fama prædicat. *Verba dedisse fuit*] Nonnulli *foret*. Heins.

173 *De facie metuit*] Id est, Pulchritudo mea facit illum suspicari de me: sed vita cognita honesta jubet confidere.

175 *Tempora ne pereant*] Ad id quod dixerat Paris, 'Cogimur ipsius commoditate frui.' *Hub. Præcipis*] Suades ob temporis opportunitatem. *Ant.*

177 *Exacta voluntas*] Plerique se-

Digitized by Google

luptas cum Puteaneo; frustra. *Heins.*

178 *In dubio pectora nostra labant*] *In bivio* videtur scripsisse Ovidius. Remedio Amoris, 'Ut tuus in bivio distineatur Amor.' Val. Flaccus lib. v. 394. 'Quem petis Æeten: genitor meus: ipsaque juxta Mœnia: et ut bivios possis discernere calles, Hac adeo duce carpe viam:' ita totus locus castigandus. Nam Carrionis liber *vivos calles.* Vulgati *veros.* Festus Avienus Orbis descriptione, 'Hæc Asiæ dixere fores: hiat ore quod illo Porta, quasi et longas bivium discedat in oras.' Ita et illic ex veteri codice scribendum. Sic 'portarum in bivio' apud Statium Thebaidos I. et 'biviæ fauces' Virgilio. Videtur autem adagium hoc Ovidianum alludere ad bivium Pythagoricæ literæ vitam humanam complexum: quo et respexit Persius istis, 'Cumque iter ambiguum est, et vitæ nescius error, Diducit trepidas ramosa in compita mentes.' *Heins.*

179 *Et vir abest*] Commoditates repetit ex sententia Paridis: ut facile ostendat, se ituram in ejus sententiam. *Ant.* *Abest nobis*] Similem elegantiam sæpe in Comicis invenies: 'Ubi nobis Æschinus siet:' Ter. et alibi.

180 *Invicem*] Vicissim: id est, Tu me amas, et ego te.

183 *Et peream, si non invitent*] *Invitant* scripti: præterea Gronovianus *Ut peream;* quomodo Catullus, 'Jupiter, ut Chalybon omne genus pereat.' Et Claudianus, 'Ut pereat, quicunque tuis conflixerit armis!' *Heins.*

185 *Quod male persuades*] *Bene* Argentinus, non *male:* ut jam se quodammodo persuasam esse agnoscat. *Idem.* *Persuades*] Tua epistola, et rationibus adscriptis. *Hub.* *Male*] Non honeste, vel vix. *Bene*] Honestatis specie.

186 *Sic mea rusticitas excutienda foret*] Puteaneus *Vimea;* et *fuit:* Barberinianus et Argentinus, *Ut fuit.* Scripti plerique *Ut foret.* Adde unam literam Puteaneæ lectioni, et habebis veram scripturam hoc modo: *Vi mea rusticitas excutienda fuit.* Simile mendum ablatum est mea opera ex lib. VI. Met. sub finem; ubi Boreas, 'Apta mihi vis est, vi tristia nubila pello, Vi freta concutio, nodosaque robora verto, Induroque nives, et terras grandine pulso.' Ita enim iste locus constituendus, qui vulgo mendosissimus circumfertur: vide quæ illic notamus. *Heins.* *Rusticitas*] Timiditas, et in amore difficultas.

187 *Utilis*] Quoniam culpam diluere possunt. *Ant.*

188 *Ego fœlix esse coacta velim*] Id est, Cogerer habere ea bona quæ mihi promittis, et per te mihi contingere possunt. *Fœlix ipsa coacta forem*] *Fœlix esse* primæ editiones et scripti plerique. *Heins.*

189 *Dum novus est*] Nunc hortatur, ut potius desistat ab amore, dum nondum est vehementer auctus.

190 *Sparsa resedit aqua*] *Residit* puto. *Heins.*

192 *Cumque nihil speres firmius esse, fugit*] *Fuit* Puteaneus argute: ut *fuit* τῷ *esse* opponatur, præteritum præsenti. Lib. III. Artis ex veteri codice, 'Simplicitas rudis illa fuit: nunc aurea Roma Edomiti magnas possidet orbis opes.' Tibullus: 'Sive erimus, seu nos fata fuisse volent.' *Esse* pro vivere, *fuisse* pro vixisse. Auctor Elegiæ in obitum Mæcenatis, 'Mollibus ex oculis aliquis tibi decidet humor, Cum dicar subita voce fuisse tibi.' *Idem.*

193 *Minoia virgo*] Ariadna filia Minois. *Hub.* *Hypsipyle testis*] Jason Hypsipylen reliquit, Theseus Ariadnam. *Ant.*

194 *In non exhibitis utraque juncta thoris*] Excerpta Scaligeri et quatuor ex nostris *utraque pacta:* nonnulli *victa;* vel, *juxta, lusa, jucta, pucta.* Puteaneus, Argentinus, et quatuor

Digitized by Google

alii, *utraque justa*: proxime ad verum. Scribendum nempe, *utraque questa*. Vide Notas Epistola XIV. 91. *Questa* quomodo Arte Amat. 'Quodque prius questa est, ipse querare facit.' Similitudo inter ultimam præcedentis vocis syllabam, et primam proxime sequentis, frequentissimam errori librariis occasionem dedit. Sic apud Tibullum emendavimus locum insignem lib. III. El. 3. 'Aut si fata negant reditum, tristesque Sorores, Stamina quæ ducunt, quæque futura canunt.' Scriptum nempe fuerat *futuræ nunc*, absorpta priore syllaba posterioris verbi, pro *futura canunt*: hinc *neunt* barbarum istud enatum, quo ne Accius quidem Pacuviusque, credo, forent usi. Viros tamen maximos approbatores invenit, Scaligerum præcipue. At Parcæ non lanificæ tantum, sed et fatidicæ; quales Catullus Thetidis epithalamio eas induxit, apud quem, 'Veridicos Parcæ cœperunt edere cantus:' et paulo post, 'Talia præfantes quondam felicia Pelei Carmina divino cecinerunt omine Parcæ.' Quæ unice Tibulliani loci restitutionem confirmant: plura illic ad rem, sed et apud alios scriptores. *Heins. Non exhibitis*] Innuptis nuptiis. Quam dederunt fidem, non præstiterunt. 'Nec se legitimos exhibuere viros.' 'Exhibita estque Thetis...Et potitur votis.' Metam. XI. 265.

195 *Tu quoque*] Qui mihi tot tantaque promittis.

196 *Œnonen deseruisse tuam*] *Destituisse* meliores libri. Œnone: 'Nunc tibi conveniunt, quæ te per aperta sequantur Æquora, legitimos destituantque viros.' Epist. Hypsipyles, 'Utque ego destituor conjux materque duorum.' Ariadnes, 'Destitnor rapidis præda cibusque feris.' Pont. I. El. 5. quomodo et illic veteres libri, 'At nostram cuncti destituere fugam.' Ep. Paridis, 'Orantis medias destituere preces;' ita et illic quidam codices. *Heins. Œnonem*] Uxorem tuam, ut vidimus in epistola ipsius Œnones ad Paridem.

199 *Adde*] Adducit aliam rationem: quia comites Paridis instabant, ut jamjam discederet.

200 *Expedient jam tua vela Phryges*] *Expediunt* primæ editiones et scripti plerique. Lege, *Expediunt jam sua vela Phryges*. Heins.

201 *Nox sperata*] Quia mecum futurus es.

203 *Cursibus in mediis*] In medio, inquit, amoris gaudio. *Ant. Plena novitatis*] Id est, tantummodo incepta.

204 *Abibit*] Tecum: et obliviscerís mei.

206 *Pronurus*] Nurus ad patrem mariti refertur, pronurus ad avum: sicnt nunc ad Laomedonta, avum Paridis.

209 *Sparte*] Lacedæmon. *Achaia*] Peloponesus, vel Græcia. *Quid de me poterit loqui*] Nisi me esse adulteram.

211 *Priami quid sentiet uxor*] *Sentiat* rectius sex libri. At Mentelianus cum excerptis Dousæ, *censeat*. Vide Epist. V. 95. *Heins.*

212 *Dardaniæque nurus*] *Dardanidesque* meliores: dictum Epist. VIII. 64. Fast. I. 'Et jam Dardanides tangent hæc littora puppes;' sic veteres libri. Remed. Amor. 'Argolides cuperent fugisse Capharea puppes,' etiam ex Membranis: et Art. Amatoriæ lib. I. 'Persidas induxit Cecropidasque rates.' *Heins.*

214 *Exemplis tuis*] Quod Deiphobo deinde evenit. Æneid. VI. 'Scilicet id magnum sperans fore munus amanti, Et famam exstingui veterum sic posse malorum.'

216 *Causa timoris*] Quia putabis eum venisse eodem animo, quo tu huc venisti.

218 *Oblitus nostro, &c.*] Id est, oblitus, quod non potes maledicere mihi quin maledicas tibi ipsi. *Inesse*] Conjunctum esse.

Digitized by Google

219 *Delicti fies idem*] *Fies tu idem* Intimelianus codex. Eriges sensum, si scripseris, *Delicti ut fias idem reprehensor et auctor?* tanquam sit cum indignatione quærentis. *Heins.*

220 *Terra, precor*] *Procul* Puteaneus et alii nonnulli; sed perperam. *Idem.* *Terra obruat*] Sic Dido, Æneid. IV. impie dejerat: 'Sed mihi vel tellus optem prius,' &c. *Obruat*] Est imprecatio muliebris.

223 *Texta*] Hoc vocabulum late patet præter communem significationem. Virgil. VIII. 'clypei non enarrabile textum.' Et Stat. Thebaid. V. 'squalentia texta Thoracum.' Et alibi, 'clypei penetrabile textum.' Et Lucret. V. 'rerum tria texta:' nempe cœlum, terra, maria.

225 *Tanti*] Ut velim hinc discedere.

226 *Quo modo*] Qua dulcedine. Quisque enim patriæ consuetudine tenetur. *Ant.* *Me tenet ista modo*] *Ipsa* Puteaneus, aliique haud pauci. *Heins.*

227 *Succurret in oris*] *Succurrat* tres scripti. *Idem.*

228 *Unde petam fratris*] *Fratres* meliora exemplaria. *Idem.*

230 *Non minus illa domo*] *Num minus* Puteaneus. Vide notas in Epist. XI. vs. 19. *Idem.*

231 *Æetes*] Pater ejus.

232 *Non Ipsea parens*] Nemo quod sciam veterum dat Ipseam Medeæ matrem. Puteaneus a manu prima *Ipsia.* Alii *Yssea, Ysea, Yexea, Impea, Illæa, Gipsea, Ipsaque, erat ipsa* vel *ipse;* et similia. Omnino scribendum est *Idya.* Hesiodus Theogonia, Αἰήτης δ' υἱὸς φαεσιμβρότου Ἠελίοιο Κοῦρην Ὠκεανοῖο τελήεντος ποταμοῖο Γῆμε, θεῶν βουλῇσιν, Ἰδυῖαν καλλιπάρηον. Ita Apollonius quoque Rhodius, et Sophocles apud Scholiasten Apollonii. Neque aliter eam vocant Apollodorus et Cicero libro III. de natura Deorum: etiam Hyginus Fab. 25. apud eundem tamen initio operis Medea 'Æetæ et Clytiæ' filia dicitur. Sed *Idyæ* reponendum. Idyam Absyrto matrem dat Tzetzes in Lycophronem, cum eum Apollonius ex Asterodæa concubina prognatum asseveret. Quanquam Diodorus Siculus lib. III. ex Hecate fratris filia Medeam et Chalciopen progenitas Æetæ adfirmet. *Heins.*

234 *Fallitur spes*] Hinc Eurip. Supplic. 479. ἐλπὶς γάρ ἐστι κάκιστον.

236 *In portu lene fuisse fretum*] *A portu* scripti. *Heins.* *Lene*] Tranquillum. *Ant.*

237 *Fax quoque*] Dicit se etiam terreri somnio Hecubæ, quæ pridie quam pareret Paridem, somniaverat se parere facem: dicit se timere, ne incendium Trojanum subsequatur, ut vates prædicunt.

240 *Ilion arsurum*] *Arsuram* Intimelianus. Vide notas Ep. I. 48. *Heins.*

242 *Bina tropæa*] Junone et Pallade. *Hub.*

243 *Sic illas timeo*] *Vereor* libri veteres. Mox *prosequar* pro *persequar* Puteaneus et alii. *Heins.*

245 *Nec dubito*] Respondet ad id quod dixerat: 'Nec tu rapta time, ne nos fera bella sequantur,' &c.

248 *Atracis*] Hippodamiam Atracis fluvii filiam intelligit, quam Pirithous Ixionis ex Dia filius duxit uxorem. Nuptiæ in Pelio Thessaliæ monte gestæ sunt. Centauri qui aderant, cum fœminis vim parassent, Thesei Herculisque viribus trucidati, et in fugam acti sunt. *Æmonios*] Nestorem, Theseum, Pirithoum, et Herculem significat, et Lapithas, qui Centauros superarunt.

249 *Tu fore tam lentum justa Menelaon in ira*] Puteaneus, *An fore tam justa lentum Menelaon in ulta:* ubi *ulta* pro vindicta sumitur; quod alibi mihi non recordor esse lectum. *Heins.* *Justa Menelaon in ira*] Homer. Il. Γ. vs. 27. et seqq. Ὡς ἐχάρη Μενέλαος Ἀλέξανδρον θεοειδέα Ὀφθαλμοῖσιν ἰδών· φάτο γὰρ, τίσασθαι ἀλείτην.

Digitized by Google

251 *Quod bene te jactes, et fortia facta loquaris*] *Jactas* scripti fere omnes. Deinde quidam etiam *recensus* pro *loquaris;* recte: monui supra vs. 51. Mox, *A verbis facies dissidet illa suis*, non *tuis*, Puteaneus cum prima editione et aliis nonnullis scriptis, Epistola Hypermnestræ, ' Hæc ego: dumque queror lacrymæ sua verba sequuntur.' Met. VIII. sub finem: ' nunc pars caret altera telo Frontis, ut ipse vides: gemitus sua verba secuti.' Ita scribo ex veteri codice. Lib. IX. itidem sub finem: ' miserere tuarum, Auxilioque juva: lacrymæ sua verba secutæ.' Sic et ibi scribendum. Elegia in mortem Drusi: ' Hæc et plura refert: lacrymæ sua verba sequuntur.' Ep. XX. ex optimis libris, ' Et liceat lacrymis addere verba suis:' vulgati *meis*. Epistola VI. ut restituendum puto, ' Implesti lacrymis talia verba suis.' Trist. I. El. 3. ' Miscuit hæc lacrymis tristia dicta suis:' sic et ibi veteres libri. Fast. II. ' Adde preces positis et sua verba focis.' Lib. IV. ' supra nova vellera corpus Ponit adorato per sua verba Deo.' Ep. Medeæ, ' Ausus es o, justo desunt sua verba dolori, Ausus es Æsonia dicere cede domo.' Met. X. ' Tendit omnes matrem: nec habent sua verba dolores.' Sic ' sua pagina.' Fast. III. ' Itur ad Argeos: qui sint, sua pagina dicet.' ' Sua vina,' Met. VII. ' per seque vident sua crescere vina:' quomodo illic codices nonnulli. Epistola Acontii, ' Cur suus a tanto crimine fructus abest?' sic supra 200. ' sua vela' ex antiquis libris. Met. XI. ' vultum sua silva secuta est.' Plurimus est in hac locutione Noster, si attendas: alibi plura notamus. *Heins.*

252 *Facies ista*] Quæ amorem, non bellum præ se fert. *Ant.*

253 *Quam sunt tua corpora Marti*] *Sint* prima editio et multi ex scriptis. *Heins.*

254 *Tu Pari semper amas*] Sic Idas sociis, Argon. III. vs. 562, Ἔρρετε· μηδ' ὅμμι πτολεμήϊα ἔργα μέλοιτο, Παρθενικὰς δὲ λιτῇσιν ἀνάλκιδας ἠπεροπεύειν. Sic impia Tullia de suo marito: Halicar. lib. IV. ψοφοδεής, καὶ οὐδὲν ἔχων ἄνδρος ἀνήρ. Cic. Attic. Ep. I. 13. ' Quam ignavus; ac sic animo miles:' ubi plura Homerica invenies. ' Qui sponsore salutis Miles eget.' Lucan. IX. Quod deinde eadem Helena suo Paridi obgannit: Iliad. VI. Qui non intelligat quid sit χόλος, νέμεσις, αἴσχος ἀνθρώπων· ubi artificium Homeri, et argutiam Helenæ adverte.

256 *Militia altera*] Quo videtur alludere Propert. I. 6. ' Multi longinquo periere in amore libenter, In quorum numero me quoque terra tegat. Non ego sum laudi, non natus idoneus armis. Hanc me militiam fata subire volunt.'

257 *His ego, si saperem*] Colligit jam epistolam, ita ut plus spei quam timoris relinquat. *His*] Quæ polliceris, et tui corporis dotibus. *Si saperem*] De se notat, quod rudis sit et timida. *Ant.*

259 *Deposito faciam fortasse timore*] *Pudore* veteres, Fast. VI. ' Hæc positi prima pudoris erit.' In Priapeis: ' Sed cum tu posito Deus pudore.' Martialis lib. III. ' Sed jam deposito post vina rosasque pudore.' Pro *faciam* venuste *sapiam* Regius cum uno Farnesiano. *Heins.*

260 *Conjunctas*] ' Confessas manus' Metam. V. 215. et ' submissas,' 235.

261 *Præsentes ista loquamur*] *Plura* prima editio cum tribus scriptis. Refer ad illa Paridis, ' sed coram ut plura loquamur, Excipe me lecto nocte silente tuo.' *Heins.*

262 *Colloquium voces*] Quia vis colloquium tuum esse concubitum. Honestius locutus est, quam si rem aperte dixisset.

265 *Furtivæ conscia mentis Litteræ*] Malim *nuntia*; vide Notas Arte Am. lib. I. vs. 438. *Heins.* *Arcanum opus*]

Digitized by Google

Officium scribendo secreta.

267 *Clymenen Æthramque*] Priorem aliter vocat Hyginus cap. 92. de judicio Paridis. Alexander Veneris impulsu Helenam a Lacedæmone ab hospite Menelao Trojam abduxit, eamque in conjugio habuit cum ancillis duabus Æthra et Phisaide, quas Castor et Pollux captivas ei assignaverunt, aliquando reginas. *Ciofan.*

268 *Comites consiliumque*] Quas habeo comites, et mei consilii participes. Suadet his arcana committi debere, quum hæ sint quibus credi possit. *Ant.*

EPIST. XVIII. LEANDER HERONI.

1 *Mittit Abydenus*] Ex Abydo Leander.

2 *Si cadat unda maris*] Dilationis causam ipsum principium indicat. Si non essent procellæ, ferrem, non mitterem salutem. *Sesta puella, tibi*] Malim *Sesti*, si per libros antiquos liceat: sic in Epistola Sapphus, 'Lesbi puella.' 'Sestias' certe Hero Statio vocatur. Theb. VI. 'sedet anxia turre suprema Sestias in speculis.' Musæo quoque Ἑστιὰς Ἥρώ. Superiori etiam versu *malit* rectius legas, ut τῷ *cadat* respondeat. Cæterum hi duo versus manu recentiori in Puteaneo legebantur, pro quibus excerpta Dousæ, *Quam cuperem solitas, Hero, tibi ferre per undas, Accipe Leandri, dum venit ipse, manum.* Heins.

3 *Si mihi Di faciles et sunt*] Libri quinque *Sint mihi:* tum alii multi *et sint in amore:* quidam *vel sint*, aut *vel sunt.* Barberinianus *Sic mihi Di faciles;* probe; dummodo sequenti versu, *ut mea verba* rescribas pro *hæc mea: Sic mihi Di faciles, sic sint in amore secundi Invitis oculis ut mea verba leges.* Heins. *Si mihi Di faciles*] *Di* non modo ad Venerem Cupidinemque referri puto, ut alii existimarunt: verum etiam ad Neptuni et maris numina, quos procellas fecisse queritur. *Ant.*

4 *Invitis oculis*] Quoniam me quam epistolam videre maluisses.

5 *Cur mea vota morantur*] *Morentur* quatuor codices non contemnendæ notæ. Et tum sequenti versu *patiantur* quoque sit scribendum; quomodo unus Regius. Petavianus *nec patiantur. Mota aqua* pro *nota* Moreti codex. *Dubia* prima editio: infra, 'Quod dubia sæpe pependit aqua.' *Heins.*

6 *Currere*] Natare. *Nota*] Assueta. *Hub.*

8 *Perque cavas vix adeunda rates*] *Abeunda* quinque scripti: duo *obeunda*, quod verum est. Sic Epistola Paridis, 'Sceptra parens Asiæ, qua nulla beatior ora est, Finibus immensis vix obeunda tenet.' *Heins. Obeunda*] Naviganda: tanto minus natari potest.

10 *A portu navita fecit iter*] *E portu* potiores, ut et *movit iter*, quos secutus sum: quanquam Propertii ista succurrunt, 'Primus et invito gurgite fecit iter.' Proximo versu *cum vincula*, non *dum*, iidem. *Heins.*

11 *Ascensurus*] Respondet objectioni, quare non ascenderit cum illo nauta; propter multitudinem spectantium, cum navis a littore discedebat.

12 *Omnis Abydos*] Id est, omnes Abydeni. *In speculis erat*] Id est, in

Digitized by Google

loco unde spectabat discessum navis.

18 *Rumpere vincula*] Linum incidere.

20 *Cum charta locuta*] Id est, Cætera scripsi.

21 *Ah quanto mallem*] *At quanto* prima editio et septem scripti. *Heins.*

23 *Aptior dare verbera ponto*] Id est, magis apta est, natando percutere undas tranquilli maris, quam scribere.

24 *Sensus apta ministra mei*] Id est, et tamen optime exprimit, et litteris notat, quod in animo habeo. *Sensus*] Voluntatis, animi.

26 *Ut mare fervet aquis*] Sic meliores libri. Frustra Arondelianus *quo mare*; alii, *quod more*. Noster alibi: 'Ut sumus in Ponto ter frigore constitit Ister.' Ausonius Epistola VI. ad Theonem, 'Tertia fissipedes renovavit Luna juvencos, Ut fugitas nostram, dulcis amice, domum.' Sic veterrimus codex Vossianus: vulgo, *Dum fugitas*. Heins. *Fervet*] Movetur, æstuat. *Raucis*] Murmurantibus.

27 *His ego*] Jurat Leander, se non dormivisse his septem noctibus. *Si vidi somnum*] Ter. Heaut. III. 1. 'Somnum hercle ego hac nocte oculis non vidi meis.'

28 *Insani sit mora longa freti*] Id est, Precor diu duret tempestas maris, quod minime velim.

31 *Lumina vigilantia*] Incensam facem intelligit, quam in summa turri Hero tenebat, ut ad illam Leander natatum dirigeret. *Ant.* *Lumina*] Κρυφίων ἐπιμάρτυρα λύχνον ἐρώτων. Lege elegantissimum Musæi hac de re carmen: unde hæc pleraque desumta sunt.

32 *Aut videre putat*] Simile quid Æneid. VI. 'qualem primo qui surgere mense Aut videt, aut vidisse putat per nubila lunam.' 'Fulgor dubius.' Sen. Herc. Furente; qualem vocant κατουλάδα. Hoc tamen proprie videtur spectare ad lucem malignam, qua de re alibi.

35 *Inceptis juvenilibus*] Quæ maturioris ætatis non tentassent. Sunt enim juvenes audaciores, quoniam minoris prudentiæ. *Ant.* *Inceptis juvenilibus*] Sic de Phaëthonte dixit Metam. II. 151. 'Occupat ille levem juvenili corpore currum Sed...solita gravitate carebat.' Quod referimus ad imprudentiam juvenilem. 'Ætas prima parum rebus matura gerendis: Consulit in longum provida cura senum.' Hinc Pind. Pyth. 2. Βουλαὶ Δὲ πρεσβύτεραι, ἀκίνδυνον ἐμοὶ Ἔπος παρέχοντι. Et Homer. Odyss. B. 16. de Ægyptio. ὃς καὶ μυρία ᾔδη. Et Iliad. Γ. 108. Αἰεὶ δ' ὁπλοτέρων ἀνδρῶν φρένες ἠερέθονται. Οἷς δ' ὁ γέρων μετέῃσιν, ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω Λεύσσει, ὅπως ὄχ' ἄριστα μετ' ἀμφοτέροισι γενήται.

38 *Certa mente*] Id est, animo deliberato.

39 *Non æquora sævis*] Vetus lectio deleta penitus in Puteaneo. Opinor *nec in æquora* fuisse; quomodo quinque scripti. *Heins.*

41 *Tam gelidus cum sis*] *Quod sis* Puteaneus, et *num* pro *non*, ut per interrogationem hæc dicantur. *Idem.*

43 *Gaudia rapturo*] *Laturo* Gronovianus: qualiter Met. IX. 'Pro Venus, et tenera volucer cum matre Cupido, Gaudia quanta tuli!' Amor. l. II. El. 3. ex veteri libro. 'Mutua nec Veneris gaudia ferre potes:' El. 9. 'Sperando certe gaudia magna feram;' Rem. Am. 'Protinus ex facili gaudia ferre licet:' et mox, 'Illam Plisthenio gaudia ferre thoro:' quibus locis *gaudia* pro re Venerea sumuntur: quomodo passim apud nostrum aliosque. Epistola Paridis, 'Te mihi, meque tibi communia gaudia jungant.' Et lib. I. Art. Amat. 'cum quo sua gaudia jungat, Invenit in media fœmina piscis aqua.' Rutilius tamen Itinerario, vulgatam tuetur, de Jove, 'Qualis Agenorei rapturus gaudia furti Per freta virgineum sollicitavit onus.' Deinde pro *claudere aërios adi-*

Digitized by Google

tus, veteres editiones *rumpere*: sic Art. Am. l. I. 'Non medium rupisset iter:' et l. II. 'Qua licet, iuventis aëra rumpe meis.' *Idem*.

45 *Move moderantius auram*] *Moderantius* Latinum vix est: quare emenda cum Puteaneo et sex aliis, *moderatius*. Met. I. 'moderatius ore Curre, fugamque inhibe: moderatius insequar ipse:' ubi pari modo peccabatur. *Idem*.

48 *Coërcet*] Mulcet, placat. *Quatit*] Commovet. *Hub*.

49 *Dædalus*] Qui, fabricatis sibi et Icaro filio alis, Minois iram effugit. *Ant*.

50 *Icarium quamvis, &c.*] Quasi dicat, Quod potest me admonere, periculosum esse credere se aëri, et volare. *Hub*. *Hic prope littus adest*] *Hinc* quatuor libri. Forte *huic*. Heins.

52 *Dubia pependit aqua*] Difficulter fluctuavit, jactatum undis majoribus. Æneid. I. 'Hi summo in fluctu pendent.' Qui itidem laborabant. Et 150. infra. Vel hæsit obnitentibus fluctibus, et retentum est: uti navis iniquum acta in locum: Æneid. V. 'saxis in procurrentibus hæsit... illisaque prora pependit.' Cui contrarium, 'fidere terræ.' Æneid. VII. et suo niti pondere. Quid autem sit, 'Dumosa pendere procul de rupe' Virgil. Eclog. I. (ubi Servius, 'quia cum pascuntur, pendent,' quod rem non satis expedit,) facile est intelligere ex illo Mart. XIII. 99. 'Pendentem summa capream de rupe videbis, Casuram speres.'

53 *Dum cuncta negant*] *Vota* negant Vossianus. *Heins*. *Cuncta*] Et volatum et natatum. *Ant*.

54 *Furti*] Rapti amplexus, et occulti. Quod *furtum Veneris* vocat. Epist. Helen. 141. κρυπτόμενον λέχος. Eurip. Ion. v. 1470. et in Troad. 252. λέκτρων σκότια νυμφευτήρια· unde σκότιος Homer. Il. Z. 24. dicitur spurius; ὁ ἐξ ἀδᾳδουχήτων γάμων. Vide Epist. Canac. 38.

55 *Nox incipiens*] Vespera: sic et de anni temp. Sallust. Nova æstas, adulta, præceps. Et Virg. III. Prima æstas, pro vere: sic, Nox præceps, vel præcipitans; cum inclinat ad diluculum.

58 *Brachia lenta*] Lentata, reducta, more remorum. Æneid. III. 'Trinacria lentandus in unda.' Et Senec. Agam. III. 438. 'Properat juventus omnis adductos simul Lentare remos.' Et Catull. Argon. 'lentos incurvant gurgite remos.' Quod ex Argon. Apollon. II. 593. ἐπεγνάμπτοντο δὲ κώπαι Ἤϋτε καμπύλα τόξα, βιαζομένων ἡρώων. Sic et Stat. ad arcum hoc retulit. Thebaid. I. 18. a fin. 'longeque feros lentandus in hostes Arcus.' Et deinde, 'Alii Gortynia lentam Cornua.'

59 *Luna mihi tremulum lumen præbebat eunti*] *Luna fere* Puteaneus et alii multi; quomodo sæpe Ovidius. Infra Epistola Herus, 'Annuit illa fere.' Amor. lib. I. El. 5. 'Quale fere sylvæ lumen habere solent.' Rem. Am. 'Temporis ars medicina fere est: data tempore prosunt, Et data non apto tempore vina nocent.' Ita vetustissimus liber. Vulgati, *Temporibus medicina valet*. Elegia de Nuce. 'Si reus ille fere est, de quo victoria lucro Esse potest.' Utitur et Fastorum l. III. bis: et in Tristibus sæpe. Met. III. 'Arcas adest ter quinque fere natalibus actis:' ita et illic ex antiquis membranis scribendum; ubi plura: *præbebat lumen* etiam scripti. *Heins*. *Tremulum*] Propter motum aquæ.

61 *Faveas, o candida, dixi*] *Dea candida* meliores libri cum primis editionibus. *Heins*.

62 *Latmia saxa*] Recordare, o Luna, Latmii montis, ubi cum Endymione concubuisse diceris. *Hub*.

63 *Non sinit Endymion*] *Sinat* prima editio, et duo scripti; bene: et mox *non cadat* unus Patav. *Heins*.

64 *Vultus tuos*] Lumina eunti mi-

Digitized by Google

nistres. *Aut.*

67 *Nec referam*] Ut taceam mores, quos hæc mea puella habet divinos: talis pulchritudo non posset ei contingere, nisi esset Dea.

70 *Ipsa vide*] *Vides* rectius octo codices. *Heins.*

71 *Quantum cum radiis fulges argentea puris*] Præstantiores *fuges radiis.* Præterea *Quanto* scribendum, quod τὸ *Tanto* sequens requirit; atque ita Junianus liber cum Scriveriano altero. Est autem ea vox sæpius corrupta apud nostrum. Art. Am. II. 'Forma bonum fragile est, quantoque accedit ad annos, Fit minor:' ita unus Vaticanus. Remedio Amoris, 'Sed quanto minus ire voles, magis ire memento:' ubi *quando* perperam legebatur. Met. VII. 'nec non et cætera tanto Sylva sub hac omnis, quanto fuit herba sub omni.' Lib. XIII. quanto dux milite major, Tanto ego te supero.' Sic et illis locis optimæ membranæ. 'Argenteam' autem lunam et Sappho vocavit. Julianus Epistola XIX. Χαιρὲ ἡ καλὴ τὴν σελήνην ἀργυρέαν φησί. *Idem. Radiis puris*] Cum non tenetur in nimbo. Nec lux sit maligna. Quæ Homero κακὴ σκοτομήνιος. Odyss. Η. 457. Et Græci τὸ καθαρὸν, pro claro. Theocr. Idyll. XXIV. 39. καθαρὰς ὅτερ ἠριγενείης.

72 *Concedunt flammis tuis*] Vincuntur tuo splendore.

74 *Cynthia*] O Luna: nam et Diana eadem est quæ Cynthia dicitur, a Cyntho monte Deli. *Hub.*

76 *Mihi cedentes*] Dantes locum corpori meo.

77 *Repercussæ*] Rejectæ, ictæ. Virgil. VIII. 22. 'Sicut aquæ tremulum labris ubi lumen aënis Sole repercussum, aut radiantis imagine lunæ.' Quo respexit Ovid. in Met. IV. 348. 'Non aliter, quam cum puro nitidissimus orbe Opposita speculi referitur imagine Phæbus.' His addamus pulcrum illud Plutarchi, de genio Socrat. Τὸ δὲ φθορᾶς λειφθὲν, οἱ πολλοὶ νοῦν καλοῦντες, ἐντὸς εἶναι νομίζουσιν αὐτῶν, ὅσπερ ἐν τοῖς ἐσόπτροις τὰ φαινόμενα κατ' ἀντάγειαν. Unde vides qua ratione Virgil. usus sit ista similitudine de labris. Vide Epist. seq. 173. quo etiam hoc referendum.

79 *Nullaque vox usquam nostras veniebat ad aures*] *Nullaque vox usquam; nullum veniebat ad aures* Puteaneus et multi alii. At Regius unus etiam non male, *Nullaque vox nostras, nullum veniebat ad aures.* Heins. *Nulla vox*] Silentium noctis. Qua de re vide Metam. VII. 184. et seqq.

81 *Alcyones solæ*] Id est, Solummodo audiebam Alcyones volucres, quæ videbantur dulci voce querelam effundere: quæ tranquillitatem promittunt, maxime cum nidificant. *Memores Cæycis amati*] Tangit fabulam, quam Ovid. l. II. Metam. describit.

85 *Lumen*] Quod in turri eminebat.

86 *Meum lumen*] Meos amores, vitam et lucem.

88 *Mollior*] Ad natandum facilior.

90 *Qui calet*] *Qua* Puteaneus; et a manu secunda *Quo.* Barberinianus, *Quod.* Heins.

92 *Minus restat*] Scil. viæ, ad perveniendum ad littus. *Plus libet*] Plus animi est mihi.

93 *Cerni*] Videri a te.

95 *Tunc etiam*] *Nunc etiam* Puteaneus. *Heins.*

96 *Jacto*] Cum arte et ostentatione moveo et ostento.

97 *Descendere in altum*] Ut currat mihi obviam.

102 *Oscula Dis magnis trans mare digna peti*] Scribe cum Puteaneo et Sarraviano, *Di magni.* Amor. l. II. El. ult. 'Oscula (Di magni!) qualia quotque dabat!' Fast. VI. 'Quam bene, Di magni, pugna cecidisset in illa!' Catullus, 'Di magni, horribilem et sacrum libellum!' Et 'Di magni, salicippium disertum;' quam veram esse istius loci lectionem ex Senecæ Suasoriis patet, quicquid alii dissentiant. Similiter 'Di boni' et 'Di immorta-

Digitized by Google

les' apud Comicos et oratores: etiam *Di* simpliciter. Petronius, 'Qualis nox fuit illa, Di Deæque!' Noster Met. XII. 'Ille quidem majora fide (Di!) gessit, et orbem Implevit meritis:' quomodo ibi scribendum. Tum Fast. v. ex conjectura, 'Noluit id frater: pietas, Di, qualis in illo est!' *Heins.*

103 *Deque tuis demtos*] *Eque tuis* scripti. *Idem.*

111 *Tithoni conjuge*] Id est, Aurora uxore Tithoni.

114 *Parvas noctibus esse moras*] Noctes esse breves.

115 *Atque ita contactus monitu nutricis amaro*] *Cunctatus* scripti plerique: *cunctatus monitum* Puteaneus; quidam *amaræ*. Scribo, *cunctatus monitus nutricis amaros:* vel, *monitum nutricis amaræ*. Videantur, quæ de hoc loquendi modo ad Claudianum notavi l. II. de Consulatu Stilichonis 284. Vulgatam tamen scripturam hoc loco defendi posse non negarim. *Heins.*

117 *Virginis æquor*] Ab Helle puella, quæ in mare delapsa ei nomen dedit.

121 *Hoc quoque si credis*] *Si credas* duo. Forte, *Hinc quoque, (vix credas,) ad te via prona videtur.* Heins. *Prona*] Facilis natatu. *Prona*] Minime laboriosa, declivis. Virg. v. 'ventisque vocatis Prona petit maria:' ubi vide Servium; qui tamen non satisfacit.

122 *Clivus inertis aquæ*] Obstantis et inviæ, instar clivi. Quod Virgilius explicat Æn. I. 'Insequitur cumulo præruptus aquæ mons.' Quod Homericum est: ibi de undis majoribus: hic affectum denotat amatoris. *Inertis*] Immobilis.

123 *Invitus patriam repeto: quis credere posset*] *Repeto patriam* et *possit* ex scriptis. *Heins. Quis credere possit*] Naturaliter enim omnes libenter redimus in patriam.

124 *Nunc*] Cum ad te natare non possum. *Hubert.*

129 *Cur confundor*] Cur perturbor, et moveor animo? *Quoties confunditur æquor*] Quoties mare perturbatur: quod non fieret, si essemus in eadem terra.

135 *Quod mihi non esset, nisi sic, iterare querebar*] *Itera* vetus liber Puteaneus, reliquis ejus verbi literis deletis, et recentiori manu superscriptum *re; iter ante* prius fuisse suspicor; quomodo codex Moreti; idque verum esse existimo: quatnor *intrare:* alter Moreti *iterata: iter a te* Patavinus: Regius *ita rare. Quid* (vel *Qui*) *nisi sic ita rare mihi non esse querebar.* Posset et legi, *iter ire:* ut Remed. Amoris, 'Quære novem cur una vices iter irit, et audi:' si sana illa scriptura. Vide Notas ad Ep. VII. 40. *Heins. Quod mihi non esset, &c.*] Ego ante querebar, quod non possem ad te venire. *Hub.*

137 *Athamantidos æquora*] Athamantis filia fuit Helles quæ Hellesponto nomen dedit. *Canent*] Procellis assiduis spuma operiuntur. *Ant.*

141 *Est satis amissa*] Scripti, *Et satis amissa locus hic infamis ab Helle est.* Heins.

142 *Mihi parcat*] Me non submergat. *Crimine habet*] Habet infamiam; et ex culpa sortitum est nomen. *Nomen*] Quia appellatur Hellespontus. *Nomine crimen habet*] *Crimine nomen* quinque scripti cum prima editione, quod magis arridet. *Heins.*

145 *Nec tamen officium pecoris navisve requiro*] Non tamen quæro vel arietem, ut habuit Phryxus: vel navem aliquam.

146 *Dummodo dentur aquæ*] Possim natare.

147 *Arte egeo nulla*] *Pax sit nulla maris* quatuor libri: totidem, *Parte querar nulla:* nonnulli *queror:* duo *Parte moror nulla:* prima editio *Arce queror nulla:* septem *Parte egeo nulla.* Forte, *Pace egeo nulla.* Noster alibi, 'Si pacem nullam pontus mihi præstet eunti, Irrita Neptuno cur ego

Digitized by Google

dona feram?' Infra, 'Pace brevi nobis opus est, dum transferor illuc.' Epistola Herus, 'Spes tamen est fractis vicinæ pacis in undis.' *Heins.* *Arte egeo nulla*] Sc. nautica, ad notanda sidera, Helicen, Arcton, &c. ad tua enim lumina meum natatum dirigo. Sic infra, vs. 155. 'Est aliud lumen multo mihi certius istis.' Modo copia detur maris, et pax sit, vs. 205. Servat enim suos amores, vs. 167.

149 *Nec sequar*] *Sequor* Puteaneus cum multis aliis: idem *Tyros* pro *Tyrus: et Andromedan* mox; ut et tres alii; quomodo variis apud nostrum locis optimi codices: nam *Andromeden* vix dicebant. Sic Art. Am. l. I. 'Andromedan Perseus nigris portarit ab Indis.' Met. IV. 'Protinus Andromedan et tanti præmia facti Indotata capit.' Sic et apud Horatium Od. III. 29. prisca exemplaria: plura alibi hanc in rem. *Heins.* *Nec sequar*] Dicit se tantum spectaturum lumen sui amoris. *Helicen*] Ursam Majorem dicit, quam fabulæ ferunt, ex Callistone a Jove compressa, postquam Arcada filium peperit, factam: nam ex puella formosissima a Junone in ursam est conversa. Ad harum observationem nautæ navigare solent. Sed Græci observant Helicen; Phœnices vero Cynosuram, quam dicimus Minorem Ursam: de quibus ipse Ovidius in Trist. *Hub.* *Tyrus*] Phœnix nauta. *Arcton*] Minorem Ursam, quam Cynosuram appellant. *Ant.* 'Magna minorque feræ, quarum regis altera Graias: Altera Sidonias, utraque sicca, rates.'

151 *Andromedan*] Hanc Cephei filiam fuisse tradunt, et in cœlum relatam Persei gratia, quam secuta est. *Albus*] Ad Ægyptios respicit, qui navigantes Andromedan observant. *Claramve coronam*] Ariadne coronam in cœlum translatam diximus: quam Cretenses velut sidus peculiare sequuntur.

152 *Parrhasis Ursa*] Majorem Ursam, quæ fuit Arcadia, intelligit, Callisto nominatam, Lycaonis filiam. *Gelido polo*] Septentrionem intelligit, in quo hæc fulgent sidera circa axem.

153 *At mihi quod Perseus*] *Quam* quatuor scripti. Lege *quas.* Heins. *Perseus*] Andromedan significat, quam amasse Perseum, et a ceto liberasse, scribit Tragicus. *Cum Jove*] Ea est Callisto, quam amavit Jupiter. *Liber*] Bacchus in cœlum retulit cum corona Ariadnen.

154 *Indicium non placet*] More aliorum nautarum hæc sidera in cursu non servo. *Ant.*

156 *Non erit in tenebris*] *Non erat in tenebris* Puteaneus. Forte, *Non est in tenebris: Non erat tenebris* alter Moreti. *Heins.* *Quo duce*] Quo regente me.

157 *Colchos atque ultima Ponti*] *Et in ultima Ponti* Puteaneus: *et ad ultima* quinque alii. *Heins.*

158 *Thessala puppis*] Puteaneus et alii meliores magno numero, *Thessala pinus:* bene. Statius Theb. III. 'prima cum pube virentem Semideos inter pinus me Thessala reges Duceret.' Idem Achilleide, 'Olim equidem Argolicos pinus cum Thessala reges, Huc veheret, juvenem Alciden et Thesea vidi.' Eidem quoque Theb. V. 'Pelias pinus' dicitur. Seneca Medea, 'Bene dissepti fœdera mundi Traxit in unum Thessala pinus.' Noster Epistola VI. 'Quid mihi cum Minyis? quid cum Tritonide pinu?' 'Vertice Peliaco prognata pinus' Catullo. Alii tamen Argo fagineam faciunt. *Idem.* *Thessala pinus*] Navis Jasonis. *Fecit iter*] Per Scyllam et Charybdim, per Symplegadas, &c.

160 *Miraque quem subito reddidit herba Deum*] Lego *subitum Deum:* sic 'subitum frigus' l. I. Fast. 'subita fuga' l. II. 'subiti foci' l. VI. 'Traditur hæc subitis cocta dedisse focis.' Ep. Briseidis, 'Ossa subito male tecta sepulcro.' 'Subitus libellus' in Ibide: 'subito sunt scripta libello.'

Digitized by Google

Fast. IV. 'Nullaque sunt subito signa relicta viro:' sic scribo; vulgo, *viri*. Met. XIV. 'Si volucrum quæ sit subitarum forma requiris.' Ita illic etiam veteres membranæ. Trist. II. 'Fecit amor subitas volucres cum conjuge regem.' In mortem Drusi, 'Œnidem subitæ concinuistis aves.' In Ibide, 'Quam cui sunt subitæ frater et uxor aves.' Fast. III. 'Ecce libet subitos pisces Tyrrhenaque monstra Dicere.' Lib. III. Art. Am. 'Quasque fuisse tibi canas a virgine jures, Spargentur subitæ per caput omne comæ;' sic et ibi scribendum: pluribus in re levi haud est opus. *Heins. Mira quem reddidit herba Deum*] Glaucum significat, qui cum piscator esset apud Anthedonem Euboicam, et pisces in littore positos gustata quadam herba in mare resiliisse vidisset, et ipse ejus herbæ vim experiri decrevit: qua gustata, statim in mare se præcipitavit, et Deus factus est. Vide Metam. VII. Dicit igitur Leander, dummodo spectet amicam suam, se posse superare nando Palæmona et Glaucum Deos maris.

161 *Languent mea brachia motus*] *Languent mihi* bene liber Leidensis. *Heins.*

166 *Ut celer*] Sicut equus in Olympiaco certamine celeriter ex carceribus exit. *Eleo carcere*] Elis et Pisa, urbes Arcadiæ, ubi hæc certamina celebrabantur. *Hub. Carcere*] Pro carceribus. Virg. V. 'ruuntque effusi carcere currus.'

167 *Servo*] Tanquam sidera. *Servo*] Observo. Etiam pro custodio, obtineo. Æneid. II. 'Obsedere fores, has servant agmine denso.' Cæs. Bel. Gal. V. 'Cassivellaunus itinera nostra servabat.' Vide et Amor. I. Eleg. 13. 11. Sic et, 'servare flumina.' Virgil. VI. Quod et Græcis familiare. θυλάττειν πέλαγος. Lucian. in fab. πανόπ. καὶ Γαλήν.

169 *Sed adhuc tellure morare*] *Moraris* Puteaneus et alii multi: tres *moreris*: unus *moruri*. Heins.

170 *Hinc mihi qua sit iter*] *Et mihi* Puteaneus cum tribus aliis, bene. Lego, *Aut duc, ad superos et mihi qua sit iter*. Idem.

171 *Hic es et exiguum misero contingis amanti*] *Hic est exigue* Puteaneus, pro *Hic es et exigue*: sed *exiguum* rectius; *exiguo* sex libri; alii codices aliter: sed nihil in iis, quod ad bonitatem lectionis vulgatæ accedat. *Idem. Contingis mihi amanti*] Raro possum tecum esse. *Hub. Hic es, et exiguum misero*] Non es in cœlis, aut tam longe remota, et tamen exiguum contingis. *Micyl.*

172 *Cumque mea fiunt turbida mente freta*] Ipse turbor, cum turbatur mare.

174 *Non minus hæc*] *Num* Puteaneus. Vide Notas Epist. XI. 19. unus Mediceus et fragmentum Farnesianum *Non minus hoc*. Lego, *Num minus hoc*, et pro *Num*, sequenti versu, *An* malim cum magna scriptorum parte. *Heins.*

176 *Spem quoque habere meam*] *Domina mea* octo codices. *Idem. Habere spem meam longe cum domina*] Quia patientius ferrem, si non possem ad eam venire.

180 *Hoc*] Ita esse propinquos, et non posse simul esse.

181 *Velle quid est aliud*] Comparat se Tantalo, qui in mediis aquis apud inferos semper sitit. *Quid est aliud*] Mihi idem accidit, qui propinquus amicæ meæ sum, et ea tamen careo.

184 *Nulla hyems*] Nulla tempestas. *Me felicem videbit*] Sinet me cum amica mea esse.

187 *Cum læserit*] Perturbaverit, et commoverit. *Hub.*

188 *Pleias*] Pleiades septem sunt, quæ ortu et occasu pluvias et tempestates faciunt. *Oleniumque pecus*] Capram Amalthæam et hœdos intelligit, quos auriga humeris gestat. *Ant. Arctophylax*] Stella est, quæ et Bootes dicitur, id est, bubulcus: quæ et tem-

Digitized by Google

pestuosa est. Latine potest dici custos ursæ: quod Virg. ostendit l. 1. Georg. 'Præterea tam sunt Arcturi sidera nobis Hædorumque dies servandi, &c.' Dicit igitur Leander: Si nunc ita turbatur mare, quid erit cum accesserint etiam sidera quæ natura sua inducunt tempestates? *Hub.*

189 *Aut ego non novi, quam sim temerarius*] *Quam sit* cum Scriveriano et uno Farnesii legendum: de Amore sermo est. Amor. l. 1. El. 2. ad Cupidinem, 'Tum quoque non paucos, si te bene novimus, ures.' Sequenti etiam versu *non cautum* tres libri: bene. *Heins.*

190 *Tunc*] Cum supradicta sidera commovebunt mare. *Hub.*

191 *Promittere tempus*] Non putes, me tranquillum tempus expectaturum. *Ant.*

192 *Pignora*] Certa signa.

193 *Sit tumidum paucis, &c.*] Id est, Etiamsi aliquot noctes duret hæc tempestas, ego experiar tamen venire invitis aquis. *Hub.*

196 *Aut mihi continget*] *Contigerit* alter Moreti. *Heins.*

197 *Optabo tamen ut partes*] *Et tamen optabo ut partes*, unus Patavinus; recte, si τὸ *ut* tollatur. Tres alii, *Optabo tantum partes expellar in illas.* Idem. *Expellar*] A fluctibus projiciar. *Illas*] Ubi tu eris. *Hub.*

198 *Naufraga membra*] Me naufragum et submersum.

200 *Mortis causa*] Quia propter amorem meum ausus es tam turbidum mare ingredi.

203 *Desine parte queri*] Prima editio et tres scripti, *Desine, parce queri:* Puteaneus *desine parte.* Scribe *Desino. parce queri;* quod et nobilissimo Dousæ in mentem venerat. Deinde, *sed et ut mare finiat* cum eodem Puteaneo et decem aliis repone. *Heins.*

205 *Pace brevi*] Exigui temporis tranquillitate. *Dum transferor istuc*] *Isthac* tres; totidem *illuc.* Sed *isto* Puteaneus; bene: sic Trist. lib. v. El. 1. 'Cur scribam docui: cur mittam, quæritis, isto.' Ita scribendum; vulgati *istos*, nempe versus Met. VII. 'Collis apex medii subjectis imminet arvis, Tollor eo; capioque novi spectacula cursus.' Ita vetustissimi libri; vulgati *Tollor in hunc.* Heins.

206 *Perstet*] Invalescat tempestas. *Ant. Perstet*] Perflet. Æneid. I. 'et terras turbine perflant.'

207 *Illic est aptum*] *Istic* Puteaneus, ut et alii multi: quomodo iidem mox denuo. *Heins.*

210 *Cautus*] Quia non discedam a te, ut committam me periculis.

211 *Nec faciam convitia fluctibus*] Id est, Non incusabo fluctus.

212 *Triste*] Asperum, adversum. *Natature*] Mihi.

213 *Me pariter venti teneant, tenerique lacerti*] Quatuor libri, *pariterque lacerti.* Forte, *teneantque lacerti.* Vide Notas Epistola VI. 29. *Heins.*

214 *Per causas duas*] Per ventos et lacertos tuos.

215 *Remis corporis*] Id est, brachiis loco remorum.

216 *In aspectu*] In turri, ut possit a me aspici.

218 *Persequar ipse mora*] *Prosequar* Puteaneus et alii ex melioribus. *Heins.*

Digitized by Google

EPIST. XIX. HERO LEANDRO.

1 *Quam mihi misisti, &c.*] Priori epistolæ simile est principium; utraque enim, salute missa, expositoque desiderio amantis, favorem conciliat. Desiderium a temporis momento. Mora, quamvis exigua, longa mihi videtur. *Ant.*

3 *Mora omnis*] Etiam brevissima. Horatius: 'Ut nox longa quibus mentitur amica.'

4 *Fassæ*] Itidem Metam XI. 264. 'Confessamque amplectitur heros.' Et ibid. IX. 637. 'Jamque palam est demens, inconcessamque fatetur Spem Veneris.' Et deinde, 'En ego confiteor, tua sum.'

5 *Viribus*] Robore animi, ad resistendum amori. *Hub.*

7 *Ut corpus*] Ratio physica. Dicit enim, ex imbecillitate corporis imbecillitatem quoque animi argui. *Sic mens infirma*] *Ita mens* Puteaneus, et ex melioribus alii nonnulli. Sequenti versu *Deficiar* puto legendum pro *Deficiam*. vide Notas ad Epist. v. 150. *Heins.*

9 *Geniale*] Amœnum, plenum voluptatis. Nam Genius Deus est naturæ: cui voluptati operam dantes, indulgere dicuntur. Virgilius: 'Invitat genialis hyems.' *Hub.*

11 *Dona*] Palmæ. *Unctæ palæstræ*] Qui certabant palæstra, oleo perfundebantur. *Ant.*

12 *Colla fugacis equi*] *Sequacis equi* Puteaneus et alii non pauci: dictum ad Epist. IV. 46.

15 *His mihi submotis*] *Submotæ* Put. et Arg. recte. *Idem. His summotæ*] Cum hæc studia mihi non sint. *Ant.*

17 *Mea sola voluptas*] Prima editio et tres scripti, *mi sola*, ἀρχαϊκῶς: pro mea: aut pro mihi, ut sit Græcismus. Sic apud Tragicos, ὦ τέκνον μοι, ὦ γόνοι μοι, et similia. Tibullus lib. I. El. 6. 'Vive diu, mi dulcis anus: proprios ego tecum, Sit modo fas, annos conteruisse velim:' sic scribe; inepte vulgo *contribuisse*. Idem lib. I. El. 4. 'Aut operi insuetas atteruisse manus.' *Heins.*

18 *Plus quoque quam credi*] *Quam reddi* Puteaneus et Basileensis; venuste: sic lib. I. Artis Amatoriæ, 'Ut puto non poteris ipsa referre vicem:' hoc est, non poteris paria facere amando. Amor. lib. I. El. 6. 'Redde vicem meritis.' *Idem.*

19 *Sussurro*] Clam demisseque loquor.

22 *Corripio verbis æquora pene tuis*] Male alii *sæpe meis*. Respicit enim ad expostulationem Leandri, quam supra vidimus. *Heins. Corripio*] Incuso ac detestor. *Pene tuis*] Iisdem quibus tu quoque corripis.

26 *Conscia siccat anus*] Lovaniensis *Cretica*; cum Glossa, 'id est, de Creta.' Sed legendum puto *Trecia*: sic lib. II. Art. Amat. pro *Mars Threcen occupat*, male *Creten* scribebatur ante. Amor. lib. I. El. 14. 'Trecia Bacche:' quomodo optimus codex; vulgati *Tracia*: et lib. IV. Trist. El. 1. 'Threia tela' ex fide codicum scriptorum. Metam. VI. ex vestigiis veterum librorum. 'Non secus exarsit conspecta virgine Threcus.' Sic infra hac Epistola v. 99 'et impar Dicar Abydeno Thressa puella thoro:' ut et illic esse scribendum mox videbimus. 'Threcis Boreæ' in Diris Catonis veterrimus codex Petavianus. A Thracia aut Thrace, Thrax, et Thracus, et Threcus, et Thracius, et Threcius, et addito i, Threicius: vide Ste-

Digitized by Google

phanum, qui valde truncatus est, in Θρόνῳ. 'Conscia nutrix' Remed. Am. 637. *Heins.*

28 *Notas*] Signa, vestigia pedum. *Hub.*

29 *Utque rogem de te et scribam tibi*] Versus paulo durior. Libri sex τὸ *et* non agnoscunt: unus Ambrosianus, *ut scribam*. Puto legendum hoc modo totum distichon, *Utque rogem de te quæramque, huc si quis Abydo Venerit: aut scribam, si quis Abydon eat*. Deinde sequens distichon huic est præponendum. Epistola Penelopes similia habes: 'Quisquis ad hæc vertit peregrinam littora puppim, Ille mihi de te multa rogatus abit. Quamque tibi reddat, si te modo viderit usquam, Traditur huic digitis charta notata meis.' *Heins.*

31 *Quoties do vestibus oscula*] *De vestibus* Putean. Lege *dem*; atque ita sex scripti. Sic apud Val. Flaccum simili errore legitur 'Desinite amplexus,' cum reponendum sit, *Dem sinite*: lib. IV. 634. Fast. IV. 'Voxque fuit, Merui: meritas do sanguine pœnas:' veteres libri nonnulli *de sanguine*. Quod est *dem*. Idem.

32 *Hellespontiaca ponis iturus aqua*] *Hellespontiacam aquam* Farnesianus unus et Oxoniensis: vide Notas Epist. VII. 140. *Idem.*

33 *Sic ubi lux acta est*] *Facta est* Puteaneus et novem alii: nil muto. Iidem mox *pulso die*. Idem.

35 *In summa turre*] *In summo tecto* Puteaneus et Moreti codex. *Idem.*

37 *Torta stamina*] Fila, quæ nendo torquentur. *Hub.*

41 *Jamne putas*] *Putes* complures scripti: ut et tribus abhinc versibus, 'Pallade jam pingui tingere membra putes?' ubi vel contra codicum fidem *fingere* reponendum contendo. Sic in Catalectis Pithœi Avienus Epigrammate, 'Tunc oleo corpus fingo, mollique palæstra.' Plura de hoc verbo Epist. XX. 134. dicentur. *Heins. Jamne putes*] Verba Herus ad nutricem.

42 *Timet suos*] Ne videant eum exeuntem domo.

43 *Deponere vestes*] Exuere se, ut natet. *Hub.*

44 *Pallade*] Olivo, cujus tutelam habet Pallas. Natatores oleo imbuuntur, ne aquarum frigiditate læsi nervi rigescant.

46 *Movet anile caput*] Facit eam annuere. Dormientes enim, aut jam proni in somnum, ita solent movere caput, ut videantur annuere loquentibus. *Hub.*

49 *Pancaque cum tacta perfeci stamina terra*] Quid *tacta terra* hic sibi velit non satis assequor. Jureti Excerpta, unus Ambrosianus, et Gottorphianus *tela*; egregie. Sed et *tracta* pro *tacta* videtur reponendum. 'Trahere telam,' ut 'trahere lanam' et 'trahere pensa.' Sic 'facere telam' pro 'lanam facere,' unde 'lanificium.' Met. VI. 'tibi fama petatur Inter mortales faciendæ maxima telæ:' ita scribunt meliores libri; non *lanæ*, quod est in vulgatis. *Heins.*

51 *Prospicimus*] E specula.

53 *Auribus interdum voces*] *Incertas voces* Puteanus: ut Deianira, 'Aucupor infelix incertæ murmura famæ.' *Heins.*

57 *Invitus*] Quia, licet non venire decreveris, somnia te mihi reduxerunt. *Ant.*

58 *Et quamvis*] *Quanquam* idem cum aliis octo. *Heins.*

61 *Velamina*] Vestes, quibus tua foveas membra. *Ant.*

62 *Pectora nunc juncto nostra fovere sinu*] *Vestra* malim cum Scriveriano et Juniano. *Heins.*

63 *Lingua reticenda modesta*] *Modeste* Puteaneus et Mentelianus: *linguæ modestæ* duo alii; quod verum est. *Idem.*

65 *Me miseram*] Distichon hoc suspectum est. *Idem. Hæc*] Quæ somno percipitur.

70 *Lente natator*] *Morator* vel *natator* Puteaneus. Moreti codex *via-*

Digitized by Google

ter. Toties abes] Ut apud Propertium, 'Cum toties abeis, si potes esse meus.' *Heins.*

72 *Lenior aura*] *Mollior* duo libri. Ad Epist. III. 42. et Fast. II. 148. Mox *præteriit* quatuor scripti. *Idem.*

73 *Cur præterita est*] Quare non ea usus es nocte, in qua fuit aura lenior? *Hub. Cur non ventura timebas*] Ventos et tempestatem graviorem. Videtur alludere ad illud Virgil. 'Venturi prælia venti.' Et noster Metam. XI. 477. 'totaque malo Carbasa deducit, venientesque excipit auras.' Et Amor. II. 41. 'Ipsa roges, Zephyri veniant in lintea soli.'

74 *Nec tibi capta via est*] *Rapta* Puteaneus et decem alii cum prima editione. Optime Seneca Agamemnone, 'Rapienda rebus in malis præceps via est.' Statius Theb. I. 'Arripit extemplo Maleæ de valle resurgens Notum iter ad Thebas.' Val. Flaccus lib. II. 'Ad Scythici Tirynthius ostia ponti Raptat iter.' Sic 'rapere horam' Horatio Od. III. 9. ex veteri codice: et 'rapere occasionem' eidem Epod. XIII. et 'limis oculis aliquid rapere,' pro raptim legere, Sat. II. 5. et 'rapere Venerem' Sat. I. 2. sic 'rapere consilia,' pro festinanter capere, Capitolino in Maximo et Balbide: sic quoque 'rapere vestes,' pro festinanter parare, eidem Val. Flacco lib. III. 'Dat pictas auro atque ardentes murice vestes, Quas rapuit telæ festina vocantibus Austris Hypsipyle: galeam dilectaque cingula regi Injicit:' ita repono; nam Cariensis liber *telis festina;* vulgati *telis formosa:* priscæ editiones *furtiva* vel *fortuna.* Virgiliana illa æmulatus est ex Æn. IX. apud quem Euryali mater, 'non vulnera lavi, Veste tegens; tibi quam noctes festina diesque Urgebam.' 'Festina telæ,' ut 'festinus voti pater' apud Statium Theb. V. et contra 'tardus fugæ' de cervo apud ipsum Valerium hoc eodem libro. Plura de isto loquendi modo ad Met. VIII. 426. Perperam etiam 'dilectaque regni cingula' in Valerio legebatur. *Heins.*

77 *At cito*] Parumper, inquis, duravit illa lenitas auræ et maris, quæ fuit nocte præterita.

78 *Tempore*] Cum vis venire, sæpe venis breviori tempore.

79 *Deprensus*] Tempestate detentus, ne posses redire. Nam deprehendi proprie dicuntur nautæ tempestate oppressi.

81 *Ventos audirem lenta sonantes*] Puteaneus et Leidensis *lenta;* recte: vide Notas Epist. XV. 169. Amor. lib. III. El. 11. ut et illic forte scribendum, 'Jam mea votiva puppis redimita corona, Lenta tumescentes æquoris audit aquas.' *Lenta* apposite; quia desierat amare. Elegia in Mortem Drusi, (ut quidem et illic legendum,) 'Consistam, lentisque oculis lætisque videbo Strata per obscænas corpora nuda vias.' Trist. lib. II. loco itidem emendando, 'Luminibusque tuis, totus quibus utitur orbis, Scenica spectasti lentus adulteria.' Art. Amat. III. 'Has Venus, e templis multo radiantibus auro, Lenta videt lites, Appiadesque viæ:' sic optimus liber Regius. Martial. II. 'Tu spectas hyemem succincti lentus amici.' Notum illud, 'Tu, Tityre, lentus in umbra Formosam resonare doces Amaryllida sylvas.' Noster Art. lib. I. 'Tu modo Pompeia lentus spatiare sub umbra.' *Heins.*

84 *Contemptum*] A te non formidatum. *Prius*] Ante, cum ad me sæpe natares.

88 *Virtus tua metuenda mihi*] Animi plenissime magni. Θυμοπληθής. Æschyl. ad Theb. v. 644. Καρδίας πλέος. Et Iliad. Γ. 9. Ἐν θυμῷ μεμαότες. Quod ad bellatores. Et Iliad. Z. 407. Δαιμόνιε, φθίσει σε τὸ σὸν μένος, et quæ seqq. Sed Leander hanc militiam non exercebat.

90 *Ille natator*] Ille Leander, qui non timebat maris pericula.

91 *Sis tamen hoc*] Scil. timidus. *Quam quod prius*] Audax.

Digitized by Google

92 *Placidum*] Tranquillum.

93 *Dummodo sis idem*] Dummodo perseveres in amore nostro.

94 *Flamma illa*] Ille ignis tui amoris. *Non flat frigidus cinis*] Non extinguatur.

96 *Similis vento*] Inconstans. *Erret*] Vagetur, et a me ad aliam transeat.

97 *Superent causam*] Id est, Pluris facias pericula quam me, quæ sum causa periculorum.

100 *Dicar Abydeno Sesta puella viro*] *Abydeno toro* Puteanens et alii ex melioribus plures; solenni errore: sic Remed. Amor. 'Illam Pliathenio gaudia ferre viro:' et lib. I. Artis Amor. 'Scyrias Hæmonio juncta puella viro:' cum *toro* sit scribendum. Amor. lib. I. El. 9. ex scriptis codicibus, 'Quos petiere duces annos in milite forti, Hoc petit in socio bella puella toro.' Epistola Hermiones, 'Nec turpe marito est, Aspera pro caro bella talisse toro.' Quibus locis pari modo peccatur; atque ita alibi quoque. Cæterum pro *Sesta* unus Mediceus *Cressa*. Argentinus et Basileensis *Cressa:* unus Moreti *Festa:* Puteaneus *Thressa;* optime. Diximus supra. Certe Thressæ despectæ, ut ex Græcorum patet commentariis. Atque ita Themistocli objectum quod e Thressa prognatus esset; ut liquet ex Æmilio Probo. Timothei quoque ducis celeberrimi matrem Thressam fuisse et quidem meretricem notat Athenæus lib. III. ac propterea illam fuisse irrisum. Hinc et apud Valerium Flaccum libro III. Zethes et Calais 'Thracia proles' per contemptum ab Jasone vocantur: 'Nunc Parthaonides, nunc dux mihi Thracia proles: Aspera nunc pavidos contra ruit agna leones.' Pro *Dicar* excerpta Vossii *Ducar;* quod etiam arridet. De eo plura notis in Metamorphoseos. *Heins.*

106 *Fata nostra*] Nostra mora. *Sint culpa priora tua*] Utinam maciar, priusquam hoc facias.

108 *Aut sollicitata*] Id est, incitata.

109 *Securus*] 'Res est solliciti plena timoris amor.' *Hub.*

110 *Locus*] Distantia nostra auget timorem. *Aut.*

111 *Felices illas*] *Aliias* alter Lovaniensis. *Heins.*

112 *Crimina vera juvat, falsa timere vetat*] *Crimina vera jubet* scribendum; idque ex auctoritate decem librorum: neque aliter in codice suo magnus Scaliger castigarat. *Idem.*

114 *Error utrque*] Ignorantia sive falsæ sive veræ injuriæ. *Mersus pares*] Pares curas et cruciatus animo meo.

115 *Aut hic ventosus paterve*] *Aut ut*, Puteaneus cum aliis multis. *Heins.*

116 *Causaque sit tantæ femina nulla moræ*] *Certa mora* plerique veteres cum Puteaneo; bene. Remed. Am. 112. dictum: sic contra 'certa fuga;' Rem. Amor. 'Ille dedit certæ lintea plena fugæ.' *Idem.*

117 *Quod si quam sciero*] *Si resciero* Puteaneus. *Idem.*

118 *Jamdudum*] Valde. Vel jamdiu, ex quo negligis ad me natare. *Petis*] Quæris. *Mea fata*] Meam mortem. *Hub.*

119 *Istis*] His suspicionibus.

120 *Pugnat hyems*] Obstat tempestas. *Aut.*

122 *Et latet*] *Ut latet* forte legendum. *Heins.* *Latet condita nube*] Virgilius: 'Eripiunt subito nubes cœlumque diemque Teucrorum ex oculis.'

123 *Forsitan*] Dicit, hanc tempestatem forsitan motam esse a Nephele, matre Helles, quæ venerit ad mare ut fleat filiam suam.

126 *Vexat*] *Vexet* scribendum postulant superiora; nisi pro *Aut* præcedenti verum *An* legas cum Puteaneo; idque præstat. *Heins.* *Noverca*] Ino.

127 *Ut nunc est*] Phrasis Terentiana. *Locus iste*] Hic Hellespontus. *Ut nunc est*] Ita tumidus.

Digitized by Google

131 *Laudatissima forma*] Tyro, ut Homerus scribit, Salmonei filia fuit, quæ Enypeum fluvium amavit: in cujus ripis Neptunus in Enypeum versus, compressit eam, Neleumque et Peliam ex illa filios uno partu suscepit. *Ant.* *Si*] Pro siquidem.

132 *Criminis tui*] Tui amoris et concubitus. Amymone una fuit ex filiabus Danai, fratris Ægypti: quam cum pater ejus aquatum misisset, et Satyrus visam insequeretur, et illa auxilium Neptuni imploraret, Neptunus, fugato Satyro, eam compressit: ex qua genuit Nauplium, patrem Palamedis.

133 *Lucida*] Quia in stellam conversa est. *Hub.* *Circe et Alymone nata*] Iphimediam significat, Circes et Alymonis filiam, quæ Alœo nupsit, ut in Odyssea scribit Homerus: jactavitque se cum Neptuno miscuisse, et ex eo prolem inclytam Otum et Ephialtem suscepisse. *Ant.*

134 *Angue Medusæ*] Hæc autem filia fuit Phorci, ex Cetho nympha: quam fugientem insecutus, tandem in templo Palladis deprehendit, et compressit. Pallas indignata, capillo ejus, quorum pulchritudine Neptuno placuerat, in serpentes convertit. Vide Metam. VI.

135 *Laodice*] Duæ fuerunt hoc nomine dictæ: una, filia Agamemnonis et Clytæmnestræ: altera, filia Priami: quam nunc puta poëtam intelligere, quod a Neptuno amata sit. *Cæloque recepta Celæno*] Atlantis filia, Alcyones soror, una fuit ex Pleiadibus. *Cælo recepta*] Diximus has sorores in cœlum translatas sidus effecisse, quod navigationis initium ortu suo ostendere solet. Has Latini appellant Vergilias.

136 *Et quarum*] Quarum nomina memini esse lecta mihi. Nam alias amavit Neptunus, et compressit.

138 *Latus lateri conseruisse tuo*] *Composuisse* Puteaneus, et alii majori ex parte cum prima editione; et recte: quidam *supposuisse* et *continuasse*. Propertius, 'Virgineum Primo composuisse latus.' Virgilius, 'Componens manibusque manus atque oribus ora.' *Heins.*

140 *Turbine claudis iter*] *Turbide* duo scripti. *Idem.*

142 *Seducit*] In diversa. Quod vulgo perperam; pro quo Terentius, abducit, deducit. Adelph. III. 3. 'Id misero restat mihi mali, si illum potest, Qui alicujus rei est, etiam ad nequitiam abducere.' Et Cicero ad Famil. Epist. X. 23. 'Qui quidem cum in fraudem se deductum videret.' Seducere autem, seorsim ducere. Ter. Hecyr. I. 2. 'Post Pamphilus me solum seducit foras.' Et Plaut. Aulul. II. 1. vs. 14. 'Eo nunc ego secreto te huc foras seduxi.' Et Phædr. Fab. III. 10. vs. 11. 'Seductus in secretum a liberto suo.' *Seducit*] Separat. *Terras duas*] Asiam et Europam. *Hubert.*

146 *Gloriaque ista*] Quam quæris in hoc brevi mari turbando.

147 *Sed non A tibi suspecto traxit Ulysse genus*] Id est, inimico, propterea quod scelere Ulyssis periit Palamedes nepos Neptuni. *Hub.* *Sed non A tibi suspecto ducit Ulysse genus*] Ad Polyphemum referenda sunt hæc, cujus gratia Neptunus Ulyssi infensus erat. Excæcaverat enim illum Ulysses, cum exprobratione ea, ut diceret, neque patrem Neptunum auxiliaturum illi esse, aut oculum restituturum. *Micyll.* *Duxit Ulysse genus*] *Ducit* meliores. *Heins.* *Suspecto Ulysse*] Hom. Odyss. I. vs. 522. Ὃς οὐκ ὀφθαλμὸν γ' ἰήσεται οὐδ' Ἐνοσίχθων. Cui respondet Luciani Neptunus in fabulos. Θάρσει, ὦ τέκνον, ἀμυνοῦμαι γὰρ αὐτῶν, Ὃς μάθῃ, ὅτι εἰ καὶ πάρεστίν μοι ὀφθαλμῶν Ἰᾶσθαι ἀδύνατον, τὰ γοῦν τῶν πλεόντων. Τὸ σάξειν αὐτοὺς, καὶ ἀπολλύναι ἐν' ἐμοὶ Πρόσεστι. πλεῖ δὲ ἔτι. Lycoph. Cassand. hoc monstrum vocat, τυφλοῦν δόμον. Vide Theocrit. Idyll. VI.

Digitized by Google

149 *Duos*] Leandrum et me.

150 *Spes mea pendet*] Id est, sumus in eodem periculo.

151 *Stertuit et lumen*] Id est, lucerna fecit crepitum et stridorem. *Interea lumen*] *Stertuit et lumen* Puteaneus; ut et proximo versu. Sed ita ut utroque loco *Stertuit* esset repositum: quomodo primæ editiones, et plurimi ex scriptis; perperam: sic apud Propertium, 'argutum sternuit omen Amor.' *Sternuit* alter Moreti recte posteriori versu. *Heins. Posito nam scribimus illo*] Scribimus ad lumen lucernæ.

153 *Ecce*] Dicit, nutricem, quasi libaminis et auspicii causa, injicere vinum in ignem.

154 *Cras erimus plures*] *Crasque* meliores. *Heins. Plures*] Quia accedet Leander.

155 *Lapsus*] Tu celeriter progressus. *Evicta per æquora*] Tuis lacertis superata. *Evicta æquora*] Infra vs. 181. 'tumidarum victor aquarum.' Quod Virgil. explicat Æn. v. 'Nec nos obniti contra, nec tendere tantum Sufficimus.' Et alibi. 'Evictum classibus æquor.' 'Et fontem superare Timavi.' Æn. I.

156 *Meo corde recepte*] Id est, infixe animo meo. *Toto corde recepte*] Æn. IV. 'hærent infixi pectore vultus.'

160 *Æquore nata*] Hinc dicta Ἀφροδίτη, οὕνεκ' ἐν ἀφρῷ θρέφθη. Theocr. in Theóg. Sed Eurip. Helen. ἀπὸ τῆς ἀφροσύνης τὴν ἀφροδίτην deducit.

161 *Ire libet*] Dicit, hoc mare nimis periculosum puellis: quod patuit ex Helle submersa.

163 *Nam cur huc vectis*] *Hoc* plerique scripti; *hac* Puteaneus. *Heins. Nam cur*] Cur enim, inquit, cum Phryxus et Helle per hoc mare veherentur, sola Helle cecidit, et Phryxus evasit incolumis?

165 *Forsitan ad reditum metuis ne robora desint*] *Metuas* bene Puteaneus et Regius. Deinde *tempora desint* idem Puteaneus cum multis aliis. *Heins.*

166 *Et nequeas geminis*] *Aut geminis nequeas* plerique codices, etiam meliores. *Idem. Geminis laboris*] Eundi et redeundi.

172 *Timidus famæ*] Ex corculo Latinitatis. 'Temperans famæ,' Ter. 'Nullius timidus Dei,' Metam. de Cyclope. 'Nimius vini,' Ovid. 'Præceps animi,' Virgil.

173 *Male res junctæ*] Quia sunt contrariæ. *Pugnant*] Sunt inter se adversæ. *Calor et reverentia pugnant*] Argon. Apollon. III. vs. 755. Ἠελίου δὲ τίς τε δόμοις ἐνεπάλλετο αἴγλη· Ἕσπετος ἐξαιοῦσα, τὸ δὴ νόον ἠὲ λέβητι Ἥπου ἐν γαυλῷ κέχυται. ἡ δ' ἔνθα καὶ ἔνθα Ὠκείῃ στροφάλιγγι τινάσσεται ἀΐσσουσα, Ὡς δὲ καὶ ἐν στήθεσσι κέαρ ἐλελίζετο κούρης. Id quod Virg. Æn. VIII. præclare est imitatus. Vide Epist. præced. 77. 'incertæ tanta est discordia mentis.' Metam. X. 631. 'Hinc amor, hinc timor est.' Ep. 12. 'aliudque cupido.' 'Mens aliud suadet.' Metam. VII. 20.

174 *Quid sequar in dubio est*] An obsequar pudori, an amori.

175 *Ut semel*] Dicit, quod optaret fieri de se a Leandro, quod factum est a Jasone de Medea: qui, ut in Colchos delatus est, eam abduxit. *Pagasæus*] A Pagasa, oppido Thessaliæ. *Pagasæus Iason*] *Pagaseos* Puteaneus: quod est *Pagasæos* Græca enunciatione, ut sæpe alibi. *Heins.*

176 *Phasida*] Medeam, a Phaside Colchorum fluvio.

177 *Idæus adulter*] Paris Trojanus, ab Ida, monte Phrygiæ.

178 *Cum præda sua*] Cum Helena.

179 *Quam petis*] Id est, me ad quam sæpe venis.

180 *Et quoties grave sit*] *Grave fit* ex scriptis multi: ut alibi, 'leve fit, quod bene fertur, onus.' *Heins. Quoties grave fit puppibus*] Quoties est periculosum navibus.

183 *Vincuntur ab æquore puppes*]

Digitized by Google

Merguntur Puteaneus cum aliis plurimis. *Heins.*

184 *Posse putas*] *Putes* duo scripti. *Idem.*

187 *Cupio non persuadere quod hortor*] *Opto* alii. *Idem.*

191 *Sed mihi*] Dicit, se terreri quoties aspicit mare ita turbatum. *Hub.*

192 *Nescio quid pavidum frigore pectus habet*] Putabam aliquando *habet*. Nunc accedo duodecim scriptis codicibus, qui legunt, *Nescio quæ pavidum frigora pectus habent;* ut jam monui ad Epist. XII. 170. alii codices *habet*. Fast. I. 'Mens abit et morior quoties pugnantis imago Me subit, et gelidum pectora frigus habet:' ubi *habent* in scriptis nonnullis. Sed tum *frigora pectus* sit legendum: alii codices hoc loco, *Nescio quod pavidum pectora frigus habent*. Argentinus, *pavidum pectore frigus habet:* forte, pro *pavidam pectore* vel *pavida pectora*. Heins.

196 *Somnia quo cerni*] Quia videlicet stomachus non sit vino ciboque distentus. *Somnia*] Vide Macrob. I. 3. in Somn. Scip. ubi quinque somniorum nomina. Quæ et itidem in Idyll. II. Mosch. De geminis somni portis multi multa. Homer. Odyss. T. 562. Δοιαὶ γάρ τε πύλαι ἀμενηνῶν εἰσὶν ὀνείρων. Αἱ μὲν γὰρ κεράεσσι τετεύχαται, αἱ δ' ἐλέφαντι, &c. ubi vide Eustath. Quod Virgil. ita reddit Æn. VI. 'Sunt geminæ Somni portæ: quarum altera fertur Cornea; qua veris facilis datur exitus umbris: Altera candenti perfecta nitens elephanto,' &c. 'Nec tu sperne piis venientia somnia portis.' Propert. IV. 7. Vide et Lucian. Gall. in somn. ubi hæc more suo ridet.

197 *Stamina de digitis cecidere*] Virgil. IX. 'Excussi manibus radii, revolutaque pensa.'

198 *Ferenda*] Sustinenda. *Aut.*

199 *Nantem Delphina*] A delphino recte sumpsit auspicium: quoniam homini amicus est. *Aut.* *Delphina*] Virgil. Æn. V. 'Delphinum similes; qui per maria humida nando Carpathium Libycumque secant.' Æn. IX. 'Delphinumque modo demersis æquora restris.'

200 *Non dubia fide*] Id est, manifeste.

206 *Scopes erit*] *Ero* Puteaneus et tres alii ex melioribus. *Heins.*

208 *Tu placidas toto pectore finde vias*] *Tunc* quatuor scripti: totidem *Tum;* utrumque bene. Sex *tuto pectore:* et hoc probe. Scriverianus *placites aquas;* quod etiam arridet: sic 'placita bona,' Ep. Helenæ: 'placita puella' l. I. v. 37. Art. Am. ex antiquis libris ubi plura: 'placita forma' Art. Am. III. et Fast. II. 'placitus vultus' Medic. Faciei: 'placita quies' Fast. I. 205. ex scriptis: et 'placitus Numicius' ex conjectura Fast. III. 653. Sic et 'placitas terras' Val. Flaccus V. 72. dixit, 'et jam Puppe sedens placitas dimiserat anchora terras;' ubi simili modo peccatur: ut et l. I. 265. 'placito si currere fluctu Pelea vultis, ait:' hoc est, vobis placito; Deos enim allequitur: quomodo lib. II. de Jasone, 'placitosque Deis ne deserat æstus.'

Digitized by Google

EPIST. XX. ACONTIUS CYDIPPÆ.

Priscæ editiones et codices nonnulli manu exarati hoc distichon in fronte hujus Epistolæ exhibent: 'Accipe, Cydippe, despecti nomen Aconti, Illius in pomo qui tibi verba dedit.' Est autem hæc epistola fœde depravata plurimis in locis. *Heins.*

1 *Pone metum*] Omni fraudis suspicione amota perlegas licet hanc epistolam. Ἦ τινά που δόλον ἄλλον ὀΐεαι. Hom. Odyss. K. 380. 'Quid est, quod metuis? ne tibi loctus malitiam apud me suadeat,' Plaut. Bacchid. I. 20.

3 *Discedat sic*] Scil. si legeris. *Languor*] Morbus. *Isto*] Tuo. *Hub.*

4 *Qui meus est ulla parte dolere dolor*] *Dolore* Puteaneus et alii nonnulli: tres libri *dolente*. Forte, *Qui meus est, ulla parte dolente, dolor.* Heins. *Ulla parte dolente*] Si quid tibi doleat, id mihi quoque ægre sit.

5 *Quid pudor ora subit*] *Ante subit* Puteaneus, aliique codices magno numero. Scribe, *Quid? pudor anne subit?* ut apud Claudianum, 'Quid soror? audebit tecum conscendere classem?' vulgatam tamen lectionem non sollicitem temere. *Heins.*

8 *Debitus*] Ex pacto legitimus. *Hub.*

9 *Demtus ab arbore fœtus*] Virg. VI. 'Auricomos quam quis decerpserit arbore fœtus.' Et deinde, 'croceo fœtu teretes circumdare truncos:' ubi vide Serv.

11 *Illic*] In pomo. *Id quod opto*] Conjugium significat. *Ant. Spondere*] Libentius lego, ut est in aliis lib. *jurasse.* Ciofan. *Quod opto*] Malo *optem.* Heins.

12 *Te potius meminisse*] Scil. te futuram sponsam meam: quod velim te potius meminisse. *Quam Deam*] Scil. Dianam, quæ memor illius promissionis, quam non præstas, immittit tibi morbum.

15 *Vel tempore longo*] *Nec tempore* Puteaneus aliique plurimi; quinque *tam tempore:* lege *jam tempore longo;* nisi malis *nunc tempore*, quomodo Moreti codex cum uno Ambrosiano: unus, *nec tempore parvo:* unus itidem, *ne tempore longo:* alius, *non tempore longo.* Heins.

16 *Ex spe*] Puteaneus et decem alii, *Et spe:* quidam cum prima editione *Et spem:* plures *Et spes:* Leidensis *Is spe. Crevit* etiam pro *crescit* Puteaneus et decem alii. *Idem.*

17 *Meus hoc credidit ardor*] Id est, amor fecit, ut tibi hoc crederem, quod promisisti.

18 *Non potes hoc factum*] Forte *pactum:* ut et paulo post, 'Sit fraus huic nomen pacto:' supra *pactam fidem* appellat; infra, 'recitetur formula pacti.' *Heins.*

19 *Præsens ut erat*] *Erant* Puteaneus et Patavinus. Atque ita forsan epistola sequenti sit scribendum, 'Sicut erant, properans verba imperfecta relinquo.' De hoc loquendi modo vide Notas in Met. X. 7. *Idem.*

20 *Mota dicta tulisse coma*] *Notasse* multi ex scriptis. Gronovianus, Oxoniensis et Leidensis *probasse;* quod verum est. Fast. II. de Lucretia. 'Illa jacens ad verba oculos sine lumine movit, Visaque concussa dicta probare coma.' *Idem.*

23 *Bisi uti tibi jungerer uni*] Scripti plerique cum primis editionibus *nisi quod.* Forte, *nisi quo.* Idem.

24 *Id me quod quereris conciliare potest*] *Potes* multi ex scriptis. Aut distichon hoc valde sit mendosum oportet; aut Ovidianæ non est venæ.

Digitized by Google

Forte, *Me tibi, quod quereris, conciliare potest.* Idem. *Conciliare*] Συναλρεσθαι κόπριν. Æschyl. Prometh. Συναρθμῆσαι. Arg. Apoll. IV. 419. Σύλλογον ποιησάμενοι. Herod. 8. 'Ut semel es flavo conciliata viro.' Catul. Eleg. 4. 'Concilio tibi, o juvenis, sororem.' Petron. Hinc 'conciliatrix,' vox lenocinii.

25 *Callidus usu*] *Arte* quidam. Argentinus *astu.* Heins.

27 *Si quid tamen egimus arte*] *Egimus ante* duo libri: *egimus a me,* Puteaneus; hoc est, a me compositis. *Idem.*

29 *Sponsalia*] Solemnia verba nuptiarum. Nam secundum Jurisconsultos, Sponsalia sunt mentio et repromissio futurarum nuptiarum. *Ab eo*] Ab amore.

32 *Si tamen*] Cum potius sit virtus, quam dolus, velle tenere quod amas.

36 *Teque petam caveas tu licet, ipse petam*] Inconcinna hoc loco repetitio: *usque petam* duo libri; quatuor alii, *ipsa peti;* recte: posset et legi, *Teque, peti caveas tu licet, usque petam.* Nam Argentinus, *Teque peto.* Heins.

39 *Di faciant, possim plures imponere nodos*] *Plures possim tibi ponere nodos* Moreti codex venuste. Ep. Phædræ tamen, 'Imposuit nodos cui Venus ipsa suos.' *Idem. Ponere nodos*] Ad fidem tuam adstringendam.

41 *Mille modi restant: clivo sudamus in uno*] *Doli* meliores cum Puteaneo. Idem, *clivo imo* cum tribus aliis; optime: Remedio Amoris, 'Principio clivi noster anhelat equus.' *Heins.*

44 *Exitus in Dis*] *In dubio est* Gottorphianus: nil muta. Pindarus, Νῦν δ' ἔλπομαι μὲν, ἐν θεῷ γε μὰν τέλος. *Heins. In Dis*] Ἐν θεῶν γόνασι κεῖται. Hom.

45 *Non omnia retia falles*] Ita te circumcludam, ut elabi nunquam amorem meum queas: quasi certa quadam indagine. Virgil. 'saltusque indagine cingunt.' Et Cæsar de Bell. Gall. VIII. 'Campum, silvis undique impeditissimis, et altissimo flumine, velut indagine munitum.'

46 *Quam credis plura*] *Credas* scribe: sic Ep. Herus, 'Plus quoque, quam credi quod mihi possit, amo.' Mox *proficiant* multi ex scriptis. *Heins.*

48 *Inque tui cupido rapta ferere sinu*] *Inque tui cupidus,* vel *Inque meo cupido* Puteaneus. Lege, *Inque meo cupidi sinu:* et vide quæ noto ad Epist. v. 45. *Meo cupido* etiam prima editio, et ex melioribus scriptis decem. Alii complures *mei cupido.* Idem.

51 *Nos quoque*] Raplemus te.

52 *Aut esses formosa minus*] Si esses minus pulchra, modestius te peterem.

55 *Quibus ignea cedunt*] Malo *cedant:* ut, 'Cedant carminibus reges regumque triumphi.' *Heins.*

58 *Quæque precor*] *Quasque* prima editio cum plurimis scriptis. *Idem.*

59 *Sine rusticitate pudentes*] Id est, pudor ingenuus et liberalis.

60 *Et Thetidis quales vix reor esse pedes*] *Rear* prima editio, Puteaneus, et alii complures bene. Lege etiam *Thetidi:* nam in Gottorphiano *Thetidem vel Veneri:* hinc ἀργυρόπεζα Thetis Homero dicta. *Heins. Thetidis quales vix reor esse pedes*] Id est, candidissimos. Nam ab Homero ἀργυρόπεζα dicitur. Fuit autem filia Nerei, mater Achillis, uxor Oceani.

62 *Nec dubito totum quin tua pars sit opus*] *Tibi pars* prima editio: quatuor scripti *tibi par.* Gottorphianus et prior Moreti pro diversa lectione *sibi par:* quomodo jampridem esse rescribendum divinaram. Amor. II. 'Tumulus pro corpore parvus, Quo lapis exiguus par sibi carmen habet.' Met. lib. XII. ex vestigiis veterum librorum, 'Hæc illi mensura viro respondit, et hac est Par sibi Pelides.' Trist. IV. El. 6. 'Tristior est etiam præsens ærumna priori, Ut sit enim sibi par, crevit et aucta mora est.' Trist. V. El. ult. 'Nam tua, dum stetimus, turpi sine crimine manxit, Et

Digitized by Google

Famæ probitas irreprehensa fuit. Par eadem nostra nunc est sibi facta ruina.' Ita versus isti mendosissimi sunt corrigendi. Martialis, lib. IX. Epigr. ultimo, 'Quæ nova tam similes genuit sibi Leda Laconas:' ubi *similes tibi* perperam legitur, et *Laconas*. Heins.

64 *Pignus vocis tuæ*] Fidem, et sponsionem a te factam.

69 *Hesionem Telamon*] Hesione Laomedontis filia Telamoni data est, quoniam primus Pergama conscendit. *Briseida cepit*] Cum Lyrnessum expugnasset. *Ant.*

70 *Utraque victorem nempe secuta virum*] *Victa secuta* Gottorphianus et unus Ambrosianus argute. Propert. lib. III. 'Vicit victorem candida forma virum.' Met. III. 'Dum spatium victor victi considerat hostis.' Fast. III. 'Nondum tradiderat victas victoribus artes Græcia:' quo Juvenalis respiciunt illa, 'Græcia capta ferum victorem cepit.' Ep. 8. 'Huic victor victo nempe pudendus eras.' Amor. I. El. 1. 'Qua vicit victos protegit ille manu.' Præterea *victorem suum*, prima editio, cum primo Mediceo: male; ut ex Propertii loco jam vidimus. *Heins.*

76 *Et liceat lacrymis addere verba meis*] *Suis* Puteaneus cum Lovaniensi et altero Moreti; probe: vide Notas Epistola XVII. 252. Trist. III. Eleg. 3. ut scribendum puto: 'Deque suis lacrymis humida serta dato.' *Sed liceat* quoque Lovaniensis. *Idem.*

78 *Tendere submissas in tua crura manus*] *Ad tua* meliores: quidam etiam *sub tua*. Amor. lib. I. El. 2. 'Porrigimus victas ad tua crura manus:' ut quidem vetus illic membrana exhibet. *Idem.*

82 *Oraque sint digitis livida nostra tuis*] *Livida facta* probe libri duodecim: *aspera facta* duo alii. Epistola Œnones, 'Oraque sint digitis aspera facta meis:' sic 'frigida facta' et 'saucia facta' Ep. Hypermnestræ. Am. I. El. 6. 'Uda sit ut lacrymis janua facta meis:' quare et lib. III. Fast. forte scribendum, 'Factaque cum fuerit rore bis uda seges:' cum *Tactaque* illic legatur: 'pallida facta' Remedio Amoris: 'arida facta' Hypsipyles Epistola, et Trist. III. El. 14. et Elegia de Nuce; 'obvia facta'. Fast. II. 'languida facta' Fast. III. et V. 'tabida facta' Pont I. El. 1. et 'saxea facta' de Niobe El. 2. 'barbara facta' Ep. Medeæ et Trist. V. El. 7. 'dura facta' Trist. V. El. 10. 'humida facta' Trist. IV. El. 1. Pont. I. El. 10. 'facta beata' bis apud Propertium. 'Candida facta gelu' Trist. III. El. 10. 'via per jactas candida facta nives' Art. Am. II. et sic sæpe. *Idem.*

87 *Cum bene se, quantumque volet*] Malo *voles*. Idem.

92 *Optima*] Quoniam pro conjugio pugnat.

93 *Hoc quod amor jussit, scriptum est injuria nostra*] *Hoc quoque quod...jussit, scriptum injuria nostrum* Puteaneus. *Hoc quoque quod jussit scriptum est injuria nostri*, vel *nostra*, vel *nostrum* plerique. *Hoc quoque quod vis sit* prima editio et quatuor scripti. Lovaniensis *Hoc quod opus jussit*. Puto, *Hoc quoque, cum jus sit, sit scriptum injuria nostrum*; vel quid simile. Sed totum distichon opinor esse adulterinum. *Heins.*

94 *Quod de me solum*] *Solo* Puteaneus et alii multi ex melioribus. *Idem.*

95 *Non meruit falli*] Malo *Num*. Heins. *Delia*] Diana, a Delo insula, in qua et nata est, et colebatur præcipue.

97 *Decepta*] Verbis in pomo scriptis capta. *Ant.*

98 *Vocem tuam*] Jurantis.

100 *Cum sua quæ non vult*] *Quod nolim* Puteaneus et tres alii: quidam, *quod non vult*, *quod nollem*, *quod nolit*, et similia. *Heins.*

101 *Testis erit Calydonis aper: nam scimus ut illo*] In Puteaneo codice nihil veteris lectionis apparebat præter

Digitized by Google

hæc *Testis erit.....lydon...ap.* vulgata lectione manu recentiori substituta. Pro *nam scimus ut illo*, Sarravianus et alii nonnulli *sic sævus ut illo: nos scimus* Moreti: *sic scimus* alii nonnulli; vel *si scimus:* Argentinus *scit sævus ut illa.* Mihi et hoc distichon adulterinum videtur. Scholiastes aliquis exemplum apri Calydonii reliquis duobus de Actæone et Niobe addiderat: ex eo scholio distichon postea est conflatum, barbarum sane et insulsum. *Idem.*

103 *Testis et Actæon*] Is filius fuit Aristæi et Autonoës, filiæ Cadmi. Scribitur hæc fabula plene ab Ovid. lib. III. Metam. *Fera creditus*] Creditus cervus. *Illis*] Scilicet canibus, vel sociis suis. *Actæon*] 'Dominumque canes egere suum.' v. 754. Et Eurip. Bacch. 1290. Οὕπερ πρὶν Ἀκταίωνα δίελαχον κύνες. 'Canes famelici in Dominum afferunt dentes.' Consule Mythol.

105 *Quæque superba parens*] Nioben significat, Tantali filiam: quæ cum ex Amphione, Jovis et Antiopes filio, liberos quatuordecim genuisset, se Latonæ fœcunditate præposuit. Vide Ovid. Metam. VI.

106 *Flebilis adstat*] Flet etiam nunc in saxum versa. Nam ex eo saxo, in memoriam lachrymarum, adhuc aqua scaturire traditur. *Ant. Mygdonia*] Regio est minoris Asiæ, quæ et Bithynia dicitur.

108 *Causa mea*] Propter me.

111 *Ne sis perjura*] Ne violes fidem, quam dedisti.

113 *Exsistere perfida tentas*] Puteaneus *exi...re:* quatuor scripti *obsistere: consistere* Vossianus: unus Farnesianus *resistere:* Jureti excerpta, *hanc fallere.* Heins.

120 *Niveo lenis in ore rubor*] *Lætus* quatuor scripti. *Idem. Lætus rubor*] Quem Virgil. purpureum vocat: 'iumenque juventæ Purpureum.' Æneid. I. Et genæ dicuntur lucere, florere. Sic et Græci: Λάμπει δ' ἐπὶ πορφυρέαις παρήισι φῶς ὄρωτος. Athen. XIII. c. 8. ex Phrynicho: 'Et tinctus viola pallor amantium.'

121 *Hostibus et si quis*] *Hostibus e* Basileensis. *Hostibus ex* duo alii. Forte *Hostibus, o.* Heins.

124 *Dicere nec possum quod minus esse velim*] *Quid minus ipse velim* Puteaneus et alii ex melioribus: *possim* præterea legendum. *Idem.*

125 *Causæ doloris*] *Dolendi* meliores. *Idem.*

127 *Inque caput nostrum*] *In caput nostrum* Puteaneus. Alii multi, *In caput et nostrum.* Lego, *In caput o nostrum:* nam in uno Farnesiano *hoc nostrum.* Gottorphianus *hæc nostrum:* in quas voces τὸ ο sæpe degeneravit, ut ad Epistolam primam monuimus. Græca imprecatio, apud quos frequenter occurrit, Aristophanem præsertim, εἰς κεφαλήν σοι· sic, 'Transferre pericula in caput suum,' apud Val. Maximum lib. II. c. 4. posset et restitui, *Di capiti nostro:* ut in Amoribus, 'Eveniant capiti vota sinistra meo.' *Idem.*

131 *Famulumque requirens*] Alii *requiro.* Idem.

134 *Adstringoque manus*] *Effingoque* Puteaneus et alii magno numero, cum prima editione; eleganter: et sic paulo post, 'Ille manus istas effingit,' cum iisdem codicibus: est autem *effingere*, demulcere, leviter tergere; ut apud Ciceronem pro Sextio, 'Sanguinem spongiis effingere.' Afranius, 'Accedo ad te, ut tibi cervicem fingam linteo:' atque ita legendum ex codicibus scriptis. Elegia in mortem Drusi, 'Nunc ego te infelix summum teneoque tuorque, Effingoque manus, oraque ad ora fero.' Fast. V. 'Ille manus ægras manibus fingebat amicis.' Lib. II. 'Et fingit lingua corpora bina sua:' quæ expressit ex istis Virgilianis de eadem re, 'illam tereti cervice reflexam Mulcere alternos, et corpora fingere lingua.' Ubi Servius, 'Fingere, id est, tergere. Cicero in Sestiana; Spongiis sanguis effin-

Digitized by Google

gebatur: id est, tergebatur. Fingere tamen et formare aliquid et ad integram faciem arte perducere significat: inde fictores dicuntur, qui imagines vel signa ex ære vel cera faciunt.' Claudian. in Rufin. 'linguisque trisulcis Mollia lambentes finxerunt membra cerastes.' Apud Plaut. Amphitryone Sosia facete, 'Illic homo me interpolabit, meumque os finget denuo:' sic Met. IV. fabula Thisbes in nonnullis melioris notæ codicibus scriptum offendi, 'gelidis in vultibus oscula fingens:' sic Epistola Herus. 44. 'Fingere oleo corpus:' ut illic scribendum monuimus. *Assideoque thoro* etiam in uno Regio; quod sequentia confirmant; et id proprie medicorum. Horat. lib. I. Sat. 1. 'Aut alius casus te lecto adfixit, habes, qui Assideat, fomenta paret.' Cydippe infra de amante, 'Assidet ille quidem, quantum permittitur ipsi.' *Idem.*

135 *Quod me procul inde removi*] *Remoto* Puteaneus cum tribus aliis; recte: malim etiam, *Ter rursus miserum!* Idem.

140 *Candida per causam brachia sæpe tenet*] Trist. II. 'Per causam meminit se tetigisse manum.' *Idem.*

142 *Merces ista*] Scilicet jungendi oscula. *Officio plenior suo est*] Quia cum sit medicus, hæc non sunt ejus officii. *Illa suo est*] *Ista* scripti. *Heins.*

143 *Nostras præcerpere messes*] Sic Puteaneus cum aliis nonnullis; ut et primæ editiones. Vulgati *decerpere;* tres scripti, *præcipere;* multi, *percipere;* Strozzæ codex *percidere.* Lege, *præcidere* cum altero Moreti. 'Cædere' dixit Elegia de Nuce, 'Si licet hoc, oleas distringite; cædite messes:' nam 'fructus præcerpere' aliud est: de quo Remed. Amor. vs. 103. *Idem.*

144 *Ad spes alterius quis [tibi fecit iter] Ad sepem alterius* codex unus Mediceus cum prima editione; optime: persistit enim in metaphora. Sic lib. III. Artis, 'Te semper norit, tibi semper inhæreat uni: Cingenda est altis sepibus ista seges.' Hinc et apud Virgil. in Georgicis, 'Segeti prætendere sepem.' *Ad sepem alterius* Patavinus et Arondelianus, proxime ad verum. *Idem.*

151 *Nec mihi credideris*] Malo, *Ne mihi:* nam in uno Regio erat *Ni.* Idem.

156 *Par*] Quoniam tuum humanum est pactum, meum vero divinum. *Ant.*

159 *Hæc ei juravit amanti*] Regius *sed et hæc:* præstat tamen, quod editiones nonnullas occupat, *adjuravit.* Noster Metam. l. III. 'Per tibi nunc ipsum (neque enim præsentior illo Est Deus) adjuro: tam me tibi vera referre, Quam veri majora fide.' Terentius Andria: 'Per omnes tibi adjuro Deos.' Capitolinus in Gordiano, 'De quibus adjurare soletis, ne quis ante rem completam quicquam vel audiat vel intelligat.' Servius ad illa Virgilii l. XII. 'Adjuro Stygii caput implacabile fontis: Pro, juro: nam prothesis est. Quidam tamen volunt juro dici tunc debere, cum confirmamus aliquid, aut promittimus: ut, Juro me facturum: adjuro vero cum negamus: Adjuro me non posse, Adjuro me non fecisse. Terentius, Adjurat se non posse apud vos Pamphilo absente perdurare. Potest tamen et *ad* valde significare, ut sit, Adjuro, valde juro.' Sic et apud Statium Theb. VII. Hostesque propinquos Adjurat, pro jurat esse propinquos. *Heins.*

161 *Hæc et perjura vocari*] Duo libri, *timet hæc perjura.* Mox *Nam dubites* bene Oxoniensis. *Heins.*

164 *Cubat*] Decumbit. Tenetur febri, lecto affixa.

165 *Dissimili certamina mente subimus*] *Marte* præstiterit. *Heins.*

170 *Cedere ignibus meis*] Non occupare meos amores, qui fuerunt priores tuis.

171 *Nunc quoniam ferus hic*] *Nunc ferus hic quoniam,* concinnius legatur.

Digitized by Google

Heins. Iniqua] In qua jus nullum habet. *Hub.*

174 *Hunc tu, si sapias*] Hic deficiebat codex Puteaneus, cæteris ablatis usque ad Elegiam secundam lib. I. Amorum. *Heins.*

176 *Qui movet*] In te Dianæ iram concitat.

177 *Reppuleris*] Rejeceris, repudiaveris.

178 *Et tu continuo*] Malim, *At tu.* Heins.

181 *Non bove mactato*] *Nec* scripti plerique. *Idem.*

182 *Præstanda fide*] Sic Medea Argon. IV. 1402. Δείσατε συνθεσίας τε καὶ ὅρκια, δείσατ' ἐρωνὺν 'Ικεσίην, νέμεσίν τε θεῶν. ... Χαλεπὸν δὲ λαθεῖν θεὸν ὅνδρ' ἐπίορκον, &c. memorabiles versiculi a Polybio adducti lib. IV. Et Pausan. in Messenic. Et Thucyd. lib. V. ἀβλαβῆς ἐμμένω, &c. δικαίως καὶ ἀδόλως. *Sine teste*] Sine arbitro, et conscio. 'Ille dolet vere, qui sine teste dolet.' 'Juro; sed Jupiter audiet, eheu!' Pers. Sat. V. Et Juven. Sat. VIII. 'Sidera testes ... Intendunt oculos.' Item et Græci, νυκτὸς ὄμμα.

183 *Ferrum patiuntur et ignes*] Tres libri *patientur.* Junianus et Strozza *patiantur*; recte. *Heins. Ferrum patiantur et ignes*] Urendo et secando curentur.

184 *Fert aliis tristem succus amarus opem*] *Medicam opem* Ambrosianus unus et Gottorphianus: ut Amor. II. El. 9. 'Confossum medica postmodo juvit ope.' Rem. Am. 'Carminis et medicæ, Phœbe, repertor opis.' Trist. V. El. 7. 'Promissam medicæ non tulit artis opem.' Pont. III. El. 4. 'Ad medicam dubius confugit æger opem.' Lib. IV. El. 1. 'Lenito medicam vulnere semit opem.' *Heins. Succus amarus*] Medicina ex succo amararum herbarum. *Hub.*

185 *Istis*] Aut igne, aut ferro, aut poculo.

188 *Exciderant animo fœdera nostra tuo*] *Fœdera lecta* scripti fere omnes; et recte. Deinde *Exciderint*, quod in tribus inveni, etiam amplector; nisi *Exciderunt* quis malit: de quo Epist. VII. 166. *Heins.*

189 *Modo casibus istis*] *Cassibus* scribendum; quod Regius et Moretanus meliores confirmant: sic apud Tibullum, 'Jam mihi tenduntur casses.' Noster Art. Amat. III. 'novus viso casse resistet amans.' Lib. I. 'Non bene de laxis cassibus exit aper.' *Idem.*

191 *In partu nempe vocabis*] *Rogabis* cum scriptis. *Idem.*

192 *Luciferus afferat illa manus*] *Offerat* libri meliores; quidam *efferat* proxime ad verum: sic lib. I. Artis, 'offerre aures:' 'Neve aliquis verbis odiosas offerat aures.' Ita enim veterrimi codices illic agnoscunt. At et Pont. IV. El. 13. 'Materiam nostris offerat ingeniis.' 'luciferas' autem 'manus' hic dixit, ut 'equos luciferos' epistola Canaces, 'Puraque luciferos luna movebat equos.' Numus apud me argenteus Juliæ Piæ, DIANÆ LUCIFERÆ inscriptum habet, cum emblemate Dianæ tædam gerentis. Item alius ejusdem Juliæ, LUNA LUCIFERA. Luna biga boum vecta. Sic et Diana φωσφόρος apud Græcos dicta. *Idem.*

193 *Audiet hæc repetens quæ sunt audita*] *Quæ sint* scripti: *et repetens* etiam bene prima editio. *Idem.*

196 *Jurabis*] Id est, Si jurabis. *Dicet fallere posse Deos*] Sicut semel fefellisti. *Hub.*

200 *Ignaros culpæ quos facis esse tuæ*] *Cur licet* Jureti excerpta, cum Menteliano et uno Mediceo: duo alii, *quos licet.* Scribe, *quos liquet.* Sequenti versu *ignorent* pro *ignorant* meliores. *Heins.*

202 *Facta puderis habent*] *Ruboris* ex iisdem scriptis reponendum. Sabini Demophoon, 'O tibi quantus erit facti rubor!' Amor. III. El. 14. 'Illic nec tunicam tibi sit posuisse rubori:' ita optimus liber. Ut et

Digitized by Google

Artis l. III. 'Latmius Endymion non est tibi, Luna, rubori:' et eodem libro ex præstantissimis membranis, 'Nec rubor est emisse palam.' *Idem. Nil tua facta ruboris habent*] Οὐκ ἐν αἰσχύνῃ τὰ σά. Eurip. in Phœniss.

204 *Sacra pharetratæ dum facis ipsa Deæ*] Τὸ *ipsa* otiosum cum sit hoc loco, vix dubitem Ovidium scripsisse, *æde Deæ:* cognatio nimirum literarum in utraque voce effecit, ut alterutram oscitantes librarii omiserint, quod et alibi factum. Epist. XIV. ex veteri libro, 'Et socer armatas accipit æde nurus:' nam et illic *ipse* est in vulgatis. Fast. VI. 'Sed superinjectis quis latet æde togis?' Ubi similiter *iste* legebatur. *Heins. Pharetratæ Deæ*] Dianæ. *Ant.*

207 *Et te dum nimium miror*] *Ut te* recte Mentelianus, Arondelianus, et Basileensis. Pro *nota certa furoris* malim quoque *stuporis*. Epistola Paridis, 'Dum stupeo visis (nam pocula forte tenebam) Tortilis e digitis excidit ansa meis.' *Heins.*

208 *Deciderint humero pallia lapsa meo*] *Reciderint* excerpta Jureti; probe: ut monitum jam a nobis Ep. XIV. 46. et sic videtur legendum Fast. III. 'Ignibus Iliacis aderam; cum lapsa capillis Recidit ante sacros lanea vitta focos.' Nam *Deficit* inveni in quibusdam libris. *Heins. Deciderint pallia*] Stuporis indicium est. *Ant. Deciderint pallia*] Ter. Eunuch. IV. 6. 'Th. Fac, animo hæc præsenti dicas. Chr. Faciam. Th. Attolle pallium. Perii, huic ipsi opus patrona est.'

209 *Postmodo*] Scilicet, referas. *Volubile malum*] Pomum rotundum. *Volubile malum*] Item Metam. X. 667. 'aurumque volubile tollit,' pro aureo pomo. Et Virgil. Æneid. VII. 'volubile buxum,' pro turbine. *Nescio qua*] Scilicet, parte templi. *Hub.*

210 *Verba ferens doctis insidiosa notis*] Sic et membranæ, quotquot a me inspectæ sunt. Scribe nihilominus *ductis notis:* quam emendationem pluribus adstruximus. Not. ad Fast. VI. 649. *Heins. Ductis notis*] Literis callide scriptis.

212 *Esse tuam*] *Esse reor* Jureti excerpta. *Heins.*

213 *Scripti sententia quæ sit*] *Quæ sit sententia scripto* eadem Jureti excerpta, rectius. *Idem.*

215 *Dicet*] Mater tua. *Cui*] Scilicet, mihi.

218 *Si modo mater erit*] Si vere te et materno affectu amabit.

219 *Si tamen et quærat quis sim qualisque, videto*] Scripti nonnulli *sed tamen inquirat*. Argentinensis, *Si tamen et quærit qui sim: jubeto* etiam est in nonnullis. Scribe, *Sed tamen inquirat qui sim qualisque jubeto: Inveniet, &c.* nam *Inveniet* pro *Invenies* quoque exstat in nonnullis. Posset etiam, *Sic tamen inquirat*, quod tres codices præferunt: et *qui sim quantusque* cum Jureti excerptis. Ep. Œnones, 'Nondum tantus eras, cum te contenta marito Edita de magno flumine Nympha fui.' *Heins.*

222 *Nomine Cæa mari*] Lege *Cea*, tam hic quam Met. X. κεῖος enim est Græcis. Pro *Coryciis Nymphis* male *Carystiis* reponit Ortelius Thesauro Geographico in *Ceos*. Sunt enim quas Noster *Corycidas* lib. I. Met. vocat, et Parnassi incolas facit. *Heins.*

228 *Juratæ vel non talis habendus erat*] Forte, *Vel non juratæ talis emendus erat*. In Amorib. 'Si te non emptam vellet, emendus erat.' Possit et *amandus* legi. *Idem.*

235 *Cum jam data signa sonabunt*] Dicit, quando celebrabuntur festa Dianæ in Delo, et offerentur ei sacrificia votiva: tunc Acontius suspendet in templo Deæ effigiem pomi aurei, in quo duobus versiculis testificabitur, Cydippen servasse, quæ in eo pomo scripta legerat: et juraverat. *Cum data signa sonabunt*] Quia sonitu tubarum vocabantur ad sacrificia.

236 *Delos*] Insula, ubi colitur Dia-

Digitized by Google

na. *Heb. Vetiva sanguine*] Mactatæ erunt hostiæ, quas pro te et tua conjugio vovi.

240 *Quæ fuerint*] *Fuerant* septem codices. Lege *fuerunt*. Art. Am. III. ex veteri libro, 'Cura ducum fuerunt olim regumque poëtæ:' de quo Epist. VII. 166.

242 *Clausaque consueto sit tibi fine, vale*] Scribe *consueto sibi fine:* in Tristibus: 'Jam mihi fata liquet, cœptos servantia cursus, Per sibi consuetas semper itura vias.' Error passim obvius; ut jam supra monuimus hac epistola, ubi *sibi par*, pro *tibi* reponendum. Pont. lib. III. El. 1. 'Sint utinam mites solito sibi more:' quæ etiam in vulgatis libris sunt corrupta. Plures hujus notæ mendas alibi castigamus non parvo numero. *Heins.*

EPIST. XXI. CYDIPPE ACONTIO.

Quædam exemplaria hic denuo musifica sunt de alieno, dum initium nobis hujus epistolæ hoc modo obtrudunt: 'Littera pervenit tua, quo consuevit, Aconti, Et pœne est oculis insidiata meis.' *Heins.*

1 *Sine murmure*] Tacite, sine ullo vocis sono.

2 *Inscia*] Imprudens.

7 *Omnia cum faciam*] Scil. sacra. Met. VI. 'Sacra Jovi facturus erat:' sic dicitur, 'Facere sacrificium:' 'Facere sacra publica.' Cicer. 'Facere vitula:' scil. sacra. Virgil. Etiam verbum amatorium; quod ab aliis satis inculcatum est. *Omnia cum faciam*] In honorem Dianæ.

10 *Talis in Hippolyto*] Non tantum favit Hippolyto suo, quem etiam, secundum quosdam, per Æsculapium a morte ad vitam revocavit, ut Virgil. scripsit. *Talis in Hippolyto*] Sic Virgil. Æneid. II. 'Talis in hoste fuit Priamo:' ubi vide Serv. qui tamen non placet. Verbum enim *sum* suadet ablativum, ideoque Archaismos hic non habet locum. Non enim hic sumitur τὸ *in*, pro erga.

11 *Melius*] Justius. *Virgo*] Ipsa Diana virgo. *Favisset virginis annis*] Mei, Cydippes, quæ etiam sum virgo.

12 *Quos vereor*] Codices omnes post hunc versum deficiunt præter Sarravianum, Mediceum, et unum ex meis recentiorem, quem a Luca Langermanno donum habui. Arondelianus quoque reliquos hujus epistolæ versus majori ex parte in calcem voluminis post Sapphus epistolam rejecerat. *Heins.*

13 *Languor enim causis non apparentibus hæret*] Hoc est, morbus ipse hæret, sive durat: cum tamen nullæ ejus causæ appareant.

14 *Fessa*] Defecta viribus, exhausta vi morbi. Sic Virgil. Æneid. I. 'Cerealiaque arma Expediunt, fessi rerum:' ubi Serv. 'Penuria et tempestatibus fatigati.' Etiam ad inanimata. Virg. V. 'Quoque magis fessas optem dimittere naves:' id est, Quassatas fluctibus, et convulsas. *Fessa*] Morbo exhausta.

17 *Nunc timor accedit*] Malim *Huc*, ut l. III. 'Huc pudor accessit.' *Heins.*

18 *Colloquii vices*] Virgil. VI. 'Hac vice sermonum.' Et alibi, 'Inque vicem dictis.'

19 *Quid agamque rogantibus inter*] Scribo, *intus*. Columella præfatione Rei Rusticæ, 'Neque enim roganti quid agatur intus, servi respondere

Digitized by Google

dignantur.' Juv. Sat. III. 'Atque obiter leget, aut scribet, vel dormiet intus.' Noster, 'Formaque non taciti funeris instar erat:' sic et sæpe alibi. *Heins.*

21 *Mox ubi secreti longe*] *Longi* Mediceus cum prisca editione bene. *Idem.*

23 *Quos non admittere durum est*] Cave *tutum est* reponas. Tibullus, 'Illa quidem tam multa negat: sed credere durum est. Sic etiam de me pernegat usque viro.' *Idem.*

24 *Ficta dat mihi signa nota*] Malim *tecta*, ut epistola Helenæ: 'quoties ego tecta notavi Signa supercilio pæne loquente dari!' 'Furtivas notas' dixit Amor. l. I. El. 4. *Idem.*

26 *Littera cauta*] Tecta et abscondita.

27 *Fatigat*] Scribendo.

28 *Quantus sis nobis*] *Sit* recte meus codex et Arondelianus. *Heins.*

29 *Qua peream*] *Quæ* scripti. *Qua dignus*, scilicet, litera. Posset et *Quo* legi; labore, videlicet. *Idem.* *Qua peream, si dignus eras*] Si mereris: sive, si dignus es, ut tua causa sustineam.

30 *Quamque mereris ero*] Imo *ego*; atque ita Naugerius. Sic Amor. l. I. El. 7. 'Ille Deam primus perculit, alter ego.' *Heins.*

37 *Nunc laudata gemo*] Nunc ægra varieque affecta sum, propterea quod vos me laudatis: hoc est, quia formosa habeor, et a vobis ambior. *Certamine vestro*] Quod de me geritis. Utrumque autem procum notat: cum alter tantum in culpa sit, cui juraverat, scilicet.

38 *Proditis*] Sic Ter. Adelph. IV. 5. 'Prodidisti te, et illam miseram, et gnatum, quod quidem in te fuit.' Et Heautont. IV. 1. 'Nempe anus illi prodita abs te filia est planissime;' et alibi. *Proprio bono*] Forma bona. 'Forma bonum fragile est.'

39 *Dum neque tu cedis*] Dum neuter alteri cedit, et interim tu fidem datam urges: quæ res tantum nocet mihi.

43 *Dies optata*] Dies nuptialis.

44 *Immodicus corporis ardor*] Id est, tunc maxime ex febri laboro.

45 *Et mihi*] Scripti cum priscis editionibus *Nec mihi* vel *Nunc*. Forte *En mihi*. Heins. *Et mihi conjugii tempus, crudelis, &c.*] Ipsa mors in foribus sive in limine tunc maxime est, quando nuptias celebrare debeo.

46 *Persephone pulsat fores*] Eurip. Herc. Fur. 481. Νύμφας μὲν ἡμῖν κῆρας ἀντέδωκ' ἔχειν. Et Electr. 1143. πεσῇ Πληγεῖσα· νυμφεύσει δὲ κἂν ᾅδου δόμοις.

51 *Neve mihi credas*] Omnino scribendum, *Neve nihil credas in te quoque dicere famam*. Heins.

52 *Facta veneficiis pars putat ista meis*] *Ista tuis* bene scripti cum editionibus vetustis. *Idem.*

54 *Aspera prælia*] Contentio pro nuptiis. *Plector ego*] A Dea scilicet, quæ fidem a me exigit, ut quidem tu, Aconti, sentis.

55 *Dicam jam nunc, solitoque tibi ne despice more*] *Me decipe* veteres libri. Forte, *I jam nunc, solitoque tibi me decipe more:* vel, *I nunc, i, solitoque.* Dictum Ep. IV. 127. *Heins.*

58 *Me, precor, ut serves, perdere velle velis*] Hoc est, Quando noces iis quos amas, diversosque affectus et effectus habes: quæso ut me oderis, et perdere cupias: et sic servabis. *Perdere velle velis*] Locus manifeste corruptus. Τὸ *velle* perperam ex *velis* proxime sequenti inculcatum, cum ultimas duas syllabas in *perdere* librarius geminare neglexisset. *Me, precor, ut serves, perdere, dure, velis.* Heins.

60 *Quam ferus indigna labe*] Scribendum *tabe:* dictum Epistola Deianira, 145. *Idem.* *Indigna tabe*] Morbum sive febrim suam intelligit.

62 *Quid mihi te jactas*] Scilicet habere te Deam propitiam et faventem.

63 *Quid fingas*] Utrum facias. *Non vis placare*] Dilemma est. Aut potes placare Deam, et non vis: immemor

Digitized by Google

es ergo mei. Aut vis placare, et non potes: immemor ergo illa tui est, hoc est, te non curat, nec tanti facit quanti tu te fieri ab illa jactas.

70 *Picta mea tetigi*] *Picta citæ* libri veteres: probe. *Heins.*

76 *Sed stultum est venti*] Versus suspectus. *Idem.*

78 *Ignava puppe*] Similiter Æneid. v. 'sed pondere pinus Tarda tenet.'

79 *Quam sæpe ut tardis*] *Heu tardis* malo. *Heins.*

80 *Lintea parca dare*] Imo *dari*. Id. *Lintea parca*] Vela non plena.

81 *Et jam transieram Myconen*] Scribe *Myconon* cum prima editione. Codex Mediceus *Micon:* similis error etiam admissus Met. VII. ubi, 'Hinc humilem Myconen cretosaque rura Cimoli;' pro *Myconon* nunc legitur. Petronius in fragmentis de Delo, 'Hac alta Gyaro ligavit, illac Constanti Myceno dedit tenendam:' sic scribendum. *Myconos* enim, non *Mycone*, dicta hæc insula. Statius Achilleide manifeste: 'placet ire per altas Cycladas: hinc spretæ Myconos humilisque Seriphos.' Idem Theb. III. 'ipsa tua Mycono Gyaroque revelli Dele times:' ut leguntur veterrima exemplaria. Apud Virgilium quoque Æneid. III. 'Mycono celsa Gyaroque revinxit,' habent optimi codices: ubi Servium quoque in hac voce ter quaterve emenda, et Hyginum Fab. 276. ubi *Myces* pro *Myconos* nunc legitur. Ab hac insula Adagium natum, Πάντα ὑπὸ μίαν Μύκονον. Vide Stephanum, Strabonem, ac cæteros Geographos. *Heins.* *Myconon*] Una ex Cycladibus, memorabilis calvastris, qui inde *Myconii* dicuntur. *Tenon et Andron*] Tenos insula est, una ex Cycladibus, ut Plin. et alia a Tenedo, quæ est e regione Trojæ. Andros item una ex Cycladibus.

82 *Candida Delos*] Videtur ad nomen alludere. Significat enim δῆλος Manifestum, clarum: qualia quæ candida sunt esse solent. *Candida Delos*] Non adeo ob candorem, quam quod diu latuit, et postea apparuit: vel propter manifesta oracula: vide Serv. III. Æneid.

84 *Laberis in magno mari*] Hoc est, fluctuasne, et inconstans es, neque uno loco persistis: quoniam te consequi nequeo? *Laberis ut ante*] Æneid. III. 'Quam pius arcitenens, oras et littora circum Errantem, Mycono celsa Gyaroque revinxit, Immotamque coli dedit, et contemnere ventos.' Quod tamen ad terræ motum refertur. vide Serv. hic.

87 *Quod idem solitus postquam, &c.*] Postero die.

94 *Festaque fumosis ingerit exta focis*] *Sectaque* scribendum, ni fallor. Fast. IV. 'Sectaque fumosis exta dedere focis.' *Heins.*

95 *Alias ædes*] In plurali significat domum; pro templis, significat plura templa.

97 *Munera regum*] Donaria, quæ Diis ibi oblata erant a regibus.

98 *Stantia signa*] Statuas et effigies Deorum.

99 *Miror et innumeris structam de cornibus aram*] De hac ara est apud Callimachum in hymno Apollinis, quam Apollo ipse construxisse dicitur, cornua ex venatione suppeditante Diana.

100 *Et de qua pariens arbore*] Pariens Latona innixa est oleæ ac palmæ. Sic Metam. VI. idem poëta.

106 *Tutior hoc equis debuit esse locus*] Hoc ad Acontium, quem dicit in templo non debuisse sibi insidiari.

107 *Cum carmine tali*] Græcum fuisse apparet carmen illud: sed quale, hactenus nemo tradidit, quia ipsa fabula alias nusquam clare aut plene tractata extat.

110 *Insidias legi*] Versus suspectus. *Heins.*

114 *Lumina prepositi facta ministra*] Quia nisi aspexisset pomum, non legisset, et non jurasset.

117 *Sumta peltatu secure*] *Securi* ve-

Digitized by Google

teres. *Heins.* *Peltata*] Pelta armata. Fuit autem *pelta* scutum, quo peculiariter Amazones utebantur. *Peltata*] Æneid. I. 'Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis Penthesilea furens.' Ubi formam quoque peltarum vides.

118 *Qualis in Iliaco Penthesilea solo*] Penthesilea Amazonum regina fuit, quam Achilles postea occidit: idemque, occisam, lachrymis et luctu prosecutus est.

119 *Nullus Amazonio cœlatus baltheus auro*] Inter labores, quos Herculi Eurystheus imperavit, etiam ille fuit, ut baltheum Amazonis Hippolytæ ad se referret: qua ex re illato Amazonibus bello, iisque acie profligatis, victam Hippolytem cum baltheo cepit. Dicit ergo Cydippe: Non tibi spolium aut præda aliqua expectanda fuit, quemadmodum Achilli a Penthesilea, aut Herculi ab Hippolyte.

120 *Sicut ab Hippolyta*] Iidem *Hippolyte.* Heins.

122 *Sumque parum prudens capta puella doli*] Rectius opinor fore *doli:* 'parum prudens doli,' ut paulo post, 'prudens animi sententiæ.' Epistola Œnones, 'prudens artis.' *Idem.*

123 *Pomum Schœneida cepit*] Atalantam Schœnei filiam: quæ cum proceos suos certamine cursus provocaret, ab Hippomene victa est, objectu pomorum aureorum, quæ a Venere acceperat: ut idem poëta in Metamorph. X. tradit.

125 *Puer iste*] Cupidinem intelligit, quem, ut virgo, ignorare se fingit.

127 *More bonis solito*] Ea via et ratione qua boni ac honesti solent. *Spem mea corrumpere fraude*] Spem, quam habebas, corrumpere ac perdere ista fraude ac fallacia pomi.

128 *Capienda*] Decipienda et circumvenienda fraude.

132 *Si poteram audita conditione capi*] Hoc est, si tua talia erant, ut iis merito capi et allici possem.

133 *Jurandi formula juris*] Consulterum verbis utitur: pro, Quid tibi prodest jusjurandum, quod verbis pomi lectis ibi feci.

135 *Quæ jurat, mens est*] Alludit ad vulgatum versum Euripidis. 'Ἡ γλῶσσ' ὀμόμοσ', ἡ δὲ φρὴν ἀμόμοτος.

137 *Animi sententia jurat*] Sic Cic. I. de Offic. 'Quod enim ita juratum est, ut mens deferentis conciperet, fieri oportere, id observandum est:' id est, verbis conceptis: cum ex animi sententia quis jurarit. Plaut. Pseud. I. 3. 119. CA. 'Nempe conceptis verbis. BA. Etiam consultis.' Et in Asinar. III. 2. 16. 'Ubi verbis conceptis sciens libenter perjuraris.' Et Petron. 'Tetigit puer oculos suos; conceptissimisque verbis juravit.' Et Hercul. Fur. 926. 'ipse concipiam preces Jove meque dignas.' Et Juven. Satyr. VI. 'dictataque verba Protulit, ut mos est, et aperta palluit agna.'

139 *Volui promittere nostrum*] *Valui* veteres: male. *Heins.*

141 *Sine pectore vocem*] Sic Virgilius dixit: 'Dat sine mente sonum:' id est, verba absque judicio et certa voluntate prolata.

142 *Verba suis viribus orba*] Verba irrita.

144 *Vir mihi non isto more legendus erat*] Puto *petendus;* quia *volui* præcesserat. Sic infra, 'Arte nec est dices ista petenda mea.' Alibi, 'Quid petitur tanto, nisi turpis adultera bello?' Sed *legendus* forte pro *eligendus.* Ep. Parid. 'Nec piget, aut unquam stulte legisse videbor.' *Heins.*

146 *Divitiis aufer opes*] Malim *ditibus aufer.* Idem.

153 *Latoidos*] Dianæ, filiæ Latonæ.

157 *Positas Hymenæus ad aures*] *Ad aras* scribendum. *Heins.*

160 *Vix moto corripit igne faces*] Hypallage: pro, vix corripit ignem mota, hoc est, agitata face.

162 *Splendida palla croco*] Æneid. I. 'Pallamque, et pictum croco vela-

Digitized by Google

men acanthe.' Fastor. I. 'Nec fuerant rubro cognita fila croco.' Pindar. Olymp. VI. 'Α δὲ φοινικόκροκον ζάναν καταθηκαμένα' et alibi. Æschyl. Pers. κροκόβαπτον. Tzetz. Chil. VIII. 248. κροκοβαφὲς ἀέρος ἄρσει λάμπει.

165 *Projicit ipse suas deducta fronte coronas*] Lege, *adducta fronte:* hoc est, contracta et rugosa fronte, quod mœstitiæ signum est, et a sequenti proxime hexametro confirmatur. Seneca Epist. LVIII. 'Itaque et vultum adducet ad tristitiam, et inhorrescet ad subita, et caligabit, si vastam altitudinem despexerit.' 'Adducere' et 'ducere frontem' modus loquendi elegans: 'ducere vultum' dixit in Tristibus, 'vultum Ducis, et uxorem te pudet esse meam.' Martialis, 'Qui ducis vultus, et non legis ista libenter.' Juvenalis Sat. XIII. 'densissima ruga Cogitur in frontem, veluit acri ducta Falerno.' 'Trahere vultum' noster in Amoribus, 'Cum bene vir traxit vultum, rugasque coëgit.' Sic 'frontem astringere' et contra 'solvere frontem' Martiali l. XI. Ep. 40. l. XIV. 183. *Heins.*

174 *Daque salutiferam fratris opem*] Opem Apollinis, hoc est, medicam: quoniam Deus medicinæ Apollo.

177 *Numquid in umbroso, &c.*] Arguit ab immerito, et exemplo: quasi dicat, Ego non merui, cur me neci dares: neque enim, ut Actæon, te aspexi cum velles lavare.

179 *Præteriine tuas*] Œneis, cum cæteris Diis primitias offerret, imprudens Dianam præteriit. Quare irata Dea aprum immisit ei, qui totum Calydonium agrum vastavit.

180 *Atque tua est nostra spreta parente parens*] De Niobe intelligit, quæ cum Latonæ sese prætulisset ob fœcunditatem prolis, Apollo et Diana, contumeliam matris ulciscentes, totam stirpem Niobis extinxerunt sagittis.

182 *Inque parum fausto carmine docta fui*] *Capta fui* videtur restituendum, ut hæc ipsa Cydippe paulo ante, 'Visaque simplicitas est mea posse capi.' Et, 'Sumque parum prudens capta puella dolis.' Artis Amatoriæ l. I. 'Littera Cydippen pomo perlata fefellit, Insciaque est verbis capta puella suis.' Sed et Acontius supra, 'Denique dum captam tu te cogare fateri, Insidiis esto capta puella meis.' *Lusa fui* quoque non inconcinnum videatur: ut alibi, 'Luditur in nostris instita nulla jocis.' Aut, si mavis propius insisti antiquæ scripturæ, *ducta fui* repone; quod fere tantumdem est, pro lusa aut illecta: de quo loquendi modo jam nonnihil observavimus ad Metamorph. l. VIII. 128. Sic Horatius 'libo fumante duci' pro capi Sat. II. 7. Sic et 'duci dulcedine natalis soli' Noster Pont. I. El. 4. et 'duci cantibus ac carmine:' de qua locutione diximus Met. XI. initio. *Heins.*

186 *Non tua sit*] Scribe *fit;* quod τὸ *fieri* proxime subsequens requirit: ea repetitio arguta prorsus καὶ ἑλκυστική. *Idem.*

191 *Quantum permittitur ipsi*] Malim *ægræ:* superiori epistola, 'Ille manus illas effingit et assidet ægræ.' *Idem.*

192 *Sed meminit, &c.*] Hoc est, facit ea quæ conveniunt apud torum virginis: sinit me hactenus illibatam.

193 *Et quoque nescio quid*] Parmensis editio, *Et quoque jam nescio quid.* Lege, *Jam quoque nescio quid:* et *de te,* pro *de me.* Heins.

199 *Et tecto simulatur lumine somnus*] Clausis oculis.

200 *Ejicioque manum*] Lege, *rejicioque.* Fast. I. 'Territa consurgit Nymphe; manibusque Priapum Rejicit.' Amor. I. 'Rejice libatos illius ore cibos.' *Heins.*

201 *Meque Offensam*] Imo, *me quod Offensam.* Idem.

203 *Si mihi quod gaudes, et te juvat ista voluptas*] *Hei mihi* tam hoc quam

Digitized by Google

proxime sequenti versu pro *Si mihi* Gronovius probe reponit. Sed nondum integer aut sanus est locus. Corrige igitur, *Hei mihi, quod gaudes, et te juvat ista simultas!* Idem.

205 *Si mihi lingua foret*] Parmensis editio *At mihi lingua foret*. Idem.

209 *Mirabar quare tibi nomen Acontius, &c.*] Etymologia. Est enim idem ἀκόντιον, quod jaculum. Ergo a longinquo, inquit, vulnus facis, et lædis: quia etiam nomen tale habes, quo id significatur.

210 *Quod faciat longe vulnus*] Virgil. 'longe fallente sagitta.' Et Silius XI. qui ubique Virgilii vestigia legit: 'Spargere tela manu passim fallentia.' Et Lucan. VIII. qui item Principem Poëtarum imitatur. 'Illita tela dolis, nec Martem cominus unquam Ausa pati virtus, sed longe tendere nervos, Et quo ferre velint permittere vulnera ventis.' Sic et Græci. Eurip. Herc. Fur. vs. 198. Ἐκὰς δ' ἀφεστὼς πολεμίους ἀμμύνεται, Τυφλοῖς ὁρῶντας οὐτάσας τοξοίμασιν. Et Æschyl. in Prometh. vs. 685. Ἑκηβόλοις τόξοισιν ἐξηρτημένοι. 'Succincti.' Virgil. Hinc et Apollo Homero ἑκηβόλος.

213 *Sane miserabile corpus*] Scribe *anne ut miserabile corpus*. Sic apud Martialem l. v. Ep. ult. *Sane* pro *Atne* nunc legitur: qui nævus totum ferme epigrammati acumen interverterat. Restituamus lepidissimum carmen, antequam manum de hac tabula tollimus, et Gallam Martialis Nasonianis Heroisin addamus: 'Saturnalia transiere tota; Nec munuscula parva, nec minora Misisti mihi, Galla, quam solebas. At, ne sic abeat meus December, Scis certe, puto, vestra jam venire Saturnalia, Martias Kalendas. Tunc reddam tibi, Galla, quod dedisti.' Omnia jam optime se habent. Prioribus versibus tangit Gallæ avaritiam, quæ cum solens parva semper miserit munuscula, nunc mittat nulla. Perperam legebatur, *quæ solebas*. Deinde *Sane* pro *At ne* frigidissime profecto. Allusit ad formulam minantium, *Non sic abibit*. Ne, inquit, impune feras indonata mihi hæc transiisse Saturnalia, at proximis Kalendis Martiis istam ego liberalitatem tuam pari parsimonia probe ulciscar. *Heine.*

214 *Bina tropæa*] Alterum, quod me scripto decepisti: alterum, quod nunc tua causa, fidei, ut tu jactas, non servatæ, pœnam patior. Dicitur autem tropæum, signum victoriæ, sive hostis profligati, ἀπὸ τῆς τροπῆς, hoc est, a conversione et fuga hostium.

216 *Refero mente*] Repeto animo: in memoria habeo.

217 *Candida misto ora rubore*] Virgil. 'Quale manus addunt ebori decus, aut ubi flavo Argentum Pariusve lapis circumdatur auro.' Et alibi. 'Qualis gemma micat, fulvum quæ dividit aurum.'

218 *Novi marmoris*] Nuper politi aut secti.

223 *Ne sim tibi victa, remittes*] Lege *vincta*: ut supra, 'Esse tuam vinctam nominet iste fidem:' codex etiam Mediceus *juncta*; bene: superiori epistola, 'Nabe, precor, dicet, cui te bona nomina jungunt.' *Heine.*

229 *Durius et ferro cum sit tibi pectus, Aconti*] Nisi fallor, ab auctore scriptum fuerat, *Durius ut ferro jam sit tibi pectus, Aconti*. Quem loquendi modum l. I. Pont. El. 7. 50. Nasoni quoque reddidimus, et pluribus illic adstruximus; quæ adeantur. *Idem.*

232 *Quæritur a Delphis fata canente Deo*] Consulitur Apollo, qui Delphis reddit oracula.

233 *Et quoque*] *Is quoque* recte Mediceus. *Heine.* *Vaga fama susurrat*] Æneid. IV. 'Parva metu primo, mox sese attollit in auras.' Et Ter. Andr. IV. 5. 'Jam susurrari audio.' Levis et incipiens rumor; vox populi: qui mox deinde crebrescit, clarescit, et 'Vires acquirit eundo.'

239 *Teque tenente Deos*] Est conclusio epistolæ. Quando igitur, inquit,

Digitized by Google

tu Deos ita tenes, hoc est, propitios habes et faventes, ego quoque numen Deorum tuorum sequor. Perinde ut ille apud Virgil. ait: 'Nate Dea, quo fata trahunt retrahuntque sequamur.' *Numen sequor ipsa Deorum*] Vetus liber, *pacis*. Puto, *partes sequor*. Heins.

241 *Fassaque sum matri*] Matri omnem rem exposui, ut tu monuisti. *Deceptæ fœdera linguæ*] Quomodo a te decepta sim, et quid tibi promiserim.

242 *Lumina fixa tenet*] Scribo, *Lumina fixa tenens plena pudoris humi*. Heins.

243 *Cætera cura tua est*] Cætera tibi permitto, tuæque curæ mando: ut videas, quo pacto tibi has nuptias conficias. *Plus hoc quoque virgine factum*] Ego etiam hoc, ultra quam virginem decet, feci, quod per litteras tecum collocuta sum.

247 *Quid nisi, quod cupio*] Puto, *cum cupiam*. Heins.

AMORUM LIB. I

EPIGRAMMA.

1 *Qui modo Nasonis*] Duo hæc priora disticha non ad Elegiam primam, cui perperam hactenus adnectuntur, sunt referenda, sed Epigramma per se conficiunt: quod secundæ Amorum editioni Naso duxerat præfigendum. Idque Mario Nigro in mentem quoque venisse serus animadverti, ac postea Mycillo; qui Nigrum laude debita fraudare non debuit. Politianus etiam in suo exemplari linea inducta hos versus a sequentibus dividendos videri designarat. Sed et in Arondeliano codice, recenti quidem illo, sic tamen scripturas nonnunquam emendatissimas exhibente, quem vir eximius ac celeberrimus Franciscus Junius cum aliis quibusdam Britannicis utendum mihi concessit, liquido separatum a prima elegia hoc ipsum epigramma spectabatur. At in vetustissimo Regiæ Bibliothecæ fragmento unius pagellæ, quod Artis Amatoriæ et Remediorum libris adhærebat, a prima quidem Elegia, ut fieri oportuit, non legebatur divulsum hoc Epigramma, debere nihilominus divelli apparebat ex ipso Titulo, quem hoc modo prodebat codex ille, P. Ovidii Nasonis Liber Primus Remediorum explicit. Incipit Ejusdem Amorum Liber Primus. Epigramma Ipsius. Huc denique alludit codex Patricii Junii, cujus in fronte, Incipiunt Epigrammata Amorum. *Heins. Qui modo Nasonis fueramus quinque libelli*] Non sine consilio amores scripturus poëta, hac prima elegia, amoris vim ac potentiam maximam exprimit. Ostendit enim, se olim Heroica componere cœpisse, sed amoris impatientia imperfectum opus reliquisse, et ad scribendos elegos confugisse. *Qui modo*

Digitized by Google

Nasonis fueramus quinque] Per hæc quatuor carmina colligimus, Nasonem quondam quinque de Amoribus volumina lusisse: quæ postea, diligentius recognita, in tria hæc redegit. Quem numerum etiam in Artibus posuit, ad puellam quam instruit, dicens: 'Deve tribus libris, titulus quos signat Amorum, Elige quod docili molliter ore legas.' *Modo*] Nuper. *Nasonis*] Cognomen est: Publius enim est prænomen, Ovidius proprium nomen.

2 *Hoc illi prætulit auctor opus*] Hos treis libellos magis probat auctor quam illos quinque. *Auctor*] Ovidius. *Auctor* non solum dicitur, qui facit; sed etiam, qui jubet aliquid faciendum. *Prætulit*] Præposuit. *Hoc opus*] Redactum in tria volumina. *Illi*] Operi quod in quinque libellos erat digestum.

3 *Ut jam nulla tibi non sit legisse voluptas*] *Ut jam multa tibi non sit* unus Palatinus, alii aliter. Fragmentum Regium, Jureti ac Puteani excerpta cum codice Neapolitano, *nulla tibi nos sit legisse voluptas*. Nihil verius. Id ipsum Mario etiam Nigro ac Mycillo venerat in mentem. Neque aliter videri sibi castigandum per literas me monuit vir officiosissimus Bern. Rottendorphius. *Heins. Ut nulla nos sit legisse voluptas*] Quare ut nulla jam voluptate nos legas, at neque pœna sive molestia magna afficieris legendo, quando pauciores quam antea sumus. Nam quæ sine voluptate, hoc est, inviti facimus, quo ea plura ac longiora sunt, eo magis nos gravant. Cæterum et illud movere oportet, quatuor priores hos versus non ad elegiam ipsam proprie pertinere, sed esse veluti titulum totius operis, sive epigramma. *Mic.*

4 *At*] Saltem. *Pœna*] Malorum enim poëtarum libelli, legentium animos non parvo afficiunt supplicio: sicut etiam malorum carminum recitatores, miseros enecant auditores. *Pœna*] Ideoque Horat. in fin. Art. Poët. 'Indoctum doctumque fugat recitator acerbus. Quem vero arripuit, tenet, occiditque legendo, Non missura cutem, nisi plena cruoris, hirudo.'

ELEGIA I.

1 *Arma gravi numero*] Inquit Ovidius suaviter quidem: Cum jam bella heroico versu scribere cœpissem, Cupido risit: eque secundo versu, qui erat primo similis, unum pedem sublegit: ita ex Heroico et Hexametro, Pentameter Elegiacus est factus. *Arma, &c.*] Etsi quæcunque bella intelligi possint, tamen melius est, ut Gigantomachiam seu Titanographiam intelligamus: quam se scribere cœpisse ostendit Naso l. II. El. 1. *Gravi numero*] Heroico versu, quo duces et bella cantantur. *Numero*] Metro. *Gravi*] Grandiloquo et auctoritatis pleno, quo gravia et magna referuntur.

2 *Materia conveniente*] Argumento congruo et apto modis. Materia dicitur ea, in qua aliquod opus versatur: ut Homeri Iliados materia erit Trojanum bellum. *Modis*] Modulationibus metrorum. *Materia*] Horat. Art. Poet. 'Sumite materiam vestris, qui scribitis, æquam Viribus.'

3 *Par erit inferior versus*] Nunc modos et numeros, quibus conveniens erat bellica materia, ostendit. Simi-

Digitized by Google

lis, inquit, erat primo secundus versus: senis enim pedibus et ipse carrebat. *Inferior*] Secundus. *Risisse*] Quod bella scribere cœpissem.

4 *Surripuisse*] Furtim eripuisse, ac furatus esse.

5 *Quis tibi, sæve puer, dedit hoc in carmina juris*] Neque enim Cupido, sed Apollo et Musæ poëtis præsunt. *Sæve puer*] Crudelis Amor. *Dedit hoc in carmine juris*] *In carmine* optime fragmentum Regium. 'Habere jus in aliquem' dicimur; *in aliquo* minus Latinum est. Noster infra Eleg. 7. 'In dominam jus mihi majus erit?' Ep. 4. 'Regnat, et in dominos jus habet ille Deos.' Met. XIV. 'nec majus in æquora Triton Jus habet.' Sic et ibi ex membranis reponendum. Fast. VI. 'In portus nato jus erit omne tuo.' Seneca Œdipo, 'Jus habet in fluctus magni puer advena ponti.' Publius Syrus, 'Fortuna jus in hominis mores non habet.' Auctor Octaviæ, 'quis jus in nos Fortuna dedit, testor Superos.' Noster infra l. II. El. 4. ex veteri codice, 'Nam desunt vires in me mihi jusque regendum.' Lucanus l. VI. 'hoc juris in omnes Est illis Superos.' Lib. VIII. 'hoc juris habebat In tantum Fortuna caput!' Lib. IX. 'quod jus habuisset in ipsum Ulla lues?' Statius Theb. V. 'In famulam jus esse ratus dominoque duciqne.' Juvenalis Sat. II. 'nil animis in corpora juris Natura indulget.' *Heins.*

6 *Pierides*] Musæ dicuntur, a regione Piera, sive monte Pierio. Sunt enim multipliciter a locis et fontibus cognominatæ, ut Pegasides, Olympiades, Thespiades, Heliconiades, Libetrides, et Pimpleides. *Tua turba sumus*] Codex Regius *turma;* unus Palatinus et Vaticanus *membra;* etiam probe: ut in Tristibus, 'Et domus et fidæ dulcia membra domus.' *Heins.*

7 *Quid si præripiat flavæ Venus arma Minervæ*] Quid, inquit, si mutatis officiis Venus Minervæ arma, Minerva Veneris faces possideat? Quid si in sylvas et montes Ceres migret, et Dianæ colenda arva relinquat? &c. Unusquisque enim officio suo contentus esse debet. *Arma Minervæ*] Armis et ipsa Minerva præest, quod e vertice Jovis armata prosiluisse dicatur. Hanc Cicero belli inventricem et principem fuisse asserit. Hoc autem antiquitus Palladi est datum: quia non minus consilio, quam viribus bellicis victoria acquiritur. Arma igitur, id est, ægida, hastam, et scutum. *Flavæ*] Flavam dicit Minervam, aut a capillorum colore, quorum pulchritudine censetur. Sic etiam apud Poëtas flavum Ganymedem, apud Horatium flavam Phyllida appellari antumo. *Venus*] Amoris mater. *Venus arma Minervæ*] Iliad. E. 348. Diomedes Veneri, cujus dextram lancea perstrinxerat. Εἶκε, Διὸς θύγατερ, πολέμου καὶ δηϊοτῆτος Ἦ οὐχ ἱκανὸς, ὅττι γυναῖκας ἀνάλκιδας ἠπεροπεύεις.

8 *Ventilet*] Moveat, ut ventum faciat, quo magis accendantur. *Faces*] Quibus amantum corda incendunturur. Faculæ enim et sagittæ, sunt Cupidinis arma, quibus et urat et vulneret. *Accensus*] Ut accendantur: ut est apud Virgil. 'Submersasque obrue puppes.' *Ventilet faces*] Eleg. seq. 11. 'Vidi ego jactatas mota face crescere flammas.'

9 *Cererem*] Frugum Deam. *Sylvis jugosis*] Quæ jugis et collibus sunt insitæ: his enim Diana maximè gaudet.

10 *Coli*] Aratris exerceri, arari. *Lege*] Jussis, præceptis, quæ de colenda terra non Diana tradidit, sed ipsa Ceres, quæ prima frumentum reperit. *Pharetratæ*] Pharetra accinctæ: est n. venatrix. *Virginis*] Dianæ, quæ perpetua virginitate frui voluit.

11 *Cuspide*] Hasta, qua Mars in bello utitur. *Phœbum*] Per epitheton Apollo Phœbus dicitur, a specie et nitore. Græci enim φοῖβον, purum et splendidum dicunt. *Crinibus insig-*

Digitized by Google

nem] Conspicuum capillorum pulchritudine: quibus Apollo et Bacchus sunt insignes.

12 *Instruat*] Armet. *Aoniam lyram*] Id est, Musicam: nam Musæ a Poëtis Aonides vocitantur. Aonia enim, quæ et Bœotia dicta est, tota Musis consecrata erat.

13 *Sunt tibi magna, puer, nimiumque potentia regna*] Nimirum potentissima sunt Cupidinis regna: quando nec quisquam illius sagittas vitare potest: citius serius, omnes fere ille vincit. Hinc Ovid. alibi: 'Regnat, et in dominos jus habet ille Deos.' *Nimium potentia regna*] Quam illi potentiam ipsa quoque Mater attribuit. Virg. I. 'Nate, meæ vires, mea magna potentia, solus, Nate, patris summi qui tela Typhoëa temnis.'

14 *Cur opus affectas, ambitiose, novum*] Affectas, curiose nimium appetis. *Affectas*] Plaut. Menæchm. IV. 3. vs. 12. 'video quam rem agis Ut me defraudes, ad eam rem affectas viam;' et alibi. Quod Terent. etiam in suos convertit usus, in Heautont. 'ad dominos qui affectant viam.' Et in Phorm. 'Hi gladiatorio animo ad me affectant viam.' Id est, intendunt viam, ut Servius ad illud Virgil. III. 'Verum ubi nulla datur dextram affectare potestas.' Qua de re tamen alibi plura sunt dicenda. *Ambitiose*] Qui nimium honores cupit, *ambitiosus* dicitur. *Opus*] Poëticum. *Novum*] Tibi non usitatum.

15 *An, quod ubique, tuum est*] Num ubique regnas, et in omnia jus habes? *Tua sunt Heliconia Tempe*] Possidesne etiam ea loca, quæ Apollini et Musis sunt consecrata? *Heliconia Tempe*] Amœna Musarum vireta, quæ in Helicone sunt, qui mons Bœotiæ altissimus, ad Aquilonem, non procul a Parnasso distans, Musis est sacer. Hinc Heliconiades Musæ sunt cognominatæ. *Tempe*] Amœnissimus est Thessaliæ locus, quinque milibus passuum in longitudinem porrectus. Ab eo amœnissima quæque loca Tempe vocitantur.

17 *Cum bene, &c.*] Cum, inquit, feliciter cœpissem primo versu, nec mihi spiritus deesset in bellis scribendis, Cupido vires meas minuit. *Bene surrexit*] Qui enim grandia bene canunt, ut Homerus, Virgilius, Valerius Flaccus, et alii, vehementi spiritu insurgere dicuntur. Aut, *surrexit*, id est, incepit.

18 *Attenuat nervos proximus ille meos*] *Proximus ille* Fragmentum Regium cum Scaligeri et Puteani excerptis ac altero codice regio. Forte, *proximus inde*. Pentametrum designat. *Heins. Proximus*] Statim post primum versum, ne alterius sic procedam. *Attenuat*] Minuit. *Nervos meos*] Meas vires in scribendo. In nervis enim animalium vires consistunt. Sic Cicero vectigalia, reipublicæ nervos appellat. Non tamen absurda erit interpretatio, si per nervos cytharam accipies, in qua nervi, id est, chordæ intenduntur: ut dicat Ovidius, suam lyram sublimem sonum ab Amore tenuari.

19 *Nec mihi materia, &c.*] Sic inceptum opus perficere nec possum, spiritu deficiente: nec argumentum, quod elegiaco carmine exornem, habeo ullum; tum enim nec puerum nec puellam aliquam amabat, ut ipse ait.

20 *Puer*] Qualis Virgilii Alexis, Horatii Ligurinus. *Comta comas*] Comptas habens comas. *Comta comas*] Æneid. III. 'Iliades crinem de more solutæ;' et sæpe.

21 *Questus erum*] Quod pueri culpa, bella quæ canenda sumpseram, relinquere coactus fuerim: nec mihi elegis materia apta suppeteret. *Questus erum*] Simillimo usus exordio est Anacreon, festivus senex, Epigr. I. εἰς λέραν. Ad quem videtur respexisse Ovid.

23 *Lusuvit*] Suaviter dixit, pro incurvavit, ut intenderet. *Fortiter*] Summa vi. *Sinuosum*] Flexuosum,

Digitized by Google

incurvum. *Lunavit*] Quod Virgil. præclare explicat Æneid. XI. loquitur autem de Opi: 'cornuque infensa tetendit, Et duxit longe, donec curvata coirent Inter se capita, et manibus jam tangeret æquis, Læva aciem ferri, dextra nervoque papillam.'

24 *Quadque canas*] Hoc poëtæ dicens Cupido, in eum amoris sagittas contorsit. *Opus*] Hoc argumentum, hanc materiam, de qua numeris leviioribus canere poteris: id est, amoris vulnera. *Vates*] O Naso poëta.

25 *Certas*] Certæ sagittæ Cupidinis dicuntur quia nunquam fallunt, semper destinatum feriunt.

26 *Uror*] Incendor amoris facibus. *Vacuo*] Antea scilicet libero, et amoris incendio carente.

27 *Sex mihi, &c.*] Volo, inquit, nunc, quando amor me sollicitat, et materiam large mihi dedit, elegiaco carmine amores scribere, non bella.

28 *Ferrea bella*] Fortia, aspera, crudelia, in quibus ferro pugnatur. *Valete*] Hinc facessite, abite, recedite. Est autem hic imprecationis verbum: ut apud Terent. in And. 'Valeant, qui inter nos discidium volunt.' *Cum vestris modis*] Cum vestris numeris. *Modis*] Hinc modulari. Virgil. Eclog. Daphn. 'Carmina descripsi, et modulans alterna notavi:' ubi vide Serv.

29 *Cingere littorea, &c.*] Musam suam alloquitur poëta, dicens, ut myrtea corona velit coronari, quæ levioribus poëtis datur: non laurea, quæ epici, id est, heroici poëtæ donantur. Ordo et sensus est: O Musa emodulanda a me per undenos pedes, cingere tempora tua flaventia myrto littorea. *Flaventia tempora*] Fluvi enim crines dantur Musis. *Myrto*] Myrtea corona: ut amatoria canens. Poëtæ enim Elegiographi, aut etiam lyrici, myrto coronabantur, quia Veneri myrtus est dicata. Aut quia odorifera est, et odoribus Venus delectatur.

30 *Musa*] Erato. Namque hic nomen amoris habet, ut dixit Naso: et Elegiographis poëtis præest, sicut Heroicis Calliope. *Undenos pedes*] Elego carmine. Si quis enim hexametrum et pentametrum in pedes resolvat, undecim erunt. Notanda est autem Poëtæ facundia, qui tam lepide, tam venuste variatis verbis et dicendi figura, eundem sensum exprimit.

ELEGIA II.

1 *Esse quid hoc dicam*] Quid esse causæ dicam, inquit Poëta, rudis adhuc, et tyro in amatoriis castris, quod strata, quæ alloqui sunt mollia, mihi tam dura et aspera videntur.

2 *Strata*] Quæ jacentibus substernuntur, strata appellantur. *Pallia*] Vestes, stragula, quibus lecti cooperiuntur.

3 *Et vacuus somno noctem*] *Vacuam* primus Mediceus; parum refert. *Heins.*

4 *Lassaque versati, &c.*] Qui somno frui non potest, membra huc et illuc versat: nunc pronus nunc resupinus jacens. Id præsertim amantibus evenit.

5 *Nam puto sentirem, si, &c.*] Non poterat prima fronte amorem agnoscere poëta, quem antea nunquam noverat. *Tentarer*] Sollicitarer.

6 *An subit*] An occupat nostra corda furtim? *Arte*] Dolo. *Tacita*] Occulta, latente. Virgil. 'Occultum

Digitized by Google

inspires ignem, fallasque veneno.' Ciofanius ex libb. antiquis legendum esse contendit, *tecta*. *Tacita callidus arte nocet*] *Tecta arte* major librorum pars: quod perperam Ciofanio probatur. Vide notas nostras ad Epist. IV. 20. Fragmentum Regium *secta*. Forsitan pro *cæca arte*; de quo Met. III. 489. nonnihil dixi: sic 'cæcum vulnus,' et ejusmodi plura ubique obvia. *Heins.*

7 *Sic erat*] *Erit* Fragmentum Regium. *Idem*. *Sic erat*] Furtim in animum meum irrepserat Cupido. *Hæserunt*] Fixæ erant. Virg. 'Hæret lateri letalis arundo.'

8 *Possessa*] Antea enim dixerat, 'in vacuo pectore regnat amor.' Sic Horat. 'Et venit in vacuam:' a Jureconsult. desumtum. *Versat*] Cic. Cat. Maj. in pr. 'Quæ nunc te coquit et versat sub pectore fixa:' id est, violenter et arbitratu suo vertit, agit.

9 *Cedimus? an subitum, &c.*] Utrum, inquit, melius est, amori cedere, an repugnando magis illum accendere?

10 *Cedamus: leve fit*] *Cedimus, ut leve sis* duo codices: totidem *et leve fit*. Puto, *Cedimus en! leve fit, quod bene fertur onus*. Remed. Amor. 'Cedimus en! medio jam licet amne bibas?' quomodo et illic censeo scribendum. *Heins.* *Cedamus*] Jam post dubitationem bonum esse cedere judicavit. Levius, inquit, fit onus, si patienter fertur. Sic Horat. 'Levius fit patientia, Quicquid corrigere est nefas.' *Bene*] Id est, patienter.

11 *Vidit ego jactatas*] Sic amor multo acrius eos urget, qui repugnant, quam qui cedunt. *Jactatas*] Concussas. *Crescere*] Angeri. *Mota face crescere flammas*] *Motu flavescere* unus Palatinus et Vaticanus; quod Gebhardo in Crepundiis arrisit. Glaserianus *motu concrescere*. Fruterius ex Prisciano, *motu flammescere*: quomodo et unus Moreti cum excerptis Dousæ. Nonnulli *mota face surgere*. At vulgata scriptura bene se habet, quam et Seneca in Controversiis agnoscit. *Heins.*

12 *Mori*] Id est, extingui. *Mori*] Sic *vivere* dicitur ardere, lucere. Prop. IV. 3. 50. 'Hanc Venus, ut vivat, ventilat ipsa facem.'

13 *Usus*] Arandi consuetudo.

14 *Detrectant*] Repellunt, recusant. *Juga prima*] Quibus antea non assueti.

15 *Asper*] Ferus, indomitus, quales sunt pulli. *Contunditur ora*] Dura lupata aspero equo ora contundunt, frangunt, rumpunt. *Lupatis*] Frenis. Sunt autem lupata asperiora frena, a lupinis dentibus sic dicta, qui inæquales sunt.

16 *Quisquis ad arma facit*] Quisquis bello est aptus, nec frena recusat.

17 *Acrius invitos multoque ferocius urget*] *Urit* malim: ut Epist. Herus, 'Vel si minus acriter urar.' Amor. II. Eleg. ult. 'Quod licet, ingratum est: quod non licet, acrius urit.' Sic lib. III. 'Hic ille est, Quem ferus urit amor;' multi codices *urget* habent. Art. III. 'Nec amor nos urit habendi;' ubi similis diversitas: et Medic. Fac. 'Sic potius nos uret amor;' ubi etiam *urget* vulgo. *Heins.* *Invitos*] Amorem recusantes.

18 *Servitium ferre*] Amantes enim non sunt sui juris. *Acrius invitos*] Tibull. lib. I. Eleg. 8. 'Deus crudelius urit, Quos videt invitos succubuisse sibi.'

19 *En ego confiteor*] Confessus amor: vide Ep. XIX. 4.

20 *Perrigimus victas ad tua vincta manus*] *Ad tua jura* scripti plerique: quatuor *ad tua jussa*; minus bene. Propertius, 'Ecce jaces, supplexque venis ad jura puellæ.' Idem, 'Et trahit addictum sub sua jura virum.' Sabini Paris, 'Damnatumque tibi me sub sua jura Cupido Pertrahit.' Contra 'injicere manus in jura:' Epistola Hermiones, 'Injice non timidas in tua jura manus.' Am. II. El. 5. 'Injiciam dominas in mea jura manus.' Ep. Med. 'Clamarem, Meus est, in-

Digitized by Google

jiceremque manus.' Infra, El. IV. 'Et dicam, Mea sunt, injiciamque manus.' Plura dixi ad Epist. III. vs. ult. At unus Mediceus, *ad tua crura*, ut Epistola Acontii, 'Tendere submissas ad tua crura manus:' *vinctas* etiam *manus* tres scripti. *Heins.*

21 *Nil opus est bello*] In me: quia me tibi dedo.

23 *Necte comam*] Nunc describit poëta, qualis futura sit Cupidinis triumphantis forma. Noli, inquit, o Cupido, amplius in eos quos vicisti sævire: quinimmo præpara te triumpho. *Necte igitur*] Id est, implica: impedi comam, caput tuum. *Maternas columbas*] Matri tuæ Veneri consecratas.

24 *Qui decent currus*] *Qui decent currum* scripti. *Heins. Qui decent currum vitricus ipse dabit*] A Marte currum accipies. Ut militum animos Cupidini deditos monstraret. Unde non temere antiqui fabulati sunt, Venerem Marti fuisse conjunctam.

26 *Adjunctus*] Currui alligatas. *Arte movebis*] Arte reges. *Aves*] Columbas. Sed ne quis rideat poëtam, quod robustissimos Martis currus ab imbellibus columbis tractum iri dicat, scias, non sine consilio hoc factum: voluit enim ostendere, Amoris vires, licet parvulus sit puer, maximas esse, ut supra dixit.

28 *Hæc tibi magnificus pompa, &c.*] Pompa Græcum est vocabulum: dicunt enim Græci πομπὴν, et significat proprie in triumpho, solemnem apparatum et ostentationem. Hæc pompa igitur, id est, hæc series et ordo procedentium captivorum erit tibi celeberrimus triumphus.

29 *Ipse ego præda recens*] Novus captivus. *Factum*] A te illatum.

30 *Vincula*] Vincti enim captivi ducebantur in triumphis. *Captiva mente*] Nam Cupido non corpus, sed animum capit.

31 *Manibus post terga revinctis*] Alii *ligatis*: at Fragmentum Regium, cum nonnullis scriptis editisque, *retortis*. Quomodo Virgilius, et noster alibi loquuntur. *Heins. Manibus retortis*] Id est, revinctis. Sed dum *retortis* dicit, majorem vim exprimit.

32 *Castris*] Nam, ut inferius dicet, 'Militat omnis amans, et habet sua castra Cupido.' *Quicquid obest*] Ut pudor et similia.

33 *Ad te sua brachia tendent*] Fragmentum Regium *ad te sua brachia tendens Vulgus*; quod sequor. Bene etiam unus Moreti *Vulgus canent*. Est autem Tibull. pentameter, apud quem habes, 'Miles, io, magna voce, Triumphe, canet.' *Heins. Omnia te metuent*] Plus dixit genere neutro, quam si masculino, *Omnes* dixisset. *Sua brachia tendens*] Ut se victum ostendat, aut tibi applaudat. Tendere enim brachia ad aliquem, est deditionis indicium facere. *Brachia tendent*] Virgil. XI. 'Oremus pacem, et dextras tendamus inermes.' Sic et Græci, χεῖρας προσχήσαντες. Halicar. 3. quod fiebat ἱκετῆρι θαλλῷ.

34 *Vulgus*] Populus, plebs. *Io triumphe*] Hæc vox erat clamantium militum per urbem, cum redeuntes in Capitolium imperatorem prosequerentur. *Io*, quando pro Inachi filia ponitur, primam syllabam producit: quando autem est interjectio, eandem corripit.

35 *Blanditiæ comites tibi erunt*] Te veluti milites triumphantem imperatorem comitabuntur; et recte: blanditiæ enim et illecebræ amorem maximè nutriunt. *Blanditiæ comites*] Comites hi videntur provenire ex Veneris cingulo. Iliad. Ξ. 216. Ἔνθ' ἔνι μὲν φιλότης, ἐν δ' ἵμερος, ἐν δ' ἐραωτὸς, Πάφφασις, ἥ τ' ἔκλεψε νόον πύκα περ φρονέοντα. Hæc sunt veneficia illa, et illecebræ, quibus vacuum pectus, tamquam vinculo quodam adstringitur. Quod Plautus videtur significare in Bacchid. I. 2. 28. 'O præligatum pectus.' Comites vero blanditiæ sunt: 'Venustas, gaudium, Jocus, Indus, sermo, suavis suaviatio,' ibid. vs. 7.

Digitized by Google

'Cum tanta pompa:' vs. 6. ibid. *Terrorque, furorque*] Scribe, *errorque*, cum prima editione: 'error' enim et 'furor' pro amore passim apud Poëtas: de quo dicendum infra ad Eleg. 10. *Heins.*

36 *Partes tuæ*] Tua incepta, tua castra.

37 *His militibus*] Scilicet blanditiis, errore, et furore.

39 *Læta*] Quod te triumphantem viderit. Aut perpetuum Veneris est epitheton. Hom. Ἀφροδίτην φιλομειδέα, id est, Venerem amantem risum. *Triumphanti*] Tibi. *Mater*] Venus.

40 *In ora*] Scil. tua. *Rosa*] Est enim rosa flos propter pulchritudinem et suavem odorem Veneri sacer. Et sicut rosa brevi viget, ita et Venerea voluptas.

41 *Tu penna pulchros gemina variante capillos*] Fragmentum Regium et Neapolitanus codex cum excerptis Scaligeri, *Tu, pennas gemma, gemma variante capillos;* quam veram esse scripturam ne dubita. Remed. Amor. 'Hæc ego: movit Amor gemmatas aureas alas, Et mihi, Propositum perfice, dixit, opus:' ubi 'aureum' vocat Amorem, quomodo et hic versu proximo: ita Ἔρως χρυσοχαίτας Anacreonti dictus. Posset et *variate* legi non insolenti Græcismo. *Heins.* *Gemma*] Dominie. Marius *gemina*, id est, duplici, censet legendum: nam 'gemina penna' idem est quod Maro dixit, Paribus alis. *Variante*] Distinguente. Alatus autem Cupido pingitur, ad ostendendam amantium levitatem et mutabilitatem: ut supra diximus de eodem puero.

42 *Aureus*] Pulcher. *Rotis*] Curru.

45 *Non possunt*] Ostendit quam facile et pronum sit in amorem prolabi.

46 *Fervida*] Etsi, inquit, facularum tuarum ignis hominum cordibus non applicetur, vicino tamen vapore urit. *Vapore*] Calore. *Vapore*] Igneo afflatu. Æneid. v. 'lentusque carinas Est vapor.'

47 *Talis erat*] Cupidini blanditur Poëta. Talis, inquit, o Cupido, tui triumphantis est species, qualis fuit Liberi patris, qui orbem fere terrarum peragravit, quam plurimas nationes subegit, Indos denique debellavit, et primus omnium triumphavit; vectus Indico elephanto. *Domita*] Debellata. *Gangetide terra*] Id est, terra Indica a Gange maximo Indiæ fluvio. *Bacchus domita Gangetide terra*] Metam. IV. 20. 'Oriens tibi victus, adusque Decolor extremo qua cingitur India Gange;' et quæ seqq. Et de Ponto l. IV. Epist. 8. 61. 'Sic victor laudem superatis Liber ab Indis, Alcides capta traxit ab Œchalia.' Et Fastor. III. vs. 465. 'Interea Liber depexos crinibus Indos Vincit, et Eoo dives ab orbe venit.'

48 *Tu gravis*] In omnibus, inquit, eris Baccho similis, hoc excepto, quod tu columbis, ille tigribus est invectus.

49 *Ergo cum possim*] *Ergo ego cum possim* septem codices; quomodo Noster sæpenumero alibi. *Heins.* *Ergo*] Hæc omnia quæ dixerat tendebant, ut veniam a Cupidine impetraret.

50 *Parce*] Noli. *Opes*] Vires. *Perdere*] Male consumere. Victores enim eas vires perdere dicuntur, quas in victos exercentur.

51 *Aspice*] Hæc in Cæsaris Augusti gratiam dicit. *Cognati*] Consanguinei. A Venere enim genus ducere gens Julia credebatur. Quod Horatius et Virgil. tangunt, per Julium Sidus, per Dionæum Cæsarem, &c. *Felicia arma*] Quæ fœlicitas sequitur. Clementissimus fuisse perhibetur Octavius Augustus.

Digitized by Google

ELEGIA III.

1 *Justa precor: quæ me*] Bono usus est ordine Poëta: nam cum supra se Cupidinis captivum ostendisset, nunc ad puellam scribit, cujus amore correptus est, eam obsecrans, ut amata redamare velit, aut saltem se amari patiatur: dicitque, id se propter fidem et poëticam artem, quam callet, ac mores ingenuos mereri. *Justa precor*] Causam petitionis ostendit, dicens. *Prædata est*] Cepit.

2 *Aut faciat cur*] Sui copiam mihi faciat, quæ erit causa ut eam semper amem.

3 *Ah nimium volui*] *Vovi* putabam: nil temere tamen mutandum. *Heins.*

5 *Deserviat*] Quia, ut in præced. Epist. vs. 17. 'Acrius invitos, multoque ferocius urget, Quam qui servitium ferre fatentur, amor.'

6 *Pura fide*] Id est, simplici, incorrupta: est autem perpetuum fidei epitheton. *Pura*] Hinc apud Romanos Fidei sacrificantes albo panno caput velabant. Bene a fide se commendat Poëta: nam, ut Propertius inquit, 'Multum in amore fides, multum constantia prodest.'

7 *Magna Nomina*] Qualia sunt, regis, dictatoris, consulis, magistri equitum, et similium. *Commendant*] Probant, decorant.

8 *Si nostri sanguinis auctor eques*] Rectius alii *nec nostri*. Heins. *Nec nostri, &c.*] Dominic. Marius legend. censet, *si nostri sanguinis auctor eques:* et dicit eum equestri familia natum fuisse, quod et ipse pluribus in locis asserit: ut in Trist. l. IV. ubi ait, 'Si quid id est, usque a proavis vetus ordinis hæres. Non modo fortunæ munere factus eques.' Et in lib. de Ponto: 'Si genus excutias, equites ab origine prima, Usque per innumeros inveniemur avos.' Sententia tamen auctoris alio ducit: ut nobiliss. et accuratiss. Heins. censet. *Magna Nomina*] Quæ et Virgil. 'Lumina magna.'

9 *Nec meus*] Etsi multa jugera non possideo. *Meus campus*] Sua rura intelligit, quæ in Pelignis habuit.

10 *Temperat et sumtus*] Malim, si per scriptos codices liceat, *sumtu:* ut *sumtu* pro *sumtui* dicatur ἀρχαϊκῶς, aut præpositio subintelligatur. *Heins. Temperat et sumtus*] Parce impensas facit.

12 *Hoc faciunt*] *Faciant* scripti nonnulli; hoc est, commendent; quod præstat. Puteaneus, *Hoc faciunt, ut, me qui tibi donat, Amor.* Heins. *Hoc faciunt*] Id est, me commendant. *Et*] Ordo est: Et amor, qui donat me tibi. *Hoc*, supple, *facit:* id est, me commendat, quia te vehementer amo.

13 *Et non cessuri nisi Dis sine crimine mores*] Puteaneus, *Et nulli censura et Dis sine crimine mores.* Neapolitanus et alii quinque, *Et nulli cessura fides; sine crimine mores:* quod admittendum reor. *Heins.*

14 *Nudaque*] Non sum, inquit, versutus, veterator, fallax, duplex, bilinguis: verum contra simplex, apertus. *Nuda*] Pura, et est proprium simplicitatis epitheton.

15 *Non sum desertor Amoris*] *Desultor* optime Puteaneus et Arondelianus, cum ejusdem Puteani, Jureti, ac Scaligeri excerptis. Atque ita Carrio in Emendationibus restituendum monuit. Sex alii *deluror:* Neapolitanus *simulator;* frustra. Nec pro vulgata lectione ista Herus faciunt, 'Ad tua castra redi, socii desertor Amoris:' 'desertor' enim 'amoris' est, qui non amat; 'desultor,' qui amat inconstan-

Digitized by Google

ter, nunc hanc nunc illam secutus. *Heins. Non sum desultor amoris*] Ea omnia a se removet Poëta, quibus maxime offenduntur in amore puellæ. *Desultor*] Qui fortunati est oppidi similis, nec potest suam rem obtinere solus, sine multis fœminis. *Non desultor*] 'Αταύρωτος. Æschyl. Agam.

17 *Quos dederint annos mihi fila sororum*] Legi olim placebat, *nerint annos:* ut apud Martial. Ep. I. 89. 'Cum mihi supremos Lachesis perneverit annos:' sed aliter scripti codices, quibus accedo. *Heins. Sororum*] Parcarum: quas Sorores Lanificas et Martialis appellat. Tres autem esse perhibent, unam, quæ Clotho appellata, vitam hanc ordiatur; alteram, quæ contexat, et Lachesis dicitur; tertiam, quæ rumpat ac finiat, et Atropos nominatur.

18 *Contingat*] Optantis est. *Teque dolente mori*] Codex Regius *te moriente mori*, argute. Scripserat puto Noster, *teque obeunte mori*. Heins.

19 *Te mihi materiam*] *Materiem* meliores. *Idem.*

21 *Carmine nomen habet*] Scribe *habent* cum tribus codicibus, ut versui consulatur. Puteaneus mendose, *Carmina numen habent;* quod et alios codices occupavit. *Idem. Carmine nomen*] Quemadmodum, inquit, poëtarum carminibus celebres sunt Io, Leda, et Europa: ita et tu meo carmine celebraberis, eoque pacto ego ac tu immortalitatem consequemur. *Io*] Hanc Inachi Argivorum fluminis filiam Jupiter amavit. *Exterrita cornibus*] Ovid. in Epist. Hypermnestræ, 'Territaque est forma, territa voce sua.'

22 *Quam*] Ledam dicit, Tyndari regis conjugem, cum qua sub cycni forma Jupiter concubuisse dicitur: eamque ovum peperisse fabulantur Poëtæ, unde nati sunt Castor et Pollux. *Lusit*] Delusit, decepit, fefellit. *Adulter*] Jupiter. *Fluminea ave*] Id est, cygno, qui flumine gaudet.

23 *Quæque super pontum*] Europa, Agenoris Phœnicium regis filia, quam Jupiter in taurum versus rapuit, ac in Cretam transportavit. *Simulato juvenco*] Falso bove: sub ejus forma Jupiter latebat.

24 *Virginea tenuit cornua falsa manu*] *Cornua vara* idem Carrio in Emendationibus; quomodo Puteaneus et Neapolitanus ex nostris; Arondelianus *vera;* duo alii *curva;* Excerpta Dousæ *pressa;* perperam. Metamorph. lib. XII. 'Cornua vara boum multo rubefacta cruore:' quomodo illic quoque scribendum ex vestigiis veterum librorum. Lib. III. de Jove in bovem mutato, 'Cornua vara quidem, sed quæ contendere posses Facta manu:' ita scribo: *parva* nunc ibi legitur. Claudianus bello Getico, 'Vara per obscuras apparent cornua frondes;' non *rara:* quod est in vulgatis. Vide Nonnium in 'Obvarare,' et quæ noto Met. XI. 83. *Heins. Falsa*] Simulata.

25 *Pariter cantabimur*] Simul celebres erimus.

26 *Nomina nostra*] Nostræ laudes.

ELEGIA IV.

1 *Epulas nobiscum aditurus easdem*] *Nobis aditurus easdem* Puteaneus et Mentelianus recte, ut jam monui ad Claudianum: qui pari Græcismo *eadem sorori*, pro, eadem quæ soror, dixit. Ambrosianus unus et Moretanus, *nobis epulas;* quod tantundem est. Noster Met. XIII. 'Et nunc ille

Digitized by Google

eadem nobis juratus in arma.' Lucretius lib. III. 'quorum unus Homerus Sceptra potitus eadem aliis sopitu' quiete est:' eadem qua alii quiete sopitus: et l. II. 'Atque animalibus sunt mortalibus una eademque.' Cicero Varroni Ep. Famil. IX. 'Erant enim nobis perirati, quasi quicquam de nostra salute decrevissemus, quod non idem illis censuissemus.' Ammianus l. XXVI. 'Arbetionis domum, cui antea tanquam eadem sibi sentienti, parcebat ut propriæ, jussit eximaniri.' Sic et 'simul nobis' Trist. v. El. 10. 'Quippe simul nobis habitat discrimine nullo Barbarus:' quod non est mutandum. Contra 'alias nobis epulas aditurus' dixere: quomodo Horatius, 'Ne quis sese alius Lysippo duceret ære;' hoc est præter Lysippum. Plautus, qui 'quærit alia his, malum videtur quærere.' Sallustius, 'aliud bello malle.' Phædrus l. III. 'quod si accusator alius Sejano foret,' alius quam Sejanus. *Heins.*

3 *Ergo*] Hæc particula indignationi est accommodata. *Conviva*] Non ut amator.

5 *Alteriusque sinus apte subjecta fecebis*] Sic meliores constanter. Alii magno numero, *sinu dextram subjecta: sinus dextram* Farnesianus: *sinum dextra* Regius. *Alterius captam dextram* unus Vaticanus: alius cum Arondeliano, *Alteriusque apte dextram:* unus Medicens, *Alteriusque sinu dextram subnixa.* Ulcus opinor subesse. *Heins.*

7 *Desine mirari*] Sensus est: Quod in convivio Centauri Hippodames pulchritudine moti, eam rapiendi causa ad arma venerint, non est mirandum: nam et ego, qui non ita efferus sum ut Centauri, vix possum me continere, quin in te manus injiciam. *Candida*] Pulchra.

8 *Atracis*] Hippodame Atracis fluvii filia, quæ Pirithoo Ixionis ex Deidamia filio nupsit. Vide Met. l. XII. Est autem hic Atracis patronymicum, ut Tyndaris. *Ambiguos viros*] Id est, duplices, bimembres. Centauros dicit. *Traxit*] Pulchritudine sua.

9 *Nec mihi*] Non sum, inquit, Centaurus. *Nec equo mea membra cohærent*] Centauri enim ex superiore parte sunt homines, inferiore equi.

15 *Cum premit illa torum*] *Premit* Puteaneus: et *succurrit* mox pro *succurrat:* et *Verba teges* pro *leges;* quomodo et Neapolitanus et optimus Palatinus: forte *tegens.* Cæterum sub iis quæ sequuntur, *Ibis ut accumbas,* mendum latet. *Heins. Cum premet ille*] Maritus tuus. *Torum*] Lectulum in quo discumbitur.

17 *Vultum loquacem*] Qui loquentis officio fungetur.

18 *Notas*] Signa quibus sensum suos invicem exprimunt amantes sine voce.

19 *Verba supercilii sine voce loquentia dicam*] *Dicam* opinor Nasonem scripsisse, etsi pro vulgata scriptura membranæ omnes stant: sic 'longas in fletum ducere voces' Virgilio. Horatius Arte, 'Respicere exemplar vitæ morumque jubebo Doctum imitatorem, et vivas hinc ducere voces.' Pari modo 'trahere verba,' 'voces,' 'sermonem' dicebant. *Heins. Verba supercilii*] Sic in I. de Arte, 'Multa supercilio, multa loquare notis.'

20 *Verba leges digitis*] Amantes enim transversis digitis literas formant, quibus sine voce loquantur.

23 *Quod mente loquaris*] *Quæraris* excerpta Scaligeri et Puteani, cum Neapolitano et aliis quatuor. Plinius XI. 45. 'Est in aure ima memoriæ locus, quam tangentes antestamur.' *Heins.*

27 *Tange manu mensam*] *Mentum* Lipsius Elect. II. 6. perperam. Seneca Controvers. l. IX. 'In convivio constitit catenatus, qui cum languentes Prætoris oculos aspexit, existimans ipsum Prætoris beneficio dimitti, gratias isti agere, et utrisque manibus mensam tenens, Di, inquit, immortales tibi parem gratiam refe-

Digitized by Google

rant.' *Idem. Tangunt quo more precantes*] Antiqui non existimabant profuturam orationem solam, nisi præcantes tenerent aras manibus. Virgil. in sexto, 'Talibus orabat dictis, arasque tenebat.'

39 *Puerum*] Pincernam, ministrum. *Leviter*] Ne vir sentiat te illius manu temperatum poculum sprevisse, et aliud a ministro petere. *Quod ipse voles*] *Velis* octo libri. *Heins.*

41 *Quæ tu reddideris*] Aut ministro, aut in mensa, ubi fuerant, reposueris.

43 *Quæ prægustaverit ipse*] *Quod* Puteaneus cum aliis nonnullis. *Heins.*

45 *Nec premat indignis sinito tua colla lacertis*] Non moverem controversiam huic lectioni, nisi variarent codices, quorum pars magna *Nec premat ille suis:* meliores tamen, *Nec premat impositis;* recte. Ep. Paridis, 'Pœnitet hospitii, cum me spectante lacertos Imponit collo rusticus ille tuo.' Infra lib. II. El. 16. 'Tu nostris niveos humeris impone lacertos.' Sic Fast. II. 'Positis urgetur pectora palmis.' *Idem.*

46 *Mite*] Placidum caput tuum. *Rigido*] Immiti, aspero mariti tui.

48 *Dedisse velis*] *Velim* Neapolitanus et Sarravianus; quod placet. Mox *manum* Puteaneus et Arondelianus pro *manus*. Heins.

49 *Et dicam, Mea sunt*] Hæc oscula. *Injiciamque manus*] Tanquam in mea jura.

51 *Hæc tamen*] Quamvis, inquit, hæc quæ supra dixi me offendant, tamen ea æquo animo patiar, dummodo non tangatur linea quæ in amore est quinta et ultima.

52 *Cæsi timoris*] Id est, præcipitis, maximi. *Domit.* *Illa mihi cæci causa timoris*] Ego 'cæcum timorem' accipio, pro occulto et latente. *Micyll.*

53 *Nec crura cohære*] *Crura* quatuor libri; ut sit Græcismus, quo plures alii alludunt, in quibus *crura coërce*. Heins. *Committe*] Consere, compone.

55 *Proteros*] Lascive, petulanter.

56 *Torqueor ipse mei*] *Esse mei* Puteaneus. Scribe *ecce*. Heins.

57 *Properata*] Timebat enim ne deprehenderetur.

58 *Veste sub injecta*] *Superjecta* prima editio, cum excerptis Puteani et Scaligeri, atque ita unus Farnesianus. Ep. Paridis, 'Membra superjecta cum tua veste fovet.' Sic 'superinjectæ togæ' Fast. VI. et 'superinjecta terra' Fast. V. Libro tamen Artis Amatoriæ secundo, 'Parsque sub injecta veste pudenda latet:' quanquam et illic *superjecta* duo codices præferunt, sed illi non magnæ auctoritatis. *Heins. Veste subinjecta*] 'Vesticontubernium.' Petron. Vide Epist. Her. XVI. 222.

59 *Puteris*] Credaris.

60 *Conscia de tergo*] Malim *gremio* cum quinque scriptis. *Heins. Pallis*] Vestes. *Deme*] Detrahe.

62 *Dumque bibet*] *Bibit* Puteaneus et multi alii. *Heins.* *Adde merum*] Ut meracius bibat, et deinde altius dormiat.

63 *Bene compositus*] Bene curatus, qui se molliter et laute curaverit. *Compositus vino*] Depositus. Plaut.

64 *Resque locusque*] Id est, loci et rei occasio. *Consilium*] Quomodo venereo furto operam dare possimus.

67 *Invenieris*] A me scilicet.

69 *Paucas quod prosit in horas*] *Paucas quoque prosit in horas* Puteaneus. Lege *quo prosit*. Heins.

71 *Includet*] Veluti feram. *Includet*] Ter. Phorm. V. 1. 'Conclusam hic habeo uxorem sævam.'

72 *Persequar usque fores*] *Prosequar* meliores. Pro *ad sævas fores* Arondelianus *ad versas:* forte *ad surdas;* de quo paulo post El. VI. 62. *Heins.*

76 *Blanditiæ taceant*] Verbula blandula, dulcicula, ut ζωὴ καὶ ψυχή.

77 *Nil juvet opto*] Iidem *ne juvet:* et mox *sequetur*. Heins.

79 *Dedisse*] Dare simpliciter dicitur mulier, quæ alicui sui copiam facit *Domin.*

Digitized by Google

ELEGIA V.

1 *Horam*] Uterque lib. Maffianus leg. *umbram*. Est autem meridiei periphrasis ex umbris mathematicæ descriptionis. *Ciofan.*

2 *Levanda*] Reficienda, refocillanda. Requiescere igitur et meridiari volebat Naso.

5 *Fugiente Phœbo*] Occidente sole. *Crepuscula*] Crepusculum est lux dubia: et utrique tempori potest jungi. *Fugiente crepuscula Phœbo*] Senec. Herc. Fur. 669. 'Tenuis relictæ lucis a tergo nitor, Fulgorque dubius solis afflicti cadit, Et ludit aciem: nocte sic mixta solet Præbere lumen primus aut serus dies.'

9 *Ecce Corinna venit*] Ecce, ex improviso. *Corinna*] Corinnæ duæ fuere: altera Thebana, quæ epigrammata et lyrica adeo feliciter scripsit, ut Pindarum lyrico certamine provocatum vicerit. Altera autem Thespia dicta. Ad Thebanam alludens Naso, ut ego existimo, et propter ingenii dotes, et corporis pulchritudinem, amicam suam venerationis causa mutato nomine *Corinnam* appellavit. *Tunica*] Hæc fœminas magis decet quam viros. Sed de tunicis plura leges apud Gel. VII. 12. *Velata*] Cooperta: induta ipsa Corinna. *Recincta*] Discincta tunica. *Domit. Recincta*] Ego *recincta*, expono simpliciter pro cincta et circumjecta. *Micyll.*

11 *In thalamos formosa Semiramis isse*] *In thalamosasa miramis esse* Puteaneus. Scribo *famosa Semiramis*: dixi ad Epist. IX. 78. *Heins. Semiramis*] Hæc Nini regis Assyriorum fuit uxor, et animi magnitudine et corporis pulchritudine excellens. *In thalamos*] Quando scil. Ninus eam uxorem accepit. Hæc latius explicat Diodorus l. III.

12 *Et multis Lais amata procis*] Repone *viris* ex fide optimorum codicum. 'Proci' enim secundum Festum, 'qui poscunt aliquam in matrimonium;' hinc Penelopes proci; de quibus abunde dictum ad secundam Sabini epistolam. Nusquam procorum mentio apud Latinos scriptores occurrit quoties de meretricibus agitur, virorum passim: sic Propertius, 'Phryne tam multis facta beata viris.' Auctor obscœni carminis, 'Quæ tot nocte viros peregit una:' atque ita passim noster; qui et in Arte Amatoria proci vocabulo anxie abstinuit. Pro *Lais* codices nonnulli *Thais*: sed nil necesse. Laidis Propertius etiam meminit cum Claudiano. *Heins. Lais*] Hæc, ut Plutarch. in Niciæ vita scribit, ex Sicilia in Peloponnesum inter alios captivos parva adhuc puella est abducta. Dicta postea *Corinthia*, quod Corinthi habitaret. Cum autem ob elegantiam venustatemque formæ ad eam maximi ditiorum hominum ex omni Græcia conventus essent, famosissima meretrix est facta; nec quenquam admittebat, nisi qui daret quod posceret.

13 *Diripui tunicam*] *Deripui* Puteaneus et Neapolitanus cum Regio; recte: sic et 'detrahere' et 'deducere vestem.' Met. VI. noster, 'velamina Progne Deripit ex humeris auro fulgentia lato.' Sic et 'dereptus cortex' infra Eleg. XIV. 'Qualem clivosæ madidis in vallibus Idæ Ardua derepto cortice cedrus habet:' 'dereptam acum' habes ibidem paulo post: in Elegia de Nuce, 'Nudaque derepto cortice ligna patent:' ita illis locis optimi libri. Medicamine Faciei, 'dereptum cortice gummi;' sic enim scribo; vulgati illic etiam di-

Digitized by Google

reptum. Met. lib. XI. 'dereptos arbore ramos;' ut et illic emendo. Vide Notas Met. lib. III. 52. 'deripere vagina ensem' Fast. II. 793. Met. VI. 551. X. 475. *Heins. Nec multum rara nocebat*] Quod rara ac tenuis esset. Coam enim vestem intelligit. *Multum rara*, valde transiucida.

14 *Pugnabat*] Repugnabat, ne nudaretur. *Se tamen illa tegi*] *Sed tamen* meliores. Sic et Art. Amat. lib. I. 'Pugnando vinci sed tamen illa volet:' ut et ibi libri nonnulli. Quomodo idem mox. 'Sed voluit vinci viribus illa tamen.' *Heins.*

15 *Quæ cum ita pugnaret*] *Cumque ita* rectius sex libri. *Idem.*

16 *Proditione sua*] Qui enim ita pugnant, ut superari velint, sunt proditores. Hoc vero proprium est mulieris, ut repugnet, nec velle videatur id quod magnopere appetit.

17 *Posito velamine*] Deposita tunica.

18 *Menda*] Deformitas, macula.

23 *Nil non laudabile vidi*] *Nihil illaudabile* codex Neapolitanus et Junianus. *Heins.*

26 *Proveniant*] Contingant, accidant. Est optantis. *Medii dies*] Dixerat enim supra, 'Mediamque dies exegerat horam.' *Demit.*

ELEGIA VI.

1 *Janitor indigne*] *Indignum* Puteaneus cum optimo Palatino; recte. Met. V. 'nisi post altaria Phineus Esset; et (indignum) scelerato profuit ara.' Sic *mirum* sæpe apud Nostram; et *antiquum.* Fast. II. 'Furius (antiquum) populi superator Hetrusci Voverat, et voti solverat ante fidem.' Quæ vera illic lectio est: 'antiquum,' res antiqua. *Heins. Indignum*] Iste enim e servis unus erat, qui compedibus, ne fugeret, tenebatur. Illi nunc blanditur Naso, ut aperiat januam.

2 *Difficilem*] Duram, inexorabilem. *Moto cardine*] Versatis cardinibus. *Moto cardine*] 'Verso cardine.' Virgil.

3 *Quod precor, exiguum est*] Modus est in petitione.

4 *Obliquum latus*] Non adverso pectore irrumpam, sed intro me ducam, et aditum occupabo obliquato corpore. *Capiat*] Admittat.

5 *Tenuavit*] Tenue et macilentum reddidit. *Tales in usus*] Ut per angustissimum aditum propter corporis gracilitatem mihi ingredi liceat.

6 *Subducto corpore*] *Subtili corpore* excerpta Scaligeri et Puteani, quomodo et Arondelianus pro diversa lectione. Regius et Moreti unus *subducto pondere:* lib. II. El. 10. 'Pondere, non nervis, corpora nostra carent.' *Heins. Subducto pondere*] Id est, detracto carnis pondere. *Subducto pondere*] Item et ille amator apud Theocrit. Idyll. II. vs. 88. Καί μευ χρὼς μὲν ὁμοῖος ἐγίνετο πολλάκι θάψω...αὐτὰ δὲ λοιπὰ Ὀστέ' ἔτ' ἦς καὶ δέρμα.

7 *Ille*] Scilicet, amor. *Per excubias*] Vigilias. *Custodum*] Vigilum. *Leniter*] Placide, agiliter, sine strepitu: ut sentiri, qui ambulat, non possit.

9 *Simulacra vana*] Homer. Odyss. Λ. vs. 475. ἔνθα τε νεκροὶ Ἀφραδέες ναίουσι, βροτῶν εἴδωλα καμόντων. 'Tenues sine corpore vitæ.' Virgil. VI.

Digitized by Google

Et 'cava sub imagine formæ.' Et Metam. x. 14. 'Perque leves populos, simulacraque functa sepulcro.'

10 *Quisquis*] Melior est vetus lectio, *si quis*.

11 *Risit ut audivit*] *Ut audirem* meliores. *Heins.* *Risit, ut audirem:* ut sit sensus, tam effusum fuisse Cupidinis ac Veneris risum et cachinnum, ut ejus sonus auditus fuerit a Poëta.

13 *Venit amor*] Id est, amare cœpi.

14 *Strictas*] Armatas.

15 *Te nimium lentum timeo*] Ne in aperiendis foribus sis lentus: a te uno vita mea pendet, hinc tot a me blanditias audis.

17 *Aspice ut invideas, inimicaque claustra relaxa*] *Aspice, et ut videas, immitia claustra relaxa*, ex optimis libris est reponendum: quomodo jam in Observationibus l. II. c. 21. emendavit noster Gronovius. *Heins.* *Immitia claustra relaxa*] Id est, aperi. Virg. 'Laxat claustra Sinon.' *Domit.*

23 *Redde vicem meritis*] Nunc, inquit, ne ingrato animo esse videaris, quandoquidem potes, mihi gratiam referas. *Grato licet esse, quod optas*] Scribe, *grato licet esse: quid obstas?* tres tamen codices, *quod opto:* idque Marius Niger amplectebatur. Ego nostram conjecturam veriorem præstare ausim. Ipse Naso Met. IV. 'Invide, dicebant, paries, quid amantibus obstas?' *Heins.*

24 *Tempora noctis eunt*] Sic et Comici Veteres: 'It hora,' 'it dies:' 'Sol abit.' *Tempora noctis eunt*] Præterierunt. *Excute poste seram*] Aperi.

25 *Sic nunquam dura religere catena*] Atqui jam religatus erat: primæ editiones et codices nonnulli ex scriptis, *sic unquam dura relevere catena.* Puteaneus cum Regio et Jureti Excerptis et Arondeliano, *sic unquam longa relevere catena: longa* etiam est in excerptis Scaligeri et Puteani: hoc est, quæ diu longumque te ligavit; recte. Fuit cum scribendum opinarer, *sic unco longa relevere catena: unco* enim et *hami* orbes qui catenas alligant vocabantur. Pro catena videtur posuisse Juvenalis Sat. XIII. 'dabit in laqueum vestigia noster Perfidus, et nigri patietur carceris uncum:' aut certe pro veeta, cui alligabantur captivi; atque ita potuerit intellexisse Naso. *Torquem* tamen *uncum* vocavit Propertius lib. IV. 'Torquis ab incisa decidit unca gula:' *unci* enim ad supplicium tractorum infigebantur gutturi; quomodo et catenæ colle affixæ. Propertius lib. IV. El. I. 'Et bene cum fixum mento discusseris uncum.' 'Qui fixo gutture fumant' apud Juvenalem: hinc emendandus noster in Ibide, 'Infixusque tuis fauciibus uncus erit.' *Ossibus* nunc legitur; ubi nos plura. *Heins.*

26 *Serva*] Servis congruens et apta; Servi enim apud majores aquam bibebant.

27 *Orantem nequicquam, janitor, audis*] Scribendum opinor *audi;* ut sit vociferantis: nam *audit* est in uno Moreti. *Heins.*

29 *Munimina*] Munitiones.

30 *Prosunt*] *Prosint* tres scripti. Sequenti versu *facias* pro *facies* bene optimus Palatinus: tres alii, *faceres.* *Hostis* etiam Puteaneus. Catullus, 'Quid faciant hostes capta crudelius urbe?' *Heins.*

34 *Solus eram*] Honesta locutio.

35 *Nunquam dimittere possum*] *Nunquam dimittere possum* meliores. Lege *possim.* Heins. *Dimittere*] Id est, a me amittere.

36 *Ante vel a membris dividar ipse meis*] Id est, Morerer potius, quam amore carerem.

37 *Ergo Amor*] Comes est. *Et modicum vinum*] Hoc dicit, ne veluti ebrius expellatur. *Circa mea tempora*] Propter vini vapores fumidos, qui cerebrum petunt, unde fit ebrietas. *Circum mea tempora vinum*] *Circa* Puteaneus. Tibull. 'multo perfusus tempora vino.' *Heins.*

Digitized by Google

38 *Madidis*] Id est, unguento fluentibus.

43 *Lentus es? an somnus, qui te male præbet amanti*] Scribe, *qui se male præbet amanti;* atque ita codex Dousæ; et Sarravii, et Arondelianus. Somnus enim amantes rarus respicit. Infra El. 14. 'Quam se præbuerant ferro patienter et igni!' Ep. Œnones, 'Nec tamen Aurora male se præbebat amandum.' In Ibide, 'Ne se tibi præbeat aër.' At Puteaneus, *qui te male perdat amanti.* Forte, *qui te male perdat, amantis Verba dat in ventos:* nisi *prodat* malis; nam Excerpta Scaligeri et Puteani *prodit.* Epistola Penelopes, 'Utque sit hic somno proditus, ille dolo.' Ariadne, 'In quo me somnusque meus male prodidit, et tu.' Neapolitanus liber, *qui te male perdidit amens.* Heins. *Lentus*] Es ne, inquit, o janitor, dedita opera lentus, et piger ad januam mihi aperiendam? an quia somnus tibi molestus est? *Male præbet*] Te dormitante et lento, somnus mihi inofficiosus est.

43 *At memini, primo*] At, inquit, quando ego te fallere volebam, dum furtim ad amicam me conferebam, tu plus nimio vigilabas, cum te vel maximo veterno irretitum cuperem: nunc, tum quando minime est opus, dormitas. *Cum te celare volebam*] *Me celare volebam* septem codices: quatuor *te volebam;* recte. Canace, 'id te celavimus unum.' Fast. III. 'Ut tegat hoc celetque viros Fortuna virilis Præstat.' *Heins.*

44 *Pervigil*] Plus est quam vigil. *In mediæ sidera noctis*] Id est, in mediam noctem.

47 *Dummodo sic*] Supple, sit, ut scilicet cum servo janitore cubet amica. *In me duræ transite catenæ*] Id est, Ego veluti servus et custos duris catenis religer, ut requiescendi cum amica et mihi detur facultas.

49 *Verso sonuerunt cardine postes*] Sic Virgil. VI. 'horrisono stridentes cardine sacræ Pandantur postæ.' Et Æneid. I. 'foribus cardo stridebat ahenis.'

51 *Animosos*] Vehementi: et alludit ad ventos, qui et animæ dicuntur.

52 *Aura*] Ventus. Quando enim spes effectum suum non sortitur, eam vento ferri dicimus.

55 *Urbe silent tota*] De silentio noctis dicemus Metam. VII. 184.

57 *Ignique paratior ipse*] Ut sit sensus: Aut ego ipse paratior, id est, promptior, quam tu, ad aperiendum, ferro ignique petam veluti hostis et incendam.

58 *Quam face sustinuo*] *Quem* Puteaneus et Arondelianus cum editionibus nonnullis: ignem subintelligo. Pro *paratior* primæ editiones et Scriverianus *potentior.* Mihi distichon hoc suspectum est. *Heins.*

59 *Vinum*] Virg. 'Bacchus et ad culpam causas dedit.' *Nil moderabile*] Quod modesti homines nunquam faciunt aut dicunt. Ter. Heaut. III. 3. 'Vel heri in vino quam immodestus fuisti.' Qualem Græci χαλεπὸν vocant.

60 *Illa*] Scilicet, nox. *Vacat*] Caret. *Liber*] Bacchus, sic dictus, quia curarum servitio animum liberat, et tristitiam removet. *Liber*] Vide Odyss. Homer. Δ. v. 221. Νηπενθὲς... κακῶν ἐπίληθον ἀπάντων. Quod Plutarch. vocat. Ἀνώδυνον φάρμακον. Et Eurip. in Bacch. Οἶνον τέρψις ἄλυπος. Lenè tormentum ingenii. Horat.

62 *Movimus*] Fleximus. *Foribus durior*] Dixit enim supra, 'Roboribus duris janua fulta riget.' *O foribus durior ipse tuis*] *Surdior* Neapolitanus pro diversa lectione; eleganter: quomodo et Scriverianus codex. Paulo ante, 'Huc ades et surdas flamine tunde fores.' Martial. lib. X. 'Ad nocturna jaces fastosæ limina mœchæ: Et madet heu lacrymis janua surda tuis.' Infra Eleg. 8. 'Surda sit oranti tua janua, laxa ferenti.' Sic 'surda saxa' lib. III.

Digitized by Google

El. 7. 'Surdaque blanditiis saxa movere suis.' Et 'surdum fretum;' 'surdior freto:' de quo l. XIV. Met. fabula Iphidis dicemus. Sic supra Elegia 4. *surdas* puto similiter scribendum. 'Qua licet ad surdas prosequar usque fores;' nam veterrimus Puteaneus *suevas*. Vulgati *sævas*. Heins.

63 *Nec te formosæ*] *Non* scripti. *Heins.* *Decuit servare*] Non dignus eras, ut tibi pulchræ puellæ custodia mandaretur.

65 *Jamque pruinosos*] Jam dies adventat. *Pruinosos axes*] Quasi pruina aspersos, quæ matutino tempore a rore gelido constringitur. *Lucifer*] Veneris stella, quæ, quando præcedit solem, Lucifer, quando subsequitur, Hesperos appellatur.

66 *Miseros*] Mortales, scilicet; quia ad labores reducuntur. *Ales*] Gallum gallinaceum dicit, qui adventantem diem cantu prænunciat. *Miseros*] Ideoque Virgil. IV. 'Lenibant curas, et corda oblita laborum.'

67 *Non lætis*] Quia amica potiri non licuit.

68 *Tota nocte*] Ut ostendat se multum temporis frustra consumpsisse. Solebant autem amantes, cum noctu ad amicas coronati accedebant, nec admitterentur, limini capiti detractas coronas relinquere, aut postibus suspendere.

71 *Sentique abeuntis amorem*] *Honorem* meliores; et pro *Lente*, *Lenta*; ut ad dominam hæc referantur: sed initio elegiæ similiter, 'Te nimium lentum timeo.' *Heins.* *Abeuntis*] Discedens enim te valere jubeo, quod ab amore procedit. *Domit.* *Sentique abeuntis amorem*] Non quem erga te servum gero, sed quem erga dominam, cujus gratia totam noctem consumpsi. *Micyll.*

72 *Lente*] Ad obsequendum amantibus piger. *Turpis*] Quod amantem non admiseris.

73 *Crudeles*] Quia mea vota interclusistis. *Rigido*] Aspero, duro.

74 *Duraque consertæ*] Scripti plerique, ac in his meliores, *conservæ*. Janitoris conservas vocat fores: sic ille apud Plautum Asinar. Act. II. Sc. 3. 'Nolo ego fores conservas meas a te verberarier.' Reddenda et Martiali ea vox ex veterrimis membranis, 'Quæ mala sint domini, quæ servi commoda nescis, Condyle, conservum te gemis esse diu:' vulgati *te servum*. Cicero lib. XII. Ep. Fam. 3. 'Dominum ferre non potuimus: conservo servimus.' Neque aliter Plautus. Terentius, alii: sic et Jurisconsulti sæpe; apud quos 'ædes servæ,' 'arca serva,' 'fundus servus,' et similia occurrunt: quomodo et Noster paulo ante hac elegia 'servam aquam:' et 'servam manum' Fast. l. VI. et Remed. Amor. 'servum vitii pectus:' et Horatius 'servum pecus:' 'servæ leges' apud Rutilium elegantissimo Itinerario, 'Leges restituit, libertatemque reducit, Et servas famulis non sinit esse suis:' sic videtur legendum. *Heins.*

Digitized by Google

ELEGIA VII.

1 *Adde manus in vincla*] Amicam iratus Poëta, ita ut plerumque fit, verberaverat: sed postea facti eum pœnituit, unde multis argumentis in hac Elegia studet eam placare. *Adde manus*] Non puellam alloquitur, ut stulte quidam arbitrantur, sed amicum, quicunque adsit. *Meruere catenas*] Dum se supplicia libenter laturum in amicæ ultionem dicit, latenter in abalienatæ puellæ animum ingreditur, et benevolentiam captat.

2 *Dum furor omnis abest*] *Abit* meliores. *Heins.* *Dum furor omnis abit*] Alii, *Dum furor omnis abest*: hoc dicit, ut per furorem puellam verberasse videatur.

4 *Vesana*] Malesana.

5 *Tunc ego*] Non mirum, inquit, est, quod puellam, quam charissimam habeo, verberavi. Nam eo furore correptus fui, ut vel parentes, quibus post patriam nihil charius esse debet, vel inviolabiles Deos violare potuerim.

7 *Quid? non*] Ostendit quantum ira possit, exemplo Ajacis et Orestis. Moris enim est exemplo lenire quod purgare non possis. *Clypei dominus septemplicis*] Maximum enim clypeum e septem boum tergoribus confectum gessisse dicitur Ajax: de quo Homer. Iliad. VII. *Ajax*] Ajacem intelligit Telamonis regis filium, ex Hesiona Laomedontis filia. Hinc Horat. Ajax 'Mille ovium insanus morti dedit, inclytum Ulyssem Et Menelaum una mecum se occidere clamans.' Fuit et alter Ajax, Oilei filius, in cursu velocissimus. *Clypei septemplicis*] Homer. Iliad. H. Σάκος ἠΰτε πύργον χάλκεον, ἑπταβόειον. Quo respicit Virgil. X. 'ac clypeum, tot ferri terga, tot æris, Cum pellis toties obeat circumdata tauri.'

8 *Stravit*] Per furorem interfecit.

9 *Et vindex in matre, patris malus ultor, &c.*] *Orestes*, Agamemnonis et Clytæmnestræ filius, Ægysthum matris adulterum, patris Agamemnonis interfectorem peremit. 'Nec matri pepercit:' eam enim, ut patrem ulcisceretur, interfecit. *Patris malus ultor*] Neque enim a filio matrem necari oportuit. Potuit enim sine Orestis scelere Clytæmnestræ factum puniri. *Malus ultor Orestes*] Vide Æschyl. Fab. V. et VI. et Sophocl. fab. II. Ovid. Trist. IV. Eleg. 4. 'Dubium, pius, an sceleratus Orestes.' Et Juven. Satyr. VIII. 'Par Agamemnonidæ crimen; sed causa facit rem Dissimilem: quippe ille Deis auctoribus, ultor Patris erat cæsi media inter pocula.' Et Ennius Eumenid. 'Dico ego vicisse Orestea, vos ab hoc facessite.' Ideoque apud Eurip. in Tauris, ipse Orestes, Φοῖβός μ' ἔσωσε, μαρτυρῶν· ἴσας δέ μοι Ψήφους διηρίθμησε Παλλὰς ἀλέγη.

10 *Tela*] Arcus. *In arcanas Deas*] In Furias, quas solus ipse videbat, aut videre videbatur.

11 *Ergo*] Indignantis est particula. *Digestos*] Id est, compositos, ornatos. *Digestos potui violare capillos*] *Laniare* scripti; recte: nam *violare* jam præcesserat paulo ante. Ep. Medeæ, 'Vix me continui, quin sic laniata capillos Clamarem:' et sæpe alibi. *Heins.*

12 *Motæ*] Turbatæ.

13 *Sic formosa fuit*] *Sic mihi pulchra fuit* Sarravianus. Forte, *sic quoque pulchra fuit*. Pro *dicam* recte idem Sarravianus *dicas*; nisi cum

Digitized by Google

Neapolitano et tribus aliis malis, *dicunt:* duo Vaticani *fama est.* Heins. *Sic*] Scilicet turbatis capillis. *Schœneida*] Atalantam Schœnei filiam dicit, cujus formam et cultum describit Metam. l. VIII.

14 *Mænalias*] Arcadicas: nam Mænalus est mons Arcadiæ. *Sollicitasse*] Sollicitas habuisse, et indesinenter feras persecutam, ut in perpetua essent fuga.

15 *Talis*] Ariadnæ, propter insperatum Thesei abitum turbatæ, amicam comparat. Vide Diodorum libro quinto. Fuit autem Minois regis Cretæ ex Pasiphaë uxore filia.

16 *Flevit*] Flendo questa est. *Præcipites*] Impetuosos, veloces. *Cressa*] Cretensis Ariadna.

17 *Sic, nisi vittatis quod erat*] Talis, inquit, erat etiam Cassandra quando ei in Minervæ templo Ajax Oilei vim intulit: nisi quod illa crines vitta coërcebat, tu autem sine vittis es. *Vittatis*] Sacerdos enim et vates erat, et vittis sacerdotes crines cingebant: quod ostendit Maro Æneid. II.

18 *Procubuit*] Prostrata est dum in Palladis templo vitiaretur ab Ajace Oilei filio: qui ob hoc infandum scelus, domum rediens, a Pallade fulmine ictus, naufragio cum multis Græcis periit.

19 *Quis non mihi barbare dixit*] *Dicat* alter Mentelii. *Heins.*

20 *Ipsa*] Scilicet, puella. *Nihil*] Subintellige, dixit.

24 *Utilius potui*] *Utiliter* meliores. *Heins.*

25 *In mea dispendia*] Id est, in mea damna et detrimenta.

26 *Et potui parvam fortis inire meam*] *Valui inire* septem scripti: tres *valui in esse: valui in isse* novem. At Puteaneus cum Juniano *valui in ipse;* quam veram esse lectionem jam monui Ep. IX. 96.

28 *Sacrilegæ*] Quia amicam verberantes quasi sacrilegium commisistis.

31 *Pessima Tydides*] Nimium amicam laudat, dum veluti Deam facit: sed hoc astute; a quavis enim muliere veniam impetrabis, si eam ita laudaveris, ut ex animo id fieri credat. *Tydides*] Diomedes, Tydei filius. *Monumenta*] Exempla, historias.

32 *Ille*] Diomedes. *Deam*] Venerem. *Percutit*] Percussit. *Ego*] Perculi Deam.

33 *Et minus ille nocens: me quam profitebar amare, Læsi*] Lege *At minus;* aut cum Sarraviano *Sed.* Deinde Puteaneus, *mihi quam profitebar amari Læsa sit;* lege *Læsa est:* nam Farnesianus et Dousæ liber *me quam profitebar amare Læsa est.* Arondelianus, *mihi quam profitebar amare Læsa est.* Heins. *Et minus*] Ordo est: Et ille Diomedes fuit minus nocens: ego enim læsi illam quam profitebar me amare: ille autem crudelis fuit in hoste.

35 *I nunc, &c.*] Triumphandum, inquit, tibi est ex fœmina victa. Secum ironicûs loquitur Poëta. *Victor*] Qui fœminam viceris. *Victor molire triumphos*] Rectius codex Dousæ, *molite.* Heins.

36 *Votaque redde Jovi*] Qui enim triumphabant, in Capitolium ascendebant, ut Capitolino Jovi sacrificarent.

37 *Comitantum turba sequetur*] *Comitatus* Puteaneus: per appositionem, ut in illis Statii, 'Infelix comitatus eunti Hærebant nati.' Malim tamen, *comitatrix turba;* nam optimus Palatinus *comitatur:* Neapolitanus et duo alii *comitetur:* Junianus *comitantia;* Arondelianus, *comitatur turba sequentum:* alii aliter. Sic 'mendatrix lingua' Epistola Laodamiæ. *Heins.*

38 *Io*] Hæc enim vox erat militum, imperatorem triumphantem comitantium, 'Io triumphe.' *Victa puella*] 'Nullum memorabile nomen Fœminea in pœna est, nec habet victoria laudem.'

39 *Ante eat*] Ut in triumphali pompa assolent captivi. *Effusa*] Turbata.

Digitized by Google

41 *Aptius impressis fuerat livere labellis*] Palatinus unus cum uno Vaticano, *erat os livere;* non invenuste. *Heins.*

42 *Et collum blandi*] *Collo* meliores. *Idem.*

43 *Tumidi*] Turgidi. *Ritu*] More. *Torrentis*] Rapidissimi fluminis. *Agebar*] Ferebar, impellebar.

46 *Intonuisse minas*] *Manus* Neapolitanus et Junianus. Certe de minis jam supra egerat. De hac locutione plura congessimus ad Claudianum. *Heins.*

48 *Ut mediam*] Scribe cum Puteaneo et tertio Palatino, eodemque optimo, tum et prima editione, *Aut tunicam summa deducere turpiter ora Ad mediam: mediæ zona tulisset opem.* Atque ita ad Historiam Augustam Salmasius. Met. VI. 'dicitur unus Flesse Pelops, humeroque suas ad pectora postquam Deduxit vestes:' ita restituendum ex duobus scriptis; vulgati *a pectore.* Calpurnius Eclog. III. ubi Mopsus narrat se verberasse amicam, 'protinus ambas Deduxi tunicas, et pectora nuda cecidi:' ita scribe; hoc enim *deducere* dicebant. Juvenalis Sat. XIII. 'nemo dolorem Fingit in hoc casu, vestem deducere summam Contentus:' ita scripti; nam in vulgatis pari modo peccatur. *Heins.*

49 *Sustinui*] Non erubui: non abstinui. *Raptis a fronte capillis*] Sic et Metam. 'Arreptam prensis a fronte capillis.'

50 *Ferreus*] Crudelis. *Ingenuas*] Ipsius ingenuæ: in serva enim tolerabilius esset. *Ungue*] Unguibus, pugnis.

51 *Amens albo sine sanguine vultu*] *Albo et sine sanguine* scripti potiores. Pro *amens*, multi veteres *gemens:* duo *demens.* Lego *tremens pavido et sine sanguine vultu.* Met. VI. de Philomela, 'Illa tremit, velut agna pavens, quæ saucia cani Ore excussa lupi:' nisi pro *amens* malis *pavens.* Heins. *Amens*] Turbata ex timore, et quasi sine mente. *Albo vultu*] Hoc est, pallida. *Et sine sanguine*] Physice palloris causam tangit.

52 *Cæduntur*] Talis, inquit, ex albore facta est puella, qualia solent esse candidissima marmora Pari insulæ. *Pariis jugis*] Est enim Paros insula una ex Cycladibus a Delo 38. millia passuum distans, marmore nobilis.

53 *Exanimes*] Quasi mortuos, et sine anima. *Artus*] Membra ipsius puellæ.

54 *Ut cum populeas ventilat aura comas*] Scripserat, nisi fallor, Naso *Ceu sua populeas ventilat aura comas:* vide similem locum a me emendatum Remed. Amor. 264. *Heins. Comas*] Frondes, quæ esse dicuntur arborum crines.

55 *Utque levi Zephyro graciles vibrantur aristæ*] *Ut leni Zephyro gracilis vibratur arundo* meliores libri: dixi Epist. Hypermnestræ, 39. *Heins. Vibratur*] Concutitur, agitatur.

56 *Tepido Noto*] Ad naturam venti retulit, qui cum flat per zonam torridam a meridie, est calidus et pluvius. *Stringitur*] Crispatur, ac veluti in rugas contrahitur.

57 *Suspensæ lacrymæ*] Retentæ, repressæ, ne oculi extillarent.

58 *De nive manat aqua*] Item Metam. III. 487. 'sed ut intabescere flavæ Igne levi ceræ, matutinæque pruinæ Sole tepente solent.' Quo etiam referri possit illud Plauti in Mercat. I. 2. 91. 'Edepol, cor miserum meum, quod guttatim cantabescit, quasi in aquam indideris salem.' Et Theocrit. Idyll. VII. 76. Ἔδτε χιὼν ὥς τις κατετάχετο μακρὸν ὑφ' Αἷμον. Et Mosch. Idyll. IV. 45. σὺ δ' ἠΰτε λείβεαι ὕδωρ. *Manat*] Stillat liquescente nive.

62 *Formidatas*] Quas veluti violentas adhuc formidabat, nec eis credebat. *Reppulit*] Rejecit.

63 *At tu*] Convertit sermonem ad puellam, eam monens ut velit se ulcisci: præsto enim se esse, a quo

Digitized by Google

pœnas illa repetere possit. *Minuet*] Levabit.

66 *Quaslibet infirmas adjuvat ira manus*] Lege *Quamlibet* cum melioribus quibusque scriptis: de qua locutione egimus Epist. VI. 140. Deinde *adjuvet* scribendum cum Neapolitano et tribus aliis. Ep. Hyps. 'Quamlibet adverso signetur epistola vento.' *Heins.*

ELEGIA VIII.

1 *Est quædam, &c.*] Invectiva in ipsam lenam, quam execratur, ut ei omnia fere illa incommoda eveniant, quæ senili ætati acerbissima esse solent.

2 *Dipsas*] Nomina personarum, ut in comœdiis, habere debent rationem et etymologiam. Eam enim ipsam sitim appellavit: quasi quæ propter ebrietatem et frequentem potum semper sitiat: δίψα enim, sive etiam δίψος, Græce *sitis*; et διψάω, *sitio*.

3 *Nigri non, &c.*] Illa nunquam, nisi ebria, advenientem auroram vidit. *Nigri*] Sic Virg. 'Et nigri Memnonis arma.' Æthiops enim erat. *Parentem*] Auroram, cujus filius fuit Memnon, ex Tithono Laomedontis regis Trojani filio.

4 *Roseis*] Puniceis. Alludere tamen videtur ad Auroræ epitheton. Auroram enim Homerus ῥοδοδάκτυλον appellat. *Sobria*] Sine ebrietate. *Equis*] Quadrigis.

5 *Magas arteis*] Magicas arteis. Hujus artis vanitatem Plinius tum alibi, tum lib. XXX. coarguit: quæ tamen artium fraudulentissima plurimum in toto terrarum orbe, plurimisque seculis valuit, eique auctoritas maxima fuit. *Ææaque carmina novit*] Id est, incantationes quibus Ææa Circe usa est.

6 *In caput*] In suum fontem. *Arte*] Scilicet magica. *Recurvat*] Reflectit. *Liquidas aquas*] *Rapidas* unus Mediceus cum excerptis Politiani; quod magis ad rem. *Heins.* *Recurvat*] Ut versæ recurrant, et retro properent.

7 *Scit bene*] Optime callet quid possit. *Gramen*] Id est, herba. Ex herbis enim veneficia maxime fiunt. *Torto*] In turbinem verso. Rhombus præter alia significata, denotat etiam magicum instrumentum, filis quibusdam implicitum, quo in magica arte utebantur. Propert. 'Deficiunt magico torti sub carmine rhombi.'

8 *Licia*] Fila, stamina. Sed licia vim majorem in carminibus habere creduntur, quod ita hominum mentes implicari posse existimentur, ut a liciis stamen implicatur. Plin. lib. Natur. histor. XXVIII. *Quid valeat virus amantis equæ*] Hippomanes dicit, quod Aristot. teste præcipue ad amoris veneficia petitur. Et, ut Servius ait, Hippomanes est virus defluens ex equarum inguinibus, quo tempore feruntur amoris furore: ut dictum sit ἀπὸ τῆς μανίας, καὶ ἵππων. Hesiodus hippomanem herbam esse dixit, qua si equi vescerentur in furorem verterentur. Plin. lib. VIII. scribit, etiam equis innasci veneficium, Hippomanes appellatum, in fronte, caricæ magnitudine, colore nigro, quod statim edito partu devorat fœta, aut partum ad ubera non admittit, si quis præreptum habeat. *Virus amantis equæ*] 'Matri præreptus amor.' Æn. IV.

9 *Cum voluit*] Hæc lena, quando-

Digitized by Google

cunque ei collibuisset, cœlum aut nubilum aut serenum reddebat. *Glomerantur*] In globi figuram condensantur.

11 *Si qua fides*] Supple, est mihi: si mihi creditur.

13 *Vivam volitare per umbras*] *Versam* veteres editiones et quinque scripti cum codice Neapolitano: multi *visam*; quos inter Jureti et Puteani excerpta; duo *vetulam*; Puteaneus *vetsam*: sed postea *t* in *r* mutato, hoc est, *versam*. Opinor *suetam* scribendum; ut et apud Val. Flaccum lib. IV. 'aut vobis ergo fera saxa patescunt, Aut mea jam suetæ veniunt ad pabula diræ:' vulgati *sævæ*; quæ vox ter quaterve eadem pagina occurrit nimis inconcinne. *Heins.* *Versam*] Transmutatam in avem quæ strix a stridendo dicitur.

14 *Pluma*] Pro plumis. *Anile*] Cum invidia et contemptu dixit. *Tegi*] Vestiri.

15 *Duplex*] Plin. lib. VII. scribit, fœminas quidem omnes ubique visu nocere, quæ duplices pupillas habeant.

16 *Fulminat*] Ut fulmen splendet. *Geminum lumen ab orbe venit*] *Gemino* Puteaneus et multi alii ex melioribus. Idem Puteaneus *micat* pro diversa lectione. Met. VIII. 'Fulmen ab ore venit,' de apro Calydonio: quamvis nec alterum temere rejecerim. *Heins.* *Lumen ab orbe micat*] Absistunt flammæ. 'Igne tremunt oculi.' Silius. 'Ardent oculi; toto ex ore crudelitas eminet.' Cic. VII. in Verr. ὑποβλέψας δεινὸν ὥσπερ ἀστραπή. Dio Prus. orat. 66. Δυσαντίβλεπτος. Et Homer. Il. N. 474. Ὀφθαλμὼ δ' ἄρα οἱ πυρὶ λάμπετον. Et vs. 3. ibid. αὐτὸς δὲ πάλιν τρέπεν ὄσσε φαεινώ.

17 *Proavos atavosque*] Quasi difficilius sit eos evocare sepulchris, qui jam ante multos annos discesserint, quam qui nuper sunt mortui.

18 *Solidam*] Integram, plenam, nihil vacui aut concavi habentem. Hoc dixit ut lenæ vires exaggeraret, et maximas esse ostenderet. *Longo carmine*] Diutina incantatione. *Findit*] Scindit, rumpit terram, unde umbras ejiciat.

19 *Thalamos violare pudicos*] *Temerare* Puteaneus aliique meliores; et recte. Epistola Œnones, 'Ut minor Atrides temerati fœdera lecti Clamat.' Met. II. 'An quæ per totam res est notissima Lesbon, Ignorata tibi est? patrium temerasse cubile Nyctimenen.' Infra lib. II. El. 7. 'Cypassis Objicitur dominæ contemerasse torum.' Artis Amat. lib. I. 'At non Actorides lectum temeravit Achillis.' Sic et 'Venerem temerare maritam' epistola Paridis; et 'Apollineæ temerator matris' Tityos Statio: vide quæ notamus Pont. lib. II. El. 2. 27. *Heins.* *Temerare*] Dum suis verbis uxorem ad adulterum, maritum ad pellicem inducit.

21 *Fors*] Casu, inquit, interfui hujus vetulæ sermonibus: non igitur ignota loquor. *Fors*] Casus. Fors, fortuna. *Me testem dedit*] Ut constet ἡ ποίησις, fingit auctor, se procul stantem omnia audivisse.

22 *Talia*] Qualia subjiciam. *Occuluere*] Occultavere.

23. *Here*] Pro heri. *Mea lux*] Mea vita. *Beato*] Id est, diviti, eleganti.

24 *Hæsit, et in vultu, &c.*] Ut sit sensus: Ille juvenis beatus, cui te heri placuisse non ignoras, in te oculos conjectos semper habebat: quod signum est, eum tui amore irretitum fuisse. *Hæsit*] Defixus est.

25 *Et cur non placeas*] *Cui non placeas* unus Vatic. et Farnesianus: sic alibi, 'Tam doctas quis non possit amare manus?' *Heins.* *Et cui non placeas*] Omnibus placere debes. Et rationem reddens, subdit, *Nulli tua forma, &c.*] Nulli puellæ es postponenda.

26 *Me miseram*] Dolet Dipsas, puellam non habere cultum, qui dignus sit corporis pulchritudine.

Digitized by Google

27 *Tum felix*] Tam dives.

30 *Signo nunc Venus apta tuo*] Tuum signum Venus est: hoc est, tibi propitium. Alii codices *suo*. Heins.

31 *Adveniens*] Dixerat enim supra, 'Mars abiit:' cum igitur Mars, adversum sidus, aberit, beneficum Veneris adveniens sidus jam prodesse incipit: quod ostendens, ait: 'Dives amator Te cupit:' te deperit; cui cura est id quod tibi deest, id est, dignus corpore cultus.

33 *Est etiam facies*] Etiam facies est illi juveni: quæ merito tibi conferri possit: est pulcherrima illi facies.

34 *Si te non emptam*] Nisi ipse ultro pretium pollicens te amicam expeteret sibi, tu illum tibi vel pretio deberes adjungere.

35 *Erubuit*] Hoc a Poëta dictum est, non a lena. Pudicam ergo facit Poëta amicam suam, quæ statim erubuerit, cum dixisset lena, 'emendus erat.' *Decet*] Anus excipit; senserat enim puellam erubuisse: unde ait: Candidam quidem faciem pulchriorem reddit pudor: sed simulandus est, si vis tibi prodesse.

37 *Spectabis*] Spectare autem gremium dejectis oculis, modestiæ est et pudoris. Hanc modestiam et pudorem conatur lena summa ope ab animo puellæ removere, ut facilius quod intendit ei possit persuadere. Nam pudor est hostis Cupidinis, ut supra dixit Naso. *Cum bene gremium spectabis*] Nam amatores solebant pretium et munera in amicæ gremio deponere.

39 *Forsitan incultæ Tatio regnante Sabinæ*] *Immundæ* meliores libri; et recte: sic 'mundus muliebris.' Ἀκόσμους puellas dicit Lucretius lib. IV. 'Nigra melichrus est, immunda ac fœtida acosmos.' Cicero lib. IX. ad Atticum, sicut ἐν τοῖς ἐρωτικοῖς 'alienantur immundæ,' 'inculsæ,' 'indecoræ:' 'immunda humus' sæpe apud nostrum: 'immundum vellus,' et 'immundus caper,' et 'immunda mensa' Art. Am. et 'immundus torus' Rem. Amor. 'immunda hara' Ep. prima. 'immunda historia' Trist. 'immundus pulvis' Fast. Fast. IV. 'Venerunt cultus mundaque cura sui.' Et lib. III. 'Pauper, sed mundæ sedulitatis, anus:' ita in optimis libris locus uterque scribitur. 'Munda verba' pro nitidis dixit Arte Amat.: lib. III. infra El. 10. 'Et puer est et mundus Amor, sine sordibus annos, Et nullas vestes, ut sit apertus, habet:' quomodo et illic liber optimus. Apud Propertium, 'Mundus demissis institer in tunicis:' et 'mundus Menander' apud eundem. *Heins. Forsitan*] Non debes, inquit lena, usque adeo esse pudica, ut uno tantum aut duobus viris contenta esse velis. Hoc olim fortasse Sabinæ voluerunt, in quibus maxima fuit severitas. *Immundæ*] Omnium urbanitatum expertes. *Tatio regnante*] Fuit hic Sabinorum rex, cum quo Romulus consociavit Romanum imperium.

40 *Habiles*] Aptæ. *Pluribus viris*] Uno enim (ut pudicas decet) contentæ erant.

41 *Externis armis*] Non domesticis et civilibus bellis, quibus antea urbs Roma flagraverat.

42 *Et Venus Æneas*] *At Venus* meliores, rectius. *Heins. Venus regnat in urbe, &c.*] Id est, Romæ. Æneas enim Veneris filius fuit, a quo Romanos originem trahere nemo ignorat. *Venus regnat*] Hic versus Augustum Dionem graviter offendere potuit.

43 *Ludunt formosæ*] *Ludite formosæ* Sarravianus cum uno Moreti et Scriveriano: placet. Arte Amat. III. 'Dum licet, et veros etiamnunc editis annos, Ludite.' Lib. II. 'Ludite, sed furto celetur culpa modeste.' Infra, El. 10. 'Parcite, formosæ, pretium pro nocte paciscl.' *Heins.*

44 *Si rusticitas non vetat*] Rusticam puellam vocat, quæ est difficilis ad obsequendum amantibus. *Ipsa regat*]

Digitized by Google

Sic erat Sempronia illa, quæ (ut Sallustius ait) libidine sic accensa fuit, ut sæpius peteret viros quam petereretur.

45 *Frontis rugas*] Has quoque rugas frontis, quas portas vertice, excute, &c. Alludit autem ad severum vultum puellæ, aversantis dicta lenæ. *Micyl.*

47 *Penelope*] Dipsas falso exemplo puellam pervertere tentat. *Juvenum*] Procorum. *Tentabat*] Experiebatur: ut quem viribus præstantiorem cognovisset, eum sibi virum legeret. *Tentabat in arcu*] Huc alludit Petron. 'Nemo meo melius nervum tendebat Ulysse, Sive illi laterum, seu fuit artis opus.'

48 *Qui latus*] Lateris vires. *Argueret*] Ostenderet.

49 *Labitur*] Celeriter transit, fugit.

50 *Et celer admissis labitur annus equis*] Optime codex Sarravianus: *Ut celer admissis labitur amnis aquis.* Lib. III. Artis Amat. 'Ludite: eunt anni more fluentis aquæ.' Met. XV. 'Ipsa quoque assiduo labuntur tempora motu, Non secus ac flumen.' 'Admissas aquas' pro citatis quoque dixit. Epistola Phyllidis, 'Et sacer admissas exigit Hebrus aquas.' *Heins. Admissis*] Velocibus. Hoc autem dicit Dipsas, ut ævi brevis memor puella, dum est juvenis, plures amantes admittat: et, quantum possit, amori indulgeat. *Labitur*] Sic Senec. 'Tanquam ex torrente est hauriendum:' πρὶν γήρας ἀποτρίψαι νεότητα. Monet autem pessima hæc lena puellam, ut ætate utatur. Sic Bacchis in Heautont. II. 3. 'Quippe forma impulsi nostra nos amatores colunt, Hæc ubi imminuta est, illi suum animum alio conferunt. Nisi si prospectum est interea aliquid, desertæ vivimus.' Et Sophoclidisca apud Plaut. Pers. II. 2. 47. 'Tempori hanc vigilare oportet formulam, atque ætatulam, Ne, capillo versipelle, fœde semper servias.' Audi et Scapham, in Mostellar. I. 3. 44. 'Qui pol me, ubi ætate hoc caput colorem commutavit, Reliquit, deseruitque me: tibi idem futurum crede.'

51 *Æra nitent usu*] Hæc quatuor carmina nullum habent ordinem in sensu. Hoc ordine ab Ovidio relicta existimaverim: 'Forma, nisi admittas, nullo exercente senescit: Canescunt turpi tecta relicta situ. Æra nitent usu, vestis bona quærit haberi: Nec satis effectus unus et alter habent.' *Forma*] Sensus autem erit, formam esse exercendam multos admittendo amatores, et frequenter. Nam et æra usu splendent. Aliter senescere, et turpiorem fieri: sicuti etiam ædes ipsæ, quando ab hominibus non habitantur, carie et pedore, ac situ, et aranearum telis obsitæ turpescunt. *Quærit haberi*] Quod nisi veste bona utaris, a tineis corrodetur: est enim hic *haberi*, tractari, &c. *Mic.*

52 *Canescunt*] Cana et alba fiunt ex situ. *Turpi*] Indecoro. *Relicta*] Deserta ab habitatoribus. *Situ*] Sordibus, et squalore quodam, qui intra opaca ædium quæ diu non purgantur esse solet.

53 *Senescit*] Ante diem fit senex et turpis.

54 *Nec satis*] Non sufficiunt, inquit, pauci amatores, ad sumptuosas vestes tibi emendas. *Unus et alter*] Pro paucis. *Effectus habent*] Id est, efficere possunt ut bonam habeas vestem. *Domit. Nec satis effectus*] Hoc est, pauci aliqui non sufficiunt ad hoc efficiendum, de quo modo dictum est. Estque genitivi casus. *Micyl.*

55 *E multis*] Amatoribus. *Invidiosa*] Odiosa.

56 *Venit*] Contingit. *Canis*] Canos pilos habentibus. *De grege*] De multis ovibus.

57 *Ecce, quid iste tuus vates*] Id est, Poëta Ovidius. *Nova*, id est, miranda.

58 *Amatoris millia*] Non tibi deerunt multa amatoris carmina legenda. Sed carmina quid prosunt ad corporis cultum?

Digitized by Google

59 *Ipse Deus vatum*] Phœbus, musicæ artis inventor. *Palla*] Longa et ad vestigia usque demissa veste, qualem vates et citharœdi habere soliti erant. *Spectabilis*] Conspicuus. Intelligit autem Apollinis Palatini marmoreum simulachrum, quod, auctore Augusto, tanto artificio fuerat fabrefactum, ut vivum esse, et plectra movere, et canere videretur. *Palla spectabilis*] Vide Metam. XI. de certam. Apollinis et Panos: ubi vs. 166. 'Ille, caput flavum lauro Parnasside vinctus, Verrit humum Tyrio saturata murice palla.' Et Æneid. VI. 'Nec non Threicius longa cum veste sacerdos.'

60 *Tractat*] Id est, movet. *Consona*] Consonantia, ut harmonia reddatur. *Fila*] Nervos, chordas, quæ septem numero sunt.

61 *Qui dabit*] Pluris, inquit, faciendus tibi est amator qui munera dabit, quam qui optimus erit Poëta. *Sit major*] Majorem apud te habeat auctoritatem.

62 *Dare*] Afferre. *Res ingeniosa dare*] Superat omnium ingenia. Puellas capit, quibus nihil præter lucrum dulce est. Vide Amor. l. III. El. 8. 33.

63 *Nec tu, &c.*] Noli, inquit Dipsas, humilioris fortunæ homines et viles despicere, modo dent munera. Contra autem, vel nobilissimos exclude, nisi divitias habeant, quibus te ditare possint. *Si quis*] Qui, cum antea servus fuerit, aliquo casu dives factus, se a servitio redemerit.

64 *Despice*] Sperne. *Gypsati*] Creta illiti, ut venales servi habebant. Plin. lib. XXXV. cap. 16. Gypsum enim est calcis genus, de quo Plin. lib. XXXVI. cap. 24. Vult enim persuadere puellæ, nullius sortis homines, modo munera afferant, esse despiciendos. *Gypsati*] Vide hac de re Clar. Gronov. ad Persam Plaut. I. 2. 22. 'albo rete.' Quo et alludit Cic. ad Trebatium: 'Hoc tibi tam ignoscemus, inquit, nos amici; quam ignoverunt Medeæ, quæ Corinthi arcem altam habebat, matronæ opulentæ, quibus illa manibus gypsatissimis persuasit, ne sibi vitio verterent,' &c. *Crimen inane*] Crimen enim non erit dedecus nec ignominia. *Crimen inane pedis*] Alii *nomen*; utramque lectionem Puteaneus agnoscit: tam hæc quam illa arridet. *Heins.*

65 *Nec te decipiant*] Nec te fallant alicujus stemmata et genus, ita ut ei gratis tui copiam facias. *Veteres*] Antiquæ, fumosæ. *Quinquatria*] Quid significet in hoc loco *Quinquatria*, non video. Quidam emendant, *Quinque atria*, ut sit numerus finitus pro infinito. Nonnulli *Plena atria*, legunt. *Atria*: in atriis enim solebant prisci Romani majorum statuas disponere, ad generis nobilitatem jactandam. *Ceræ*] Statuarum ex cera. *Domin. Quinquatria*] Festa Minervæ dicuntur, quæ mense Martio per quinque dies celebrabantur. Ac sunt qui putent, ostentationem aliquam, aut pompam imaginum, in hoc festo fieri solitam fuisse: et ideo per Metalepsin, festi nomen, pro rebus quæ in ipso celebrabantur, positum esse. Quod si igitur et mihi divinare liceat, legerim: *Nec te decipiant veteris quicquam atria ceræ*: ut sit ordo: Nec te quicquam decipiant atria ceræ veteris, &c. *Veteris quinquatria ceræ*] *Veteris ceræ* Puteaneus. Illud *Quinquatria* non est nauci: nam si ad natalem suum alluderet, *quinquatrus* dicere debuisset. Codex Dousæ *Veneris quinquennia ceræ*. Naugerius et Ciofanus et Quernius in Egregiis, *quinque atria* legendum contendunt. Lipsius in Electis *veteri cincta atria cera*. Barthius in Adversariis, *decipiat veteris quinquatria ceræ*, ut quinquatria sit porticus quinque ambulacrorum: audaci sane commento. Ludovicus Orleantius ad Tacitum *decipiant quæ cingunt atria ceræ*. Petrus Scriverius, *veteres circa atria ceræ*: non male. Ju-

Digitized by Google

venalis, 'Tota licet veteres exornent atria cerae.' *Heins.*

67 *Qui quia*] *Quin* Puteaneus cum duobus aliis: versus, ni fallor, mendosus. *Idem.*

70 *Ne fugiant, captos legibus ure tuis*] Videtur rescribendum, *Ne fugiat, captum legibus ure suis.* Superiora agunt de pulchro amatore: quo etiam haec sunt referenda. *Suis legibus;* ut Ep. v. 'Et poteras falli legibus ipse tuis.' Ep. vi. 'leges sanciat ipse suas.' Val. Flaccus de Amyco, 'lege quod occidit ultus Ipse sua.' *Idem.*

72 *Et cave*] *Sed cave* recte prima editio. Neapolitanus *sed fuge;* quod jam praecesserat. *Idem. Constet*] Valeat.

73 *Saepe nega noctem*] *Noctes* scripti. *Heins. Saepe nega noctes*] Nam, ut inferius ait Naso: 'Quod licet, ingratum est: quod non licet, acrius urit.' *Nega noctes*] Officium noctium: sic Ter. Heaut. II. 2. 'nam quendam misere offendi ibi militem Ejus noctem orantem: haec arte tractabat virum.' Et Plaut. in argum. Asinar. vs. 5. 'cedit noctem filius.' Et in Paenul. I. 2. vs. 62. ut Camer. et Turneb. legunt: 'Quo jus ego nebulae cyatho septem noctes non emam.' *Capitis*] Sic ipse Naso inferius de Corinna ait: 'Ah quoties sani capitis mentita dolorem, Cunctantem tardo jussit abire pede.'

74 *Modo*] Interdum. *Causas*] Scilicet, differendi concubitus. *Isis erit*] Haec Inachi fluminis filia, a Jove in vaccam mutata est; tum in pristinam formam reversa et Dea facta, ab Ægyptiis colebatur: cujus sacra ad Romanos translata sunt, quibus solennibus Romanae mulieres secubabant per plurimos dies, nec se viris admiscebant. *Quae causas praebeat, Isis erit*] 'Simulat se a matre arcessi ad rem divinam; abit.' Ter. Hecyr. I. 2. Sic et Tibul. l. IV. ad Junon. 'Illa quidem ornandi causas tibi, Diva, relegat; Est tamen occulte cui placuisse velit.'

75 *Mox*] Paulo post. Recipe amatorem, ne huic patientiae assuefiat amator. *Colligat*] Paulatim contrahat.

76 *Relentescat*] Imminuatur, lentus fiat.

77 *Surda*] Clausa. Amatorem, inquit, nummos ferentem admittes, ferentem preces excludes. *Laxa*] Aperta.

78 *Audiat exclusi verba receptus amans*] Ut largiora munera in posterum afferat, ne etiam ipse excludatur.

79 *Et quasi laesa prius*] *Prior* meliores. *Heins. Et quasi, &c.*] Quando, inquit, amatorem laeseris, quasi tu ab illo prius laesa fueris, ei irascere.

80 *Vanescat culpa culpa repulsa tua*] Puteaneus et Arondelianus, *Vanescat culpa culpa repensa tua;* recte, nisi quod *sua* legendum. Multum esse Nasonem in ea locutione jam alibi monuimus: nisi *culpa nova* cum Sarraviano malis; ut Remedio Amoris, 'Et prior est culpa culpa repulsa nova.' Codex Jureti *repressa:* sed *repensa* bene habet. Artis Amat. II. 'Illae munditiis amorum damna rependunt.' *Heins. Vanescat*] Dilatur, in vanum et nihilum redigatur. *Vanescat culpa repensa*] Culpa cum culpa comparata, composita, compensata extinguatur. Pax rursum. Id quod Terent. explicat in Eunuch. I. 1. 'Bellum, pax rursum.' Et ex Terentio Horat. Sat. II. 3. 'in amore haec sunt mala: bellum, Pax rursum.' Quod ex Plauto sumtum: Mercat. I. 1. 18. et seqq. 'Nam amorem haec cuncta vitia sectari solent.'

81 *Spaciosum*] Longum.

82 *Saepe*] Ne facias, inquit, ut diu tibi iratus sit amator; ne, dum inveterascit ira, fiat odium ingens. *Ira morata*] Ter. Hecyr. III. 1. 'Sed magnum nescio quid necesse est evenisse Parmeno, Unde ira inter eos

Digitized by Google

intercessit, quæ tam permansit diu.' Sic et Græci, χόλος ἐπίμονος Μῆνις. Qui dolores non facile excidunt animo. *Simultates*] Odia. *Morata*] Id est, dilata, in longum producta. Et est a mora deductum.

83 *Oculi coacti*] 'Falsa lacrymula, Quam, oculos terendo misere, vix vi expresserit.' Ter. Eun. I. 1. Quod ex Plaut. Pseud. I. 1. 73. 'Pumiceos oculos habeo: non queo Lacrymam exorare, ut expuant unam modo.' Quod a Græco: ἐκβαλόντες δάκρυα ποιητῷ τρόπῳ καὶ δόλιον οἰκτὸν εἰς μέσον φέροντες. *Coacti*] Etiam inviti fictas lacrymas emittant.

84 *Et faciant udas ille vel ille genas*] *Illa vel illa* septem codices: finge ex zelotypia te plorare. Huc pertinet Elegia 7. lib. II. *Heins.* *Udas*] Humefactas lacrymis. *Illa vel illa*] Alii *ille*, scil. amator: ut præ zelotypia eorum flere videaris: quod erit in causa, ut a te se amari credant.

85 *Nec si quem fallas*] *Falles* meliores. *Heins.* *Perjurare*] Pejerare, falso jurare. *Non perjurare timeto*] Ut illæ solent, quæ non metuunt Deos. Ter. Hecyr. Et Plaut. Amphitr. II. 2. 206. 'Mulier es, audacter juras:' quali, ut Diogen. ne mortuæ quidem credendum. Ideoque Menand. recte monet, loco 70. de Jurejur. φαύλων ὅρκον εἰς ὕδωρ γράφε. Unde proverbii loco, ὅρκος ἑταίρας, pro jurejur. nullius fidei.

86 *Commodat illusis*] *In lusus* iidem. Neapolitanus *in ludos*. Heins. *Commodat*] Sensus est, Venerem non exaudire eos, qui illusi et decepti fuerunt ab amica; si contra decipientem illius numina imploraverint. Nam 'Jupiter ex alto perjuria ridet amantum.'

87 *Ad partes*] Ut suas hic partes, tanquam in fabula agant; vel, κατὰ μέρος. Juven. Sat. IV. 'est mihi sæpe vocandus Ad partes.' Plaut. Asinar. III. 3. 'Agesis tu in partem nunc jam hunc delude.' Et Cato de R. R. 'ad partes venire.' *Sollers*] Arguta, callida.

88 *Apte*] Non doceant apte, sed quid possit tibi apte emi.

89 *Multi si pauca rogabunt*] *Multos* cum iisdem scribendum. *Heins.*

91 *Carpat amantem*] Paulatim absumet et attenuet opes amantis. *Carpat amantem*] Plaut. Trucul. IV. 4. 35. 'Quæ cum multum abstulimus, haud multum apparet, quod datum est. Ita sunt gloriæ meretricum. Hæc fundi calamitas.' Ter. Quæ suo arbitratu evertunt homines fundis, familiis. Plaut. in Persa de Dordalo.

92 *Cito*] Celeriter, brevi tempore.

93 *Cum tibi deficient*] *Te deficient* iidem recte: sic enim optimo illo sæculo loquebantur. Met. II. 'qualis cum deficit orbem Esse solet.' Lib. IX. 'linguam defecerat humor.' Fast. III. 'Jam quoque, quem secum tulerant, defecerat illos Victus.' Trist. V. El. 13. 'Utque solebamus consumere longa loquendo Tempora, sermonem deficiente die:' ita istis locis veterrimi codices agnoscunt. Vide Notas Metam. II. 382. *Heins.*

94 *Libo*] Id est, placenta. Est enim libum (ut Servio placet) placenta de farre et melle, sacrificiis apta. Dictum quod libandi causa fieret, ut Varro sentit. Mos autem erat, ut natali die discumbentibus liba apponerentur, a nulloque gustarentur prius, quam ab eo cujus natalis celebraretur: post cujus degustationem omnes degustabant, et bene precabantur.

95 *Rivale*] Æmulo.

97 *Ille*] Amator. *Viri*] Alterius amatoris. *Vestigia*] Indicia viri.

100 *Si tibi nil dederit*] Si sponte sua amator tibi nullum afferet munus, tu eum interrogabis, quænam merces in via sacra vendantur, quanti constent: te illarum aliquam cupere, sed nummis carere, ita ut ei innuas, quid

Digitized by Google

tibi emere debeat. *Sacra via*] Via sacra erat Romæ a curia veteri versus Amphitheatrum, usque ad arcem Capitolinam.

101 *Abstuleris*] Ab amatore. *Donet*] Donare videatur.

102 *Commodet ille, roga*] *Ipse* constanter meliores: quidam *ipse*: duo usque, quod arridet. *Heins.*

103 *Tegat*] Celet, ita ut aliud clausum in pectore, aliud in lingua promptum habeas. *Blandire, noceque*] Per blanditias amatorem expiles, ita ei nocebis; aut, *Blandire*, ut eum ad amorem tuum pellicias: *noce*, ne in tædia vertatur amor, qui his artibus retinetur.

104 *Impia*] Dira, sæva.

105 *Hæc*] Mea præcepta. *Præstiteris*] Observaveris. *Usu mihi cognita longo*] Quæ ego longa experientia cognovi. 'Et seris venit usus ab annis.'

106 *Nec tulerint*] Nec ego frustra, et quasi ventis jactans mea verba, te admonuerim.

107 *Sæpe mihi dices, Vivas bene*] *Vivas bene* Puteaneus et a manu prima Sarravianus: recte. Trist. v. El. 9. 'Nec tibi cessaret doctus homo dicere lector.' *Heins.*

Rogabis] Precaberis.

111 *Albam*] Canam. *Rerum*] Pauorum crinium.

112 *Rugosas*] Rugis aratas. *Distraherent*] Dissiparent, dilaniarent, scinderent. *Distraheremque genas*] *Distraherentque* Puteaneus cum aliis quibusdam: de manibus suis loquitur. *Heins.*

113 *Di tibi dent nullosque lares*] *Nudosque* quinque scripti. *Idem. Di tibi*] Nunc laus imprecatur Naso. *Nullos lares*] Nullas ædes quas habites. *Inopemque*] Ut nemo tua senectuti opitulatur.

114 *Et longas hyemes*] *Per* Farnesianus. Puto *Fer.* Heins. *Longas hyemes*] Ut frigoribus gelaque conficiaris. Senes enim, propter sanguinis defectum, frigora maxime timent: hinc et *aprici*, id est, sole gaudentes, dicuntur. *Perpetuamque sitim*] Id est, æternam. Nullam fere tormentum durius bibacissimæ Dipsadi imprecari potuit, nisi ut perpetuo sitiat, nec habeat quo sitim pellat.

ELEGIA IX.

1 *Militat omnis amans*] Ad Atticum scribens Naso ostendit, amorem speciem esse militiæ.

2 *Attice*] Fuit hic Atticus poëtæ sodalis, ita charus, ut cum eo seria ludicraque omnia conferre solitus fuerit.

5 *Duces*] Militum ductores.

6 *Hos*] Scilicet, annos. *In socio bella puella viro*] *Toro* lege cum melioribus libris. Amor. III. El. 6. 'Dicitur et socii jura dedisse tori.' Art. I. 'Atque erit in socii fœmina parte tori.' Lib. II. 'Socii deprensa pellice lecti.' Œnones Epistola, '. sociati fœdera lecti:' et 'socialia jura,' alibi: et 'socialis torus' Fast. II. et 'sociare cubilia' Ep. Briseidis. Similiter peccatum erat Epistola Herus XIX. 100. ubi vide Notas. *Heins.*

7 *Pervigilant*] Quatuor vigilias nox continebat apud antiquos: singulæ trium horarum spacio supputabantur, vigiles secundi primis, secundis tertii, tertiis novissimi in statione succedebant, dato signo a tubicine. Vigilant

Digitized by Google

etiam amantes, dum intempestâ nocte iter ad amicam faciunt, et ante clausas fores cantantes aut conquerentes morantur. *Terra requiescit uterque*] Humi enim plerunque milites cubant: hinc dura et laboriosa dicitur militia. Terra quoque et in duro limine amicæ requiescit amator.

8 *Ille*] Amator. *Fores dominæ servat*] Veluti custos. *Iste*] Miles: supple, servat fores. *Ducis*] Imperatoris. *At ille ducis*] *At iste* rectius nonnulli. *Heins.*

9 *Militis officium*] Officium est id quod unusquisque facere debet. *Longa est via*] Hinc apud historicos frequenter legimus, 'Longis itineribus defessi milites.' Amatores etiam vel longissima conficiunt itinera, ut ad amicam perveniant. *Mitte puellam*] Si miseris aliquo puellam, eam etiam ab arctico ad antarcticum polum usque sequetur amans.

10 *Exempto fine*] Sine fine.

11 *Adversos*] Oppositos, obstantes. *Duplicataque Flumina*] Torrentes intelligit, qui hybernis imbribus augentur. *Nimbo*] Imbre.

12 *Congestas conteret ille nives*] *Exteret* meliores; ut apud Statium Theb. x. 'gravis exterit artus Ungula.' Phædrus lib. I. Fab. 21. 'Asinus ut vidit ferum Impune lædi, calcibus frontem exterit:' ubi male scripti *extudit*. Plinius lib. XVIII. c. 7. 'In area exteruntur triticum et siligo et hordeum.' Lucret. 'validis extritus viribus ignis:' vidit quoque veram in Nasone scripturam perspicacissimus Gronovius in Observationibus. Gratius ex veteri codice Pithœi, 'Lineaque extritis lucent anconibus arma:' ubi tamen *expositis* liber Thuaneus, Deinde *conjectas nives* Jureti excerpta cum tribus aliis: unus *confertas*: duo *confectas*: *conjectas* sequor. Sic alibi 'nivem jactam' non uno loco dixit. Supra El. 7. 'Qualiter abjecta de nive manat aqua.' Trist. III. El. 10. 'nix injecta sub Arcto.' Artis Amat. II. 'Via per jactas candida facta nives.' *Heins.*

13 *Nec freta pressurus*] Navigaturus puellæ causa. *Causabitur*] Causari, est causam afferre, sive excusationem adducere. *Tumidos*] Vehementer flantes.

14 *Aptaque vertendis sidera quæret aquis*] *Verrendis* probe Sarravianus cum duobus aliis; tres alii *verendis*. Catullus, 'Cærula verrentes abiegnis æquora palmis.' Ennius: 'Verrunt extemplo placide mare marmore flavo.' Virgilius lib. III. 'nautæ Adnixi torquent spumas, et cærula verrunt.' Mox, 'Certatim socii feriunt mare, et æquora verrunt.' Et 'Verrimus et proni certantibus æquora remis.' Lib. VI. 'illi remis vada livida verrunt.' *Heins.* *Aptaque*] Non requiret, inquit, amator puellam sequens per mare, sub quo sidere sit navigandum, an a navigatione abstinendum.

15 *Frigora noctis*] Sæpe enim miles et amans foris et sub dio pernoctat.

17 *Mittitur*] Ut apud Homerum Ulysses et Diomedes in Trojanos a Græcis, Dolon in Græcos a Trojanis mittebantur. *Alter*] Id est, miles. *Speculator*] Explorator.

18 *Alter*] Scilicet, amans. *In rivali oculos tenet*] Observat ac speculatur quid rivalis agat.

19 *Ille*] Miles. *Graves urbes*] Molestas: utpote hostiles, quarum evertendarum causa multum laborant milites ac sudant. *Hic*] Amans. *Duræ*] Sævæ, crudelis: quia amantem non admittit.

20 *Obsidet*] Assidue desidet, excubat, servat. Eadem significatione apud Justin. I. 5. 'Regis custodibus omnes aditus obsidentibus.' Et Plaut. Pœn. II. 2. 22. 'Servi ne obsideant.' Et alibi: 'Ego fui hodie solus obsessor fori.' Transfertur etiam eleganter ad alia. Justin. XLII. 4. 'Multæ pellices, ex quibus generata tanta juventus erat, pro suis

Digitized by Google

quæque solicitæ, animum senis obsidebant.' Insidiantes alienæ pudicitiæ a Valer. Max. vocantur, 'Obsessores alieni matrimonii.' Quo referri potest illud Senecæ in Hippol. II. 559. 'Sed dux malorum fœmina; hæc scelerum artifex Obsedit animos.' Quod et Græcis usurpatum, Æschyl. Agam. vs. 830. Δύσφρων γὰρ ἰὸς, καρδίαν προσήμενος, Ἄχθος διπλοΐζει τῷ πεπαμένῳ νόσον. *Portas*] Hic apertissime ostendit Naso, veram esse eorum differentiam qui dicunt, portam proprie murorum esse, munitionumque, atque castrorum; januam, ostium, fores, valvas, parietum ac domorum privatarum.

21 *Sæpe*] Alia similitudo inter militem et amantem. *Soporatos*] Dormientes, sopore oppressos. *Invadere*] Adoriri. *Profuit*] Utile fuit, scilicet, militi.

22 *Cædere*] Interficere, perimere.

23 *Sic*] Per soporem. *Fera*] Acria, fortia. *Ceciderunt*] Interierunt, et trucidata ab Ulysse et Diomede, ut ex Homero lib. x. Iliad. liquet.

24 *Et*] Quia abducti sunt ab Ulysse, et ad Græca castra deducti. *Dominum*] Scilicet Rhesum.

25 *Nempe maritorum*] *Sæpe* pro diversa lectione Sarravianus: quod arridet. Sic paulo ante. *Heins. Maritorum somnis utuntur*] Quia dormientibus illis, ad eorum uxores accedunt, easque subagitant.

26 *Sopitis*] Soporatis. *Hostibus*] Ipsis maritis, quos hostes appellat. *Sua arma movent*] Quia eorum uxores subagitant: quæ vulnera ingenuo viro acerbiora sunt, quam quæ ferro fiunt. *Movent*] Admovent.

27 *Custodum transire manus*] Custodes enim apponebantur puellis asservandis. Hos autem callidi amantes plerumque fallebant.

28 *Miseri*] Infelicis. Amantes enim vel hoc miseri jure dicuntur, quod sui juris non sunt. Ordo est: Transire manus custodum et catervas vigilum est opus militis et amantis semper miseri. *Custodum manus*] Ad amantem refertur: *vigilum catervas*, ad militem.

29 *Mars dubius*] Bella enim incertos habent exitus. *Nec certa Venus*] Incerta quoque et dubia sunt amoris gaudia. *Victique resurgunt*] Ut apud Virgil. in Æn. II. 'Quondam etiam victis redit in præcordia virtus;' 'Victoresque cadunt Danai.'

30 *Posse jacere, cadunt*] *Jacent* quatuor libri, non invenusta repetitione. *Heins.*

31 *Vocabit amorem*] *Vocabat* Puteaneus et quatuor alii. Forte *vocarat*; tres *vocavit*.

32 *Desinat*] Scilicet, vocare amorem desidiam. *Experientis*] Usu et experientia docti.

33 *Magnus Achilles*] *Mæstus* Puteaneus aliique multi: quidam *fortis*; etiam bene. *Heins. Ardet*] Amoris incendio flagrat. *Abducta*] Abrepta et ablata Achilli ab Agamemnone. *Briseide*] Hippodamia Brisei filia. *Mæstus*] Propter amatæ puellæ absentiam. Melior mihi videtur vetus lectio, quæ est, *magnus*. Hoc enim cognomento illustres viri appellati sunt, ut Alexander, Pompeius, &c.

34 *Dum licet, Argivas*] *Argoas* Puteaneus et quatuor alii cum Jureti excerptis; quod est *Argolicas*: quomodo Neapolitanus ac Sarravianus cum tribus aliis. *Heins. Dum licet*] Scilicet, per Achillis absentiam.

35 *Hector ab Andromaches complexibus*] Post complexus amatæ uxoris. *Ibat in arma*] Contra Græcos.

37 *Summa*] Id est, caput et dux. Hinc *summates* dicti sunt principes, quos et optimates appellant: ad quos rerum summa pertinet. *Ducum*] Principum Græcorum. *Atrides*] Agamemnon, Atrei filius, Mycenarum rex. *Summa ducum*] Agamemnon, ὁ βασιλεύτατος. Vide Epist. Hermion. 46. 'Dux erat ille ducum.' *Priameide*] Cassandra, Priami filia. *Fertur*] Di-

Digitized by Google

citur, memoratur.

38 *Mænadis*] Phœbadis, per furorem vaticinantis. Cassandra *Mænas* etiam a Propertio dicitur lib. III. Vates enim erat, et Trojæ eversionem prædixit. *Effusis comis*] Turbatis, et per humeros sparsis capillis, ut vaticinantes per furorem habere solent. *Obstupuisse*] Attonitus fuisse propter illius egregiam formam.

39 *Mars quoque*] Nunc Martis bellorum Dei, in quo nulla potest esse desidia, exemplum affert. *Deprensus*] Scilicet, in adulterio a Vulcano. *Fabrilia vincula*] Laqueos fabrili arte elaboratos.

41 *Ipse ego segnis eram*] Sui exemplum affert. Antea, inquit, ignavus natura eram: nunc me fortem reddidit amor. *Discincta*] Mollia, dissoluta, imbellia. Est autem proprium ociosorum: ut contra præcinctos, accinctos, strenuos dicimus. *Discincta etia*] Sic Virgil. VIII. 'Discinctos Afros,' prope fin. ubi vide Serv. et Juv. Sat. VIII. 'Cum tenues nuper Marius discinxerat Afros.' Et Pers. Sat. III. 'Non pudet, ad morem discincti vivere Naccæ.' Et Sil. II. 'Discinctos inter Libyeos.' Vide Amor. III. 2. 31.

42 *Mollierant*] Molles reddiderant: hinc ignavus eram. *Umbra*] Qua ociosi homines maxime delectantur. *Lectum* et *umbram* pro ocio posuit.

43 *Impulit*] Excitavit. *Cura*] Amor.

44 *Jussit*] Scilicet cura puellæ, amor. *Castris suis*] Id est, castris amoris. *Æra merere*] Stipendia facere.

45 *Inde vides vigilem*] *Agilem* Puteaneus et quatuor alii cum prima editione. *Heins.* *Inde*] Postquam me amor impulit. *Vides*] O Attice. *Vigilem*] Me scilicet.

46 *Qui non vult*] *Nolet* meliores; quo et alii alludunt, in quibus *nolit* vel *nollet*. Heins. *Qui nolit fieri*] Non solum, inquit, amor non est desidia, sed etiam desidiosos homines reddit fortissimos. *Domin.*

ELEGIA X.

1 *Qualis, ab Europa Phrygiis advecta carinis*] *Eurota* et *avecta* cum melioribus scribendum; ad Euretam enim nata Helena. Est quoque id nomen corruptum in Agamemnone Senecæ Act. II. 'Spartamne repetes spreta et Eurotan tuum?' sic emenda: nam optimus codex Mediceus *et curo tantum*; vulgo insulse, *et a tanto viro*; sed hoc, credo, viderit, qua est industria, Gronovius, cujus in scriptorem optimum animadversiones prælo describi jam cœptæ. *Heins.* *Qualis, ab Eurota Phrygiis avecta carinis, &c.*] Liberali ingenio præditus poëta, dedignabatur muneris tantum gratia ab amica se amari: quæ, quia precium petiit, ejus pulchritudinem mentis vicio immiuutam esse dicit, nec eam amplius a se amari. *Qualis*] Ut majorem injiciat dolorem puellæ, laudat pulchritudinem ejus ante petitionem munerum: eamque comparat formosissimis.

2 *Conjugibus duobus*] Menelaum intelligit, qui legitimus erat conjux; et Paridem, qui Helenæ maritus esse volebat.

3 *Lede*] Quemadmodum Jupiter, in cycni formam versus, cum Lede Tyn-

Digitized by Google

dari conjuge concubuerit, elegia tertia exposuimus. *Abditus*] Absconditus.

4 *Callidus*] Vafer, veterator, astutus. *Falsa*] Simulata, ficta. Neque enim illa vere avis erat. *Lusit*] Decepit, fefellit. *Adulter*] Jupiter. *Ave*] Cycno.

5 *Qualis Amymone*] Hæc Danai filia fuit, admirabili forma prædita. Oblectabatur autem venandi studio.

6 *Cum premeret*] Quando aquam in urna gerebat. *Summi verticis comam*] Urna enim capiti imposita, comas premebat. *Urna comas*] Rectius *comam* nonnulli. *Heins.*

7 *Aquilamque*] Sollicitus, inquit, eram ne, propter egregiam tuam pulchritudinem, tui amore captus Jupiter te raperet. *Aquilam*] Ne ad te rapiendam a Jove mitteretur, ut olim ad Ganymedem. *Taurum*] Ne iterum Jupiter in taurum conversus te abduceret, quemadmodum Europam.

8 *Quicquid magno de Jove fecit amor*] Id est, formas illas omnes in quas amoris gratia Jupiter mutatus est. *De Jove fecit amor*] Vide Senec. Hippol. Chor. a. I. 'Induit formas quoties minores Ipse qui cælum, nebulasque ducit;' et quæ seqq.

9 *Animique evanuit ardor*] *Revanuit error* Excerpta Puteani et Sarravianus cum aliis nonnullis: quidam *revanuit ardor*. Puteaneus et Arondelianus, *resanuit error;* recte: lib. II. El. 9. ut et illic idem codex, 'Cum bene pertæsum est, animoque resanuit ardor:' quod verbum vix alibi invenias; nisi apud unum Lactantium: ut jam monuit in Observationibus politissimus Gronovius. lib. III. 21. ubi hæc Nasonis duo loca pari modo emendavit. Cæterum *errorem* pro amore passim ponit Noster. Met. X. 'retinet malus error amantem:' sic enim veteres libri, exemplo Virgiliano, 'Ut me malus abstulit error.' Trist. I. El. 2. 'Imo ita, si scitis, si me malus abstulit error:' ut et illic scripti quidam. Trist. II. 'Illo namque die, quo me malus abstulit error, Parva quidem periit, sed sine labe, domus.' Supra El. 2. apud Cupidinem, ex veteribus libris, 'Blanditiæ comites tibi erunt, Errorque, Furorque.' *Heins. Animique*] Neque amplius amoris tui incendio uror.

10 *Nec facies*] Nec jam me juvat ista tua facies.

11 *Munera poscis*] Amor enim non bene venditur auro.

14 *Mentis vitio*] Quia procax, et petulans, et avara facta es. Hæc enim sunt animi vitia. *Læsa*] Polluta, contaminata.

15 *Et puer est, et nudus Amor*] *Mundus* optimus Palatinus. Dixi supra Elegia 8. 39. *Heins. Et puer est*] Vult Naso simplicem et purum esse amorem. *Sine sordibus annos*] Habet, inquit, annos, id est, ætatem puerilem, in qua non regnat avaritia.

16 *Ut sit apertus*] Quinque veteres *opertus*. Lege cum Arundeliano, *quis sit opertus*. Heins.

17 *Puerum*] Quid, inquit, Cupidinem prostituitis precio, cum nudus sit, nec habeat sinus, in quos precium mittat? *Prostare*] Prostare significat, corporis turpitudine quæstum facere. *Prostant*] Venales. Plaut. Curcul. IV. 2. 21. 'Hi saltem in occultis locis prostant, vos in foro ipso: Vos fœnore, hi male suadendo, et lustris lacerant homines.'

18 *Quo pretium condat*] *Condas* Puteaneus. *Heins. Condat*] In sinu enim precium collocabant.

19 *Nec Venus*] Cupido, inquit, et Venus ferrea arma horrent, et imbelles sunt: non igitur decet eos merere et stipendium facere, ut fortes milites.

21 *Meretrix*] A merendo dicitur. *Certo ære*] Certa et decreta pecunia. *Mercabilis*] Id est, venalis, quæ facile conducitur.

23 *Devovet*] Execratur. Hæc tamen, inquit, minus est reprehenden-

Digitized by Google

da, quia coacta peccat: tu autem, et tibi similes, sponte in teterrimum illud avaritiæ vitium prolabimini. *Lenonis avari*] Virtutes lenonum sic depingit Plaut. in Curcul. IV. 2. 'quibus sui nihil est, nisi una lingua.' Et deinde vs. 18. 'Qui abjurant, si quid creditum est.'

28 *Captat*] Allicit.

37 *Conducti vendunt perjuria testes*] Elegantissime quidem hoc expressit: conducuntur enim testes, dum pecunia corrupti ab eo, qui propter turpitudinem non satis fidit, in judicio adhibentur: ubi merceduläe gratia falso jurantes, perjuria vendere a Nasone dicuntur.

38 *Non bene selecti*] Id est, non bene venditur justitia a corrupto judice.

39 *Reos*] Rei omnes dicuntur qui in judicium veniunt, tam accusator quam defensor. *Empta*] A reis conducta.

40 *Quod faciat magnas opes*] Id enim fieri non potest, nisi vendatur justitia.

41 *Turpe tori*] Ut superiora turpia sunt, ita turpe est fœminam velle corporis vulgati quæstu patrimonium suum augere. *Census paternos*] Facultates paternas.

45 *Omnia*] Hæc est causa cur nulla gratia toro conducto debeatur: conductor enim tori, dato precio, nil amplius tibi debet.

47 *Parcite*] Nolite.

48 *Non habet*] Nunc timorem injicit puellis, ne precium concubitus faciant, et amantem deprædentur: cum hujuscemodi sordidissimæ prædæ infelicissimos habeant exitus, quod probat exemplo Tarpeiæ et Eriphyles. *Sordida*] Avara.

49 *Non fuit armillas*] Tarpeiæ Vestalis historiam tangit, quæ Romanam arcem Sabinis prodidit: qui ob Sabinas mulieres raptas, duce Tatio, bellum Romanis intulerunt.

50 *Sacræ virginis caput*] Id est, Tarpeiæ, quæ Vestalis fuit.

51 *Ex quibus exierat*] *E quibus* meliores. *Heins. E quibus, &c.*] Nunc, ut ostendat, non bonum eventum sortiri sordidam prædam, adducit exemplum Eriphyles, quæ Amphiarai auguris Argivi uxor. Inquit igitur Naso: Monile illud muneri datum, quia avara admodum Eriphyle, quo viri vitam vendidit, in ejus perniciem versum est. *Exierat*] Dum nasceretur. *Trajecit*] Transfodit. *Viscera*] Matris Eriphyles.

52 *Filius*] Alcmæon. *Pœnæ*] Cædis maternæ. *Monile*] Aureus torquis, olim a Venere Hermionæ datus: postea a Polynice Amphiarai uxor dono accepit, mariti proditionis precium.

53 *A divite munera posci*] *Præmia* Puteaneus et plures alii: mihi repetitio magis arridet. Sequenti versu idem optimus codex, cum uno Moreti, *quod dare possit:* non *quæ*. Heins.

55 *Carpite, &c.*] Exigite munera ab illis, qui, quia ditissimi sunt, multa dare possunt.

56 *Alcinoi*] Fuit Alcinous Nausithoi filius, rex Phæacum justissimus. Hic diligentissime hortos colebat. *Benignus*] Fertilis. *Alcinoi ager*] Hac de re vide Homer. Odyss. H. 'Phæacum felicibus obsita pomis Rura.' Lucan. X. Propert. Eleg. 1. 'Nec mea Phæacas æquant pomaria sylvas.' Vide et Plutarch. Sympos. v. qu. 8. et 9. Et Juven. Sat. v. 'Perpetuus Phæacum autumnus.' Vide et Eustath. ad Odyss. H. p. 445. Athen. lib. I. c. 8. Diod. Sicul. lib. III. c. 13. qui refert hoc ad beatas insulas.

57 *Officium pauper numeret*] Puteaneus et Arondelianus *numerat*. Forte *numera;* quomodo et alibi peccatum. *Heins. Officium*] Id est, obsequium vel beneficium. *Numeret*] In beneficii loco ponat, quod pro pecunia accipiat amica. *Pauper*] Officiosus igitur erit puellæ pauper. *Fidemque*] Dives enim hanc et illam, utcunque ei libuerit, pecunia corrumpere potest, ac amicam deserere: quod prop-

Digitized by Google

ter inopiam pauper non ita facile potest.

59 *Meritas*] Quæ laudem meruerint. *Celebrare*] Ornare.

60 *Dos*] Virtus, ars. Dotes ingenii sive animi dicuntur virtutes. *Arte mea*] Poëtica et Musica. *Nota sit arte mea*] *Nota fit* Puteaneus et plures alii; vere. *Heins.*

61 *Scinduntur vestes, gemmæ frangantur*] *Scindentur et frangentur* meliores cum Puteaneo. *Idem. Scindentur*] Per contentionem extollit poëticam facultatem. Omnia, inquit, munera, quæ ab amatore divite acceperis, non diu duratura sunt: fama autem, quam carminibus poëta tibi acquiret, æterna erit.

62 *Perennis*] Lucanus in IX. 'O sacer et magnus vatum labor, omnia fato Eripis, et populis donas mortalibus ævum.'

64 *Quod nego*] Non igitur Poëta dedignatur tantum munera præbere, quantum ab amica posci: ad eorum opinionem refellendam, qui dicunt, danda esse omnino munera puellis: asseruntque, id utile esse ad benevolentiam captandam. *Domin.*

ELEGIA XI.

1 *Colligere incertos, et in ordine, &c.*] Napæ ancillæ literas ad amicam deferendas tradit, quibus noctem petebat. Sed primum benevolentiam captat, laudans eam ab officio suo, quod optime exequebatur: ab ingenii felicitate, a sedulitate et fide: quia his maxime opus erat ad tabellas reddendas dominæ. *Incertos*] Turbatos, indispositos. *Ponere*] Dirigere.

2 *Nec ancillas inter habenda*] Ita ut merearis haberi inter ingenuas mulieres.

3 *Ministeriis*] In dandis signis, in me admittendo, et janua clanculum aperienda.

5 *Sæpe venire ad me*] Numeri duriores. Puto scribendum, *sæpe venire mihi*. Vide quæ noto lib. II. Artis Amatoriæ, vs. 11. *Heins. Hortata*] Quæ hortata es.

6 *Laborantis*] Ex amoris incendio.

7 *Peraratas*] Conscriptas. *Mane* refertur ad participium *peraratas*, non ad verbum *Perfer*.

8 *Obstantes*] Nocentes. *Sedula*] Diligens, officiosa. *Pelle*] A te remove.

9 *Nec, &c.*] Non tu barbara et adeo crudelis es, ut mihi laboranti succurrere nolis; tibi enim est natura longè melior tua sorte: unde ego credideram, te quoque expertam fuisse amoris incendia. *Venæ*] Lapides enim et ipsi suas habent venas. *Silicum venæ*] Virg. VI. 'Quærit pars semina flammæ Abstrusa in venis silicis.' Georg. 'Et silicis venis abstrusum excuderet ignem.' Σπέρμα πυρός. Homer. 'Durum in pectore ferrum, Ære gerens, solidoque datos adamante lacertos.' Stat. Thebaid. III. Et Noster Metam. IX. vs. 615. 'Nec rigidos silices, solidumque in pectore ferrum Aut adamanta gerit.' Sic et Græci, Παγχάλκεον δέμας. Ἀτειρέος ἐξ ἀδάμαντος. Σαρκὶ σιδαρείῃ.

10 *Sed tibi simplicitas ordine major inest*] Scribe cum melioribus *Nec tibi*. Nam et in comœdiis subdolæ ac vafræ tam ancillæ quam servi inducebantur: vide notas lib. II. El. 7. vs. 17. *adest* quoque Puteaneus et Arondelianus. *Heins. Ordine*] Tua sorte, scilicet servili.

Digitized by Google

11 *Credibile est*] Verisimile videtur.

12 *Militiæ*] Amatoriæ. Nam 'Militat omnis amans, et habet sua castra Cupido.'

13 *Quæret*] Ipsa amica mea.

14 *Cætera*] Quæ ego eam scire volo. *Cera*] Tabellæ cera illita. *Notata*] Inscripta.

15 *Dum loquor, hora fugit*] *Hora fuit* Puteaneus. Forte *hora ruit:* sic apud Virgilium, 'Nox ruit Æneas:' et 'ruit irrevocabile tempus' Juvenali. *Heins. Vacuæ*] Ociosæ, ac liberæ aliis negociis. *Bene*] Opportune.

16 *Ipsa legat*] *Illa* meliores. *Heins.*

18 *Ex tacito vultu*] *Et* scripti. Lege *E tacito.* Idem.

19 *Nec mora, perlectis*] Quam primum tabellas perlegerit. *Rescribat multa*] Ex affectu amantis. *Rescribat multa jubeto*] Putem *videto*. Nam alterum in ancilla nimis imperiosum. *Heins.*

20 *Splendida*] Splendebant enim hujuscemodi tabellæ cera illitæ: mirifice enim dedolabantur ac poliebantur. *Vacat*] Vacua est, ac sine litteris.

21 *Versus*] Non de carmine tantum, sed etiam de soluta oratione versus dicitur, a vertendo: quod cum ad extremum pagellæ scribens veneris, sive ad marginem, stilus vertatur. *Moretur*] Teneat. *Comprimat ordinibus versus*] Hoc est, ipsos versus sive lineas addenset, ita inter se jungat, ut sint angusta ac modica inter binos versus spacia sive interstitia. *Micyll.*

22 *Margine*] Extremitate tabellæ.

23 *Quid digitos opus est graphium lassare tenendo*] *Graphio* Puteaneus et Politiani excerpta: *graphio lassere retento* Jureti codex, ut sit Græcismus. *Heins.*

24 *Hoc habeat scriptum*] *Fac habeat* puto rescribendum. *Idem.*

25 *Non ego victrices lauro redimire tabellas, &c.*] Alludit ad morem Romanum. Solebant enim literæ, quæ ab Imperatoribus, parta victoria, Romam super ea victoria mittebantur, lauro redimiri, atque ita consulibus reddi: unde et 'laureatæ' dicebantur. *Micyll.*

26 *Ponere in æde moror*] *Morer* recte meliores. *Heins. Media in æde*] In medio templo: honoris gratia. *Veneris*] Veneris genitricis, Romæ templum magnificentissimum erat, quod cum ipso Veneris simulachro incendio crematum est, Claudii principatu, ut refert Plin. lib. XXXIV. *Morer*] Differam.

27 *Subscribam*] Titulum hunc subjiciam. *Veneri fidas sibi*] Ordo est: Naso dedicat Veneri tabellas fidas sibi. *Ministras*] Poëta ministras suas appellat tabellas, quibus amores suos ad amicam miserat. *Sibi*] Scilicet, Nasoni. *Fidas sibi Naso tabellas*] *Ministras* iidem; probe: sic Trist. III. El. 7. 'Littera, sermonis fida ministra mei.' Epistola Cydippes, 'Lumina propositi facta ministra mei.' *Heins.*

28 *Dedicat*] Consecrat. *Nuper*] Modo. *Acer*] Acer arbor est, tiliæ fere similis. Ex acere igitur erant hæ tabellæ. Conficiebantur etiam ex buxo: et hodie quoque buxeis pugillaribus vulgo utuntur. Fiebant quoque ex citro, ex ebore, ex membranis: qui citrei, eborei, et membranei dicebantur. *Domin.*

Digitized by Google

ELEGIA XII.

1 *Flete meos casus; tristes rediere tabellæ*] Remissæ ab amica Nasoni fuerant tabellæ, in quibus scriptum erat, ne ad eam accederet Naso: minime enim hoc fieri posse, ut noctem illam habeat. Quod infœlicissimum nuncium fuisse omine præmonstratum dicit. Tum in ipsos pugillares plenis velis invehitur, eisque imprecatur.

2 *Negat*] Supple, dominam posse hodie concedere mihi noctem.

4 *Restitit*] Hæsit. Observabant enim antiqui in limine ingredientium et egredientium pedes: nam si in limine icti pedes fuissent, Janus et Vesta irati putabantur.

6 *Sobria*] Non titubans, quod est ebrii.

8 *Referta*] Plena. *Notis*] Literis. *Negaturis*] Scilicet, noctem mihi.

9 *Quam*] Scilicet, ceram. *Collectam*] Apes enim flores colligunt, unde mel et favum et ceram postea conficiant. *Cicutæ*] Cicuta herba est (ut lib. XXVI. scribit Plinius) venenosa, publica Atheniensium pœna, invisa propter Socratem, qui cicuta periit.

10 *Corsica misit apis*] Corsica insula est in Ligustico mari. Hanc scribit Diodorus abundare terebinthina, cera, et melle. Corsicum etiam mel amarum esse docet Plin. lib. XVI.

11 *At tanquam*] Nunc a colore tabellarum infœlicitatem exprobrat. *Minio*] Rubro colore. *Penitus*] Valde. *Medicata*] Tincta, infecta, illita.

12 *Sanguinolentus erat*] Hoc est, tristis et feralis, qualia sunt quæ sanguine inficiuntur. *Micyll.*

13 *Projectæ in triviis*] Τὸ in abest a melioribus. *Heins.*

16 *Puras manus*] Puræ manus dicuntur, nullo scelere et sanguine pollutæ. Senec. a. v. Med. 901. 'Vindicta levis est quam ferunt puræ manus:' ubi videndus Doctiss. Gronovius. Nos paucula de nostro addemus. Eurip. Iphig. in Taur. 945. Ἔστιν γὰρ ὁσία ψῆφος, ἣν Ἄρει ποτὲ Ζεὺς εἶσαν' ἐκ τοῦ δὴ χερῶν μιάσματος. Cui respondet Accius apud Nonium: 'manus materno sordet sparsa sanguine.' Qualem virum Halicarnass. lib. III. vocat, ἄνδρα μιαρὸν, καὶ ἡμαγμένον φόνοις. Et Theocr. Idyll. XXVI. vs. 25. de Bacchis, quæ Pentheum discerpserant: Ἐς Θήβας δ' ἀφίκοντο πεφυρμέναι αἵματι πᾶσαι. Qui omnes sacris arcebantur. Vide Liv. dec. v. lib. 5. ubi inter alia hæc habentur: 'cum omnis præfatio sacrorum eos, quibus non sint puræ manus, sacris arceat.'

18 *Duras præbuit illa cruces*] Scribe *diras*. Heins.

19 *Illa dedit turpes*] In hac, inquit, sederunt obscœnæ ac mali ominis aves. 'Turpes umbras,' propter avium turpitudinem. *Bubonibus*] Bubo avis est nocturna, funebris, et maxime abominata, publicis præcipue auspiciis. *Raucis bubonibus umbras*] *Rasis* Puteaneus. Arondelianus *raris*. Scribo *ravis:* ravum enim quod obtusum, sive de voce accipias sive de colore: hinc *ravis* pro *raucitate;* unde *rabulam* vult dictam Verrius: de qua voce videatur Festus. Color ravus inter flavum et cæsium medius: etsi pro *fulvo* Nonius accipit. Horatius certe Epod. XVI. 'ravos leones' dixit, 'Credula nec ravos timeant armenta leones:' ita enim vetustissimi codices; quomodo 'ravam lupam' idem Od. III. 27. appellat. *Heins.*

20 *Strigis*] Striges aves sunt noc-

Digitized by Google

turnæ, de quibus fabulosum arbitratur Plinius, ubera eas infantium labris immulgere.

21 *His*] Scilicet tabellis. Reprehendit se, quod infœlicissimis pugillaribus de amoribus suis verba commiserit.

22 *Mollia*] Suavia, placida, blanda.

23 *Aptius*] Convenientius. *Capiant*] Caperent. *Vadimonia*] Id est, sponsiones ad certum diem sistendi se judicio. *Vadari*, enim, est spondere se certo die in judicio affuturum, aut per se aut per advocatum. *Garrula*] Inepte composita. *Ceræ*] Ceratæ tabulæ.

24 *Quas*] Tabellas ceratas. *Duro ore*] Id est, impudenti et inverecundo. Tales enim solent esse causarum defensores audacissimi quidam, et impudentissimi proclamatores ac rabulæ. Vel *duro*, id est, severo, tristi. *Domin. Cognitor*] Cognitorem ego judicem intelligo, non defensorem. Inde et cognitiones causarum, judicationes sive judicia. Et *cognoscere*, judicare. *Micyll.*

25 *Ephemerides*] Quem Latini *diarium* appellant, a Græcis ἐφημερὶς dicitur: liber est, in quo per singulos dies res gestæ scribuntur.

27 *Ergo*] Nunc a nomine tabellarum, infœlicitatem earum ostendit. *Duplices*] Nam pugillares erant apud veteres pluribus distincti nominibus: alii quintuplices, alii duplices, quidam triplices nominabantur. *Sensi*] Expertus sum. *Domin. Duplices*] Quia *duplices*, fallaces et dolosos dicimus: ac si dicat, re ipsa nunc videre se, duplices illos fuisse duplices, quod est fallaces, et qui aliud primo aspectu præ se tulerint quam postea præstiterint. *Micyll.*

28 *Auspicii numerus non erat ille boni*] Impare enim numero cum superi gaudeant, par datur inferis; unde hic par numerus mali ominis causa fuisse dicitur a Poëta.

29 *Cariosa*] Cariem afferens rebus. Vetusta enim ligna teredinem sentiunt.

30 *Immundo*] Turpi, fœdo, sporco. *Cera*] Qua illitæ estis. *Situ*] Squalore.

ELEGIA XIII.

1 *Jam super Oceanum venit a seniore marito*] Numeri in hoc versu parum sunt Nasoniani: metuo ne sciolus interpolarit. Quare scribendum censeo, *Jam super Oceanum venit seniore relicto*. Sic in Fastis lib. VI. 'Jam Phryx a nupta quereris Tithone relinqui.' Et 'Proxima prospiciet Tithono nupta relicta Parrhasiæ sacrum Pontificale Deæ.' Et lib. IV. 'Cum Phrygis Assaraci Tithonia fratre relicto Sustulit immenso ter jubar orbe suum.' Certe Puteaneus, et Arondelianus, *venit seniore marito: seniore licto*, pro *relicto*, exaratum a properante manu fuerat; cujusmodi errores in vetustis codicibus passim observavi, nec uno exemplo in hisce ipsis Notis jam palam feci. Apud Valerium Flaccum locus extat insignis, quo castigando nunc defungar. Is est libro VII. ubi Medea agitur, 357. 'Cingitur inde sinus, et, qua sibi fida magis vis Nulla, Prometheæ florem de sanguine fibræ Caucaseum promit, nutritaque gra-

Digitized by Google

mina tabo: Quæ sacer ille nives inter tristesque pruinas Durat alitque cruor:' sic locum pessime in vulgatis libris adfectum corrigo. Versu tertio in codicibus ante Carrionem editis legebatur, *Caucaseum tonitru nutritaque gramina promit.* Carrionis liber, *Caucaseum promit nutritaque gramina ponit.* Scriptum videlicet antiquitus fuerat *gramina napo* pro *tapo* sive *tabo;* nam *p* pro *b* vetustissimis exemplaribus haud raro irrepsisse deprehendas: cum hærerent librarii, *ponit* reposuerunt. *Tonitru* hic locum non habet, quod de fulmine postea sit acturus. Versu quinto legitur in editionibus, *Durat editque cruor*, nullo sensu; præsertim cum *adeso* sequatur eodem versu: nimirum *it* pro *alit* scripserat librarius, omissis duabus prioribus literis ob cognationem τῶν *at* præcedentis verbi *durat.* Sic et apud Martialem lib. VII. Ep. 98. cum nunc legatur, 'Non ab amore recens hircus, non ora leonis,' et in tribus quatuorve, quos inspexi, libris veterrimis, *non a leonis* sit exaratum, haud dubito reponendum esse *non ala leonis*, pro axilla: nam *alæ* non hominum tantum, sed brutorum quoque animalium. Sic alas elephanti assignat Plinius XI. 40. Cæterum quod diximus *b* et *p* frequenter confundi et misceri in vetustis exemplaribus, id manifestum fit ex *pube* et *puppe; nube* et *rupe* confusis: de quibus Notæ ad Met. lib. VII. 51. et lib. XI. 591. fusius egerunt: *supprema crepuscula* in Fastis veterrimi codices, cum *sub prima* sit legendum: et apud eundem Valerium lib. VII. 375. 'Qualis adhuc teneros ubi primum pallida fœtus Mater ab excelso produxit in aëra nido:' cum *supremum* illic perperam scribatur. Hæc in transcursu. *Heins.* *A seniore marito*] A Tithono.

2 *Pruinoso axe*] Pruinoso curru. Matutino enim tempore pruina, quæ est ros congelatus, cadit.

3 *Sic Memnonis umbras*] *Umbra* Farnesianus: alii nonnulli, *umbram.* Legendum *umbræ* vel *umbris;* nisi sequenti versu pro *parentet*, cum Neapolitano et quatuor aliis reponas *frequentet.* Non enim memini scriptores Latinos id verbum cum alio quam tertio casu conjunxisse. Pro *solenni cæde* Sarravianus, qui est inter optimos, *solenni more;* et sic pro diversa lectione unus Vaticanus. Puto *solenni Marte:* quomodo et lib. XIII. Met. in hac eadem fabula reponendum: 'parentali parituræ Marte rebellant:' ut suo loco pluribus dicemus. *Heins.* *Sic Memnonis umbris*] Memnonem Tithoni et Auroræ filium, qui Trojanis in auxilium venit, bello Trojano Achilles interfecit. Cumque mater Jovem rogasset, ut aliquo honore filium interemptum donaret, ille rogi favillas ejusque socios in aves vertit, quæ a Memnone Memnonides cognominatæ, quotannis ad Memnonis sepulchrum inter se bella aspera gerentes, suo regi parentare dicuntur. Fabulam narrat Ovid. Metam. XIII. *Sic*] Particula est, qua precantes utuntur. *Domin.* *Sic Memnonis umbras*] Mihi videtur *umbris* legendum esse, ut sit ordo: Sic annua avis parentet umbris Memnonis solenni cæde, &c. Nam et Cicero hoc verbum dativo junxit. *Micyl.*

4 *Parentet*] *Parentare* autem proprie est, parentibus justa celebrare. Hinc *parentalia* dicta sunt convivia quæ in parentum aut propinquorum mortibus fiebant.

5 *Nunc*] Matutino tempore.

8 *Liquidum*] Pro, liquide et clare. *Tenui*] Parvo, exiguo. *Tenui gutture cantat avis*] *Tereti* Regius. *Heins.*

10 *Roscida lora*] Id est, frena rore perfusa. *Purpurea manu*] Auroræ enim color purpureus est: unde ei rosas antiquitas dicavit. *Supprime*] Attrahe, ut currum trahentes equi inhibeantur.

11 *Ante tuos*] Hos quatuor versus margini adscriptos habet manu recen-

Digitized by Google

tiori Puteaneus. *Heins.* *Sidera servat*] Sic et Græci. Argon. Apollon. lib. III. vs. 1028. Δὴ τότε μέσσην νύκτα Ἀμαμοιρηδὰ φυλάξας. Et Halicarn. I. νύκτα ἀσέληνον φυλάξαντες. Vide et Epist. Leandr. vs. 167.

12 *Nec media nescit an erret*] Bene idem Puteaneus *nescius errat*. Ne enim nescius erret, sideribus refert acceptum, quæ navem regunt. *Heins.*

14 *Miles et armiferas*] *Et miles sævas* Puteaneus: nil muto. *Idem.*

15 *Prima subire jubes oneratos arva colonos*] Scripti cum primis editionibus fere omnes, *Prima bidente vides oneratos arva colentes;* et recte: nec male Junianus, *Prima bidente vides oneratos colla colonos:* bidens enim instrumentum rusticum. Noster Fast. IV. 'Ille suam peragebat humum, sive usus aratri, Sive cavæ falcis, sive bidentis erat.' Et alibi, 'Sarcula nunc curvusque bidens et vomer adunucus Ruris opes niteant.' Meminit et Tibullus. *Heins.* *Bidente oneratos*] Id est, sarculo. Est enim *bidens* rusticum instrumentum, duos dentes habens. *Arva colentes*] Id est, agricolas.

16 *Tardes*] Tarde incedentes. *Panda*] Subcurva.

19 *Atque eadem sponsi consultum ante atria mittis*] Alii *sponsos;* atque ita a manu secunda Puteaneus, in quo legebatur, *Atque eadem sponsum cultos ante atria mittis:* et sequenti versu idem *ferant* pro *ferat;* quomodo et alii ex melioribus. Latet certe mendum; nisi mavis totum distichon a mala manu esse. Nam quid opus *consulti* hic meminisse, cujus sequenti versu mentionem sit facturus? *Heins.* *Eadem*] Tu, o Aurora. *Sponsum*] Maritum, qui cum recenter uxorem duxerit, cum illa diutius se oblectare deberet. *Consulti*] Jurisperiti. *Ante atria*] Eum expectans, dum e cubiculo prodeat.

20 *Unius ut verbi, &c.*] Sensus est, Ut consultus in lege, aut in alio scripto, unum verbum pro utilitate consultoris interpretetur: quod nisi fieret maxima damna eum sequerentur. *Ferat*] Pro *auferat*, scilicet, consultus: id verbum interpretans ad utilitatem consultoris, quod alioqui ei nocere videbatur.

21 *Nec tu jucunda diserto es*] Tolle *es* ex auctoritate codicum præstantiorum. *Heins.* *Non tu jucunda*] Id est, molesta. *Consulto*] Jurisperito. *Diserto*] Causidico, eloquenti.

22 *Uterque*] Consultus et disertus: hic ad agendas causas, ille ad consulendum consultori.

23 *Tu ne fœminei possint cessare lacerti*] Puteaneus et tres alii, *Tunc cum fœminei possint cessare labores:* alii plures, *Tu cum: labores* etiam est in Arondeliano. *Heins.* *Cessare*] Quiescere.

24 *Pensa*] Lanas nondum filatas, sed adhuc colo impositas: quod a colo pendeant.

28 *Nec fugerent*] *Ne fugerent* meliores: quinque *Neu.* Tibull. 'Hinc et fœmineus labor est, hinc pensa colusque.' *Heins.*

30 *Spissa*] Densa. *Equus*] Qui tuum currum trahit.

31 *Invida*] Quæ requiem mortalibus invides. *Quod erat*] A filii colore argumentum ducit, quo eam improbam et invidam esse probet. Niger enim color et lividus proprius est invidorum. *Filius*] Memnon. *Ater*] Niger. Æthiops enim erat.

33 *Quod si non Cephali*] Numeri huic disticho duriores sunt, quam quos pro suis Ovidius admittat; et sane in optimo Puteaneo margini adscriptum erat; idque manu recentiori: qui præterea agnoscit, *Quid si Cephalio.* Certe de Cephalo cum mox sit acturus, otiosa est hoc loco ejus mentio. Mycillo etiam ac Grutero suspectum habebatur hoc distichon. *Heins.* *Cephali*] Cephalum quidam Æoli, alii Deionei filium fuisse dicunt. Vide Hygin. c. 189.

Digitized by Google

34 *Nequitiam*] Lasciviam.

35 *Tithono*] Marito tuo. *De te narrare liceret*] *Liberet* puto: in Fastis, 'Nec libet, et longum est epulas narrare Deorum:' ubi pari modo peccabatur. *Heins.*

36 *Fœmina non cœlo turpior ulla foret*] *Fabula* Puteaneus alter cum Excerptis Vossianis: recte. Noster supra El. IX. 39. 'Mars quoque deprensus fabrilia vincula senit: Notior in cœlo fabula nulla fuit.' Artis Amatoriæ libro I. 'Fabula narratur toto notissima cœlo Mulciberis capti Marsque Venusque dolis.' Et Met. lib. IV. de eadem re, 'diuque Hæc fuit in toto notissima fabula cœlo.' Seneca Thyeste de Myrtilo, 'notior Nulla est Ioniis fabula navibus.' Idem Hippol. 'Phædræ quem Bromio prætulerit soror Omnes per populos fabula distulit.' Noster in Trist. 'Nomine sub nostro fabula nulla fuit.' Am. III. El. 1. 'Fabula (nec sentis) tota jactaris in urbe.' Art. II. 'Ut quamque attigeris, fabula turpis erit.' Statius Achilleide, 'Ast ego vel primæ puerilis fabula culpæ, Narrabor famulis.' Neque aliter passim optimi auctores. *Heins.*

37 *Longo quia marcet ab ævo*] *Longo quia grandior ævo* Puteaneus et complures alii. Trist. IV. 'Sæpe suas volucres legit mihi grandior ævo,' de Macro: certe mox denuo sequitur, 'si vir tibi marcet ab annis:' hinc *grandævus.* Idem. *Longo*] Quia grandior ævo. Sic Flaccus: 'Longa Tithonum minuit senectus.'

38 *Invisas*] Scilicet mortalibus: ut supra; 'Quo properas ingrata viris, ingrata puellis?'

39 *At si quem Cephalum manibus*] *Quem magis Cephalum* Puteaneus: *quod malles Cephalum* Jureti Excerpta. Scribe, *quem malles Cephalum.* Heins.

40 *Lente*] Tarde: ut diutius amato juvene frueretur. *Noctis equi*] Nox enim et ipsa suo curru vehi dicitur.

41 *Cur ego plector amans*] *Plectar* meliores. *Heins. Vir*] Maritus Tithonus.

42 *Non me nupsisti*] *Num* Puteaneus et alii quidam ex præstantioribus. *Heins.*

43 *Aspice quos somnos*] Lege *quot* ex scriptis; et mox cum iisdem *neque illius forma secunda tua*, non *tua est.* Propert. lib. I. El. 2. ut scribendum: 'Aspice quot submittat humus formosa colores.' *Idem. Aspice quot*] Ut magis Auroram deprimat, extollit Lunam, quæ dilecto juveni perpetuos somnos donaverit. *Juveni*] Endymionem intelligit, quem dormientem in Larmio monte Cariæ Luna exosculabatur, jussitque perpetuo dormire.

44 *Nec illius forma secunda tua est*] Ordo et sensus est: Nec tua forma, o Aurora, est secunda, supple, formæ illius; id est, non pulchriorem formam, quam tu, habet Luna: quæ causa esse deberet, ut amantibus te mitiorem ac faciliorem præberes. *Domin. Forma secunda tua est*] Legere malim, *Nec illius forma secunda tua est;* ut Poëta videatur Auroræ objicere exemplum Lunæ, quæ cum æque pulchra sit atque illa, tamen patiatur juvenes et amantes dormire. *Micyll.*

45 *Deum genitor*] Jovem dicit, qui, quoniam singulorum cum summa benevolentia curam suscepit, pater est appellatus. Tangit autem hic Naso fabulam, quam plene describit Plautus in Amphitryone.

46 *Commisit noctes*] Vide Epist. Deianir. vs. 9. Hinc Sosia Plauti in Amphitr. I. 1. 132. 'Hæc nox scita est exercendo scorto conducto male.' *In sua vota*] Quæ erant, ut diutius cum Alcmena cubaret.

47 *Jurgia*] Convicia in Auroram. *Scires*] Pro, aliquis scire posset ipsam audisse jurgia.

Digitized by Google

ELEGIA XIV.

1 *Dicebam, Medicare tuos desiste capillos*] Nasonis amica, ut est puellarum ambitio et temeritas, ut pulchriores redderet sibi capillos, multis ac venenatis eos mendicamentis tinxit: unde paulatim defluentibus illis, penitus calva extitit: quapropter inconsolabiliter mœrebat. *Desiste*] Desine. *Medicare*] Medicamentis inficere.

2 *Tingere quam possis*] Puto rectius *fingere;* ne bis idem dicat; jam enim 'medicare capillos' præcessit. Med. Faciei, 'Rure sedent, finguntque comas.' Art. Am. I. 'Quid toties positas fingis inepta comas?' Statius Theb. v. 'Aspiciens floremque genæ et quas finxerat auro Ipsa comas.' Virgil. lib. IV. 'mollique fluentem Fronde premit crinem fingens, atque implicat auro.' Met. IV. 'Et finxit vultum, et meruit formosa videri.' Remed. Amor. 'Proderit et subito, cum se non finxerit ulli, Ad dominam celeres mane tulisse gradus,' quod ad faciem referendum. Neque aliter Phædrus lib. II. Fab. 30. de viro opera duum mulierum depilato, dum capillos ab iis ornari putat: 'Cum se putaret fingi cura mulierum, Calvus repente factus est:' sic scribo; vulgo *pingi*. Heins. *Nulla coma est*] Omnis enim defluxerat.

3 *Si passa fores*] Si eos non amplius tentasses. *Spaciosius*] Pulchrius. *Quid erat speciosius illis*] *Spaciosius* Puteaneus cum duobus aliis, et Jureti Excerpta: recte. *Heins.*

4 *Contigerant*] A longitudine capillos laudat. *Imum qua patet usque latus*] Demissi erant usque ad talos.

5 *Quid, quod*] Nunc a tenuitate eos probat. Crassiores enim capilli damnantur. *Tenues*] Subtiles. *Et quos ornare timeres*] Ne præ nimia tenuitate rumperentur.

6 *Colorati*] Nigri. *Coloratos* optime dixit *Seras*, qui Indis sunt finitimi: ambo enim nimia solis vicinitate nigrescunt. Seres (ut in VI. scribit Plin.) regionem inhabitant quæ spectat æstivum orientem: et primi sunt hominum qui noscantur lanificio sylvarum nobiles, perfusam aqua depectentes frondium caniciem. *Domin. Vela colorati qualia*] Videtur hæc similitudo ita accipienda esse, ut si dicas, capillitium illud totum ita fuisse tenue, ut sunt vela Serum. Aut rursum, pilos capilli illius ita tenues fuisse, ut simul juncti speciem talem præbuerint, qualem vela Serica solent. *Mycil.*

7 *Pede gracili*] Id est, exili et parvo. *Aranea*] Vide Ælian. de Hist. Animal. lib. I. cap. 12.

8 *Leve*] Sine pondere. *Deserta*] Derelicta, destituta: his enim locis non frequentatis suas telas subnectunt araneæ. *Deserta*] Similiter Catull. Eleg. 4. 'Nec tenuem texens sublimis aranea telam Deserto in Manli nomine opus facias.' Et Theocrit. Idyll. XVI. vs. 96. ἀράχνια δ' εἰς ὄπλ' ἀράχναι Λεπτὰ διαστήσαιντο. Hinc Proverb. κατ' ἀράχνια, pro loco sento, inculto, et deserto. 'Putris et in vacuo texetur aranea lecto.' lib. III. Eleg. 5.

9 *Nec tamen*] Nunc a colore laudantur a Poëta amicæ capilli. *Ater*] Niger. *Aureus*] Qui auri colorem imitaretur. *Nec erat color aureus illis*] Puteaneus et quidam alii, *neque erat tamen aureus ille:* nonnulli, *nec erat tamen aureus illis;* utrumque bene. *Heins.*

10 *Mixtus uterque*] Ex atro et au-

Digitized by Google

reo colore.

11 *Qualem*] Scilicet colorem. Quem descripserat capillorum colorem, similitudine arboris ante oculos ponit. Talem fuisse dicit, qualem habet cedrus, ubi illi corticem detraxeris. *Clivosæ*] Arduæ. Est autem *clivus*, descensus montis. *Madidis*] Aquosis, propter flumina et montes, quibus Ida abundat. *Ida*] Ida, sylva et mons fuit Trojanorum in Phrygia: est et in Creta mons ejusdem nominis.

12 *Ardua*] Procera, alta. *Derepto*] Detracto: *Cedrus*] Cedrus arbor est, quæ cariem, vetustatemque nunquam sentit. Cedrina quoque Deorum simulachra fiebant, ut durarent. *Diverpto cortice*] *Derepto* Puteaneus: sic et paulo post codex idem 'derepta acu.' Dixi supra ad El. v. vs. 1. Optimus Palatinus *directa cortice*. Lego *derepta*: nam nostro ea vox ut plurimum fœminini est generis, de qua ad Metamorph. IV. 375. 'Derepta pelle' de Marsya in Ibide, ex scripto codice.

13 *Dociles*] Id est, faciles ornari et fingi. Hoc apertius exponens, subdit: 'Et centum flexibus,' orbibus, cincinnis.

14 *Et tibi nullius causa doloris erant*] Dum calamistro, pectine, et discriminali eos ornares, te minime propter docilitatem lædebant.

15 *Non vallum pectinis illos*] *Vallus* legit ex codice Arondeliano, qui Pirckeimeri olim fuit, in Observationibus Gronovius, ut et Met. VIII. 'Stantque velut vallus setæ;' qui consulendus. Observ. lib. III. cap. 18. *Heins. Vallus pectinis*] Suaviter dixit: vallus enim dicitur in castris aut urbibus, ipsa munitio: ut enim dentes pectinis ordine se sequuntur, ita et in vallo pali. *Vallus pectinis*] Vide Epist. Phædr. vs. 159. 'Vallatus radiis.' Metam. VIII. 286. 'Stantque velut vallus, velut alta hastilia setæ.'

16 *Ornatrix*] A capillis. *Ornatrix*] Sic Juvenal. Satyr. VI. 'Disponit crinem laceratis ipsa capillis Nuda humero Psecas infelix, nudisque mamillis.' Dicebantur autem ejusmodi ornatrices ψέκαδες ab Etymologia nominis τοῦ ψεκάζειν. Vide Scholiast. Juvenal. ad Satyr. VI. 489. *Tuto corpore*] Hoc sequentia declarant.

17 *Est ornata*] Scilicet amica mea.

18 *Brachia direpta saucia fecit acu*] Jam supra monuimus *derepta* legi in optimo Puteaneo; sed quia paulo ante 'derepto cortice' habuimus, minus hoc loco id verbi nunc placet. Nonnulli *directa acu*. Puto *correpta acu*. Sed et *brachia fixit* pro *fecit* scribendum vel invitis membranis; *Brachia correpta saucia fixit acu*. Ecce locum prorsus similem libro III. Artis Amatoriæ: 'Tuta sit ornatrix: odi, quæ sauciat ora Unguibus, et rapta brachia figit acu.' Ita et *acu figi* crines dicebantur: ut apud Martialem lib. II. Epigr. 66. 'Unus de toto peccaverat orbe comarum Annulus: incerta non bene fixus acu:' quo loco malim reponi *torto orbe*; quomodo apud Nostrum paulo post sequetur, 'torto flexilis orbe sinus.' Ipse Martialis in Apophoretis Epig. 11. 'Tenuia ne madidos violent bombycina crines, Figat acus tortas sustineatque comas.' Magæ quoque simulacra cerea acu figebant. Hinc 'figere' et 'defigere' verba magica: de quibus ad Epist. VI. 91. ubi de Medea, 'simulacraque cerea figit, Et miserum tenues in jecur urget acus.' Amor. III. El. 7. 'Sagave Pœnicea defixit nomina cera: Et medium tenues in jecur egit acus.' *Heins. Derepta acu*] Id est, celeriter de manibus rapta, ut irati faciunt. *Brachia*] Scilicet ancillæ ornatricis. Hanc mulierum sævitiam acerbe taxat Juvenalis Satyra sexta.

19 *Nondum digestis*] Nondum ornatis.

20 *Purpureo jacuit semisopita*] *Semisupina* ex Puteaneo aliisque meliori-

Digitized by Google

bus scribendum monui ad Epistolam decimam, vs. 15. *Heins.* *Purpureo*] Ostro et purpura instrato. *Semisupina*] Id est, in latus cubans.

21 *Neglecta*] Inornata. *Ut Threcia Bacche*] Talis, inquit, erat amica mea neglecto crine, qualis mulier, quæ perfectis per furorem Orgiis, Bacchi sacris, in quibus passis ac turbatis capillis insanientes discurrunt Bacchantes, cum defessa in gramineo campo se projecerit, quiescit. *Threcia*] Threicia. In Thracia enim (ut scribit Pomponius Mela) sacra Liberi patris, Orpheo primum initiante, celebrantur, apud Hebrum, sub Rhodope monte nivoso. *Ut Thracia Bacche*] *Threcia* Puteaneus recte: vide Notas ad Epist. XIX. 26. Proxime verum duo Vaticani, in quibus *tetrica* et *territa*. Heins.

22 *Cum graciles essent tamen*] Non satisfaciunt numeri. Sarravianus et Vaticanus unus, *tanquam lanuginis:* Mentelianus *tantum*, cum uno Mediceo: unus meus *cum et lanuginis:* Excerpta Jureti, *tamen et sunt luminis instar*. Puto scribendum, *Tum graciles lævesque tamen lanuginis instar.* Heins. *Lanuginis*] Ad lanæ similitudinem: qualem in adolescentium genis, et pomis cydoneis præsertim videmus. *Instar*] Ad similitudinem.

25 *Quam se præbuerunt*] Malim *præbuerunt:* nam *præbuerint* duo libri. Vide Notas Epist. VII. *Heins.* *Ferro et igni*] Pro ferro ignito: id est, calamistro, quo capilli crispabantur.

26 *Ut fieret torto flexilis orbe sinus*] Cincinnum dicit, quæ est annulatus capillus. *Nexilis orbe sinus*] *Flexilis* multi ex scriptis; quod rectius videtur. Val. Flaccus lib. V. 'Cui chlamys et multa spirat coma flexilis aura.' Martial. l. X. Ep. 65. 'Tu flexa nitidus coma vagaris.' Idem alibi, 'Flectere te nolim, sed nec turbare capillos.' Sic et 'flexæ ambages:' de quibus dictum Met. VIII. 160. In Asondeliano *plexilis*. Heins.

27 *Istos*] Tam pulchros.

28 *Sponte*] Sine calamistri adminiculo. *Decent*] Decori sunt. *Ferros*] Dura, crudelis.

29 *Qui debeat uri*] Omnes enim decori sunt.

30 *Erudit*] Docet: quia jam eam continet formam, quam illi acus ipsæ præbere volunt.

31 *Periere*] Defluxerunt.

32 *Quas vellet capiti*] *Quas portet* optimus Palatinus. Lego *quas optet.* Heins.

33 *Illis*] Quondam tuis crinibus. *Contulerim*] Comparaverim. *Quas quondam nuda Dione Pingitur, &c.*] Ad Veneris e mari exeuntis tabulam ab Apelle pictam alludit, quam (ut Plin. lib. XXXV. scribit) Divus Augustus dedicavit in delubro patris Cæsaris, quæ Anadyomene dicta est. Hujus inferiorem partem corruptam qui reficeret, non est inventus. *Dione*] Venus. Dione tamen Nympha fuit, Oceani et Tethyos filia, quæ ex Jove Venerem concepit: sed frequentius pro ipsa Venere ponitur.

35 *Quid male compositos*] Non damno hanc lectionem: libri tamen meliores cum Puteaneo *dispositos capillos.* Pont. III. El. 3. 'Non bene dispositas comatus, ut ante, comas.' Martial. l. XII. 'Dicet Achilleas disposuisse comas.' Tibull. 'Tune putas illam pro te disponere crines?' Seneca in fragmentis, 'Sunt quæ Junoni ac Minervæ capillos disponant.' *Heins.* *Male compositos*] Non bene ornatos.

36 *Inepta*] Hic est blandum convicium.

37 *Consuetis*] Qui consueverint te integris capillis pulchriorem aspicere.

38 *Ut placeas*] Scilicet tibi in speculo. *Debes*] Debes oblivisci pristinam tuam formam, cum vigerent tui crines.

39 *Cantatæ herbæ*] Incantatæ. Hinc carmina *incantationes* dicuntur.

Digitized by Google

Pellicis] Pellices enim pedibus et manibus obnixe operam dant, ut uxores virorum, quos ad se pelliciunt, deformiores reddantur, quo facilius alienos maritos sibi devinciant.

40 *Non anus Hæmonia perfida lavit aqua*] Tacent hic interpretes, quos certus sum nihil horum intellexisse. Mihi quidem ista magicæ artis species prorsus ignota est: quanquam succurrunt illa ex libro II. Fastorum, 'Actoridem Pelens, ipsum quoque Pelea Phoci Cæde per Hæmonias solvit Acastus aquas.' Sed illic de lustratione Pelei, re apud Thessalos gesta, agitur. Libri nonnulli veteres ab aliis inspecti, tum ex nostris Neapolitanus, Palatinus optimæ notæ, et meus chartaceus, *lavit aqua*. Opinor scribendum, *Non anus Hæmonia perfida lavit acu*: ut ad defixiones magicas referatur; de quibus nonnihil paulo ante diximus, et Epistola VI. 91. *Heins.* *Anus*] Vetula, venefica, saga. *Æmonia aqua*] Id est, Thessala, venefica. Thessalia enim veneficiis olim insignis fuit. *Perfida*] Fallax, quæ quidem frangit, dum promittit crines pulchriores fore, qui penitus defluunt et depereunt.

41 *Non tibi*] *Nec* scripti; ut et sequenti versu. *Heins.* *Vis*] Violentia. *Morbi*] Nam capillorum defluvii sæpe causa est valetudo et morbus. *Procul omen abesto*] Sic alibi, 'Nullum sit in omine pondus.'

42 *Densus invida lingua comas*] Tam densæ, inquit, erant tuæ comæ, ut minime per invidiam aliquis fascinando illis nocere potuisset.

43 *Facta manu, culpaque tua*] Hinc vehementius dolebat ipsa. *Dispendia*] Damna.

45 *Nunc tibi captivos*] Hoc in Augusti gratiam dicit. *Captivos*] Ex captivarum capite recisos.

46 *Culta triumphatæ*] Male Puteaneus aliique complures *Tuta*: hæ duæ voces frequenter in libris antiquis confunduntur; sic apud Martialem scribendum lib. IX. Epig. 18. de speculo Earini, 'Addidit et nitidum sacratis crinibus orbem, Quo felix facies judice culta fuit:' cum in optimo Thuaneo codice *tuta* legatur; vulgati *tota*: frigide. Idem Martialis alibi, 'Captivis poteris cultior esse comis.' *Heins.* *Culta*] Ornata. *Triumphatæ*] A Druso. *Gentis*] Germanicæ.

47 *Comas*] Non tuas, sed Germanicas. *Rubebis*] Præ pudore.

48 *Empta nunc ego meroe*] Martialis: 'Dentibus atque comis, nec te pudet, uteris emptis.' Hos capillos Propertius 'externos' vocat.

49 *Sicambram*] Sarravianus *Sycambram*. Puteaneus, *Sygambram*, quæ vera scriptura. Sic et in Claudiani veterrimo codice scribebatur. Ptolemæo Σίγαμβροι, Σίγαμβροι Straboni sunt: sic et Consolatione ad Liviam legendum, 'Ille genus Suevos acre indomitosque Sygambros Contudit.' 'Nec tibi deletos poterit narrare Sygambros.' *Heins.* *Sicambram*] Germanam. Sicambri enim sunt populi Germaniæ quos auspiciis Augusti Drusus subjugavit, et Augustus traduxit in Galliam, atque in proximis Rheni agris collocavit. Hi autem capillorum pulchritudine præ cæteris censentur.

50 *Memini cum fuit*] Quando ego non alienis et emptis, sed nativis capillis laudabar ab omnibus. *Ista mea*] *Mei* rectius tres scripti. Neapolitanus *Forma*, ut et Regius. Forte, *Forma tamen memini cum fuit ista meis*: nimirum comis; quod præcesserat. *Heins.*

53 *Antiquos*] Qui defluxerant. *Spectatque capillos*] *Spectare* sex scripti, cum Excerptis Jureti, quæ tu, Philiberte Mari, vir humanissime et ad omnem facte comitatem, mei juris fecisti: ea scriptura placet. *Heins.*

55 *Collige cum vultu mentem*] Neque animo doleas, neque dolorem am-

Digitized by Google

plius facie et vultu præ te feras. *Reparabile*] Quod facile reparari poterit.

56 *Nativa*] Viva, naturali. *Conspiciere*] Conspicua eris. *Domin.*

ELEGIA XV.

1 *Quid mihi livor edax ignavos objicis annos*] Respondet Poëta hac Elegia iis, qui Poëticen ignaviam quandam dicunt: carminaque ipsa, opera inertum atque ociosorum ingeniorum. *Livor*] Pro invidia, et livere, pro invidere. *Edax*] Vorax, consumptor. Invidus enim livido dente se aliosque rodit et consumit.

2 *Inertis*] Ignavi et pigri.

3 *Non me*] Supple, objicis hoc mihi, me non sequi, &c. *More patrum*] More majorum. *Strenua*] Fortis. Juventutem dicit.

4 *Præmia*] Opes intelligit, quæ sunt militiæ præmia. *Pulverulenta*] Quasi multo sudore pulveri admisto parta. Horat. 'Non indecoro pulvere sordidos.'

5 *Verbosas leges*] In quibus interpretandis opus est multis verbis.

6 *Voces prostituisse*] Turpiter in forensibus causis agendis venalem linguam habuisse. Antiqui enim oratores clientum causas gratuita opera agere solebant. Cum stomacho autem hic dixit *prostituisse*, quod verbum est meretricium: ut quam ingrata sibi fuerit hæc ars, ostenderet.

7 *Mortale est quod quæris opus*] Id est, divitiæ, quas sordida officia exercendo quæris. *Mihi fama perennis, &c.*] Sallustii consilium secutus est: 'Quoniam vita ipsa qua fruimur, brevis est, mihi rectius esse videtur, memoriam nostri quam maxime longam efficere.'

8 *Quæritur*] Acquiritur. *Ut toto semper in orbe canar*] Hoc boni Poëtæ assequuntur. Naso etiam in Artibus: 'Me vatem celebrate viri, mihi dicite laudes: Cantetur toto nomen in orbe meum.'

9 *Vivet Mæonides*] Incipit enumerare Poëtas, quorum fama adhuc viget et in posterum magis magisque vigebit: ut probet Poëtarum famam perennem esse. Primum ex illis Poëtarum principem Homerum ponit. Ideo autem Mæonidem appellatum fuisse Homerum scribit Strabo, quod in Mæonia regione Phrygiæ, Smyrnam patriam habuit. *Tenedos dum stabit et Ide*] Quia quæ in his locis gesta sunt, cantat Homerus. Est autem *Tenedos* insula, quæ extra Hellespontum adversa Sigæo littori adjacet. *Dum stabit*] Sed semper stabit: locorum enim nomina non loca immutantur.

10 *Rapidas*] Veloces. *Simois*] Simois autem fluvius est Phrygiæ, qui ex Ida fluens, Ilium alluit, et prope mare Xantho admiscetur, facta palude: apud Sigæum promontorium in mare cadit.

11 *Vivet et Ascræus*] Id est, Hesiodus: et recte post Homerum posuit: nam cum super ætate Homeri atque Hesiodi non consentiatur; illa probabilior fuit sententia, Homerum aliquanto antiquiorem fuisse. Fuit autem Hesiodus Dii filius, ex Pycimede uxore: qui cum Æoles Cumæi essent, et paupertatem nimiam in eo loco ferre non possent, relicta patria, ad Ascram vicum Bœotiæ confugerunt: unde *Ascræus* dictus est Hesiodus.

Digitized by Google

Tumebit] Turgebit. Scripsit enim Hesiodus de vitibus, cæterisque arboribus.

13 *Battiades*] Callimachus, qui fuit filius Batti.

14 *Quamvis ingenio non valet*] Quia non tam ingeniose scripsit, quod ad sententias graves: quam eleganter, quod ad verborum ornatum, et artis grammaticæ observationem: quod in contrarium evenit Ennio.

15 *Nulla Sophocleo, &c.*] Id est, Sophocles quoque semper vivit fama, quam ex tragœdiis quas scripsit adipiscitur quotidie magis. Fuit poëta Atheniensis tragœdiarum scriptor, qui gravius scripsit quam Euripides. *Jactura*] Damnum. *Cothurno*] Pro tragico stylo. Tragœdiæ enim calceamentum est cothurnus, ut comœdiæ soccus.

16 *Cum Sole et Luna semper Aratus erit*] Id est, Aratus erit æternus, ut est Sol et Luna, de quibus cum reliquis stellis scripsit. Fuit autem Aratus ex Asia Cilix, poëta celebris, filius Athenodori ex Litophyle uxore.

17 *Menander*] Sive Menandrus, absolutissimus apud Græcos comicus poëta fuit: unus omnium optime affectus expressit, atque omnem vitæ imaginem. Scripsit (ut quidam volunt) comœdias centum et octo: ex his fabulis quæ extent quatuor transtulit Terentius, Andriam, Eunuchum, Heautontimorumenon, et Adelphos. *Fallax servus*] Ut est apud Terent. in Andria Davus. *Durus pater*] Id est, crudelis, asper, severus, et minime filiis, amori operam dantibus, indulgens. *Improba*] Insatiabilis, impura, avara, perjura, quales lenones esse solent.

18 *Vivet dum*] *Vivent* tres libri rectius; et *Menandros* meliores postea; ut et *nesciat* pro *nesciet*. Heins. *Meretrix blanda*] Illecebrosa, quæ blanditiis illecebrisque misellos ad se attrahit et illaqueat amatores.

19 *Ennius*] Q. Ennium ex oppido Calabriæ Rudiis oriendum fuisse testantur Strabo et Pomponius Mela: Rudinus igitur Ennius, primus omnium apud Italos versu heroico Annales scripsit, quibus Itala bella cecinit. Contrariam igitur habuit naturam naturæ Callimachi, de quo supra dixit Naso: 'Quamvis ingenio non valet, arte valet.' Usus enim est sententiis optimis, et inventione: verbis autem non admodum ornatis, et ordine parum decoro. *Animosique Accius*] L. Accius tragœdiarum scriptor agnoscitur: natus Mancino et Serano Coss. parentibus libertinis: et seni jam Pacuvio Tarenti sua scripta recitavit. De hoc ita scribit Fabius lib. x. Tragœdiæ scriptores Accius atque Pacuvius, clarissimi claritate sententiarum, verborumque pondere, auctoritate personarum: cæterum nitor et summa in excolendis operibus manus, magis videri potest temporibus quam ipsis defuisse. *Animosi oris*] Id est, gravis et altisoni. Fuit enim in Accio altitudo ingenii, sublimitasque verborum.

20 *Casurum*] Interiturum. Ambo enim poëtæ immortalitatem fama assèquentur.

21 *Varronem*] Nunc variàns figuram Naso, per interrogationem asserit, Varronis poëtæ famam per omnia secula duraturam. Varronis nomine plures viri celebres apud antiquos fuerunt. Sed de illo P. Terentio Varrone hic est intelligendum, qui Attacinus dictus, ab Attace patria, qui vicus est in Gallia Narbonensi. Scripsit Argonautica, ita imitatus Rhodium Apollonium, ut ejus quatuor Argonauticon libros in Latinum transtulisse videatur. *Primam ratem*] Navem Argo, quam primam undas sulcasse fabulantur poëtæ. *Quæ nesciat ætas*] Quasi dicat, nulla ætas ignorabit: fama enim notissimus erit. *Primamque ratem*] Vide hac de re Epist. XII. 13. et Amor. II. Eleg. 11. 1.

22 *Æsonio duci*] Id est, Jasoni, Æso-

Digitized by Google

nis filio. *Aurea terga*] Aureum vellus, vide Epist. VI. 2.

23 *Carmina, &c.*] Donec, inquit, mundus stabit, Lucretius poëta legetur, et fama vivet. *Sublimis*] Qui ardua et sublimia, id est, rerum naturas descripsit.

24 *Exitio terras cum dabit una dies*] *Ima dies* Scaliger, sed frustra. Illa Lucretii respexit noster: 'Principio maria ac terras cœlumque tuere, Horum naturam triplicem, tria corpora, Memmi, Tres species tam dissimiles, tria talia texta, Una dies dabit exitio.' Idem, 'At non multa virum sub signis millia ducta Una dies dabit exitio.' Sic et noster in Fastis, 'Una dies Fabios ad bellum miserat omnes, Ad bellum missos abstulit una dies.' Et in Ponticis, 'quamvis cecidere trecenti, Non omnes Fabios abstulit una dies.' Propert. 'Tantum operis belli sustulit una dies.' Statius Theb. III. 'Felices, quos una dies, manus abstulit una.' Ausonius Idyllio de Rosa, 'Tot species tantosque ortus, variosque novatus, Una dies aperit, conficit una dies.' Atque ita passim optimi auctores. *Heins. Exitio terras cum dabit una dies*] Suaviter et ingeniose, dum de Lucretio loquitur, ipsius Lucretii opinionem et verba quoque ponit. Lucretius enim idem sensit quod et theologi nostri sentiunt, mundum quandoque interiturum incendio, et deinde in melius innovatum iri, et fore cœlum novum et terram novam.

25 *Tityrus, et segetes*] *Et fruges* meliores libri. Nil temere tamen mutandum, ut ad illa respexerit, 'Quid faciat lætas segetes.' *Heins. Tityrus, et segetes*] Nunc Virgilii Maronis famam perpetuam fore asserit. *Tityrus*] Per *Tityrum* Bucolicorum opus intelligit, quod, jubente Pollione, Virgilius, Theocritum imitatus, per triennium composuit atque emendavit. *Et segetes*] Georgica dicit, quæ ad Mecœnatem scripsit Maro. Hesiodum imitatus. *Æneiaque arma*] Per hoc tota Æneis Virgiliana significatur, quam ille in Cæsaris Augusti gratiam scripsit, annis undecim, sed nec emendavit, nec edidit: unde eam moriens præcepit incendi. *Æneia arma*] Id est, bella, quæ in Italia contra Latinum et Turnum gessit Æneas.

26 *Roma, triumphati dum caput orbis eris*] Id est, semper. Æternitatem enim Romano imperio ominatur. *Roma*] 'Nimium vobis Romana propago Visa potens, Superi, propria hæc si dona fuissent.' Æneid. VI. *Dum caput orbis erit*] *Eris* optimus Palatinus et unus Moreti pro diversa lectione. *Heins.*

27 *Donec erunt ignes, arcusque Cupidinis arma*] Id est, æternum legetur Tibullus. Cupido enim semper hæc arma geret; scilicet, faces et arcus, quibus amantium corda exurat et vulneret.

28 *Numeri*] Versus. *Culte*] Ornate. Quintilianus Tibullum poëtam et elegantem inprimis ac tersum existimat. *Tibulli*] Albius Tibullus Romæ natus, dicitur, eodem anno quo Ovidius, Hircio et Pansa Consulibus.

29 *Gallus et Hesperiis et Gallus notus Eois*] Cornelius Gallus, Forojuliensis orator eximius, et poëta non mediocris fuit, qui Euphorionem in Latinum transtulit: et de Cytheride Volumnii liberta, quam amavit, mutato nomine *Lycorida* appellans, Amorum libros quatuor scripsit. Sed hujus Cornelii Galli nulla prorsus carmina extant. *Hesperiis*] Id est, populis occidentalibus: propter Romam, quæ est occidentem versus, ubi Gallus et propter poëticam facultatem et propter principis amicitiam notissimus erat. *Eois*] Orientalibus.

30 *Et sua*] Id est, a se amata. *Lycoris*] Hæc Volumnii liberta *Cytheris* proprio nomine dicebatur. *Nota*] Carminibus Galli.

31 *Silices*] Saxa quibus stratæ sunt viæ. Sed et ad omnia saxa, ut sunt

Digitized by Google

sepulcra, statuæ, et alia hujusmodi monumenta, referre possumus. *Dens patientis aratri*] Id est, duri vomeris. *Patiens* autem et *durum* propria et pulcherrima sunt vomeris epitheta.

32 *Ævo*] Temporis longinquitate.

33 *Cedant carminibus reges*] Sic Horat. Od. IV. 9. 'Vixere fortes ante Agamemnona Multi: sed omnes illacrymabiles Urgentur, ignotique longa Nocte, carent quia vate sacro.' *Reges regumque triumphi*] Nisi enim carmina essent, eorum gloria brevi extingueretur.

34 *Cedat et auriferi*] Carmina divitiis præponit. *Ripa beata*] Id est, dives. *Tagi*] Tagus: fluvius est Lusitaniæ, ob arenas auriferas cæteris ejusdem regionis amnibus antefertur. *Auriferi ripa beata Tagi*] *Benigna* Puteaneus atque alii complures non contemnendæ notæ; quod arripuit Salmasius ad Historiam Augustam: at mihi vulgata lectio magis probatur. 'Benignum' enim pro fertili, 'beatum' pro divite apud optimos auctores passim sumitur: recte ergo *beatus Tagus;* qui ab auro atque opulentia commendetur. *Heins.*

35 *Vilia*] Ut aurum, argentum, gemmas, quæ sapiens vilia existimat: illis tamen indoctum et ignobile vulgus inhiat, summamque in illis felicitatem esse arbitratur. *Mihi*] Quasi dicat, Qui odi vulgus profanum, et arceo. *Flavus Apollo*] Phœbus etiam a Græcis χρυσόκομος cognominatur, a fulgore radiorum, quæ sunt Solis comæ aureæ.

36 *Castaliæ aquæ*] Quæ fluit ex Castalio fonte, qui est in radicibus montis Parnassi, Musis et Apollini sacer. Allegorice autem hic Naso per Castaliæ aquæ pocula, carmina ipsa dicit, quibus præest Apollo.

37 *Sustineamque*] Et myrto coronabor, ut poëta, scribens amatoria. *Metuentem frigora myrtum*] Huic enim arbusculæ frigus maxime nocet.

38 *Atque ita sollicito*] *Atque a sollicito* rectius omnino quinque scripti. *Heins. Sollicito*] Conveniens amantis epitheton: nam, ut alibi dixit Naso, 'Res est solliciti plena timoris amor.' *Multus*] Sic in IV. Trist. dicit: 'In toto plurimus orbe legar.'

39 *Pascitur*] Supra etiam appellavit livorem edacem. *In vivis*] Et si ego, inquit, nunc non multum honoris consequor ex meis carminibus, non est mirum, nam viventium gloriam semper comitatur invidia.

40 *Tunc suus ex merito quemque tuetur honor*] Meliores, *Cum suus ex merito quemque tuetur honos:* sed τὸ *cum* mox denuo sequitur. *Heins. Suus ex merito*] Sic Cicero pro Marcello: 'Servi igitur iis etiam judicibus, qui multis post seculis de te judicabunt, et quidem haud scio an incorruptius quam nos. Nam et sine amore, et sine cupiditate, et rursus sine odio, et sine invidia judicabunt.'

41 *Ergo etiam*] Se quoque post mortem, dicit, carminum gratia immortalitatem assecuturum. *Supremus adederit ignis*] Cadavera cremare apud Romanos non fuit veteris instituti: terra enim condebantur. At, postquam longinquis bellis obrutos erui cognovere, tum demum illud est institutum. *Supremus adusserit ignis*] *Adederit* optime Puteaneus. Propert. l. IV. El. 7. 'Et solitam digito beryllon adederat ignis.' Nemesianus Eclog. IV. 'Tum tandem fessi, quos lusus adederat ignis, Sic sua desertis nudarunt vulnera sylvis.' Silius l. I. 'Dum penitus pluteis Vulcanum exercet adesis.' Æneid. l. IX. de igne, 'Corripuit tabulas et postibus hæsit adesis.' Idem Georg. III. 'contactos artus sacer ignis edebat.' 'Ignis edit exta' Statio Theb. I. Idem Theb. VI. 'nocturna peredit Flamma nemus;' ubi nihil necesse reponi ex antiquis libris *peregit*. Horatius Od. III. 4. 'nec peredit Impositam celer ignis Ætnam.' Idem Statius Theb. IX. 'Nullæ illum volucres, nulla impia

Digitized by Google

monstra, nec ipse, Si demus, pius ignis edat.' Theb. I. 'lustraliaque exta Lacte novo perfusus edet Vulcanius ignis.' Hinc et 'ignis edax' passim poëtis: ita et 'flamma vorat' Elegia in obitum Drusi, ut emendavimus vs. 134. *Heins. Adederit*] Consumserit. Virgil. v. 'Lentusque carinas Est vapor.' Et Æneid. IV. 'Est mollis flamma medullas.'

42 *Pars mei*] Sic in Perorat. Metam. 'Parte tamen meliore mei super alta perennis Astra ferar.'

AMORUM LIB. II.

ELEGIA I.

1 *Hæc quoque composui*] Libri veteres *Hoc. Heins. Hæc quoque composui Pelignis, &c.*] Ostendit Poëta, se, cum Gigantomachiam scribere cœpisset, Cupidinis exagitatum stimulis, grandia scribere desiisse, et ad Elegiarum lusus se retulisse. Tum removet deinde Naso a suis libellis tetricos et severos homines: ostenditque, a quibus legi velit. *Quoque*] Ut quæ in superiore sunt libro. *Pelignis natus*] Fuit enim Naso Sulmonensis. *Peligni* autem a Plinio ponuntur in quarta Italiæ regione: quorum populi sunt Corfinienses, Superequani, Sulmonenses. Hinc igitur Ovidius a Martiale et aliis 'Pelignus poëta' appellatur. *Aquosis*] Propter ingentem aquarum copiam quæ ex nivosis montibus defluunt, unde et Flaccus Od. III. 'frigora Peligna' dixit: tum quod ibi multi sunt fontes et fluvii.

2 *Ille ego nequitiæ Naso poëta meæ*] Forte *deliciæ Naso poëta tuæ:* ut Lectorem alloquatur; sed et vulgata scriptura bene se habet. *Heins. Nequitiæ*] Lasciviæ.

3 *Hoc quoque jussit Amor*] Alludit ad id quod dixerat in I. Amorum, de Cupidine loquens: 'Quodque canas, vates, accipe, dixit, opus.' *Procul este severi*] *Severæ* rectius tres codices: de puellis agit. Malim etiam *procul ite;* quod *estis* sequatur versu proximo. *Heins.*

4 *Non estis teneris*] Mollibus et lascivis. *Theatra*] Theatra pro spectatoribus posuit. *Modis*] Versibus.

5 *In facie sponsi*] Coram sponso.

10 *Casus meos*] Quod enim Nasoni accidit in amore, id carminibus complexus est: quod legens amator, qui simili fortuna usus est, existimat suos casus a Nasone prædictos esse. *Iste poëta*] Ovidius.

11 *Ausus eram*] Iterat quod in primo dixit: 'Arma gravi numero, violentaque bella parabam Edere,' &c. *Cœlestia bella*] Id est, Gigantomachiam. Macrobius l. I. Saturn. Gigantes, inquit, quid aliud fuisse credendum est, quam hominum quandam impiam gentem, Deos negantem, et ideo existimatam Deos pellere de

Digitized by Google

cœlesti sede voluisse? Ovidius igitur dicit, se hæc gigantum bella cum Diis gesta heroicis carminibus scribere cœpisse, et feliciter quidem: spiritus enim ad tantas res describendas sufficiebat: se tamen ab amica exclusum, ab incœpto destitisse, elegosque suos resumpsisse.

12 *Centimanumque Gygen*] *Gygan* nonnulli codices. Scaliger *Gyen* legebat: ut et Fast. IV. 'Quid gravius victore Gye captiva tulissem?' Trist. IV. El. 7. 'Centimanumque Gygen, semihomemque virum:' ubi *Gyen* pari modo foret reponendum. Certe unus Palatinus *Giam:* alii plures *Gygam:* Rottendorph. *Gian.* Apollodorus initio Bibliothecæ, Οὐρανὸς πρῶτος τοῦ παντὸς δυνάστευσε κόσμου· γῆμας δὲ γῆν ἐτέκνωσε πρώτους τοὺς ἑκατόγχειρας προσαγορευθέντας, Βριάρεων, Γύην, Κοῖον. Sed cum cæteri auctores, Hesiodus nempe in Theogonia, ejusque ac Apollonii Rhodii Scholiastes, Palæphatus, Auctor Etymologici in Τριτοπάτορες, alii Γύγην appellent, Hygino etiam *Gyges* sit, Apollodorum potius ex his emendandum, quam hos ex Apollodoro parum abest quin censeam. Horatius quoque Od. II. 17. 'Nec si resurgat centimanus Gyges.' Od. III. 4. 'Testis mearum centimanus Gyges Sententiarum:' quibus locis exemplaria nonnulla scripta a me inspecta *Gigas.* Theophilo in Apologia pro Christianis mendose Γόγος dicitur. *Heins.* *Satis oris erat*] Id est, ad tantam materiam scribendam spiritus mihi non deerat. *Satis oris erat*] Satis fiduciæ. Sumitur etiam pro impudentia. Vide Clariss. Gronovium Observ. l. III. c. 12. Sic et Varro ad Cicer. l. IX. ep. 8. 'Misi autem ad te quatuor monitores non nimis verecundos. Nosti enim profecto os adolescentioris Academiæ.' Etiam pro sermone. Lucan. III. 'Dissona vulgi Ora.' Et noster Metam. X. 19. 'Et falsi positis ambagibus oris.' Quo referendum illud Phædri lib. I. prol. 'Duplex fabellis os est: quod risum movet, Et quod prudentis vitam consilio monet.' Pro quo perperam, *Duplex libelli mos est.*

13 *Cum mihi se tellus ulta est*] In sui enim ultionem terra contra Deos pugnaturum genus gigantum genuit. Et Naso in Fast. 'Terra feros partus, immania monstra, Gigantes Edidit, ausuros in Jovis ire domum. Mille manus illis dedit, et pro cruribus angues: atque ait, In magnos arma movete Deos.' *Ingesta*] Imposita, involuta. Est autem ordo, Cum Ossa ardua ingesta Olympo tulit Pelion devexum. Olympus autem, Pelion, et Ossa, Thessaliæ montes sunt altissimi.

14 *Devexum*] Inclinatum, pronum.

15 *In manibusque Jovem, et cum Jove fulmen habebam*] Sarravianus, Arondelianus, et quinque alii, cum prima editione, *In manibus nimbos et cum Jove fulmen habebam:* recte. Neque aliter Puteaneus, nisi quod in illo vox *nimbos* desideratur; unde natus error. Cæteri codices *Jupiter in manibus.* Duo præterea *habebat;* unus Moreti *habenti;* optime: refer ad sequentia, 'In manibus nimbos et cum Jove fulmen habenti, Clausit amica fores.' Ita 'nimbiferum ignem' vocat fulmen Pont. III. ut recte meliores scripti, 'Sic affectantes cœlestia regna Gigantas Ad Styga nimbifero vindicis igne datos:' nam vulgati *nubifero igne;* perperam. *Heins.*

17 *Clausit amica fores*] Exclusus fui. *Cum Jove*] Desii Gigantomachiam scribere. *Ego cum Jove fulmen omisi*] *Fulmen amisi* Puteaneus, a manu prima; sed emendatum *fulmina misi,* quomodo multi ex nostris; *mittere* pro omittere. Libri sex *et cum Jove.* Forte, *en cum Jove.* Heins.

19 *Ignoscas*] Mihi parcas. *Juvabant*] Quo minus clausæ essent fores. *Nil me tua tela juvabant*] Verba Putea-

Digitized by Google

néus, Palatinus optimus, Neap. Arondel. et quinque alii: reliqui *bella.* Heins.

20 *Clausa tuò majus*] Magis, inquit, mihi nocent clausæ ab amica fores, quam tua fulmina. In quo acerbissimos amantium, qui excluduntur, dolores indicat. *Janua fulmen habet*] Venuste Regius, unus Mediceus cum excerptis Jureti et Politiani *fulmen erat.* Heins.

21 *Blanditias*] Quas continent Elegi. *Leves*] Quibus non gravia, sed levia et amatoria describuntur.

22 *Mollierant duras*] *Mollierunt* Puteaneus: dixi ad Epistolam VII. 166. *Heins.*

23 *Sanguineæ*] Sanguinis colorem referentis. *Sanguineæ Lunæ*] Similiter Virgil. de Cometis, Æn. X. 'Non secus, ac liquida si quando nocte Cometæ Sanguinei lugubre rubent:' quod ex Homer. Iliad. E. 5. et Iliad. X. 30. Δαμπρότατος μὲν δέ ἐστι, κακὸν δέ τε σῆμα τέτυκται. *Deducere*] E cœlo ducere: quod suis carminibus efficere magi profitebantur. Unde Thessalæ mulierculæ, timentes ne Luna audiret ea carmina quibus incantaretur, æneorum vasorum tinnitu obstrepebant. Hinc Juvenalis Sat. VI. mulieris loquacitatem carpens, ait: 'Nemo æra fatiget, Una laboranti poterit succurrere Lunæ.'

24 *Solis equos*] 'Interea volucres Pyroeis, Eous, et Æthon, Solis equi, quartusque Phlegon.'

25 *Carmine*] Carminum incantamento. *Dissiliunt*] Crepant, rumpuntur. *Angues*] Sic Maro: 'Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.'

26 *Inque suos fontes*] Sic Tibullus, 'Fluminis hæc rapidi carmine vertit iter.'

27 *Insertaque posti*] Quamvis robore fores clausæ essent. *Insertaque posti*] Commissa posti. Dicuntur et insertæ fenestræ: scil. in pariete, alioqui cæco. Æn. III. 'qua se Plena per insertas fundebat Luna fenestras;' ubi Servius dormitat.

28 *Quamvis robur erat*] *Quamvis roburat* Neapolitanus. Puto scribendum, *Quamvis roboreo*, nimirum posti. *Heins. Carmine*] Carminibus, quibus laudata est amica.

29 *Quid mihi profuerit*] *Profueris* unus Mediceus. Lege, *profueris Achille.* Heins. *Quid mihi profuerit*] Quasi dicat, Nihil ad amicæ aditus mihi faciliores faciendos. *Velox*] Pernix, impiger. Talis enim ab Homero inducitur, ποδάκυς Ἀχιλλεύς.

30 *Quid pro me Ajaces alter et alter agent*] Versus haud dubie mendosus. Sarravianus et octo alii, *Quid pro me Atrides;* quod sequor, dum meliora offerantur. Excerpta Politiani, *Quid mihique Atrides.* Optimus Palat. et duo alii, *Quid vero Atrides.* Scriverianus, *Quidve aromethides.* Puteaneus, *Quidve romethides.* Fortassis, *Quid, quæso, Atrides.* Regius, *Quid pro mecedes: agant* bene unus Moreti. *Heins. Atrides*] Agamemnon et Menelaus. *Agent*] Ad commovendam in me amicæ benevolentiam, quasi dicat, Nihil.

31 *Quique*] Ulyssem dicit, qui decem annos bello Trojano impendit: decem alios, dum plura videndi studio per terrarum orbem erraret, consumpsit: et tandem post vigesimum annum, uxorem revisit.

32 *Raptus, &c.*] Hoc quoque ex Homeri Iliade dicit, ubi Hector ab Achille interfectus bigis raptatur. *Æmoniis*] Thessalis. Achilles enim Thessalus fuit. *Flebilis*] Dignus qui fleatur. *Raptus Hector*] Vide Iliad. X. ex quo Virgil. Æneid. I. et Senec. Troad. sic et Propert. II. 8. 'Fortem illum Hæmoniis Hectora traxit equis.' Senex Chiron de hoc immani facinore merito culpat Achillem, apud Dion. Prus. Orat. 58. his verbis: Ὥσπερ τὰ παιδάρια τὰ νήπια, ὅταν μυῖαν ἀποκτεί-

Digitized by Google

ναῶν Δλιῶν κύκλῳ. Vide Epist. III. 133.

33 *At facies tenera ut laudata est sæpe puellæ*] Versus duriter habitus a librariis: *ut* et *est* absunt a prima editione et melioribus scriptis. Quantilli negotii erat veram inde lectionem nobis reddidisse, hoc modo: *At facie tenera laudata sæpe puellæ*. Certe Neap. et Arondel. *tenera laudata sæpe puellæ*: alii nonnulli *laudataque*. Heins. *Laudata est*] Meis carminibus.

34 *Ad vatem*] Ad me poëtam.

37 *Ad mea formosos vultus*] *Formosæ* Sarravianus. *Heins.*

38 *Purpureus*] Pulcher. *Dictat*] Quasi pronunciat, quæ ego scribens excipiam. *Domin.*

ELEGIA II.

1 *Quem penes est dominam, &c.*] Pridie quam elegiam hanc scriberet Naso, obambulantem in porticu Palatini Apollinis puellam quandam viderat: quæ quoniam ipsi valde placuerat, misit rogatum. Responsum autem est, minime id licere per custodis sævitiam. Unde nunc Ovidius custodem ipsum alloquitur, eique multis argumentis persuadere conatur, indulgendum esse puellæ, nec tam molestam ei exhibendam custodiam: quibusque modis id tuto efficere possit, docet. *Dominam servandi*] In quibusdam exemplaribus scriptum est, *Dominæ servandæ*: recte utrumque. *Bagoë*] Spadonis est nomen. Spadonibus autem puellarum custodia antiquitus demandabatur.

2 *Perago*] Loquor.

4 *Danai agmen*] Belides dicit, quarum historia narratur a multis. Harum Danaidum quinquaginta imagines erant in porticu Apollinis Palatini, cujus templum magnificentissimum in parte Palatinæ domus excitavit Augustus, addiditque bibliothecam Græcam et Latinam.

5 *Noctemque rogavi*] Legitur in quibusdam manuscriptis exemplaribus, *misi, scriptoque rogavi*. Quæ lectio magis placet, quia sequitur, 'Rescripsit trepida,' &c. *Misi noctemque rogavi*] *Scriptoque rogavi* Puteaneus et alii ex melioribus: nonnulli tamen *misso scriptoque*. Heins.

8 *Quod nimium dominæ cura molesta tua est*] Censeo scribendum *tua es*. Τὸ *est* enim inconcinne duriterque geminetur hoc disticho. *Idem.* *Cura*] Diligens nimium custodia.

10 *Perire cupit*] *Perisse* meliores. *Heins.*

11 *Vir*] Maritus puellæ. *Quoque*] Latenter etiam custodem ipsum insipientem esse dicit, qui in servanda puella tantam adhibeat diligentiam.

13 *Gerat morem*] Indulgeat. *Furiosus*] Ex amore, qui furor est, aut zelotypia.

14 *Et castam, multis quæ placet*] *Castum, multis quod placet* meliores. *Heins.* *Et castum, &c.*] Innuit pudicam esse non posse, quæ, quia est formosissima, multis placeat. Hinc illud Juvenalis: 'Rara est adeo concordia formæ Atque pudicitiæ.'

15 *Tuo munere*] Illa enim hoc pro munere a te accepisse existimans, te amabit, et quandoque libertate etiam donabit.

17 *Obnoxia*] Perpetuo metuens ne crimen prodas.

18 *Times*] Ne detecto furto, tu, quod conscius fueris, a puellæ marito plectaris.

Digitized by Google

19 *Matrem scripsisse putato*] *Misisse* Puteaneus, ut supra, vs. 5. *Heins.*

21 *Ibit ut adfectam, quæ non languebit, amicam. Visat: judiciis ægra sit ille tuis*] Hæc valde sunt mendosa. Scripti plerique *Ibit ad adflictam*, vel, *ad adfectam:* et postea *Visat et indiciis.* Alter Puteaneus *Viset et indiciis.* Sarravianus cum quatuor aliis *Visaque judiciis.* Scribe: *Ibit ad adfectam, quæ non languebit, amicam Visere? judiciis ægra sit illa tuis.* 'Ibit visere' Græcismus poëtis, maxime Propertio, familiaris; de quo ad Claudianum. 'Adfecta amica' pro ægra, aut quæ se ægram simulet, recte dicitur; nec in *adflictam* mutandum. 'Visere ad aliquem,' etiam elegans loquendi modus, Terentio Plautoque non neglectus. Lucret. l. vi. 'Nam quicumque suos fugitabant visere ad ægros.' 'Revisere ad stabulum,' et 'revisere ad lunam' de signis cœlestibus idem. Sed utrumque loquendi modum Terentius simul conjunxit, qui apposite satis in Hecyra Act. i. Sc. 2. 'Ægram esse simulant mulierem: nostra ilico It visere ad eam: admisit nemo.' Denique 'judiciis tuis,' ut Art. Am. ii. 'Sunt qui præcipiant herbas saturea nocentes Sumere: judiciis ista venena meis.' *Heins. Ibit visere*] Similis est Græcismus in illo ejusdem Comici, Andr. iii. 2. 4. 'Quod jussi, ei date bibere, et quantum imperavi:' id quod sciolus quidam, parum Latine dictum volebat. Sic antiquitas loqui amabat. Plaut. Pers. v. 2. 40. 'Age, circumfer mulsum, bibere da usque plenis cantharis.' Pherecrat. l. xi. de poculis. Δόσω σοὶ πιεῖν. Et alibi, Δός μοι κῦσαι. Et Homer. Odyss. ii. vs. 386. Δοῖμεν ἔχειν quod Virgil. etiam imitatur Æneid. v. 'Donat habere viro.' Et Cic. in Tuscul. 'Nisi quid habes dicere:' sic Sophocl. in Ajac. 296. οὐκ ἔχω λέγειν. Pro illo etiam, 'date bibere,' invenio dictum, 'quod bibat.' Plaut. Mostell. i. 4. 30. *Ibit*] Ille, scilicet amator: quasi visendi causa. *Quæ non languebit*] Non vere ægrotabit: sed se affectam simulaverit.

22 *Visere*] Amator. *Judiciis tuis*] Præ te feras, illam affecta esse valetudine, et commento subservias.

23 *Faciet*] Sui copiam tibi.

24 *Stertere fronte potes*] *Putes* meliores; sed frustra. *Heins.*

25 *Niligenam Isim*] *Linigeram* plerique. At Puteani excerpta cum Barberiniano et uno Moreti *linigeram;* probe: dixi Artis Amat. i. 79. *Idem. Linigeram*] Quia ejus sacerdotes lineis vestibus induti celebrabant. Alii legendum censent, *Niligenam.* Nam licet Io, quæ postea Isis Dea facta est, Inachi fluvii Achaiæ filia fuerit, quod ostendit Naso in Metam. i. tamen et quia in Ægypto apud Nilum pristinam formam recepit, ibique ab Ægyptiis colebatur, unde etiam ejus sacra Romam advecta sunt, inde genita creditur. Quanquam et ad hoc faciat eorum opinio, qui dixerunt, Isidem Jovis Ægyptii regis filiam fuisse, eandemque cum Cerere esse. *Ad Isim*] Id est, apud Isim, et in Isidis templo, quod erat Romæ in Campo Martio, juxta ovile: in quo multa stupra, adulteria, et lenocinia fiebant.

26 *Nec tu curva theatra timé*] Id est, sine ut spectatum in theatra se conferat puella: nec tam timidus sis ut id prohibeas. *Curva*] Quæ in hemicycli formam structa fuerunt.

27 *Conscius commissi*] Id est, adulterii. *Tollet*] Capiet. *Assiduos*] Perpetuos. *Honores*] Dum enim dominæ favorem sibi conciliaverit, eum omnes domestici honorabunt.

28 *Quis minor est autem*] *Est cauto* malim: sic Art. ii. 'Artis erunt cauto mollia jussa meæ.' At prima editio cum scriptis quibusdam, *unquam* pro *autem.* Heins.

29 *Ille*] Scilicet, commissi conscius. *Versatque domum*] Puto *servatque.* Illi cura domus committitur; nisi malis,

Digitized by Google

servatque domi: ut apud Comicum, 'Solus Sannio servat domi.' *Heins.*

30 *Ille placet dominæ, cætera turba jacet*] Puteaneus, Mentelianus, et Arondel. *Ille potens, alii sordida turba jacent;* quod sequor: nam 'placet' jam præcesserat. Art. Amat. l. II. ex antiquis exemplaribus, 'Utilitas tua sit; titulus donetur amicæ; Perde nihil: partes illa potentis agat.' Met. x. 'neve potentis Concubitu vetito naturæ pollue fœdus.' Lib. III. de pulchris puellis, 'Est illis sua dos forma sine arte potens.' Quomodo et Propertius lib. II. El. 5. 'Cynthia forma potens, Cynthia forma levis.' Amor. III. El. 11. 'Desine blanditias et verba potentia quondam Perdere.' Plura ad Metamorph. lib. IV. 325. Met. XII. 'Facit ira potentem:' ita libri veteres. Alii codices hoc loco: *Ille potens dominæ: cætera turba jacent:* 'potens dominæ,' ut 'potens mentis,' 'potens voti:' de quibus alibi dicemus. 'Jacere,' quomodo Fast. I. 'Pauper ubique jacet.' Lucretius l. v. 'Nam fuit in pretio magis æs, aurumque jacebat Propter inutilitatem hebeti mucrone retusum. Nunc jacet æs, aurum in summum successit honorem.' *Idem. Sordida*] Contempta, neglecta.

31 *Inanes*] Falsæ.

32 *Ambo domini*] Id est, puella et custos commissi conscius.

36 *Simulet lacrymas*] Quod sibi molesta nimium sit custodis cura: ut tibi ab ejus marito fides major habeatur. *Carnificem*] Hoc enim est convicium in servos.

37 *Tuto*] Sine criminis suspicione. *Diluat*] Refellat, confutet.

38 *In vero, falso crimine, deme fidem*] *In verum* Puteaneus: recte, si *objiciens* superiori versu reponas pro *objicies*, levi mutatione. *Et vere* Sarravianus; non male: vide quæ noto ad Epist. XVI. 60. Unus Palatinus: *In veram falso:* tres libri, *In veri falso:* duo *In falso veri:* unus *In falso veram:* Scriverianus *Et veram in falso:* prima editio *In ficto veri:* Barberinianus *In falso vero.* Posset quoque refingi, *Tu contra objiciens quæ tuto diluat illæ, I veris falso crimine deme fidem*, vel, *I veram.* Heins. *I vero falso crimine deme fidem*] Ut sit sensus: Quando ipsum crimen quod objici potest, verum est, tu aliud falsum objice: ut cum hujus falsitas manifesto deprehendatur, etiam vero illi fides nulla detur: ita per falsum crimen vero fides demetur. *Micyll.*

39 *Sic tibi semper honos, sic alta pecunia crescet*] *Sic alta peculia crescent* optime Puteaneus, cum ejusdem excerptis, et quinque alii codices; nisi quod Jureti excerpta, *sic orta peculia crescent.* Lego, *sic curta peculia crescent:* quomodo 'curtæ res' apud Horatium, 'Curtæ nescio quid semper abest rei;' et 'curtare rem.' 'Curta tabella' pro parva in Fast. l. II. 'Heu quantum fati curta tabella fuit!' sic scribendum puto: 'curta supellex' Persio. Vide Notas Fast. II. 645. 'Peculia' proprie servorum sunt, teste Festo. Olim *aucta peculia* legebam, ex illo Juvenalis loco, 'præstare tributa clientes Cogimur, et cultis augere peculia servis.' *Heins.*

41 *Aspicis, &c.*] Deterret nunc aliorum exemplis custodem ab indicio furti, si quid commiserit puella. *Indicibus*] Illis qui secretum aliquod indicaverint.

42 *Squalidus*] Pædore ac situ plenus. *Orba fide*] Id est, carentia fide. *Pectora*] Hoc dicit, ut delinquenti dominæ fidem servet Bagous, nec ejus furta marito prodat.

45 *Dum*] Argi exemplo dicit non tam sævam esse debere custodum diligentiam. *Custos Junonius*] Id est, Argus, qui Junonis armenta servabat. *Io*] Inachi Argivorum regis filiam, a Jove in vaccam mutatam.

46 *Occidit*] A Mercurio Jovis jus-

Digitized by Google

su interfectus. *Illa*] Io. *Dea*] Isis. Hanc fabulam exequitur Naso Metam. I.

48 *Unde*] Id est, a quo. *Vir*] Maritus. *Incestum*] Adulterium. *Coactus*] Quasi ipse quoque non libenter id resciverit.

49 *Pœna minor merito*] Supple, fuit. Majorem, inquit, pœnam, quam compedibus teneri, meritus est index ille.

53 *Seu tepet*] Friget in amore, scilicet vir. *Securas*] Negligentes. Vir enim uxorem non amans, illius furta parum curat: sin amat, excruciatur. *Indicium prodis*] *Perdis* Puteaneus et alii multi. Jureti excerpta *pergit*. Nil temere mutandum. *Heins.*

55 *Ex facili*] Id est, facile.

56 *Judicis sui*] Sui mariti, apud quem causa agitur.

57 *Ille negantí*] *Ipse* quatuor libri, non inconcinna repetitione; nisi malis *illa negantí*. Heins.

58 *Damnabitque oculos*] Juxta eorum opinionem, qui negant veros esse hominis sensus. *Damnabitque oculos*] Quasi luscitiosi hominis: vide Plaut. Mil. Glor. II. 3. 51. ubi multa lepide dicta invenies. *Et sibi verba dabit*] Id est, seipsum decipiet.

59 *Aspiciet*] *Aspiciat* Puteaneus. *Heins.*

61 *Quid dispar certamen inis*] *Quam dispar* excerpta Jureti et Politiani, cum uno Mediceo et Farnesiano. *Idem.* *Tibi verbera victo*] Quod illustrat Plaut. Mil. Glor. II. 3. 22. in simili casu: ' Verum enim tu istam, si te Dii ament, temere haud tollas fabulam. Tuis nunc cruribus capitique fraudem capitalem hinc creas. Nam tibi jam, ut pereas, paratum est dupliciter: nisi supprimis Tuam stultiloquium....Primum dum, si falso insimulas Philocomasium, hoc perieris: Iterum, si id verum est, tu ei custos additus perieris.'

62 *Adsunt*] Imminent, parata sunt. *Judicis*] Mariti.

64 *Toxica*] Venena. *Stricto*] Nudato. *Fulminat*] Coruscat. *Manus*] Nostra.

ELEGIA III.

Hanc Scaliger superiori censebat adnectendam. *Heins.*

1 *Hei mihi, quod dominam nec vir nec fœmina servat*] Ad eundem Bagoum hæc dicuntur ad quem superiore elegia. Eum rursus precatur, ne impedimento sit suis amoribus. *Hei mihi*] Dolet, quia superiore elegia minime motus erat Bagous.

2 *Gaudia nosse potes*] *Ferre* Neapolitanus et Dousæ excerpta. Monui ad Ep. XVIII. 43. *Heins.*

7 *Non*] Ostendit, nihil aliud convenire ipsi Bagoo, nisi dominæ gratiam inire. *Equo*] Ut sis eques.

9 *Ista viri tractant*] *Tractent* meliores. *Heins.* *Spes*] Ne horum quicquam speres quod ad viros attineat.

10 *Sunt tibi*] *Sint* tres libri. *Heins.* *Signa*] Vexilla Cupidinis.

12 *Illa*] Dominæ gratia.

13 *Est etiam facies*] Supple, apta lusibus. *Annî*] Omnis enim ætas non est amori apta.

14 *Forma perire situ*] Sic supra: ' Forma, nisi admittas, nullo exercente senescit.'

18 *Munera*] Quæ tibi, si nobis morem gesseris, donabimus. *Tempus habes*] Nam, ut Lucanus ait, ' Semper nocuit differre paratis.' *Domin.*

Digitized by Google

ELEGIA IV.

2 *Falsa*] Pro falso contra verum pugnantia. *Pro vitiis*] Pro defensione meorum vitiorum. Ille enim cum Propertio hæc dicat vere: 'Unicuique dedit vitium natura creato, Mi fortuna aliquid semper amare dedit.'

4 *Demens*] Quia mihi ipse noceo.

5 *Non esse quod odi*] *Odisse quod odi* plures scripti: alii *non nosse*. Heins. *Odi, nec possum cupiens non esse quod odi*] Impotentiam suam ostendit Poëta: licet enim cupiat eo vitio carere, id tamen non potest.

6 *Quod studeas*] *Quæ* Puteaneus cum prima editione et uno Vaticano: *quæquam* Arondel. *Heins.*

7 *Nam desunt vires*] Ordo est: Nam vires et jus, id est, potestas ad me regendum, desunt mihi. *Ad me mihi*] Junianus *in me mihi;* rectius: dixi supra l. I. El. 1. *Heins.*

9 *Invitet amores*] *Irritet* quatuor libri. Met. l. I. 'Tu face nescio quos esto contentus amores Irritare tua.' Sic 'irritata voluptas' Art. Am. II. Fast. II. 649. 'Tum sicco primas irritat cortice flammas.' Vide quæ illic notamus. *Heins.*

11 *Oculos in me dejecta modestos*] Argute, et, si quid judico, vere Junianus cum Jureti excerptis, *in se dejecta.* Epistola Cydippes, 'Luminaque in gremio velati defixa tenebam.' Am. I. El. 8. 'Cum bene dejectis gremium spectabis ocellis.' Sic 'in terram' et 'humum oculos dejicere' passim poëtæ: de quo Amor. III. El. 7. 67. *Heins. Dejecta*] Si modeste, inquit, oculos in me mulier aliqua dejecerit, modestia illa ad amandum me inducit.

12 *Sunt pudor ille meæ*] *Fit pudor* Barberinianus et alter Moreti. *Heins.*

13 *Procax*] Quæ oculis, vultu, verbis, libidinem præ se ferat.

15 *Rigidasque imitata Sabinas*] Juvenal. Sat. X. 'Rara est adeo concordia formæ Atque pudicitiæ. Sanctos licet horrida mores Tradiderit domus, ac veteres imitata Sabinas...' Ita scribe ex veterrimo codice. Vulgati *Sabinos.* Heins.

16 *Velle*] Scilicet, mihi sui copiam facere. *Ex alto*] Dixit hic Naso, *ex alto*, quemadmodum supra, ex facili: *ex alto*, a longinquo.

17 *Sive est docta placet*] *Sive es docta, places*, Puteaneus cum optimo Palatino et quinque aliis: bene; nisi quod malim, *si qua es docta, places.* Heins.

18 *Placita est simplicitate tua*] *Places simplicitate tua* idem codex: nisi quod *placeas* emendatum postea; quomodo et alterum exemplar ejusdem Puteani et tres alii. At Palatinus optimus cum Barberiniano et duobus aliis, *placita es simplicitate tua;* recte: dixi Art. Amat. I. 37. et Epistola XIX. sub finem. *Capior* Arondel. Neap. et Barberin. *Idem.*

19 *Callimachi*] Græci poëtæ, qui primas in Elegia obtinuit. *Præ nostris*] Id est, nostrorum carminum comparatione. *Rustica*] Inepta, inculta.

20 *Illa placet*] *Ipsa* scripti. *Heins.*

23 *Sustinuisse femur*] *Femen* Neapolitanus. *Idem.*

23 *Molliter incedit; motu capit: altera dura est*] *Incessit* Puteaneus et alii plures. Deinde scribo, *altera dure;* scilicet incedit: et sequenti versu *poterat mollius isse*, pro *mollior esse.* Remed. Amor. 'Duriter incee-

Digitized by Google

dit? fac ambulet.' Et Art. l. III. 'rusticus alter Motus in incessu, mollior alter erit.' *Heins. Molliter incessit*] Quod Petron. 'Frangere gradum, more Junonis.' *Capit*] Me ad amorem sui rapit. *Dura*] In incessu inepta et inconcinna.

25 *Hæc quia dulce canit*] Scribe *Huic*. Pro *flectitque facillima vocem* unus Mediceus *flectique*, eleganti Græcismo: de quo ad Claudianum plura. *Heins. Dulce canit*] Pro adverb. More Græcor. sic Horat. Od. I. 22. 'Dulce ridentem Lalagen amabo, Dulce loquentem.' Quibus in locutionibus poëtæ multi sunt.

27 *Habili percurrit pollice chordas*] *Agili* rectius excerpta Jureti ac Puteani et tres scripti: sic Martial. lib. III. 'Percurrit agili corpus arte tractatrix.' *Heins.*

29 *Numerosaque brachia ducit*] Alii *movit* vel *jactat*. Sed nil mutandum esse dixi ad Met. IV. 353. Noster alibi, 'Sive aliquis molli deducit brachia gestu.' *Heins. Numerosa*] In numerum mota.

32 *Illic*] Ubi a mulieribus saltatur. *Hippolytum*] Hippolytus, Thesei ex Hippolyte Amazonum regina filius, positus hic a Nasone pro castissimo ac continentissimo. *Priapus erit*] Priapum pro lascivo posuit.

34 *Multa*] Totoque ingens extendi lecto: majoremque ejus partem magno tuo corpore occupare. Sic 'plurima nux,' pro amygdala. Virgil. et 'plurima cervix,' pro opima et pingui. Item de monte 'Qui plurimus imminet urbi.'

35 *Hæc*] Non procera.

36 *Voto*] Desiderio.

37 *Culta*] Ornata. *Subit*] In mentem venit mihi. *Quid*] Scilicet, pulchritudinis. *Accedere*] Adjungi. *Quid cultæ accedere possit*] Si quid adfuerit adjumenti ad pulchritudinem: καὶ δὲ πλασίως ὁ προσιὼν ἀλίσκεται. Et Metam. II. 734. 'Tanta est fiducia formæ Quæ quanquam justa est, cura tamen adjuvat illam.'

40 *Est etiam in fusco*] Tollunt in unus Moreti et Barberinianus. *Heins.*

42 *Leda*] Helenæ mater, Tyndari uxor. *Conspicienda*] Pulchra, digna quæ ab omnibus conspiciatur.

45 *Sollicitat*] Invitat. *Serior*] Provectior.

46 *Hæc melior specie: moribus illa placet*] *Corporis illa placet*. Puteaneus et alii nonnulli: sed recte sex scripti, *Hæc melior specie corporis; illa sapit*. Heins. *Hæc*] Scilicet, nova ætas. *Specie corporis*] Specioso corpore. *Illa*] Scilicet, ætas serior. *Moribus placet*] Callet enim omneis arteis.

47 *Quisquam probat*] Rectius alii *probet*: at optimus Palatinus, *quas laudet in urbe*; pro, *Denique quas tota quis laudet in urbe puellas*.

48 *Ambitiosus*] Cupidus. *Domin.*

ELEGIA V.

1 *Nullus amor tanti est; abeas, pharetrate Cupido*] Vehementer dolet Poëta, quod, cum in convivio quodam fuisset cum amica, et se dormire simulasset, eam viderit cuidam convivæ mutuum amorem nutu, verbis, et osculis ostendere.

3 *Peccasse*] Fidem mihi in amore non servasse.

4 *Hei mihi*] Rectius duo Moreti codices, *O mihi*. Heins.

5 *Non mihi deceptæ nudant tua facta*

Digitized by Google

tabellæ] Scribe *Non interceptæ* vel *Non mi interceptæ*. 'Intercipere literas' usitatus optimis auctoribus loquendi modus. Metam. IX. 'ne res intercipe nostras.' In optimo Palatino *deleta;* etiam probe. Sic Art. Amor. 'Nec nisi deleta tutum est rescribere cera.' Malim tamen *Non male deletæ*. Heins. *Nudant*] Demonstrant. *Tua facta*] Tua furta. *Tabellæ*] Amatoriæ literæ.

6 *Crimen*] Si enim munera furtim missa accipit mulier, amatori concedere existimatur.

7 *Arguerem*] In te convincenda ita debilibus uterer argumentis, ut illis a te facile confutatis, ego causa caderem, tu victoriam adipiscereris.

9 *Quod*] Pro, quam puellam.

11 *Ferreus*] Durus, crudelis. *Ferreus*] Sic et Græci. Mosch. Idyll. IV. 44. πέτρης δ' ἔχων νόον ἠὲ σιδήρου Κάρτερον ἐν στήθεσσι. Et Æschyl. Σιδηρόφρων θυμός. *Favet*] Indulget.

12 *Victa rea*] Victa puella, quam ream peregerit. *Palma*] Victoria. *Cruenta*] Cruentam dicit, quia non sine acerbissimo amantis dolore in tali causa vincitur puella.

16 *Pars bona*] Nutus, inquit, vestri vocis instar erant.

17 *Conscriptaque vino mensa*] In Artibus enim dixit: 'Blanditiasque leves tenui præscribere vino, Ut dominam in mensa se legat illa tuam.'

18 *Nec in digitis littera nulla fuit*] Digiti loquaces fuere, significatione aliqua literarum.

19 *Sermonem agnovi, quid non videatur amanti*] *Quod non videatur agentem* scripti omnes; nisi quod Neapolitanus *videbatur*, et *agenter* unus Mediceus: tertius Moreti, *quam non videatur agentem*. Latet aliquid. *Heins. Quod non videatur agentem*] Amatores enim pluribus præsentibus, aut historiam, aut fabellam aliquam et amorem narrant, et sub alieno nomine de se et amica præsente loquuntur, ne eorum amores deprehendantur. Quidam hæc legunt per parenthesin et interrogationem. *Quid non videatur amanti*] Id est, 'quis fallere posset amantes?'

20 *Notis*] Literis.

21 *Frequens ierat mensa conviva relicta*] Scribe *remota* cum septem scriptis: ita enim moris erat, ut mensæ post finitum convivium removerentur. Art. Am. I. I. 'At cum discedit mensa conviva remota.' Metam. XIII. 'Mensa somnum petiere remota.' Virgilius, 'Postquam exemta fames epulis, mensæque remotæ.' Et, 'Postquam prima quies epulis, mensæque remotæ:' contra 'ponere' et 'apponere mensam' passim occurrit: sed quid in re trita moramur? *Heins. Ierat*] Abierat.

22 *Compositi*] Sic libro superiore, 'Si bene compositus vino somnoque jacebit.'

23 *Improba*] Lasciva et proterva.

26 *Cupido mollis amica viro*] Optimus Palatinus et Neapolitanus, *cupido suo*. Ep. XX. 'Utraque victorem nempe secuta suum:' sic libri nonnulli veteres. Remedio Amoris, 'Frigidior glacie fac videare tuæ:' hoc est, dominæ, ut recte veteres libri: plura illic. *Heins.*

29 *Quo nunc mea gaudia differs*] Neapolitanus et quatuor alii, *defers*, cum Scaligeri Excerptis: recte. *Quo jam* excerpta Puteani. Forte *quonam:* atque ita Arondelianus. *Idem.*

31 *Hæc tibi sunt mecum, mihi sunt*] Mentelianus *sint* utroque loco; idque rectius. *Idem.*

33 *Hæc ego*] *Hoc* Puteaneus. *Idem. Hoc ego*] Subaudi, dixi clamitans et increpitans. *Quæque dolor linguæ dictavit*] Suaviter dicit, quæcunque ex dolore loqui coactus sum. *Linguæ*] Est dativ.

34 *Venit in ora pudor*] *Rubor* quidam scripti: et placet. Catull. 'Conscius ore rubor.' *Heins.*

35 *Coloratum*] Proprie dixit: colorari enim id dicitur, cujus alia sit

Digitized by Google

quam fuit facies. *Titheni conjuge*] I. e. Aurora.

39 *Flavescere*] Flavum colorem vetustate contrahere.

40 *Mæonis fœmina*] Id est, Lydia: Mæonia enim regio est minoris Asiæ, quæ etiam a Lydo, Atys filio, Tyrrheni fratre, Lydia cognominata fuit. *Assyrium*] Assyrium pro Indicum dixit. Assyria enim proxima est Indiæ. *Finxit*] Scilicet, ostro.

41 *Hic erat, aut aliquis color ille simillimus horum*] Legendum *His erat, aut alicui*, cum Puteaneo, Sarraviano, et quibusdam aliis, quod et Naugerius in suis invenerat.

44 *Decenter*] Cum decore.

45 *Sicut erunt, et erant comti*]. *Culti* meliores omnes: sic 'inculti capilli' et 'incultæ comæ' passim. Fast. III. 'Edidit incultis talia verba comis.' *Heins.*

46 *Et fuit in teneras*] *Laniare capillos Mens fuit* quinque scripti cum prima editione. *Idem.* *Impetus*] Scilicet, mihi.

48 *Armis suis*] Id est, pulchritudine.

51 *Risit, et ex animo dedit oscula*] Imo *optima* cum Puteaneo, Arondeliano, et tribus aliis. Sequentia confirmant. *Heins.*

53 *Ne tam bona senserit alter*] Excerpta Scaligeri et Puteani cum Sarraviano et uno Palatino, *sumserit*; recte: Art. Am. 'Oscula qui sumsit, si non et cætera sumsit.' Supra El. 4. 'Oscula jam sumet, jam sola nec oscula sumet.' Infra El. 11. 'Et multa sine ordine sumam Oscula.' Fast. III. 'Oscula sumturus subito Mars aspicit Annam.' Tibull. 'Osculaque admota sumere rapta manu.' *Heins.* *Alter*] Rivalis meus.

54 *Et volo non ex hac illa*] Vel *vellem* unus Moreti. Lege, *Et vellem ex hac non illa fuisse nota*: vel, *Deque velim non hac illa fuisse nota.* Heins.

61 *Nunquam potuere doceri*] *Nunquam* Puteaneus et alii nonnulli: recte. *Idem.*

ELEGIA VI.

1 *Psittacus, Eois imitatrix ales ab Indis, Occidit*] Psittaci, quem sibi ab Orientalibus oris missum puellæ suæ donarat Ovidius, interitum deflet. *Ales mihi missus ab Indis*] *Imitatrix ales ab Indis* probe Puteaneus, et Regius, et unus Moreti, et tres quatuorve alii, cum Arondeliano; quod Brissonius et Carrion jam monuerunt. Statius, 'Humanæ sollers imitator psittace linguæ.' Ψιττακὸς ὁ βροτόγηρυς in Anthologia l. I. *Heins.* *Imitatrix ales*] 'Illa loquax humanæ vocis imago:' 37. hac El.

2 *Exequias ferte*] Minus hoc Latinum: et sane iidem libri *exequias ite*; quod verum est. Sic et 'pompam funeris ire' Fast. VI. ut habent libri veteres. *Heins.*

3 *Plangite*] Percutite. *Et pectora plangite pennis*] *Et passis plangite pennis* Arondelianus: sic 'passæ comæ' frequenter apud Nostrum; 'passæ palmæ' apud Germanicum Arateis: 'passis victoria pennis' nostro infra l. III. El. 2. *Heins.*

5 *Horrida*] Turbata. *Lanietur*] In summo enim dolore capillos lacerare consueverant.

6 *Pro longa resonent carmina vestra*

Digitized by Google

tuba] Arondelianus et unus Mediceus nostra. Forte *garrula rostra*. Heins. *Pro longa resonent*] De funesta tibia loquitur. Institutum enim erat apud antiquos, ut præcedentibus tubicinibus cadavera ad sepulchrum efferrentur. Hinc (ut Aulus Gellius ait) 'siticines' appellati sunt tubicines, quod apud sitos, hoc est, vita functos et sepultos, canere soliti sint. *Longa*] Directa. Nam et cornicines in funeribus adhibebantur.'

7 *Quid scelus*] Puteaneus *Quod*: opinor *Quo*. Heins. *Quid scelus*] Fabulam scribit Naso libro sexto Metamorphos. Hic hortatur Naso lusciniam, quæ antiquæ injuriæ sibi a Tereo illatæ memor, flebilibus vocibus scelus illud queri videtur, ut psittaci mortem querulis cantibus deploret. *Scelus*] Stuprum, et linguæ abscissionem. *Ismarii*] Threicii: a monte Ismaro Thraciæ, quem maxime incoluit Orpheus. Tyrannum Ismarium appellat Tereum, qui rex Thracum fuit. *Philomela*] Quæ in lusciniam versa est.

9 *Miserum divertite funus*] *Devertite* scripti. Lege *devertere;* ad Philomelam enim sermo est: quod ex versu proxime sequenti satis apparet. Art. Amat. II. 'Docta quid ad Medicas Erato deverteris artes?' ita codices vetusti. Met. l. IX. 'Inferior virtute meas devertor ad artes.' Pont. IV. El. 14. 'Ad veteres scopulos iterum devertor.' Virgil. 'Castaliam molli devertitur orbita clivo:' quomodo omnes vetusti codices, quos ego ac Pierius Valerianus inspeximus. Suetonius in Tiberio c. 12. 'nemine eum imperio aut magistratu tendente quoquam, quin deverteretur Rhodum:' ita scripta exemplaria. Malim etiam *Alitis in caræ* quam *raræ;* quia mox sequitur, 'rari forma coloris.' *Heins.*

10 *Magna sed antiqua est causa doloris Itys*] *Sed antiqui causa doloris* bene Sarravianus; *antique est* Neapolitanus, corrupte. *Idem. Itys*] Progne, soror Philomelæ, quæ facta hirundo est. Met. VI.

11 *Libratis in aëre pennas*] *Cursus* scripti meliores. Noster Art. Am. I. II. 'Et movet ipse suas et nati respicit alas Dædalus: et cursus sustinet usque suos.' Statius Theb. III. 'Nonne sub excelso spirantis limite cœli, Amphiaraë, vides, cursus ut nulla serenos Ales agat?' Ita et *meatum* pro volatu dicebant; de quo ad Raptum Proserpinæ in Claudiano l. II. 74. *Heins. Libratis in aëre cursus*] Id Virgil. illustrat Æn. IV. 'Heic primum paribus nitens Cyllenius alis Constitit: hinc toto præceps se corpore ad undas Misit.' Quod et Metam. II. 710. 'Hinc se sustulerat paribus Caducifer alis.' Ex Homer. Odyss. E. 51. λάρῳ ὄρνιθι ἐοικώς. Spectamus enim hic Mercurium 'avi similem.'

12 *Turtur amice, dole*] *Turtur amica* unus Vaticanus: quomodo dici posse notant ad Virgilium veteres Grammatici. *Heins.*

14 *Longa tenaxque fides*] Fragmentum Patavinum *firma:* ut in Pont. 'Firma tenaxque licet, solvetur in æquore navis.' *Idem.*

15 *Quod fuit*] Talem dicit fuisse inter psittacum et turturem amicitiam, qualis fuit olim inter Orestem et Pyladem. *Argolico*] Fuit enim Orestes Agamemnonis regis Mycenarum filius. *Juvenis Phocæus*] Id est, Pylades, Strophii Phocensis filius. *Argolico Oresti*] *Orestæ* Puteaneus et Neapolitanus; bene: dictum Ep. VIII. 9. *Heins. Juvenis Phocæus Orestæ*] Hujus mentionem facit Cicer. de Finib. 'Tria,' inquiens, 'vix amicorum paria reperiuntur, ut ad Oresten pervenias, profectus a Theseo. Hinc Pyladea amicitia.' De Theseo Bion. Idyll. 5. in fragment. Ὄλβιος ἦν Θησεὺς τῷ Πειριθόῳ παρεόντος. Et mox de Oreste subjungit, Ὄλβιος ἦν χαλεποῖσιν ἐν ἀξείνοισιν Ὀρέστης, Οὔνεκα οἱ ξυνὰς Πυλάδας ἤρητο κελεύθους.

17 *Quid tamen*] Subaudi, profuit,

Digitized by Google

aut juvit. *Rari coloris*] Raræ enim aves virides sunt, ut psittacus.

19 *Ut datus es*] Id est, postquam datus es.

21 *Virides pennis hebetare smaragdos*] Smaragdi proprie virides. Scripti tamen meliores magna ex parte, et in his Puteaneus, *fragiles*. Heins. *Pennis*] Plumis tuis. *Hebetare*] Id est, efficere ut obscuri, hebetes, et minus virides viderentur, comparatione tuarum pennarum.

22 *Punica rostra*] A colore rubeo et splendido, qui puniceus, Græce φοινίκεος dicitur.

23 *Vocum simulantior ales*] Quatuor libri veteres *simulacior:* quo et alii nonnulli alludunt, quos inter Palatinus optimus et Arondelianus, *simulatior* exhibentes: sic 'sonax concha,' Met. I. et 'vigilaces curæ' l. II. et 'expugnax herba' l. XIV. et 'fumax sulphur' Fast. IV. 'liquaces rivi' Remed. Am. 177. ex scriptis libris; et similia, de quibus suo loco. 'Crepaceem molam' Mæcenas dixit apud Senecam Epist. 114. Cicero Catone, 'Ne vera de se prædicans nimis videretur aut insolens aut eloquax:' ut ibi est in vetustissimis libris: apud Plautum 'trahax:' apud Gratium 'curraces laquei:' apud Caium l. XVIII. D. de ædil. edict. servus curax: 'si laboriosum aut curacem aut vigilacem esse adfirmaverit:' apud Symmachum l. I. Ep. 41. 'retinax advenarum lotos:' 'equus sternax' Maroni et Silio Italico: 'tagax' apud veterem poëtam, qui nunc non succurrit: capax, rapax, edax, emax, salax, vorax, et similia apud nostrum. *Heinsius.*

24 *Blæso*] Balbutiente: nam a natura soli homini sermo attributus sit.

26 *Garrulus*] Loquax.

27 *Ecce coturnices*] Dolet, quod ferociores aves vivant, et placidissimus psittacus perierit. *Inter sua*] Perdicum autem et coturnicum pugnas inter se describit Aristoteles, libro nono de Animalibus, capite octavo. *Inter fera prælia vivunt*] *Sua prælia* meliores; recte: nam *fera bella* paulo ante præcesserant. *Heins.*

28 *Forsitan et fiunt*] *Fiant* Puteaneus et unus Moreti: in nonnullis aliis *fient*, proxime verum. *Idem.*

29 *Plenus*] Satur.

30 *In multos poterant ora vacare cibos*] *Poteras ora vocare* multi ex scriptis: at Puteaneus et Arondelianus *poteras ora vacare;* eleganti Græcismo: quod et in suis Dominicus Marius Niger videtur invenisse. Unus Vaticanus *poteras ore vacare*. Heinsius.

31 *Nux*] Amygdalam intellige: psittacorum autem peculiaris cibus amygdala. *Causæ somni*] Appositio est. *Causæque papavera somni*] *Somnis* Neapolitanus. Fast. IV. 'somnique que papavera causas Dat tibi cum tepido lacte bibenda puer.' *Heins.*

32 *Simplicis*] Non mixtæ alio liquore.

33 *Vultur*] Hæc avis triduo ante aut biduo volat, ubi cadavera futura sunt. *Ducitque per aëra gyros*] *Gyros*, circuitus, orbeis. Sic in Metam. II. 'Iterque Non agit in rectum, sed in orbem curvat eundem.' *Ducitque per aëra gyros Milvius*] *Milvus* Puteaneus, Arondelianus, et sex alii; quomodo passim apud nostrum in optimis exemplaribus: ut Fastorum libro III. bis, et Met. II. sic et apud Horatium Epist. I. 16. Cæterum lege cum uno Vaticano et Farnesiano *ducensque per aëra gyros*. Sed et *pluviæ graculus augur aquæ* existimo scribendum pro *auctor*. Horat. Od. III. 17. 'Aquæ nisi fallit augur Annosa cornix;' et Od. 37. 'Imbrium divina avis imminentum.' Posset et legi *garrulus augur*, ut de corvo intelligatur, quæ avis imbrium præsaga habetur. Certe *garrulus auctor* est in multis scriptis; sed graculus pluvias prædicit apud Avienum in prognosticis. *Heins.*

35 *Invisa Minervæ*] Ad fabulam alludit, quam ipse Metam. II. scribit.

36 *Quidem seclis vix moritura novem*]

Digitized by Google

Hoc secundum Hesiodum, qui cornici novem nostras attribuit ætates: ut refert etiam Plinius l. VII.

37 *Ille loquax*] *Ille* sex scripti. *Heins. Humanæ vocis imago Psittacus*] Plin. l. X. Natur. hist. 'Super omnia,' inquit, 'humanas voces reddunt psittaci: et quidem sermocinantes, imperatores salutant,' &c.

38 *Extremo ab orbe*] Id est, ab extrema et ultima orbis parte, India ab oriente.

39 *Optima prima fere, &c.*] Optima, inquit, primum intereunt: pessima autem supersunt et diu vivunt, cum contra evenire deberet.

40 *Implentur numeris*] Quam diutissime vivunt. De ratione horum numerorum vide Macrob. ad Somn. Scipion. c. 13. ubi inter alia hæc habentur: 'Constat enim, numerorum certam constitutamque rationem animam sociare corporibus. Hi numeri dum supersunt, corpus animari non desinit. Cum vero deficiunt, mox arcana illa vis solvitur, qua societas illa constabat.' Impletis igitur numeris, corpus fatiscit, animaque seducitur artubus. Quod Virgil. attingit Æneid. VI. 'Explebo numerum:' ubi Servius minus placet.

41 *Phylacidæ*] Id est, Protesilai. Hic ex Phylace oppido Thessaliæ oriundus, filius fuit Isiphyli. Ejusdem uxor Laodamia Phylaceia dicta est. *Thersites*] Vir Græcus fuit, 'Quo non deformior alter Venerat ad Trojam, linguave protervior alter:' cum igitur ita et corporis et animi vitiis insignis esset, superstes tamen fuit Protesilao. *Thersites*] Hoc ex Sophocl. Philoct. 442. et seqq. illustratur.

42 *Cinis Hector*] Sic Senec. de Hercule in Œta: 'tam parvus cinis Herculeus: huc huc ille decrevit gigas. O quanta, Titan, in nihil moles abit.' Et alibi, 'Hoc est quod digitis quinque levatur onus.' *Vivis fratribus*] Quod ex Homer. Iliad. Ω. 260. Τοὺς μὲν ἀπώλεσ' Ἄρης, τὰ δ' ἐλέγχεα πάντα λέλειπται ubi plura invenies huc spectantia.

43 *Timidæ*] Timentis ne morereris.

44 *Rapta Noto*] Id est, irrita, et quæ nullum pondus habuerunt.

45 *Non exhibitura*] Non datura. *Sequentem*] Periit enim septima die.

47 *Ignavo*] Pigro, et torpente præ ægritudine. *Stupuerunt*] Proferri non potuerunt.

49 *Colle sub Elysio*] Animæ psittaci mortui, quasi hominis dat Elysium. *Nigra*] Umbrosa. *Densa nemus ilice frondet*] Excerpta Politiani et unus Mediceus *frondens:* ut ad τὸ *viret* referatur; nisi sequenti versu *Uvida* malis pro *Udaque:* nam unus Vaticanus *Virida*. Heins.

50 *Perpetuo*] In Elysiis enim campis ver est perpetuum.

52 *Obscenæ*] Turpes, rapaces: ut vultures, milvii, harpyiæ, et hujusmodi.

54 *Unica semper avis*] Unum enim in toto orbe, nec visum magnopere dicunt.

55 *Explicat ipsa suas alas Junonia pennas*] *Atque suas* alii multi: neutrum satisfacit. Forte legendum, *Explicat hic pictas alas Junonia pennas:* vel *Explicat et passas pennas;* ut de pavone Horatius, 'picta pandit spectacula cauda.' *Heins.* Tale quid latere existimo. *Alas Junonia*] Pavo. Pavones enim esse dicuntur in Junonis tutela.

57 *Nemorali sede*] Nam dixit: 'Colle sub Elysio nigra nemus ilice frondet.'

58 *Convertit volucres in sua vota pias*] *In sua verba* scripti. *Heins. In sua verba*] Dicit psittacum et iisdem verbis, et humanis vocibus, quibus dum viveret ad se homines convertebat et alliciebat, mortuum in Elysiis piarum avium umbras ad se itidem attrahere. Nam (ut in Æneid. VI. docet Maro) apud inferos iisdem quemque studiis teneri, quibus in vita delectabatur.

Digitized by Google

59 *Tumulus pro corpore magnus*] Puteaneus alter cum excerptis Vossii *pro corpore parvus:* Excerpta Politiani *parvo: parvus* res ipsa est. Callimachus in Epigrammatis, Ἐόντομος ἦν ὁ ξεῖνος, ὁ καὶ τάφος· οὐ μακρὰ λέξω. Noster Met. IV. 'Conatæque loqui minimam pro corpore vocem Emittunt.' Met. XIII. 'Sentiet esse mihi tanto pro corpore vires.' Fast. lib. I. 'Dira viro facies: vires pro corpore: corpus Grande.' Postremum hujus Elegiæ distichon ab aliena manu videtur. *Heins.*

ELEGIA VII.

1 *Ergo ego sufficiam reus in nova*] Consuetudinem cum Cypassi Corinnæ ancilla furtim habebat Naso, quod nescio quo pacto persensisse videbatur Corinna: unde vehementer irata, et ipsi Nasoni et ancillæ furtivos concubitus frequenter objiciebat. In hac igitur elegia Poëta se expurgat, affirmans multis argumentis, ancillam pellicatus falso accusatam esse. *Ergo*] Particula hæc indignationem continet. *Domin.*

2 *Ut vincam, toties dimicuisse piget*] Etiam si vincam, et obtineam, tamen me pudet toties contendere ac dimicare. *Micyll. Toties dimicuisse pudet*] *Piget* meliores. *Heins.*

3 *Sive ego*] Zelotypiam mulieris ostendit. *Summa*] E quibus iudos spectabant mulieres.

4 *E multis*] Scilicet, fœminis. *Velis*] Quasi merito dolere non possis.

6 *Notas*] Signa amatoria.

7 *Petis ungue*] Laceras, scindis præ dolore: credis enim me captum amore puellæ quam laudo. *Capillos*] Tuos.

9 *Bonus color*] Vivus, purpureus. Sic Cic. I. Officior. 'Bonitas coloris.' Dicit autem Poëta: Suspicaris te negligi, cum valeo, et colore sum vivido: sin autem palleo, me fingis uri et carpi alterius puellæ ignibus.

11 *Atque ego peccati vellem modo conscius esse*] *Vellem mihi conscius esse*] *Vellem mihi conscius essem* meliores, quo et alii nonnulli tendunt, in quibus, *vellem mihi conscius esse.* Met. XIII. ut et illic optimi codices, 'Et quod præcipue vellem tibi demere possem.' *Heins. Atque ego*] Quam caute crimen dissimulat. Vellem, inquit, peccassem in quo me accusas, ut pœnam patientius ferrem.

13 *Nunc temere insimulas*] *Insultas* Neapolitanus cum excerptis Scaligeri et Puteani: frustra. Festus: 'Insimulare, crimen in aliquem confingere.' Glossæ Stephani, 'Insimulatur, διαβάλλει.' *Heins.*

15 *Auritus asellus*] Hinc adserenda vetus scriptura Phædro l. I. Fab. 11. de asino et leone venantibus, 'hic auritulus Clamorem subitum totis tollit viribus:' ita enim veterrimæ Vossii schedæ; nisi quod *auriculus* meudose exhibebant. Mox cum eodem codice repone in Phædro, 'Leonis adfliguntur horrendo impetu.' *Heinsius.*

16 *Verbere tardus erat*] *Lentus eat* primæ editiones et scripti: sic noster de asino semper. Met. XI. 'Induiturque aures lente gradientis aselli:' et alibi. *Idem.*

17 *Ecce tuum sollers caput exornare Cypassis*] Codices vetustiores magno numero, recte, *Ecce, novum crimen,*

Digitized by Google

sollers ornare Cypassis: 'ornare' enim, non 'caput ornare' dicebant. Hinc et 'ornatrices' in Gruteri Inscriptionibus ancillæ, quæ comebant heras, passim dicuntur: sic 'ornatrix a titulis' pag. DLXXIX. APONIÆ SUCCESSÆ A TUTUL. ORNATR. G. BATONIUS EPIGONUS ATRIENSIS. De titulis vide Varronem et Festum: et pag. MCXVIII. 'ornatrix galeæ.' CALPURNIA L. ET D. L. GALEÆ ORNATRIX. ubi nota *galeam* dici pro galero vel galericulo comæ adscititiæ. Noster lib. I. El. 14. 'Ornatrix tuto corpore semper erat:' et Arte Amatoria: 'Tua sit ornatrix.' Duo codices non male, *Ecce (novum crimen) sollers ancilla Cypassis.* Heins.

19 *Si sit peccasse libido*] *Si sic* iidem meliores. Forte, *Di melius, quam, si mihi sit peccasse libido.* Idem.

23 *Ornandis operosa est illa capillis*] *Illa est operata* Puteaneus, Neapolitanus, et unus Palatinus: bene. Met. VIII. 'studioque operatus inhæsi:' ubi male *oneratus* legebatur. 'Votis pudicis operari' Ep. IX. 35. 'Sistris Isidis operari' Art. Am. 'Operari sacris' sæpe alibi. *Idem. Operosa*] Sollers, et quæ comendis capillis operam diligenter impendit.

24 *Et tibi per doctas grata ministra manus*] *Perdocta est* Puteaneus. Puto *perdocta manu:* sic eandem 'ponendis capillis perfectam' mox vocat. Ponticis, 'Dignam Mæoniis Phæacida condere chartis Cum te Pierides perdocuere tuæ.' Usi eo verbo quoque non semel Lucretius, Cicero, alii. *Heins.*

25 *Quæ sit tibi fida rogarem*] *Qui erat tibi fida.* Puteaneus mendose: alii complures *quæ tam tibi fida;* recte. *Idem.*

26 *Quid, nisi ut*] Rectius videatur, *Quo? nisi ut indicio juncta repulsa foret.* Idem. *Quid*] Nisi ut præter repulsam, dominæ etiam indicaret, me fidem fallere voluisse.

27 *Per Venerem juro*] Sic Tibul. I. Eleg. 4. 'Nec jurare time. Veneris perjuria venti Irrita per terras et freta summa ferunt.' Quod tamen male præcipitur: et plerumque pejus provenit.

28 *Me non esse reum*] Id est, me non peccasse. *Domin. Admissi*] Peccati. *Micyll.*

ELEGIA VIII.

1 *Ponendis in mille modis*] *Modos* bene Puteaneus. *Heins. Comendis in mille modos perfecta capillis, &c.*] Cypassim interrogat, unde Corinna furtivos ejus concubitus scire potuerit: et se laudat, quod egregie crimen dissimulaverit. *Comendis*] Ornandis. Legitur in vetustissimis codicibus, *Ponendis in mille, &c. Mille modos*] Varie enim caput sibi ornant mulieres. *Perfecta*] Peritissima.

7 *Non tamen*] *Nam non* alter Mentelii: *Nunc tamen* Puteaneus: lege *Num tamen;* nam idem codex mox *num verbo* cum Neapolitano: sex alii *non verbo;* vulgati *nec.* Heins. *Tamen*] Quamvis persenserit. *Erubui*] Conscius enim sibi commissi criminis, cum arguitur, erubescit. *Verbo lapsus ullo*] Id est, titubavi, quod evenit illis, qui sunt sibi conscii peccati. *Verbo lapsus*] Ter. Heaut. II. 2. Clin. 'Verum illa ne quid titubet. S. perdocta est probe.' Quod ex Plauto suo, ut ple-

Digitized by Google

raque transtulit. Isti autem homines dicuntur facunde mali.

9 *Quid, quod in ancillam*] *Ancilla* rectius Puteaneus cum quatuor aliis: duo *ancillas*. Heins.

10 *Mente bona*] Communi sensu.

11 *Thessalus ancillæ facie*] Ducum exemplo dicit non pudendum esse domino ancillæ amorem. *Facie Briseidos ancillæ*] Huc alludit Horat. ex Homero: 'prius insolentem Serva Briseis niveo colore Movit Achillem.' Od. II. 4. *Thessalus*] Achilles, qui Thessalia fuit oriundus. *Ancillæ*] Servæ, captivæ. *Briseidos*] Hippodamiam dicit, Brisei filiam, quam Achilles amavit, eversa ejus patria Lyrnesso, captam.

12 *Serva, &c.*] Exemplum affert etiam Agamemnonis, qui Cassandram Priami regis filiam amavit, eamque post eversum Ilion captivam secum in Græciam abduxit. *Serva*] Captiva. *Mycenæo duci*] Id est, Agamemnoni, qui Mycænis oriundus fuit. *Phœbas*] Mænas, vates. Cassandram designat, quæ a Phœbo vaticinandi facultatem acceperat. *Serva Mycenæo duci*] Qua de causa etiam Clytæmnestra in caput Agamemnonis cum Ægistho conspiravit. Senec. Agam. vs. 255. 'Tenetque regem famula veridici Dei. Feresne thalami victa consortem tui?' Quod ex Æschyl. Agam. vs. 1436. Ἥ τ' αἰχμάλωτος ἥδε καὶ τεραστόνους, Καὶ κοινόλεκτρος τοῦδε, θεσφατηλόγος, Πιστὴ ξύνευνος.

13 *Nec sum Tantalide, nec forti major Achille*] *Nec sum ego Tantalide major, nec major Achilli* Puteaneus: plures etiam alii *major nec major Achille*, et placet: multi *Non sum ego*; sed recte tres cum Arondeliano, *Non ego Tantalide*. Sarravianus *Non sum Tantalide*. Heins. *Tantalide*] Id est, Agamemnone, cujus avus fuit Tantalus, a quo patronymicum est Tantalides.

16 *Vidit te totis*] *Vidi* scribendum cum nonnullis scriptis, nisi malis *senei*. Nam duo codices *senit*. Superiori etiam versu concinnius legas *in me deflexit*, quam, *in te*. Heins.

17 *Quanto præsentior*] Quam tu, scilicet: hoc est, audacior. *Si forte refert*] *Refers* libri veteres; quod verum esse monui Epist. v. 113. Tanaquillus Faber ad Phædrum lib. III. malit legi, *si fors refert*; hoc est, interest: sed frustra. *Heins.*

19 *Tu Dea*] Per apostrophem, Venerem alloquens, ab illa veniam petit, precaturque ne male sibi eveniat perjurium. *Animi perjuria nostri*] *Animi puri* Puteaneus et Arondelianus; optime. Sic 'pure sacra facere,' et similia: sic animum 'purum' et 'religiosum' Cicero conjungit: 'purum' et 'insontem' Horatius. 'Deus pura mente colendus' in distichis quæ sub Catonis nomine circumferuntur. *Heins. Animi perjuria puri*] Improbe sibi ignoscit poëta. An, cum lingua juravit, mens injurata dici potest?

20 *Carpathium*] Carpathus insula est inter Ægyptum et Rhodon posita, quæ Carpathio mari nomen dedit. Pro quocunque mari posuit Naso.

21 *Officiis*] Quia tuam causam egi apud Corinnam, quæ propter pellicatus suspicionem te odio prosequebatur.

22 *Fusca*] 'Est etiam in fusco grata colore Venus.'

24 *Est unum e dominis promeruisse satis*] *Unum est e dominis emeruisse satis* Puteaneus et Neapolitanus cum Arondeliano et quinque aliis: plures *Est unum e dominis emeruisse*; puto *demeruisse*. Lib. II. Art. 'Nec tibi sit servos demeruisse pudor.' Vide tamen quæ noto ad Epistol. VI. 138. ubi *emereri* pro *demereri* nonnunquam sumi docuimus. *Heins.*

Digitized by Google

ELEGIA IX.

1 *O nunquam pro me satis indignate Cupido*] Amantium levitatem et inconstantiam exprimens Naso, Cupidinem alloquitur. *Nunquam pro me*] Contra me semper stas, me figis, in meo corde desides.

3 *Qui nunquam, &c.*] Idem in primo dixit, 'Non sum desertor amoris.' *Nunquam reliqui*] Semper enim amavi.

6 *Pugnantes*] Juvenes et puellas tibi reluctantes, et qui tui imperii juga fugiunt.

7 *Quid non, &c.*] Conveniens esse dicit, ut illata sibi vulnera eorum auctor Cupido sanaret. Ut olim, 'Vulnus Achilleo quæ quondam fecerat hosti, Vulneris auxilium Pelias hasta tulit.' *Æmonius*] Thessalus. *Quem*] Telephum. *Cuspide*] Peliadis hastæ. *Heros*] Achilles.

8 *Confossum*] Vulneratum. *Juvit*] Sanavit. *Cum petiit, medica postmodo juvit ope*] *Confossum* recte meliores: duo *Confessum*. Heins.

9 *Venator*] Deberes, inquit, o Cupido, fugientes insequi, nec in captivos tantopere sævire: venatoris exemplo, qui captas feras relinquit, et fugientes sectatur.

10 *Inventis*] Partis. *Ulteriora*] Plura.

11 *Nos*] Amatores. *Populus tibi deditus*] *Subditus* Jureti excerpta, et tres alii ex melioribus. *Heins.*

12 *Reluctanti*] Tibi adversanti, tuaque imperia spernenti. *Manus*] Tua.

13 *Hamata recondere tela*] *Retundere* Puteaneus cum Regio, uno Vaticano, et excerptis Jureti; recte: hoc est, obtusa reddere, hebetare. Lucanus l. VI. 'confringite tela Pectoris in cursu, jugulisque retundite ferrum.' Prudentius Cathemerin. 'Ultor retundit iram.' Idem cum quatuor aliis mox *relinquit*. Heins. *Hamata tela*] Id est, sagittas, quarum cuspides hamos imitantur.

14 *Reliquit amor*] Dixit etiam in Artibus: 'Attenuant juvenum vigilatæ corpora noctes.'

16 *Hinc*] Ex his viris atque puellis tibi subjugatis.

17 *Roma, nisi, &c.*] Suadet Cupidini ut imperium suum propagare velit: exemplo Romæ, quæ ab initio pusilla, postea totum sibi terrarum orbem subjecit.

18 *Stramineis*] E stramine constructis, qualis fuerat casa Romuli. *Nunc quoque*] Ut antea fuit. *Stramineis casis*] Virgil. VIII. 'Hinc ad Tarpeiam sedem et Capitolia ducit, Aurea nunc, olim sylvestribus horrida dumis.' Et ibid. 'Romuleoque recens horrebat régia culmo.' *Nunc quoque densa casis*] *Tecta casis* libri veteres. *Heins.*

19 *Fessus in acceptes, &c.*] Ab amore militiæ vacationem et requiem se consequi debere docet pluribus exemplis. *Fessus*] Longa militia. *Miles*] Veteranum dicit, qui emeritis stipendiis honestam ab Imperatore missionem consequitur.

21 *Subductam*] Proprie subducere navem, est in terram trahere. *Deducere* autem, est in mare mittere. *Celant*] Continent, abscondunt. *Navalia*] Navalia loca sunt, in quibus naves, et remi, nautisque omnia instrumenta fiunt. *Pinum*] Navem.

23 *Me quoque*] Jam tempus esse, dicit, ut ab amatoriis doloribus procul degat ævum: exemplo veterani militis, gladiatoris, vetustæ navis, et equi senescentis. *Merui*] Militavi.

24 *Defunctum*] Qui jam finivi hujus militiæ labores. Virg. 'O tandem

Digitized by Google

magnis pelagi defuncte periclis.'

25 *Vive, Deus, posito*] Puto, *Vive Deus.* Ausonius, Idyll. VII. 'quosdam Constat nolle Deos fieri.' *Heins. Vive*] Aperte nunc ostendit, se amori adeo obnoxium esse, ut ab illo nunquam discessurus sit. *Deus*] Qui hanc potestatem haberet. *Posito*] Deposito.

26 *Deprecer*] Pro, deprecarer, et recusarem: hoc, scilicet, ut sine amore viverem.

27 *Animique revanuit ardor*] *Animique relanguit ardor* Puteaneus a manu prima; sed emendatum *resanuit*; neque aliter Arondelianus: quomodo et lib. I. El. 10. quanquam hoc loco id verbi minus aptum videtur: alii codices *evanuit*. Heins.

30 *Frena retentantem*] Pressis repugnantem habenis; vel etiam, mordentem frena.

33 *Incerta*] Inconstans, instabilis, varia. Amor enim nullum in se neque modum neque consilium habet: sed temere omnia agit.

34 *Nota tela*] Id est, solita.

36 *Hic tibi sunt vires, hic tua dextra facit*] Malim *huc facit*, et *sint vires*; quod posterius in prima editione et duobus scriptis extat exemplaribus. *Heins.*

37 *Huc veniunt*] *Hic* Puteaneus. *Idem.*

38 *Vix ullis præ me nota pharetra tua est*] Prima editio cum melioribus, *Vix illis præ me nota pharetra sua est*; proxime verum. *Idem.*

39 *Infelix*] Infœlicem eum vocat, qui nullo amoris incendio æstuans, tota nocte stertit.

41 *Somnus mortis imago*] Sic et Homer. Iliad. II. Ὕπνῳ καὶ θανάτῳ δεδυμένε. Et Coluth. Theban. ἐπὶ θανάτῳ συνέμπορος ὕπνος. Qui vocatur ὕπνος ἀναγκαῖος· ἱερὸς ὕπνος· χαλκεῖος ὕπνος. Ferreus somnus. Huc facit illud Livii lib. I. dec. 5. ubi Histri somno vinoque mersi a Romanis trucidantur: 'Somno,' inquit, 'mors continuata est.' Et Petron. in Halos. 'Hic graves alios mero Obtruncat, et continuat in mortem ultimam Somnos.' Sic Gorgias apud Ælian. lib. II. Ἤδη με ὁ ὕπνος ἔρχεται παρακαταστήσεσθαι τῷ ἀδελφῷ. *Gelidæ*] Maro lib. VI. 'Et consanguineus leti sopor.'

42 *Quiescendi*] Quietem etiam *mortem* appellavit. Et Maro quietem duram dixit mortem.

43 *Voces*] Promissiones.

44 *Sperando*] Spes enim est amantis perpetua fere comes. *Sperando gaudia feram*] Sed illa spes hominis vigilantis est somnium. Τὸ ἐγρηγορότος ἐνύπνιον, ut in Eurip. Herc. Fur. ἐν φάει τί λείσσομεν ὄνειρον. 'Num ille somniat.' 'Ea quæ vigilans voluit.' Ter. Andr. Et Virgil. Pharmac. 'Credimus? an qui amant, ipsi sibi somnia fingunt?'

45 *Jurgia nectat*] Sic et Græci, πλέκειν λόγους· μηχανορραφεῖν· ὑφαίνειν δόλους.

46 *Fruar*] Potiar.

47 *Dubius Mars*] Incerti enim sunt bellorum exitus. *Cupido est*] Tollunt scripti plures τὸ *est*. Heins.

51 *Pulchra cum matre Cupido*] *Regantem* pro diversa lectione Puteaneus. *Idem.*

52 *Indeserta*] Nunquam deserta, perpetua. *Indeserta regna*] Hoc loco præp. *in*, negative posita est: ut in multis. In aliis intensive, uti quoque τὸ ἀ in Græcis: sic in illo Virgil. XII. 'Turnus ut infractos:' ubi sane res ipsa satis indicat quid sit: quanquam alii obnitantur: 'Sævit, et infracta luctatur arundine telum Eripere.' Virgil. ibid. Et Metam. VI. 632. 'infractaque constitit ira.' Cicero clare hoc explicat IN. Tuscul. 'Verisimile est igitur, in quem cadit ægritudo, in eundem cadere timorem, et infractionem quandam animi, et demissionem.' *Regna gere*] *Tela gere* Jureti excerpta, cum tribus aliis. Puteaneus et Sarravianus pro diversa lectione *regna rege*; quo modo et primus

Digitized by Google

Moreti; vel *tene;* quod postremum amplector: idque Ciofanus in uno ex suis invenerat. In Fastis lib. III. 'Regna tenent fortes manibus pedibusque fugaces:' et sic sæpe alibi. *Heins.*

53 *Accedunt*] Adjungantur. *Nimium vagu*] Id est, errans, et tuum imperium fugiens.

54 *Ambobus populis*] Virorum, scilicet, et puellarum. *Sic*] Si regno tuo puellæ accesserint. *Dom.* *Ambobus populis*] Simile quid Aristoph. in Cerealib. τὰ βέλτιστα περὶ τὸν δῆμον γυναικῶν.

ELEGIA X.

1 *Tu, tu*] Iteratio hæc emphasim habet, et quasi decepti querelam continere videtur. *Græcine*] Græcinus hic Nasonis fidissimus ac vetus sodalis, et humanioribus literis et militari disciplina egregius fuit: unde ad Consulatus honorem evectus est, eo tempore quo Naso in Scythia exulabat in Tomitano.

3 *Deprensus*] Scilicet, sum a Cupidine. *Inermis*] Si enim mihi non persuasisses, non posse quempiam eodem tempore duas amare, ego solius Corinnæ amore captus, armassem me contra aliarum amorem, nec victus fuissem tam facile.

4 *Tempore solus amo*] *Turpis amo* Puteaneus et quinque alii cum prima editione. *Heins.*

5 *Operosæ cultibus ambæ*] *Operosis* Regius cum excerptis Dousæ et Politiani. *Heins.* *Operosæ cultibus*] Quæ se mirifice ornant et excolunt. Sic supra: 'Adde, quod ornandis operosa est illa capillis.'

6 *Artibus*] Minervæ operibus.

8 *Et magis, &c.*] Ægre, inquit, mihi ambæ placent. Sed mira varietate utitur.

9 *Errat ut a ventis*] *Errant, ut ventis* meliores; quos inter Puteaneus, qui et *phaselos* Græco more. *Heins.* *Discordibus*] Contrariis, et sibi repugnantibus. *Acta*] Impulsa.

11 *Erycina*] Venus, ab Erycino monte Siciliæ, in quo religiosissime colebatur.

12 *Non erat*] *Nonne* cum Barberiniano et uno Vaticano. *Heins.*

15 *Sed tamen hoc melius*] Ut duas amem.

17 *Vacuo dormire cubili*] *Vidno* meliores. *Heins.*

18 *Et medio late ponere membra toro*] *Laxe* Puteaneus et quatuor alii; quod et in suis Naugerius invenerat: duo *lassa*, quod ad veram scripturam alludit. Art. Am. III. 'Hanc decet inflatos laxe jacuisse capillos.' *Heins.* *Laxe*] Qui solus sine socia puella dormit, dicitur laxe ponere membra medio toro.

20 *Simque, &c.*] Non ego solus dormiam in meo lecto.

23 *Sufficiant graciles non sunt sine viribus artus*] *Sufficiam* codex Puteaneus: recte; nisi quod Neapolitani libri lectio non minus arridet, *Sufficiant graciles sed non sine viribus artus;* atque ita unus Vaticanus; nisi quod in illo *et non sine.* Heins.

27 *Consumsi gaudia noctis*] *Consumto tempore* rectius Excerpta Jureti, et plures alii. Propert. lib. I. Eleg. 3. 'Jamque ubi longa meæ consumsti tempora noctis?' *Heins.*

29 *Certamina mutua perdunt*] *Rumpunt* Puteaneus a manu secunda;

Digitized by Google

quod et in aliis multis invenire est: unus Vaticanus *produnt*. Nihil temere mutandum. Infra, 'Et, quæ me perdunt, oscula mille dedit.' *Idem*.

31 *Induat*] Per contentionem laudat suum consilium. *Contraria pectora telis*] Id est, se amet miles, et immortalem gloriam sanguine consequatur. Mortis enim et vulnerum contemptu laus victoris quæritur.

32 *Nomen*] Gloriam.

33 *Et quæ lassarit eundo*] *Arundo* Pateaneus; *irundo* Arondelianus. Scribe *arando*. Trist. I. El. 2. 'Latum mutandis mercibus æquor arat.' lib. III. El. 12. 'Non nisi vicinas tutus araret aquas.' Virgilius, 'Vastum maris æquor arandum.' Et alibi, 'Nullum maris æquor arandum.' Petronius, 'gravidis freta pulsa carinis Jam perarabantur.' *Heins*.

38 *Conveniens vitæ*] Quod libidinosissime vixeris. *Mors fuit ista tuæ*] In uno Moreti *suæ* pro diversa lectione est notatum; quod sequor. Lampridius in Heliogabalo: 'Alios ab ima parte perfoderunt, ut mors vitæ esset consentiens.' *Heins*.

ELEGIA XI.

1 *Prima malas docuit, &c.*] Navigaturam Baias Corinnam ab instituto revocare nititur Naso, maris pericula memorans. *Malas vias*] Humano generi perniciosas. *Docuit*] Monstravit. *Prima pinus*] Vide Epist. XII. 13. cui addemus ex Cic. de N. D. lib. II. ubi ille apud Actium pastor, qui, cum navem nunquam antea vidisset, et procul, uti divinum, et novum maris vehiculum Argonautarum e monte conspexisset, primo admirans et perterritus loquitur: 'tanta moles labitur, Fremebunda ex alto ingenti sonitu, et spiritu Præ se undas volvit, vertices vi suscitat,' &c. Dubitat, inquit Cicero, quæ sit ea natura quam cernit ignotam: idemque juvenibus visis, auditoque nautico cantu, incipit suspicari quid sit. Quod Cicero optime ad rationem philosophandi refert. Adeoque non temere hodie docent *οἱ προσκυνηταὶ*, assensum esse sustinendum a visis, et cum ratione deliberandum. *Mirantibus undis*] Sic Æneid. VIII. 'Labitur uncta vadis abies: mirantur et undæ, Miratur nemus insuetum fulgentia longe Scuta virum, pictasque innare carinas.'

2 *Peliaco vertice*] Pelion mons est Thessaliæ, ad meridiem spectans: in cujus summitate sunt maxima pineta. Juxta hunc montem navem Argo ædificavit Iason: unde Catullus, 'Peliaco quondam prognatæ vertice pinus,' &c.

3 *Concurrentes cautes*] Græcum verbum *Symplegades* interpretatur. Symplegades autem, quæ et Cyaneæ dicuntur, duæ sunt insulæ, sive potius scopuli in Ponto, contra Thracium Bosphorum. Has fabulati sunt Poëtæ inter se concurrisse: quoniam parvo discretæ intervallo, coëuntium speciem procul visentibus præbent: ut tradit Plin. IV. Natur. Hist. *Concurrentes cautes*] Vide Epist. XII. 121. Idem in Argon. Apol. IV. 784. ubi Juno Thetidi: Οἶσθα μὲν ὅσσον ἄμβροτον ἐνὶ φρεσὶ τίεται ἥρως Αἰσονίδης, οἵ τ' ἄλλοι ἀοσσητῆρες ἀέθλου, Οἵη τέ σφ' ἀνάωσα διὰ πλαγκτὰς περάσσας Πέτρας, ἔνθα πυρὸς δειναὶ βρομέουσι θύελλαι. Et lib. II. vs. 317. Πέτρας μὲν πάμπαγχυ ἀφορ-

Digitized by Google

μηθέντες ἐμεῖο, Κυανέας ἤρεσθε δόον ἀλὸς ἐν ξυνοχῆσι· ubi vide Scholiast. quare κυάνεα dicantur. Quod et ex Homer. discimus. Odyss. M. 75. κυάνῃ δέ μιν ἀμφιβέβηκε Κυανέη, et quæ seqq. *Temeraria*] Quia ausa est per medias Symplegades transire. *Cautes*] Scopulos.

4 *Conspicuum*] Insignem, spectabilem. *Fulvo vellere*] Aureum vellus dicit, ad quod rapiendum Jason profectus est. *Ovem*] Arietem: de quo alibi Naso, 'Aureus ille aries villo spectabilis aureo.'

5 *Remo freta longa moveret*] *Securet* Sarravianus. Sequenti versu *merso* pro *presso* prima editio, sed *presso* pro depresso, ut 'presso vallis' apud Gratium: ita et 'prensus' pro deprensus passim apud poëtas. *Heins.*

6 *Funestas*] Lætales, mortiferas. *Presso*] Cyaneis illisa. *Bibisset aquas*] Summersa esset, et naufragium fecisset.

7 *Patriosque penates*] *Socioque* scripti. Nupta enim Corinna, ut patet ex lib. I. Elegia 4. et lib. II. Elegia 2. tum et aliis locis. De sociis penatibus monui ad Epist. v. 126. *Heins.*

8 *Fallaces*] Quid enim mari fallacius?

10 *Et gelidum Boream præcipitemque Notum*] *Boreas et gelidumque Notum* Puteaneus et Arundelianus. Scribe *egelidumque;* quemodo agnoscit Seneca Controvers. II. 10. etiam in Epitome ab Andrea Schetto edita: *non gelidumque* Neapolitanus et tres alii; duo *prætepidumque.* Heins.

12 *Una est, &c.*] Nihil aliud, inquit, est cernere, nisi mare cœruleum. *Injusti*] Quia, nullo discrimine, bonos et malos obruit. *Una est forma maris*] Mare undique, et undique cœlum. Nil nisi pontus et æther. Quod ex Homer. Odyss. E. 201. οὐδέ τις ἄλλη φαίνετο γαιάων, ἀλλ' οὐρανὸς ἠδὲ θάλασσα.

14 *Mera*] Hoc dicit, quoniam, qui conchas, lapillos, et hujusmodi quærunt, in littoribus pedetentim progredientes morantur.

15 *Signata puella*] *Signata* Puteaneus et tres alii; at complures *signanda.* Heins.

16 *Hactenus*] Scil: in littoribus. *Cæca*] Periculosa.

17 *Et vobis alii*] Puto *At* vel *Ut.* Heins.

18 *Quas Scylla inflectit*] *Infestet* meliores; nonnulli *infestat.* Metamorph. XIII. 'Scylla latus dextrum, lævum irrequieta Charybdis Infestant.' *Id. Scylla*] Scyllam et Charybdin fabulantur Poëtæ monstra esse, in freto Siculo posita, quæ transeuntes naves vorent et absumant. Re autem vera Scylla saxum est, et Charybdis mare vorticibus plenum: ambo in Siculo mari, periculosa admodum navigantibus.

19 *Ceraunia*] Ceraunia, quæ et *Acroceraunia* dicuntur, sunt altissimi montes Epiri: a crebris fulminibus, quæ eos percutiunt, dicti; Græci enim κέραυνον fulmen appellant. Sunt autem naufragiis insignes: unde eos Horatius 'infames scopulos' dixit. *Violenta*] Propter crebra naufragia, quæ ibi fiunt.

20 *Quo lateant Syrtes magna minorque sinu*] Optime codex Regius, *quove Malea sinu.* Infra El. 16. 'Nec timeam vestros, curva Malea, sinus.' Maleam cum Syrtibus quoque conjunxit Propert. lib. III. 'Et placidum Syrtes portum, et bona littora nautis Præbeat hospitio curva Malea suo:' curva igitur et sinuosa Malea. *Heins. Quo sinu*] Plin. lib. v. Natur. hist. de Africa loquens: Tertius sinus, inquit, dividitur in geminos duarum Syrtium, vadoso ac reciproco mari. Dictæ autem sunt Syrtes a verbo Græco σύρειν, id est, trahere. Syrtes autem adeo sunt periculosæ, ut quæ ad eas pervenerint naves, perierint. *Syrtes*] Virgil. v. quoque cum Syrtibus Maleam conjungit. 'Nunc animos, quibus in Gætulis Syrtibus usi, Ionioque

Digitized by Google

mari, Maleæque sequacibus undis.'

21 *Quod quisque loquetur*] *Loquentur* Barberinianus et unus Moreti; recte: de quo loquendi modo plura ad Metam. lib. v. 212. et Fast. II. 731. Noster infra lib. III. El. 2. 'Vincamus dominæ quisque favore suæ.' Remed. Amor. 'vindictæ quisque favete suæ.' Virgil. 'Quisque suos patimur Manes.' Artis Amat. I. 'Respiciunt, oculisque notant sibi quisque puellam.' Lib. III. 'Nota sibi sint quæque:' ut libri veteres. Libro Artis I. ex antiquo codice, 'Sibi quæque videntur amanda.' Nuce, 'Devoveant umbras proxima quæque meas.' Fast. lib. I. 'nam Dis ut proxima quæque Nunc penna veras nunc datis ore notas.' Lib. II. 'Oscula quisque suæ matri properata tulerunt.' Rem. Amor. 'Dum sibi quisque placent, credula turba sumus;' ita lego: vulgati *placet*. Heins.

22 *Credenti nulla procella nocet*] *Quærenti* Puteaneus. *Idem. Procella*] Hæc vis ventorum est cum pluvia: quod omnia procellat.

25 *Navita sollicitus et ventos horret*] *Qui ventos* Puteaneus, Arondelianus, et tres alii. Lege *qua;* in salo, nimirum: alii codices *jam* vel *quoque*. Heins.

26 *Letum*] Navigantes enim (ut Juvenalis ait) 'sunt digitis a morte remoti Quattuor aut tribus.'

27 *Quod si*] Nonnulli *Quid si;* rectius. *Heins. Quid si*] Alium terrorem injicit. *Concussas*] Commotas. *Triton*] Triton Neptuni filius, ejusdemque tubicen a Poëtis dicitur.

28 *Quam tibi sit toto*] Alii, *Qui tibi nunc toto:* vel, *toto est:* prima editio, *Quam tibi nunc toto est;* recte, *si τὸ est* tollas: *Quam tibi nunc toto nullus in ore color!* Heins. *Quam tibi sit toto nullus in ore color*] Id est, ex timore tota expallesces. *Nullus color*] Futura morte pallens. Cui opponitur bonus color: purpureum juventæ lumen.

29 *Tum*] Invocabis, inquit, Castorem et Pollucem in tempestate: quibus Neptunus dedit potestatem naufragis saluti esse, quorumque sidera alternis lucere dicunt. *Sidera Ledæ*] Horat. I. Od. 3. 'Sic fratres Helenæ, lucida sidera.' Quibus Eurip. Fab. II. [Orestes] 1652. tertium Helenæ lumen addit: Ζηνὸς γὰρ οὖσαν ζῆν νιν ἄφθιτον χρεὼν, Κάστορί τε, Πολυδεύκει τ' ἐν αἰθέρος πτυχαῖς Σύνθακος ἔσται, ναυτίλοις σωτήριος. Castor autem et Pollux, Διόσκουροι ἄνακτες, dicti, ὡς τῶν πλεόντων ἐπιμελούμενοι. Eustath. Iliad. A. vide et Horat. Od. I. 12. 'quorum simul alba nautis Stella refulsit, Defluit saxis agitatus humor; Concidunt venti, fugiuntque nubes; Et minax (sic Di voluere) Ponto Unda recumbit.' Et Od. lib. IV. 8. Et Theocr. Idyl. XXII. vs. 17. Ἀλλ' ἔμπης ὑμεῖς τε καὶ ἐκ βυθοῦ ἕλκετε νᾶας Αὐτοῖσιν ναύταισιν ὀϊομένοις θανέεσθαι, &c. *Voces*] Invoces, implores, ut periclitanti navi adsint. *Generosa sidera*] Castorem et Pollucem, qui nobiles, et præclaro genere nati sunt. Eos enim ex Jove Leda peperit: quorum alter pugnis, alter equis fuit insignis. *Fœcundæ*] Hic Naso dixit Ledam fœcundam, quia a Jove compressa, duo ova peperisse dicitur: ex quibus Castor, Pollux, Helena, et Clytæmnestra orti sunt. *Domin. Tum generosa voces, &c.*] Non videtur hunc locum satis intellexisse Commentator: neque enim Poëta de sideribus Castoris et Pollucis, quæ in cœlo videntur, hoc loco intelligit: sed de iis ignibus, qui navibus inhærent, quos Castoris et Pollucis nomine nautæ invocant: de quibus Plin. lib. II. 37. *Micyll.*

30 *Et, Felix*] Fœlicem eum appellabis, qui, spreta navigatione, in terra se continuerit. *Quem sua terra tenet*] Rectius alii *quam*. Heins.

31 *Tutius*] Quam navigare. *Libellos*] Scil. Amorum.

32 *Threiciam lyram*] Quali Thracius Orpheus dicitur usus esse. *In-*

Digitized by Google

erepuisse] Personuisse. *Domin.*

33 *At si*] Si, inquit, dum te a navigatione deterreo, nullum pondus mea verba habent, et omnino navigatura es, Dii te incolumem servent. *Mea verba procellæ*] *Dicta* scripti. *Heins.*

34 *Æqua*] Amica favens. *Tamen*] Quamvis me deseras, amoris nostri oblita. *Puppi*] Navi. *Galatea*] Una hæc Nympharum maris, filia fertur Nerei ac Doridis.

35 *Crimen*] Delictum: nisi enim puellam servaveritis incolumem, criminandæ eritis. *Talis puellæ*] Quasi dicat: Pulcherrimæ, ac dignæ cui faveant Dei.

36 *Nereides*] Maris Nymphæ Nereides dicuntur, montium Orcades, sylvarum Dryades: quæ cum sylvis nascuntur, Hamadryades: fontium Napææ, vel Naiades. *Nereidumque pater*] Id est, Nereus: cujus filiæ sunt Nereides, ex Doride uxore.

38 *Illa aura*] Quæ te revehet. *Fortior*] Vehementior: ut celerius revertaris. *Tuos sinus*] Tua vela. *Tuos sinus*] Malim *suos*. Heins.

39 *Tum*] Quando redibis in patriam. *Proclinet*] Dicit se cupere, ut amica Romam reditura, et vento et mari secundo utatur, ut citius ad sua littora appellat.

40 *Huc venti spectent, huc agat æstus equus*] *Huc venti spirent* legendum, atque ita inveni postea in excerptis Dousæ. Sarravianus, *Huc ventus portet.* Pont. IV. El. 10. 'At Notus adverso tepidum qui spirat ab axe.' *Heins.*

41 *Ipsa voges*] Hoc eam facere cupit, quasi cupidam visendi suum Nasonem. *Zephyri veniant in lintea pleni*] *Soli* Puteaneus cum quatuor aliis. *Heins.*

42 *Moveas*] Tractes, redeundi cupiditate. *Turgida*] Inflata.

43 *De littore puppim*] *Pinum* excerpta Politiani. *Heins.*

44 *Nostros advehit illa Deos*] Id est, meam fœlicitatem.

45 *Excipiamque humeris*] *Ulnis* excerpta Jureti et Puteani cum codice Sarraviano et sex aliis. Sed vulgata respicit ad ritum illum, quo e navi alienis humeris per primas undas deferebantur vectores in terram: sic infra El. 18. de natante, 'Tu nostris niveos humeris impone lacertos:' et Epistola Herus, 'Nam modo te videor prope jam spectare natantem, Brachia nunc humeris humida ferre meis.' *Heins.* *Excipiamque humeris*] E navi descendentem Corinnam humeris ita feram, ut olim Æneas Anchisen. *Sine ordine*] Confusa. *Carpam*] Carptim rapiam.

46 *Victima*] Hostia. *Vota*] Participium est a verbo Voveo, voves. Sic Maro: 'Votum pro reditu simulant:' scilicet equum. *Cadet*] Mactabitur.

47 *Veri*] Mensæ.

48 *Pro mensa tumulus quilibet esse potest*] *Et tumulus mensæ quilibet esse potest* Puteaneus: tres *Pro mensa cumulus:* prima editio et scripti nonnulli *Et cumulus mensæ quilibet instar erit*, quomodo et Arondelianus; nec aliter Sarravianus, nisi quod in illo *tumulus;* et recte. *Heins.*

49 *Illic*] In littore. *Lyæo*] Vino. *Lyæus* namque est ex nominibus Bacchi, ἀπὸ τοῦ λύειν, id est, *solvere:* quod mentes hominum curis solvat et liberet.

51 *Properas*] Festinas. *Iniquæ*] Molestæ propter frigora et vigilias.

54 *Cur ego*] Quamobrem ego negem mea vota, quæ pro tuo reditu feci, valuisse, eis blandiens?

55 *Nitidissimus*] Candidissimus, mihi fœlicissimus.

56 *Lucifer*] Veneris stella. *Admisso*] Celeri, veloce.

Digitized by Google

ELEGIA XII.

1 *Ite triumphales circum mea tempora lauri*] Exultans lætatur, quod Corinna, quam diligentissime adhibito custode, clausisque foribus vir custodiebat, potitus fuerit: hancque victoriam triumpho dignissimam asserit, cum minime cruenta fuerit. *Lauri*] *Laurus* Puteaneus. *Heins.*

3 *Quam janua firma, tot hostes*] *Sevaque* optimus Palatinus. *Quot hostes* unus Mediceus; bene: Vide Epist. VI. 118. *firmat ut hostis* Puteaneus; *firmus ut hostis* Neapolitanus: Arundellianus *firmus ut hostis;* alii aliter, sed mendose. *Heins.* *Tot hostes*] Virum, custodem, et roboribus firmam januam, hostes dicit.

8 *Cincta*] Circumdata. *Ductu meo*] Per me, meo consilio, me duce.

9 *Pergama*] Victoriam suam per contentionem extollit, majorem se laudem adeptam esse dicens, quam Agamemnonem et Menelaum ex Troja capta: ipsi enim multis adjuvantibus vicerunt, Naso autem solus. *Bello bilustri*] Id est, decennali.

10 *Ex tot in Atridis*] *Atride* tres; prima editio et duo alii *Atridas:* sed *Atrida* verum est; quomodo Neapolitanus et Farnesianus. Ep. III. 'Si tibi ab Atrida pretio redimenda fuissem.' *Heins.* *Ex tot*] Scilicet militibus, qui mille navibus ad expeditionem contra Trojanos e tota Græcia profecti sunt. *In Atrida*] Agamemnone. *Quota*] Id est, minima.

11 *Seposita*] Remota, et ab omni milite dissors. *Dissors*] Segregata. Ipse dux, ipse comes. *Et ab omni milite dissors*] *Dissors* Puteaneus optime: vide, de ea voce, quæ notamus ad Epistolam Sabini primam, vs. 35. *Heins.*

12 *Munera*] Officii, id est, Neque ego rem gessi alienis auspiciis.

13 *Me duce*] Me imperatore. *Voti*] Quod erat, ut potirer puella. *Ad hunc voti finem*] *Hunc finem* Puteaneus: sic Lucretius passim, ut et Virgilius, Horatius: alii optimi ævi scriptores. In Ibide, ex antiquis libris, 'Quam finem vitæ Sardanapallus habet.' Artis Am. lib. I. ex veteri codice, 'Legitimam finem flamma virilis habet.' *Heins.*

15 *Nec casum*] Non inquit, Casu mihi victoria accidit, sed meo consilio, et mea curâ. *Immiscuit*] Interposuit. *Actis*] Gestis.

17 *Nec belli est nova causa mei*] Non ego primus pro fœmina bellare cœpi. *Rapta*] A Paride.

18 *Tyndaris*] Helena, Tyndari Œbaliæ regis et Ledæ filia. *Europæ*] Europæ enim, id est, Græcis, bellum intulit. *Asiæ*] Id est, Trojanis.

19 *Femina*] Hippodamiam dicit, de qua multa diximus superiore lib. Eleg. 4. *Silvestres*] Horridos, montanos. Lapitharum enim populorum Thessaliæ sedes sunt Pindus et Othrys, montes ad occasum vergentes. *Populumque binembrem*] Centauros dicit, et hos Thessaliæ populos, duplicem formam habentes, scilicet viri et equi. Hi, cum in Pirithoi nuptiis, vino et amore calentes, rapere novam nuptam Hippodamiam ausi fuissent, a Theseo et Lapithis populis fugati et devicti sunt. *Populumque biformem*] *Binembrem* Excerpta Jureti, et Barberinianus pro diversa lectione: dixi ad Claudianum. *Heins.*

20 *Turpiter*] Quia in convivio id fieri minime debuit. *Apposito mero*] Ubi incaluerant vino. Horat. Od. I.

Digitized by Google

19. 'At ne quis modici transiliat munera Liberi, Centaurea monet cum Lapithis rixa super mero.' De Romanorum antiqua epulandi et bibendi consuetudine vide Antiq. Rom. v. c. 30.

21 *Femina Trojanos*] Laviniam intelligit, Latini regis et Amatæ filiam, quam Æneæ in matrimonium pater dedit: unde Turnus Rutulorum rex, cui ante adventum Trojanorum in Italiam pacta Lavinia fuerat, prælatum sibi advenam ægre ferens, simul Æneæ Latinoque bellum intulit. *Trojanos*] Qui Æneam ducem in Italiam secuti sunt. *Nova bella movere*] *Fera* Sarravianus et duo alii rectius: nam 'nova causa' præcesserat. *Heins.*

22 *Impulit*] Coëgit. Pius enim celebratur Æneas: idcirco non nisi necessitate impulsus bella gessisse dicitur. *Juste*] Quia obsequendum fuit Deorum imperiis.

23 *Urbe*] Roma. *Recenti*] Nova, super condita.

24 *Immisit*] Sabinarum historiam tangit; quam descripsere Florus, Livius, Dionys. Plutar. *Socros*] Scilicet Romanis.

25 *Niveæ conjuge*] Candida et pulchra juvenca. *Pugnantes tauros*] Virg. Georg. III. 'Illi alternantes multa vi prælia miscent: Versaque in obnixos urgentur cornua vasto Cum gemitu.' Et Æneid. XII. 'Cum duo conversis inimica in prælia tauri Frontibus incurrunt,...Stat pecus omne metu mutum, mussantque juvencæ, Quis nemori imperitet, quem tota armenta sequantur.'

27 *Me quoque qui multos*] Cum multis scripti potiores. Epistola Deianiræ, 'Me quoque cum multis, sed me sine crimine, amasti.' *Heins.*

28 *Militiæ*] Dixit enim 'Militat omnis amans, et habet sua castra Cupido.' *Movere*] Movere signa dicitur exercitus pugnaturus. *Domin.*

ELEGIA XIII.

1 *Dum labefactat onus gravidi temeraria ventris, &c.*] Corinna, Nasonis amica, cum se gravidam sensisset, medicaminibus abortum facere voluit: unde merito in gravissimam ægritudinem inciderat. Quamobrem Poëta in hac elegia Isidem et Lucinam Deas invocat, ut laboranti puellæ subveniant. *Labefactat*] Excutere tentans et herbarum succis, et manu, specillisque admotis. *Onus gravidi ventris*] Fœtum, et embryonem. *Temeraria*] Audax, quæ ausa est tantum periculum subire.

3 *Molita*] Quasi rem arduam et periculosam aggressa.

4 *Cadit iru metu*] Quia non audeo illi irasci præ timore, ne gravior fiat morbus.

5 *Sed tamen*] Malim *Et tamen*. Heins. *Sed tamen*] Non tamen usque adeo Corinnæ succensere me decet, cum ego, ex quo gravida est, tanti periculi causa ei fuerim: licet hoc quoque dubium sit, an ex me.

6 *Est mihi pro facto sæpe, quod esse potest*] Sæpenumero, inquit, id credo, quod etsi factum non sit, fieri tamen potuit. Quod est verisimile, ego plerumque pro vero habeo.

7 *Paratonium*] Locus est Ægypti, unde cujusdam coloris species nomen traxit: ut lib. XXXV. refert Plin. *Genialia*] Voluptuosa. Genio n. operam

Digitized by Google

dare dicimur, quando voluptatibus indulgemus. Strabo lib. XVII. scribit Canopi templum fuisse Serapidis, et cultu et religione excellens: ad cujus solennia per fossam ex Alexandria ingens turba descendebat. Nam die ac nocte naviculis plena erat virorum ac mulierum impudenter canentium, ac saltantium cum omni dissolutione. *Canopi*] Canopus civitas est, centum et viginti stadiis distans ab Alexandria, pedestri itinere vadentibus: in quadam Nili insula sita. *Genitaliaque arva Canopi*] Quomodo genitalia arva Isidis, ubi Isis nata non esset? Puteaneus et nonnulli *gentilia*. Regius et tres alii *genialiaque*; quod verum est. Sic 'rus geniale' Epistola Heros; et in Metamorph. 'platanus genialis;' et 'geniale littus' Statio lib. IV. Sylv. ad Marcellam. Elegos 'musam genialem' Noster vocat infra sub finem Amorum: et 'genialem prædam' de raptu Sabinarum. Ægyptii enim molles et genio admodum indulgentes. Sed de Canopo rem fusius docet Strabo lib. XVII. 'Αντὶ πάντων δ' ἐστὶν ὁ τῶν πανηγυριστῶν ὄχλος τῶν ἐκ τῆς Ἀλεξανδρείας κατιόντων τῇ διώρυγι· πᾶσα γὰρ ἡμέρα καὶ νὺξ πληθύει τῶν ἐν τοῖς πλοιαρίοις καταυλουμένων καὶ κατορχουμένων ἀναιδῶς μετὰ τῆς ἐσχάτης ἀκολασίας καὶ ἀνδρῶν καὶ γυναικῶν· quæ mirifice illustrant Nostri illa Trist. lib. I. El. 3. 'Non ut Alexandri claram delatus in urbem Delicias videam, Nile jocose, tuas.' Hinc 'hilaris Canopus' Columellæ quoque dicitur lib. X. 'Nataque jam veniat hilari samsuca Canopo:' et Gratio 'festivi turba Canopi:' quomodo legendum in Soliuianis recte vidit Salmasius, cum *æstivi* perperam nunc legatur. Sic 'festum geniale' Nostro Fast. III. 'Annæ festum geniale Perennæ:' et 'festum genialiter agere' Met. XI. de Bacchi sacris. *Heins.*

8 *Colis*] Habitas. *Memphim*] Memphis urbs est in angustiis Ægypti sita, omnium præclarissima, opportuno loco: ubi Nilus in plures scissus partes, efficit formam τοῦ delta. *Pharon*] Pharos insula quædam est oblonga in Ægypto, opposita Alexandriæ: et continenti adjacet. Plin. lib. II. et lib. XXXVI. scribit, in ea turrim ingentem fuisse, navigantibus lumen in tempestate exhibentem, a Philadelpho rege exstructam, quæ inter spectacula mundi commumeratur, quia mirifice super quatuor cancris vitreis locata est. *Pharon*] 'Pharos,' inquit Cæsar, Bel. Civ. in fine, 'est in insula turris, magna altitudine, mirificis operibus exstructa, quæ nomen ab insula accepit.' Deinde situm ejus describit: 'Hæc insula objecta Alexandriæ portum efficit: sed a superioribus regionibus in longitudinem passuum DCCCC. in mare jactis molibus, angusto itinere, et ponte, eam oppido conjungitur;' et quæ seqq. Quod et Homer. noster Odyss. Δ. 354. Νῆσος ἔπειτά τις ἐστὶ πολυκλύστῳ ἐνὶ πόντῳ, Αἰγύπτου προπάροιθε, (Φάρον δέ ἑ κικλήσκουσι,) Τόσσον ἄνευθ', et seqq.

9 *Celer*] Rapidus, velox. *Delapsus ab alveo*] *In alveo* meliores. *Heins.*

10 *Per septem portus*] Per septem ostia, quorum hæc nomina geographi posuerunt: proximum Alexandriæ Canopicum, deinde Bolbitinum, Sebeniticum, Phanniticum, Mendesicum, Tanicum, ultimumque Pelusiacum. Hinc Nilum septemfluum, et Maro septemgeminum appellavit.

11 *Sistra*] Sistrum erat instrumentum tinnulum, in tympani formam, quo in Isidis sacris utebantur sacerdotes. *Anubidis*] Scribit Diodorus, Anubim filium fuisse Osiridis, qui canem gestare, tanquam armorum insigne solitus: ex quo Ægyptii canem venerantur, et Anubim Deum canino capite effingunt. Hinc a Marone et Nasone dictus est *latrator Anubis*. Servius arbitratur hunc esse Mercurium.

12 *Sic*] Particula est, qua precari solemus. *Osiris*] Fuisse hic dicitur

Digitized by Google

Jovis filius, ex Niobe filia Phoronei: qui post Ægyptum a se subjugatam, sibi uxorem adjunxit Isidem, primo dictam Io: tum a fratre occisus, pro Deo coli cœpit.

13 *Pigra*] Aut serpentum exprimit motum tardiorem: aut pigram dixit, quasi quæ diu blandiri sibi voluerit libatis dapibus, et per hoc grata sibi fuisse sacrificia ostenderet: aut aspidem intelligit, quam ab affectu *pigram* dixit, quod ejus ictus per pigrum somnum homines perire faciat. *Circum donaria serpens*] Circa meliores. *Heins.*

14 *Et comes in pompa corniger Apis est*] Ægyptii credentes ex Pythagorico dogmate, interfecti Osiris animam in bovem transmigrasse, mutato nomine eum Apim, quod Ægyptiaca lingua *bovem* significat, appellarunt. Plin. lib. VIII.

15 *Huc*] Ad ægrotantem Corinnam. *Adhibe vultus*] Respice. Dii enim aspectu solo juvant.

16 *Nam vitam, &c.*] Sic Tibull. 'Phœbe, fave, laus magna tibi tribuetur, in uno Corpore servato restituisse duos.'

17 *Sæpe tibi meruit festis operata diebus*] *Tibi dedit* Puteaneus. Scribe *sedit*: alter Mentelii, *dedit incertis*: unus meus *cedit festis*. Art. Am. III. 'Cum sedeat Phariæ sistris operata juvencæ.' Trist. II. 'Isidis æde sedens cur hanc Saturnia quæret Egerit Ionio Bosporioque mari.' Pont. I. El. 1. 'Vidi ego, linigeræ numen peccasse fatentem Isidis, Isiacos ante sedere focos.' Tibull. I. El. 3. 'Ut mea votivas persolvens Delia voces Ante sacras lino tecta feres sedeat.' Atque hæc de sacris Isidis. Sed et quibuscunque in templis sedebant operatæ. Virgil. lib. II. 'Hic Hecuba et gnatæ nequiequam altaria circum, Præcipites atra ceu tempestate columbæ, Condensæ, et Divum amplexæ simulacra, sedebant:' sic veterrimus Mediceus. Mox dicet, 'Abdiderat sese atque aris invisa sedebat.' *Heins.* *Certis*] Statutis: quotannis autem celebrabantur a Romanis mulieribus Isidis sacra. *Operata*] Proprie hoc verbo in sacris utimur, et significat sacra perficere.

18 *Qua cingit lauros Gallica turba tuas*] *Quis cingit* tres scripti; quod Mario Nigro placebat. Deinde *Gallica turma* Puteaneus et plurimi alii: sic Fast. II. 'Cætera virgultis abdita turma latent:' ubi *turba* est in vulgatis. *Tingit* quoque Puteaneus uterque. Hæc obscurissima sunt et quæ Œdipum requirant interpretem. *Heins.* *Qua cingit*] In vetustissimis exemplaribus legitur, *Queis*, pro quibus, scilicet diebus. *Cingit lauros*] Propter inventum Osirim. Solebant enim hi sacerdotes Isidi sacra celebrantes, circa octavam diei horam pila et sistra ferentes, primo cum fletu procedere: deinde canentes, et lauro coronati, triumphantium more cum maxima lætitia redibant. *Gallica*] Galli sacerdotes tam Cybeles quam Isidis dicebantur. Denominati autem sunt Galli, a Gallo Phrygiæ fluvio, cujus aquam potantes reddebantur insani. *Turma*] Et legitur *Turba*. *Tuas*] In honorem tui.

19 *Laborantes utero*] Sic Horat. Od. l. III. 'Montium custos, nemorumque virgo, Quæ laborantes utero puellas Ter vocata audis, adimisque leto Diva triformis.'

20 *Onus*] Infantis.

21 *Lenis*] Propitia. *Precibusque fave Lucina puellæ*] *Precibusque meis fave Ilithyia* optime Puteaneus: nam et Latini hoc nomine usi. Noster Met. IX. 'Præpositam timidis parientibus Ilithyiam.' Virgil. Ciri, 'Per te sacra precor per numina Ilithyiæ Ne tantum in facinus tam nulla mente feraris:' ita scribo istos versus. Ausonius Idyll. XII. 'At si difficilis trahit Ilithyia retrorsum, Tetragono absolvet dubiarum vincla morarum:' quomodo videtur scribendus locus mendosissimus; veterrimum namque ex-

Digitized by Google

emplar Vossianum, *At si difficilis trahit hilithi sidera rursum*: certe *Ilithyiæ* nomen illic latere nullum dubium est: vulgati *trahit illa sidere rursum*. Horatius carmine sæculari, 'Rite maturos aperire partus Lenis Ilithyia tuere matres.' *Heins.*

23 *Digna est*] Scilicet Corinna. *Quam jubeas muneris esse tui*] Id est, quæ tuo muneré vivat: digna est, quæ a te vitam muneris loco accipiat.

23 *Candidus*] Purus, castus; virgini enim Dianæ sacrificaturus erat: aut *candidus*, id est, in veste candida et pura, ut mos erat sacerdotum.

24 *Vota*] Quæ ego vovi: ut supra, 'Victima vota cadet.'

25 *Adjicam*] Muneribus adjungam. *Titulum*] Indicem, elogium. *Servata Naso Corinna*] Hic est titulus: Naso, supple, hæc munera Dianæ obtulit: 'Servata Corinna,' id est, propter servatam Corinnam.

26 *Tu modo fac titulo muneribusque locum*] Id est, restitue salutem Corinnæ: hoc enim pacto locum facies muneribus meis et titulo.

27 *Si tamen*] Sermonem convertit ad Corinnam: eandemque admonet, ne posthac errorem hunc committat, ut gravida abigere partum velit, quod perinde est ac si bella secum gereret. *Timore*] Timebat enim Corinna, ne moreretur. Naso autem verebatur, ne ex admonitione magis ingravesceret Corinnæ morbus. Hinc dixit, 'Si fas est;' id est, si licet.

ELEGIA XIV.

1 *Immunes belli*] Id est, expertes.

2 *Peltatas*] Id est, peltis armatas. Sunt autem peltæ, scuta brevissima, in modum lunæ semiplenæ: his Amazones utebantur.

5 *Instituit*] Cœpit: sive instruxit, et docuit. *Teneros avellere fœtus*] *Convellere* scripti potiores: sic Ep. Helenes, 'Desine molle precor verbis convellere pectus.' Met. XI. 'Sive dapes avido convellere dente parabat.' *Heins.*

6 *Digna perire*] Nam, ut in Artib. ait Naso, 'Lex non justior ulla est, Quam necis artifices arte perire sua.'

8 *Sternetur pugnæ tristis arena tuæ*] Sumpta est metaphora a gladiatoribus, quibus pugnantibus arena in amphitheatro sternebatur, ne aut pugnantes cruore occisorum turparentur, aut cruor ipse spectatoribus horrorem incuteret.

10 *Gens hominum*] Humanum genus. *Vitio*] Crimine et culpa matrum. *Deperitura*] *De* anget.

11 *Quique iterum*] Alter, inquit, Deucalion fuisset parandus, qui amissum, culpa matrum, genus humanum repararet. Fabulam narrat Ovid. lib. primo Metamorphoseos.

12 *Vacuo*] Sine hominibus. Sic Maro: 'Deucalion vacuum lapides jactavit in orbem: Unde homines nati, durum genus.'

13 *Quis Priami fregisset opes, &c.*] Si Thetis in utero Achillem filium suum necasset, quis ei similis fortitudine reperiri potuisset, qui Trojam diruisset? Thetis enim fuit Nerei ex Doride uxore filia, et Pelei uxor, Achillisque mater. *Justa pondera*] Quid enim est justius, quam matrem ferre in utero infantem, quem conceperat?

15 *Ilia*] Numitoris regis Albæ filia, quæ Rhea Sylvia, et Ilia dicta est. Hæc, cum Vestalis virgo esset, a

Digitized by Google

Marte compressa, Romulum et Remum peperit, qui Romam condiderunt. *Tumido*] Gravido. *Geminos*] Gemellos: scilicet, Romulum et Remum, qui eodem partu sunt editi.

16 *Casurus*] Interiturus. *Dominæ Urbis*] Romæ.

17 *Temerasset*] Temere et improbe abegisset.

18 *Cæsaribus*] Romanis regibus, qui ab Æneæ originem traxerunt. Æneid. I. 'Nascetur pulchra Trojanus origine Cæsar, Imperium Oceano, famam qui terminet astris,' &c. *Orba*] Privata, quasi re præclara.

19 *Tu*] Corinna.

22 *Vidissem nullos*] In lucem editus non essem. *Matre necante*] Si mater me nondum natum abjecisset. *Matre negante dies*] *Necante* potiores. *Heins.*

23 *Plenam*] Criminis est exaggeratio: nam tanto atrocius peccatur, quanto pulchrior est res quæ læditur. *Fraudas*] Quasi per fraudem privas. *Crescentibus*] Adhuc acerbis et immaturis.

24 *Acerba*] Immitia, immatura.

25 *Sponte fluent matura sua*] *Fluant matura sua* Puteaneus et unus Moreti; multi *fluent*. Heins.

26 *Pretium non leve moræ*] Rem magnam, pretiumque grande moræ.

27 *Vestra quid*] Cur et vobis et filiis vestris pariter nocetis?

28 *Venena datis*] Alludit ad morem malarum novercarum, quæ privignos veneno de medio tollere consueverunt.

29 *Colchida resperam, &c.*] Pulcherrimo utitur argumento ad criminis exaggerationem. Si, inquit, Medea et Progne vehementer damnantur, quod injuriis maritorum irritatæ, in eorum ultionem proprios filios necarunt: multo vehementius vos estis culpandæ, quæ, nullo lacessente, natos interficitis. *Colchida*] Medeam: a Colchis, regione Asiæ, unde oriunda fuit Medea, Æetæ Colchorum regis filia, quæ Jasonis amore capta eum juvit ad aureum vellus rapiendum, postquam sibi ab eo fides data esset matrimonii: quem in Græciam secuta est.

30 *Atque sua*] *Aque* unus Moreti: et recte. *Heins.* *Matre*] Progne. *Queruntur*] Lamentantur omnes, scelus tam atrox accusantes.

31 *Utraque*] Medea et Progne.

32 *Socii*] Communis. Optime filius dicitur mariti et uxoris socius sanguis.

33 *Quis vos irritet Iason*] *Iaso* Puteaneus; ut et infra El. 18. 23. et sic Artis III. 35. veterrimus Regiæ bibliothecæ codex; Latino more; sic *Agamemno, Amphitryo:* sic et *Lado* ex veteri codice Fast. lib. I. *Heins.*

35 *Hæc neque*] *Hoc* meliores. Neapolitanus *Hoc neque marmoreis.* Forte pro *Marmaricis.* Idem. *Armeniis*] Tigris enim est Armeniæ malum, quo etiam India et Hyrcania abundat. *Latebris*] Lustris.

36 *Perdere nec fatus*] *Prodere* excerpta Politiani. *Heins.* *Ausa*] Immo mira diligentia catulos suos custodiunt, eorumque raptum impatientissime ferunt.

37 *Teneræ*] Delicatæ, quæ mitiores esse debent. *Non impune*] Non sine pœna: quam subjungit.

39 *Ferturque rogo*] *Toro* Sarravianus et unus ex meis; bene: in toro enim mortui efferebantur; quod et ab aliis jam animadversum. Art. Am. I. 'Interea sive illa toro resupina feratur;' quanquam de vivente illic agit. Statius Theb. VI. 'Ceu grande exequiis onus atque immensa ferantur Membra toro.' Virgil. 'Tum membra toro defleta reponunt.' Noster Met. IX. 'toroque Mortua componar.' Et lib. VI. 'Stabant cum vestibus atris Ante toros fratrum.' Fast. VI. 'Ducit supremos nænia nulla toros.' In mortem Drusi, 'Flamma errat posito lenta subire toro:' et mox, 'Quemque premat sine te sternitur

Digitized by Google

ecce toro.' Pont. I. El. 8. 'Cui nos et lacrymas supremum in munere funus Et dedimus medio scripta canenda toro.' Ita scribo: hunc *torum* etiam *lectum* vocabant; de quo Elegia in mortem Drusi dicetur: 'ferri' pro efferri. Art. Am. III. 'Proque viri est uxor funere læta sui.' Hinc 'ferri in exequias.' Fast. II. 'Fertur in exequias animi matrona virilis:' ubi frustra magnus Scaliger *exequias fertur* reponi cupiebat. *Heins.*

40 *Et merito*] Scilicet ista periit. *Qui modo cumque*] Pro quicunque.

42 *Ominibus*] Antiqui enim diligentissime omina observabant. Hinc alibi Naso, 'Procul omen abesto.' Et, 'Nullum sit in omine pondus.'

44 *Et satis est*] Scribo *Id satis est*. Lib. III. El. 2. sub finem, 'Hoc satis hic: alio cætera redde loco:' quomodo et ibi est emendandum. Et Trist. lib. IV. El. 10. 'Manibus hoc satis est: ad vos studiosa reverter Pectora;' ut recte vetus liber. Amor. lib. III. El. 8. 'Tantum ne nostros avidi liceantur amores; Id satis est: aliquid pauperis esse sinant:' ita scribo; male ibi quoque legitur, *Et satis est*. Heins. *Et satis est, pœnam culpa secunda ferat*] Clausulam *Et satis est*, ad præcedentia refero, non ad sequentia: ut sit sensus: Et satis est, semel peccasse: scilicet id quod in superiore versu ponitur. Nam et præcedentem elegiam eadem sententia conclusit, hoc versu, 'Hac tibi sit pugna dimicuisse satis.' *Micyll.*

ELEGIA XV.

1 *Annule, formosæ digitum, &c.*] Corinnæ suæ annulum dono mittens Naso, dicit se sui muneris fortunæ invidere: et amatorie cupit in annulum ipsum magica arte se converti, ut diutius cum amica esse possit.

3 *Eas*] Abeas ad Corinnam. *Læta mente*] Non dixit, *hilari fronte*: nam possumus simulare lætitiam.

5 *Quam mecum convenit illi*] *Illa* Puteaneus et alii multi; sed *illi* scribendum; quod est in octo scriptis et antiquis editionibus: agit enim de domina. *Heins.*

6 *Justo orbe*] Ut neque laxus finites, neque nimium arctus digito dolerem inferas.

7 *Tractaberis*] Frequenter tangeris.

9 *Munera*] Annulus.

10 *Artibus Æeæ*] *Malim Æeis* cum primis editionibus et Barberiniano. Sic supra I. El. 8. 'Æea carmina:' et infra 'Æea venefica.' *Heins.* *Æeis*] Id est, Circes, Solis ex Persa nympha filiæ; quæ in feras homines mutabat. *Carpathiive senis*] Proteum dicit, qui relicta patria Pallene, urbe Thessaliæ, in Carpatho insula et Carpathio mari regnavit, Oceani et Tethyos filius. Hunc artium peritum fuisse tradunt, et in varias sese formas vertere solitum, ut nunc animal, quandoque arbor, aut ignis, aut quid aliud videretur. Has nunc Protei arteis, quibus humanam speciem exueret, et in annuli formam se mutaret, optat Naso. *Senis*] Quia Trojanis rebus interfuisse dicitur. Homerus enim scribit, vi coactum Proteum ab Agamemnone futura prædixisse. *Carpathii senis*] De Proteo multi multa: nos pauca addemus. Primus eum produxit Homer. Odyss. Δ. vs. 384. Πολλεῖαί τις δεῦρο γέρων ἅλιος νημερτὴς, Ἀθάνατος Πρωτεὺς Αἰγύπτιος,

Digitized by Google

ἔστε θαλάσσης Πάσης βένθεα οἶδε, Ποσειδάων ὑποδμής. Deinde Virgil. Georgic. IV. Homerum secutus: Virgilium Stat. Thebaid. VII. vide et nostrum, Metam. VIII. 737. et seqq. et passim alibi. Sunt qui putant hunc Proteum fuisse magnum Sophistam in Ægypto: quod videntur ex Homeri allato vers. colligere: imo, ipsum Cadmo Phœnica. Tzetz. Chil. I. histor. 44. Philosophum eum summum vel Rhetora fuisse docet. Eustath. aliam et longe petitam adfert mythologiam, quæ minus placet. Athenæo Proteus est quivis κόλαξ, et forma, et oratione: lib. VI. c. 17. in princip. Quo non videtur abludere illud nostri Poëtæ l. I. Art. Amator. 759. 'Pectoribus mores tot sunt, quot in orbe figuræ: Qui sapit innumeris moribus aptus erit. Utque leves Proteus modo se tenuabat in undas; Nunc leo, nunc arbor, nunc erit hirtus aper.' Vide etiam Lucian. Fabulos. dialog Menelai et Protei: qui inter alia sic ridet: εἰ δὲ καὶ πῦρ γίνεσθαι δυνατὸν ἐν τῇ θαλάττῃ οἰκοῦντα, τοῦτο πανὺ θαυμάζω, καὶ ἀπιστῶ.

13 *Harens*] Tenaciter digitum premens.

14 *Mira lapsus ab arte*] *Laxus* Puteaneus; bene: nam 'elabar' præcesserat. *Heins.*

17 *Humida tangam ora*] Annulus enim prius humectatus ceræ imprimitur.

18 *Scripta dolenda mihi*] Amatorias litteras ad rivalem scriptas.

19 *Si dabor*] Ancillæ. *Ut condar*] Abscondar, reponar. *Loculis*] Capsulis eburnis.

21 *Non ego dedecori tibi sum*] *Sim* Puteaneus. *Heins.*

23 *Perfundes imbribus artus*] *Perfundis* idem Puteaneus. Scribe *perfunderis;* obvio apud Poëtas Latinos Græcismo. Sic lib. I. Metam. ex antiquis codicibus, 'Pulchra verecundo suffunditur ora rubore:' ubi plura de hoc loquendi modo. *Idem.*

24 *Perfer*] Patere, quasi dicat, Ne me idcirco tuo digito detrahas. *Damna*] Aquæ scilicet: obscurior enim fit gemma.

25 *Sed puto te visa*] *Te nuda* Puteaneus et duo alii cum Jureti Excerptis. Quatuor scripti *quod membra;* tres *quia:* puto, *mihi membra.* Heins.

26 *Et peraget*] *Peragam* idem Puteaneus cum Barberiniano et uno Moreti; duo alii *perages:* deinde *anulus ille* pro *ipse* meliores. *Heins.*

27 *Proficiscere*] Ad puellam.

28 *Illa datam*] Cognoscat Corinna, me sibi cum annulo fidem amoris dedisse.

ELEGIA XVI.

1 *Pars me Sulmo tenet Peligni tertia ruris, &c.*] Cum rusticaretur Naso, elegiam hanc scripsit: in qua docet, quam fertilia et amœna sint sua rura. Sed tamen ingrata et injucunda omnia sibi videri absente amica. *Sulmo*] Sulmo, quæ Nasonis patria fuit, oppidum in Pelignis, distans Roma nonaginta millibus passuum. *Pars tertia*] A Plinio quoque Peligni in treis populos dividuntur: scilicet Corfinienses, Superequanos, et Sulmonenses.

2 *Parva, sed*] Sic Fast. IV. 'Hæc ego Pelignos natalia rura petebam, Parva, sed assiduis humida semper aquis.'

3 *Admoto*] Quod terræ propius ac-

Digitized by Google

cesserit. *Sidere*] Calore, qui a sidere provenit. *Findat*] Rimis laxet, et aperiat.

4 *Icarii stella, &c.*] Caniculam minorem dicit. Hæc (ut lib. XII. Columella scribit) idibus Juliis oritur, ardentissimo æstatis tempore, sole primam partem leonis ingrediente. Tunc autem maxime solis calores accenduntur. Eadem stella *Sirius* quoque vocatur. Naso igitur sua rura laudans, vel ardentissimo dicit æstatis tempore, et canicularibus diebus ea uda, et amœnissimis rivulis irrigari, ideoque feracissima esse. *Icarii canis*] Id est, Mœræ: sic enim appellabatur canis illa, ex Hygino fabulam pete. *Proterva*] Maligna, perniciosa.

5 *Pererrantur*] Irrigantur. *Liquentibus*] Fluentibus.

6 *Virat*] Viridis est, propter aquarum abundantiam. *In tenero solo*] In molli prato.

7 *Multoque feracior uvæ*] Lege *multæque feracior uvæ*. Seneca Hercule Furente, 'Estne aliqua tellus Cereris et Bacchi ferax?' Cornelius Severus Ætna, 'Fertilis hæc segetisque feracior, altera vitis.' *Heins.*

8 *Bacciferam*] Ferentem baccas, id est, olivas. *Pallada*] Oleam: 'Oleæque Minerva inventrix.' *Rarus ager*] *Gratus* optime Puteaneus. Martialis notum illud, 'Non ingratus ager, focus perennis.' Unus Vaticanus, *grajus ager:* duo *parvus:* *nixus* est in Scriveriano. *Heins.*

9 *Resurgentes*] Crescentes.

10 *Gramineus*] Gramine plenus. *Obumbrat*] Circumcirca tegit umbris. *Humum madidam*] Terram madefactam. *Cespes*] Cespes, ut Servius ait, herba est cum propria terra evulsa.

11 *At*] Sed cum tot adsint commoda, unum vel maximum incommodum habeo, quod mea Corinna abest, nec mecum his voluptatibus et loci amœnitate fruitur. *Ignis*] Amica. Sic Maro in Bucol. 'At mihi sese offert ultro meus ignis Amyntas.' *Peccavimus*] Erravimus. *Verbo uno*] Quia amphibolon erat. *Meus ignis abest*] Visus enim est dicere: Amoris incendium abest, nec amans amplius uror amore Corinnæ. Idcirco corrigit, subjiciens,

12 *Quæ movet ardores*] Id est, Corinna. *Est procul*] Abest. *Ardor*] Amoris incendium.

13 *Non ego, si, &c.*] Pro, medius inter Pollucem et Castorem. Si me, inquit, cœlo Jupiter admitteret, et inter Geminos medium locaret, minime vellem in sede cœlesti esse sine te. *Polluce et Castore*] Hi fratres conversi sunt in Geminos, Zodiaci signum, quod est inter Taurum et Cancrum, qui alternatim vivere dicuntur.

14 *In cœli parte*] In Zodiaco.

15 *Solliciti jaceant*] Contra, 'Molliter ossa quiescant;' de illis qui amantur, et quibus quis bene precatur. *Terraque premantur iniqua*] Id est, gravi: tanquam pondus id mortuorum ossa sentiant.

16 *Secuere*] Diviserunt. *Secuere vias*] In longe diversas et disjunctas partes distulerunt. Quid sit secare viam, secare spem, docet Serv. Æn. X. 'Quæ cuique est fortuna hodie, quam quisque secat spem.' Secare autem viam proprie videtur significare, cum quis compendio utitur, notis viarum divortiis. Sic Virgil. X. 'Turnus curru medium secat agmen.' Et Silius, 'Fallaci gyro campum secat.' Noster intelligit terram viis divisam cæruleis, ut Poëtæ loquuntur. Lucret. VI. 'Qua via secta semel liquido pede detulit undas.'

17 *Aut juvenum*] *At juvenum* Puteaneus et multi alii. *Heins.*

19 *Si premerem ventosas horridus Alpes*] *Turbidus* prima editio: alii, *ventosi turbine Ponti* vel *venti*. Atqui 'horridus' pro frigido ponitur: sic 'horrifer Boreas;' 'horrere' quoque pro frigere; de quo dicemus Arte

Digitized by Google

Amatoria. Vide et Notas Fast. I. 495. *Idem.*

20 *Durum cum domina*] *Dummodo cum domina* scripti; recte: libro I. El. 6. 'Dummodo sic, in me duræ transite catenæ.' Fast. IV. 'Parva bonæ Cereri, dummodo casta, placent.' Lib. V. 'Et parere intacto, dummodo casta, viro.' Ep. Leandri, 'Dummodo cum domina molle fuisset iter.' Met. X. 'Dummodo tale nihil vigilans committere tentem.' *Idem.*

21 *Perrumpere*] Ut Horat. 'Perrupit Acheronta Herculeus labor.'

22 *Non æquis*] Non propitiis, adversis.

23 *Quæ*] Scyllam Phorci dicit, quæ cum a Glauco Deo marino amaretur, a zelotypa Circe in marinum monstrum versa est. Maro: 'Prima hominis facies, et pulchro pectore virgo.' *Portenta*] Monstra, canes. *Latrant*] Virgil. 'Candida succinctam latrantibus inguina monstris,' &c.

24 *Malea*] Promontorium est Laconiæ, quod quinque millia passuum in mare protenditur: ubi undæ adeo vorticosæ sunt, ut nautas persequi videantur. Cum igitur propter adversos ventorum flatus ibi periculosissima admodum sit navigatio, ortum est proverbium illud: 'Cum ad Maleam deflexeris, domesticos obliviscere.' Dicta autem est Malea a Maleo Argivorum rege, qui ibidem magnificentissimum Apollini templum erexit, quod *Maleoticum* appellavit.

25 *Saturata Charybdis*] Fœmina fuisse dicitur voracissima, quæ quia boves Herculis rapuit, a Jove fulminata est, et in mare præcipitata: ubi servat naturam suam.

26 *Ore recepiat aquas*] *Resorbet* bene excerpta Dousæ et unus Mediceus: *reportet* Barberinianus: primus Palatinus *reportat*, quod esset, *repotat*: sed *resorbet* impense placet. Ep. Medeæ, de Charybdi, 'Quæque vomit fluctus totidem, totidemque resorbet, Nos quoque Trinacriæ supposuisset aquæ.' *Heins.* *Ore resorbet aquas*] Quod ex Homero expressum, Odyss. M. 105. Nobilissimo Heins. debemus. Τρὶς μὲν γὰρ τ' ἀνίησιν ἐπ' ἤματι, τρὶς δ' ἀναῤροιβδεῖ Δεινόν. Sumserunt hoc Virgil. Ovid. Stat. et alii, qui mirifice hoc variarunt. Sunt autem duo periculosa navigantibus saxa in Siculo mari: vide Mytholog. Plaut. huc alludit in Trinum. IV. 1. 16. 'Ita jam quasi canes, haud secus, circumstabant navem turbines venti: Imbres, fluctusque atque procellæ infensæ frangere malum,' &c. Caninæ enim dicuntur Scyllæ, et latrare, propter fluctuum undarumque collisionem, unde ille sonitus. Lucret. 'Aut rapidis canibus succinctas semimarinis Corporibus.' Cicer. I. de Resp. Arusp. ad oratoriam commode transfert, unde juniores discant usum hujus humanitatis. 'Quam denique,' inquit, 'tam immanem Charybdin Poëtæ fingendo exprimere potuerunt, quæ tantos exhaurire gurgites posset, quantas iste Byzantiorum prædas exsorbuit: aut tam eminentibus canibus Scyllam, tamque jejunis, quam quibus istum videtis Gelliis, Clodiis, Titiis rostra ipsa mandentem.'

27 *Ventosa potentia*] Ventorum vis, quæ in mari maxime regnat. *Vincit*] Scilicet, navem eandem obruens. *Vincat*] *Vincit* et mox *auferet* meliores. *Heins.*

28 *Auferet*] Impediat, ne auxilio subeant.

30 *Dulce onus*] Te puellam.

31 *Sæpe petens, &c.*] Exemplo Leandri probat, nihil, vel periculosissimum, deterrere posse amantem, si ille aut cum amica sit, aut ad eam iter habeat. *Juvenis*] Leander. *Undas*] Hellespontiacas.

32 *Tunc*] Quando obrutus undis periit. *Sed via cæca fuit*] Quia lucerna ab Hero in summa turri posita, quam observabat natans Leander, a vento impetuoso extincta est.

Digitized by Google

35 *Et vocet*] Evocet, educat. *Currentem*] Defluentem. *Undam*] Nam supra dixerat, 'Amnibus arva natent.' *Currentem rusticus undam*] Excerpta Puteani, Scaligeri, et Politiani venuste mehercules, *parentem undam*. Auctor Moreti, 'tectusque galero Sub juga parentes cogit lorata juvencos.' Horatius Sat. I. 1. 'ut si quis asellum In campo doceat parentem currere frenis.' Avienus ora Maritima, 'qua tellus paret aratro.' 'Freta ventis parentia' habes apud Tibullum. *Heins.*

36 *Arboreas comas*] Frondes, quæ arborum comæ esse videntur. *Arboreas comas*] Pro frondibus, ubique apud poëtas. Unde etiam pergunt ad alia ejusdem generis, quæ de comis Latine dicuntur. 'Arbor tonsa comas,' Ovid. Et alibi, 'Posuitque comas arbor.' Lepide Martial. Epigr. XIII. 19. porri capitati: 'Mittit præcipuos nemoralis Aricia porros, In niveo virides stipite cerne comas.' Id quod vir doctus in Emblematibus suis ad amatorem vetulum transtulit, cui viridis senectus nondum hebetaverat sanguinem.

37 *Celebrare*] Frequentare.

39 *Sed*] Supple, videor celebrare. *Scythiam*] Regio est ad septentrionem spectans. Inhabitabilis ejus prima pars a Scythico promontorio ob nives, proxima inculta sævitia gentium. *Cilicasque feros*] Cilices populi sunt in minori Asia, Syriæ proximi: qui etiam immanes et efferi sunt. *Britannos*] Gens inhospita et bellicosa. Jacet hæc insula in Oceano, inter septentrionem et occasum. Dicebatur antea *Albion*, a quorundam montium candore: postea a Britonne rege, Britannia. *Virides*] Cœruleos: aut a cæsiis oculis, aut a maris vicinitate. Aut 'virides' appellantur, quia omnes se glausto inficiunt, quod cœruleum efficit colorem, ut horridiores videantur in pugna. *Viridesque Britannos*] Meminit hujus Cæs. Bell. Gall. v. 'Omnes vero,' inquit, 'Britanni se vitro inficiunt, quod cæruleum efficit colorem; hoc horribiliores in pugna adspectu: capilloque promisso, et omni corporis parte rasa.'

40 *Quæque Prometheo, &c.*] Caucasum dicit montem inhospitalem et horridum: de quo Maro Æneid. IV. 'Sed duris genuit te cautibus horrens Caucasus.' *Prometheo cruore*] Promethei sanguine. Qui ex corroso ab aquila jecinore manans, Caucasi cautes et saxa madefecit. *Prometheo cruore*] Æschyl. Fab. I. [Prometheus.] Argon. Apollon. II. a versu 1251. Καὶ δὴ Καυκασίων ὀρέων ἀνέτελλον ἐρίπναι Ἠλίβατοι, τόθι γυῖα περὶ στυφελοῖσι πάγοισιν Ἰλλόμενος χαλκέρσιν ἀλυκτοπέδῃσι Προμηθεὺς Αἰετὸν ἥπατι φόρβα παλιμπετὲς ἀΐσσοντα. Vide Pausan. Eliac. I. Et Lucian. Fabul. ubi Prometheus strenue causam suam agit contra Mercurium.

41 *Ulmus amat vites*] *Vitem* meliores; concinnius. Deinde excerpta Jureti, *vitis non desinit ulmum*: de qua locutione agemus Artis III. 726. *Heins.*

43 *Jurabas usque futuram*] *Juraras* Puteaneus cum Scaligeri excerptis. *Idem.*

44 *Oculos sidera nostra tuos*] *Qui rupuere meos* alii: utrumque exemplis possit confirmari. *Idem.*

46 *Irritaque ut visum est*] *Irrita quæ visum est* Puteaneus; recte: nisi quod *quo* malim. *Idem.*

47 *Si qua mei est cura*] Id est, si me amas. *In te pia cura relicta*] *Relicti* meliores. *Idem.*

48 *Pollicitis addere facta*] Fac sis nunc promissa appareant. 'Et memor sum, et diligens, ut quæ imperes compareant.' Plaut. Amph. II. 1. 83. ἢδ' ἡμέρα σοι τὴν ἐμὴν δείξει χάρων. Eurip. Hel.

49 *Rapientibus*] Celeriter trahentibus. *Esseda*] Esseda currus sunt Gallorum: unde essedarii milites illi

Digitized by Google

appellati, qui ex essedis pugnare soliti sunt. *Mannis*] Manni, pusilli sunt equi, admodum agiles. His ad currum utebantur. *Esseda*] Cæs. Bell. Gall. IV. 'Genus hoc est ex essedis pugnæ: primo, per omnes partes perequitant, et tela conjiciunt, atque ipso terrore equorum, et strepitu rotarum, ordines plerumque perturbant: et, quum se inter equitum turmas insinuavere, ex essedis desiliunt, et pedibus prœliantur.' De Britannis.

50 *Ipsa*] Tu. *Admissas*] Id est, admissorum et velocium mannorum. *Concute lora*] Ex concussione enim frenorum incitantur equi.

51 *At vos cum veniet*] *Qua veniet* meliores. *Heins.* *Tumidi*] Turgidi. Montes enim esse videntur terræ tumores. *Subsidite*] Descendite, in valles efficiamini.

ELEGIA XVII.

Si quis erit, qui turpe, &c.] Ingenue fatetur Naso, se Corinnæ captivum et mancipium esse. Conqueriturque de amica, quod conscia suæ pulchritudinis nimium superbiat, eumque ut dissimilem spernat.

3 *Licet*] Concedentis est. *Infamis*] Vulgi fabula. *Moderatius*] Parcius. *Dum me moderatius urat*] Sic cum melioribus scribendum. Perperam *moderantius* vulgati. Adi Notas Metam. I. 510. *Heins.*

4 *Quæ Paphon, &c.*] Id est, Venus, quæ Paphi celebre fanum habebat. Est autem Paphos urbs Cypri, quæ portum habebat, et templa magnifice structa. Virg. Æneid. lib. I. de Venere loquens, ait: 'Ipsa Paphon sublimis abit, sedesque revisit Læta suas.' *Cythera*] Insula est Laconiæ: quæ antea Porphyris dicebatur, a purpurarum præstantia. Ad hanc Venus orta mari primum appulsa dicitur: unde Cytherææ cognomen traxit. In Cytheris templum erat Veneris magnificentissimum. Inflectitur autem plurativo numero tantum, Cythera, orum. *Fluctu pulsa*] Quia de insula loquitur.

5 *Atque utinam dominæ mitis*] *Miti* elegantius unus Moreti et Sarravianus cum tribus aliis: ut alibi, 'Præda fuit canibus num minus ille suis?' *Heins.*

7 *Facie violenta Corinna est*] *Facies violenta Corinnæ est* optimus Palatinus, Puteaneus et tres alii: unus Med. τὸ *est* non habet. Scribe, *facies violenta Corinnæ (Me miserum!) cur est tam bene nota sibi?* Idem. *Violenta*] Fera, procax, superba. Nam 'Fastus inest pulchris, sequiturque superbia formam.'

8 *Cur est tam, &c.*] Cur tam bene pulchritudinem suam intelligit, quæ est causa ejus superbiæ?

9 *Scilicet*] Speculum culpat, unde Corinna se formosam cognoscit.

10 *Nec*] Hoc quoque damni accedit, quod illa nunquam se in speculo conspicit, nisi ornatam: unde majores proveniunt fastus.

11 *Nimium dat in omnia regnum*] *Regni* venuste Puteaneus cum uno Vaticano et Barberiniano. *Heins.*

13 *Collatum*] Comparatum.

14 *Aptari*] Componi.

15 *Creditur*] *Traditur* Puteaneus et duo alii. *Heins.* *Calypso*] Calypso, ut Hesiodus voluit, Oceani et Tethyos, ut Homerus, Atlantis filia. *Calypso*] Vide Hom. Odyss. E. 118.

Digitized by Google

16 *Recusantem*] Qui recusabat ibi diutius contra Jovis imperium manere. Pro *recusantem* octo libri *reluctantem*. Heins.

17 *Credimus*] *Creditur* idem Puteaneus cum Neapolitano et uno Moreti ac Sarraviano. *Æquoream Nereida*] Id est, Thetidem, quæ Dea mortali Peleo nupsit: quorum nuptias Catullus pulcherrimo carmine prosecutus est. *Phthio regi*] Peleo qui regnavit Phthiæ, quod oppidum fuit Thessaliæ.

18 *Egeriam*] Fuit hæc Aricini nemoris Nympha, cum qua Numa Pompilius secundus rex Romanorum sibi nocturnos congressus esse simulavit: et Naso lib. III. Fastorum: 'Egeria est, quæ præbet æquas, Dea grata Camænis: Illa Numæ conjux, consiliumque fuit.' *Justo*] Nam justissimum fuisse Numam constat: dixit enim Livius: Inclyta justitia religioque ea tempestate Numæ Pompilii erat. *Nostro concubuisse Numæ*] *Justo* meliores; quod conveniens Numæ epith. *Heins.*

19 *Quamvis, incude relicta, &c.*] Duo ponit, quibus maxime spernuntur amantes, artis vilitatem et corporis deformitatem. *Relicta*] Dum enim apud incudem se exercet, non videtur claudus.

20 *Obliquo*] Distorto. *Claudicet*] Claudus incedat.

21 *Impar*] Quia Hexametro supponitur pentametrum carmen. Sic Flaccus: 'Versibus impariter junctis.'

22 *Jungitur Herous*] *Heroum* Sarravianus; ut sit Græcismus: *in versus* Puteaneus. *Heins. Herous*] Heroicus hexameter, quo heroum gesta describuntur.

23 *Leges*] Conditiones. Utere, inquit, me quomodocunque tibi libitum fuerit.

24 *Te decet in medio*] *Te deceat medio* Puteaneus cum tribus aliis. Idem *foro* pro *toro*; sed perperam. *Heins.*

25 *Non tibi crimen ero*] Non tibi ignominiam aut dedecus et damnum afferam.

26 *Non erit hic vobis*] *Nobis* Puteaneus et multi alii. *Heins. Non erit hic*] Non pudendus, inquit, est noster amor. *Vobis*] Id est, tibi et aliis puellis. *Inficiandus*] Inficiari, sive inficias ire, est negare.

27 *Sunt mihi*] Tres scripti *sint tibi*, quod amplector; duo alii, *sunt tibi*; unus *sint mihi*. Heins. *Sunt mihi*] Poëtica facultas est mihi instar maximarum divitiarum. *Fœlicia*] Bona. 'Vilia miretur vulgus; mihi flavus Apollo Pocula Castalia plena ministret aqua,' &c.

29 *Circumferat*] Ubique jactet se esse Corinnam. Amica enim Nasonis alio nomine appellabatur. Non igitur mirum est, ut temeraria aliqua, et laudis cupida, se Corinnam esse falso jactaverit.

30 *Ut fiat*] Scilicet, Corinna: id est, ut meis carminibus celebretur. *Quid non*] Quasi dicat, Quicquid ab ea peterem, mihi libenter concederet.

31 *Sed neque*] Quemadmodum, inquit, Eurotas et Padus diversi, una et eadem ripa fluere non possunt: sic tu sola, et non aliæ, meis carminibus celebraberis. *Diversi*] Alter enim fluvius est Laconiæ, qui urbem Lacedæmona præterfluit. Padus autem, quem Græci Eridanum appellant, est in Gallia Cisalpina.

34 *Ingenio causas tu dabis una meo*] Sic libro primo dixit, 'Proveniant causa carmina digna tua.' *Domix.*

Digitized by Google

ELEGIA XVIII.

1 *Carmen ad iratum dum, &c.*] Transferebat Macer in Latinum Homeri Iliada; ad cujus principium alludens, 'Iratum Achillem' Naso dixit. *Achillen*] Sic Puteaneus. *Heins.*

2 *Juratis*] Qui juraverunt in Aulide, se non ante reversuros, quam Ilium caperetur. *Induis*] Hoc ad Macri laudem dicit, qui non rem factam narrare, sed eam facere videatur. *Viris*] Græcis, qui e tota Græcia ad Trojanam expeditionem profecti sunt. *Juratis*] Bis dicuntur Græci de Helena conjurati: primum, cum Menelao collocaretur, iterum, cum a Paride rapta esset. Hinc Lycophr. in Cassand. Ὅρκων τὸ δευτεροῦχον ἄρσαντες ζυγόν. 'Jurabant omnes in læsi verba mariti.' Quod Pausan. in Achaic. Ὁμαγύριον appellat. Cujus verba dictata in Corinthiac. Παραμένειν πολεμοῦντας ἐς τ' ἂν ἢ τὸ Ἴλιον ἕλωσιν, ἢ μαχομένους τελευτῇ σφᾶς ἐπιλαβῇ. Ideoque et Græcia conjurata dicitur Horat. Od. I. 17.

3 *Macer*] Hic Æmilius Macer poëta Veronensis fuit, Nasoni amicissimus, cum quo et in Asiam et in Siciliam simul navigavit, et jocos seriaque conferre solebat. *Cessamus*] Cessare dicit se amatoria scribere. *In umbra*] In otio.

4 *Ausuros grandia*] Me, qui audeo bella et heroica aggredi, ut Gigantomachiam, et Tragœdias. *Frangit*] Vires meas attenuat.

5 *Dixi tandem*] *Tandem dixi*, meliores. *Heins.*

7 *Lachrymis vix illa retentis*] Vix a lachrymis temperans.

8 *Me miseram! cur*] Muliebrem querelam lascivia plenam mirifice expressit. *Cur te, dixit, amare pudet*] *Jam te, dixit* meliores; sic Trist. IV. El. 8. 'Me miserum! si te jam pudet esse meam.' *Heins.*

10 *Perdunt*] Nam ex nimia dulcedine et suavitate quasi mori videor. Et paulo inferius, 'Felix quem Veneris certamina mutua perdunt.'

11 *Vincor*] Unus Moreti, *Frangor.* ut epistola Penelop. 'Ille tamen precibusque meis lacrymisque pudicis Frangitur:' et sic sæpe alibi. *Heinsius. Vincor*] Quia rursus puellæ et amori succumbo. *Sumptis ab armis*] A Giganteis bellis, quæ susceperam scribere.

12 *Resque domi gestas, &c.*] Id est, amores compono. *Domi*] Quando cum puella me oblecto. *Bella*] Quando iræ intercesserunt inter nos, et exclusus ad bella impellor.

13 *Sceptra tamen*] Licet me sæpius amor interpellaret, composui tamen tragœdiam Medeam, et fœliciter quidem. De qua sic Quintilianus: Ovidii Medea mihi videtur ostendere, quantum vir ille præstare potuerit, si ingenio suo temperare quam indulgere maluisset. *Cura nostra*] Sunt qui leg. *nostro versu*; id est, carmine elegiaco.

14 *Et huic operi*] Id est, tragœdiis scribendis. *Quamlibet aptus*] Quantumvis idoneus. Pulcherrimam fuisse Ovidii Medeam, et ex ipsius poëtæ verbis, et ex judicio præstantium virorum qui eam viderunt, colligere possumus: hodie vero non extat.

15 *Pallamque meam, pictosque cothurnos, Sceptraque, &c.*] Id est, studium meum in tragœdiis scribendis. Palla vestis erat demissa, qua indutæ honestæ personæ in fabulis inducebantur: cujus repertor fuisse dicitur Æschylus. *Pictosque*] Picturatos, pulchros.

Digitized by Google

16 *Sceptraque*] Dixit supra, 'Sceptra tamen sumpsi.' *Privata*] Id est, humili: quia levia antea scribere solitus sum, tunc ad tragœdiæ sublimitatem assurgo.

17 *Hinc*] A tragœdiarum studio. *Deduxit*] Removit. *Numen dominæ*] Amatorie dixit. Amantes enim veluti numina puellas suas adorant. *Iniquæ*] Iratæ, inimicæ, mihi infensæ. Dixerat enim superius, 'Clausit amica fores,' &c.

18 *De cothurnato vate*] De me, poëta tragico.

19 *Quod licet*] Quod possumus. *Profitemur*] Proprie dixit: nam artium professores dicuntur, qui in eis eruditi sunt, aut eas publice docent: quemadmodum Naso amandi artem.

20 *Præceptis torqueor ipse meis*] *Urgeor* meliores. Sequenti tamen elegia habes, 'Hei mihi! næ monitis torqueor ipse meis!' *Heins.*

21 *Aut quod Penelopes, &c.*] Nonnullas ex Heroidum epistolis, quas composuit, memorat.

22 *Scribimus*] Ludimus, componimus. *Et lachrymas*] Id est, epistolam querelis plenam, quam lachrymans ad Demophoontem tuum, ab eo rerelicta, scripsisti.

23 *Quod Paris*] Epistolam Œnones ad Paridem intelligit. *Et Macareus*] Ad quem Canace soror, turpi flagrans amore, epistolam misit. *Et quod male gratus*] Ingratus. *Iason*] Duæ extant ad Jasonem epistolæ: altera, quam mittit Medea; altera, quam scribit Hypsipyle Thoantis filia: et de hac posteriore intelligit Poëta.

24 *Hippolytique parens*] Id est, Theseus ad quem epistola scripsit Ariadne Minois Cretæ regis filia, in Naxo insula ab ipso Theseo relicta.

26 *Aoniæ Lesbis amica lyræ*] Alii *Aonio Lesbis amata viro*. Puteaneus *Æoliæ Lesbis amata lyræ*; et a manu secunda *amica*: recte. Sic Sappho ipsa apud nostrum, 'Lesbides Æolia nomina dicta lyra.' Inde et 'Æolia puella' Horatio dicta: et apud eundem habes 'Æoliis fidibus querentem Sappho.' In Anthologia, versibus incerti poëtæ, Σαπφοὺς τ' Αἰολίδες χάριτες· et in Epigrammate Antipatri inedito, Σαπφὼ τοὶ κευθεὶς, χθὼν Αἰολὶ, τὴν μετὰ μοῦσαν Ἀθανάταν θνατὰν μοῦσαν ἀειδομέναν. *Heins. Lesbis*] Id est, Lesbiæ Sapphus epistolam ad Phaonem. *Amica lyræ*] Quia lyricum carmen scripsit. *Lesbis*] Id est, ex Lesbo insula Hellesponti. Hinc Sappho.

27 *Quam cito de toto rediit celer orbe Sabinus*] *Meus Sabinus* repone cum vetustioribus. Recte præterea Mentelianus, *Quam celer e toto rediit meus orbe Sabinus!* Heins. *Quam celer*] Interrogatio hæc continet celeritatis admirationem. *E toto orbe*] Pene toto. *Rediit*] Suaviter dicit Sabinum amicum suum, quia Heroidum epistolis respondentes epistolas fecit, eas veluti tabellarium ex toto orbe retulisse. *Sabinus*] A. Sabinus eques Romanus, celeberrimus poëta fuit, Nasoni amicissimus: qui præter quod epistolis Heroidum respondit, scripsit etiam alia, ut Trœzena, Fastorum opus: quod tamen inchoatum, occupatus morte ad coronidem perducere non potuit.

28 *Diversis locis*] In quibus tunc degebant heroidum viri.

29 *Candida*] Pulchra, sive potius bona, innocens, et pudica. *Signum*] Sigillum gemmæ, qua signata erat Ulyssis epistola.

30 *Scripta*] Literas. *Noverca*] Phædra.

31 *Jam pius Æneas*] *Impius* multi: unus Moreti *Et pius*. Lege, *En pius*. Heins. *Pius Æneas*] Vir pietate insignis. *Elisæ*] Elisa proprium fuit nomen Didonis: Dido enim lingua Phœnicia virago significat.

32 *Si modo vivit*] Quia poëtæ fabulantur eam, cum diutius Demophoontem frustra expectaret, existimassetque se ab illo spretam, amoris exagitatam furiis, laqueo vitam finiisse, et

Digitized by Google

in amygdalum arborem conversam.

33 *Tristis*] Quia recusabat Jason ad Hypsipylen unquam redire in Lemnon.

34 *Det votam*] Id est, ad Sappho rescripsit Phaon, se non rediturum: unde ipsa se ex Leucade in aquas præcipitavit, eoque pacto est amore liberata. *Votam*] Antea enim voverat, si, cum de Leucade se dejecisset, amoris igne levaretur, se Phœbo, cujus magnificum ibi templum erectum erat, lyram suam donaturam. *Lesbis amica*] *Amata* meliores. *Heins.*

37 *Illic*] In opere tuo heroico. *Et adultera*] Helena, quæ violato matrimonii jure, adulterum Paridem secuta ad Trojam venit. Hoc enim scribere necesse est illi, qui a prima origine bellum Trojanum describendum suscepit. *Nobile crimen*] Nobilis bellorum causa, vel *crimen nobile* dicendum est, propter miram adulteræ pulchritudinem.

38 *Et comes extincto*] Protesilaus, Isiphyli filius, ad Trojam cum quadraginta navibus se contulit, et primus omnium a viro Dardanio est interemptus. Hujus uxor Laodameia Acasti filia, cum dilectissimi mariti mortem cognovisset, optavit ut ejus umbram videret: quod cum impetrasset, non deserens eam, in ejus amplexibus periit.

40 *Dicis*] Canis. *A vestris castris*] Id est, bellis describendis. *In mea castra*] In Cupidinis castra, in quibus ego milito: id est, te confers ad amatoria scribenda. *Domin. In mea castra venis*] *Redis* prima editio, Sarravianus, et multi alii; recte: nam Macrum amatoria scripsisse jam ante, ex istis Tibullianis patet: 'Castra Macer sequitur: tenero quid fiet Amori? Sit comes, et collo fortiter arma gerat.' 'Redire in castra:' Hero supra, 'In tua castra redi, socii desertor Amoris:' atque ita ex suis libris Ciofanus. *Heins.*

ELEGIA XIX.

1 *Si tibi non opus est servata, stulte, &c.*] Maritum puellæ, cujus amore nuper captus fuerat, alloquitur Naso: eum monens, ut uxorem diligentius servet.

2 *Magis velim*] Scilicet, illam amare.

3 *Quod licet, ingratum est*] 'Nolo nimis facilem, difficilemque nimis.' Quod nec cruciet, nec satiet. *Acrius*] Vehementius. *Urit*] Angit, sollicitat.

4 *Ferreus*] Durus, et quasi ab humanitate alienus.

5 *Speremus pariter, &c.*] Duo ponit quæ maxime in amante reperiuntur, spem et metum.

6 *Et faciat voto*] Id est, quandoque faciat puella, ut repulsam patiar: quod erit in causa, ut eam ardentius cupiam: et sic erit locus voto et desiderio. *Rara*] 'Ne,' ut lena supra dixerat, 'relentescat sæpe repulsus amor.' *Rara repulsa*] Sarravianus pro diversa lectione, Barberinianus et Arondelianus codices, *grata repulsa*. Potest et *cara repulsa* legi: quia 'ingratum' paulo ante præcesserat. Sed nil mutandum. Art. Amor. III. 'Miscenda est lætis rara repulsa jocis.' *Heins.*

7 *Quid mihi fortuna, quæ nunquam fallere possit*] Quidam codices, *Quid cum fortuna:* alii, *Quid fortuna mihi*, vel, *Quid mihi fortuna est*. Puteaneus cum excerptis Scaligeri, *Quo mihi*

Digitized by Google

fortunam; eleganter et vere: de quo loquendi modo copiose egimus ad Epistolam II. 53. Deinde *fallere curet* idem Puteaneus et unus Vatican. bene: septem alii *curat*. Idem.

8 *Quod nullo tempore, &c.*] Sic in Artibus ait: 'Quælibet extinctos injuria suscitat ignes: En ego confiteor, non nisi læsus amo.'

10 *Opem*] Modum, potestatem.

11 *Sani*] Quod nullo dolore afficiebatur. *Mentita*] Lena superius sic puellam instruit: 'Sæpe nega noctem, capitis modo finge dolorem.' *Dolorem*] *Dolores* cum vetustioribus. *Heins.*

13 *Quantumque licebat*] Imo *libebat*, ut recte unus Moreti: dixi Ep. XV. 134. *Idem.*

14 *Insontis speciem præbuit ipsa nocens*] Puteaneus, *Insonti speciem præbuit esse nocens: esse* etiam optimus Palatinus et Neapolitanus et Arondelianus cum Scaligeri Excerptis: quidam codices *illa*. Latet aliquid. Forte, *Insontis speciem prætulit ore nocens*. Idem.

19 *Tu quoque*] Quemadmodum Corinna. *Rapuisti*] Tua pulchritudine. *Ocellos*] Dixit etiam Propertius: 'Si nescis, oculi sunt in amore duces.'

20 *Sæpe face insidias*] *Time* Puteaneus, et plures ex præstantioribus alii. recte: Time me tibi insidiari, nec serio amare. Posset et *cave* pro *face* legi. *Heins.*

23 *Sic mihi durat*] Malo *duret* et *adolescat*. *Juvet* etiam et *sint* sequenti versu: certe *sint* extat in Neapolitano codice. Deinde *longos in usus*, non *annos*, optimus Palatinus et duo alii. Art. Am. lib. III. 'Si qua fides arti quam longo fecimus usu.' Am. I. El. 8. 'Hæc si præstiteris usu mihi cognita longo:' et sic sæpe Noster, de quo Pont. III. El. 6. 53. *Idem.*

25 *Pinguis amor*] Quemadmodum pinguiores dulcioresque cibi stomachum corrumpunt, et fastidium movent: ita et amor, nulla amaritudine mixtus, in tædium vertitur. *Nimiumque patens*] Exponit quod dixerat, 'Pinguis amor.' Appellat autem pinguem et patentem amorem illum, in quo amans nullam patitur repulsam. *Nimiumque potens*] *Latens* Puteaneus et emendatum manu secunda *patens;* quomodo et optimus Palatinus et quinque alii: ut *patens amor* sit, ad quem aditus non intercluditur. Met. XIV. 'Si mea virginitas Phœbo patuisset amanti.' Et lib. X. 'Numen confessis aliquod patet.' Sic 'patens campus,' et similia: tamen et in Arondeliano *latens*. 'Juvenes tibi mille patebunt,' ex scriptis. Art. I. 63. *Heins.*

27 *Si nunquam*] Exemplis Danaës et Ius probat, quod supra proposuit: 'Quod licet, ingratum est: quod non licet, acrius urit.' Vide Metam. IV. *Habuisset*] Inclusam tenuisset. *Ahenea*] Turrim hanc ex ære et ferro munitam fuisse fabulantur poëtæ. *Ahenea turris*] Vide Eurip. Fab. 20. Ἐν χαλκοδὲ τοῖς αὐλαῖς, Ἐν τυμβήρει θαλάμῳ. Vide Amor. lib. III. Eleg. 4. 21.

28 *De Jove*] Ὦ πάτερ, ὦ Ζεῦ...Καὶ τὸ γυναικοφίλας. Theoc. Idyll. VIII. 60. Vide Apollodorum lib. II. Lucianus male metuit Jovi, ἵνα μὴ τῶν χρυσοχόων τίς κατεργάσεται αὐτὸν χρυσὸν ὄντα, in Fabulos. θεῶν Ἐκκλησ. *Facta parens*] Ex Jove enim Perseum peperit.

29 *Dum servat Juno mutatam cornibus Io*] *Decoratam* duo libri; unus *munitam;* quinque *sinuatam*, quod arridet; nec male unus Moreti pro diversa lectione *Dum nimium servat custos Junonius Io*. Heins. *Servat*] Diligenter servandam tradit Argo suo pastori.

31 *Arbore frondes, &c.*] Quia neque arboribus frondes, neque fluminibus aquæ desunt, quæ vilia sunt.

32 *E medio flumine potet aquam*] *E magno* scripti meliores. Quidam etiam *sumat aquam;* de quo dicendum Art. Am. III. 96. *Heins.*

34 *Hei mihi*] Timet Poëta, ne suis

Digitized by Google

telis petatur. *Ne monitis torqueor*] *Torquear* Puteaneus et complures alii. Forte *nœ torqueor:* tres libri cum prima editione *nam torqueor;* tres *quod torqueor:* sic supra, 'Hei mihi, quod dominam nec vir nec fœmina servas!' Arondelianus cum aliis compluribus *nunc torqueor.* Heins.

35 *Quodlibet eveniat*] *Quid libet* Puteaneus et alii multi. Lege *Cui libet* cum uno Moreti. *Idem. Indulgentia*] Amicæ obsequium. *Nobis*] Amatoribus.

36 *Ipse sequor*] *Usque* cum prima editione et duobus scriptis. *Heins.*

37 *Formosæ*] Ideoque diligentius servandæ. *Nimium secure*] Nimium negligens.

38 *Claudere nocte domum*] *Forem* meliores, ut sæpe alibi noster; multi *fores.* Heins.

40 *Quid latrent nocte silente canes*] Forte *cui latrent.* Trist. lib. II. 'Scit cui latretur, cum solus obambulat ipse.' *Heins. Nocte silente*] Conticinium dicit. Concubia enim nocte omnia fere silent.

41 *Quas ferat*] *Quo* multi; nonnulli *Quid.* Heins.

42 *Cur toties*] Quia sæpenumero mulieres simulabant se religionis causa a maritis secubare, et in cubiculum suum adulteros furtim admittebant, eoque pacto viris imponebant. *Illa toro*] *Ipsa* meliores. *Heins.*

43 *Mordeat*] Tandem doleas. 'Mule nihil sentis?' *Catull.*

44 *Detque locum*] *Daque* meliores; qui et τὸ *in* tolli jubent sequenti versu. *Heins. Daque locum*] Nullus enim locus aut materia est fraudibus et dolis, quando maritus æquo animo patitur uxorem suam ab alio amari.

45 *Ille potest, &c.*] Sicuti enim facillimum est, in littore arenam furari nemine prohibente: ita est, amplecti uxorem quæ a viro non custoditur, quæ omnibus patet, nullo vindice. *Vacuo*] Deserto, sine custodibus. *Furari*] Clam surripere.

46 *Uxorem stulti*] Malim *incauti.* Nam Tibulli illa imitatus est, 'At tu fallacis conjunx incaute puellæ, Me quoque servato, peccet ut illa nihil.' Quemadmodum et Trist. lib. II. 'Denique ab incauto nimium petit illa marito, Se quoque uti servet, peccet ut illa minus.' Contra 'cautus' et 'vafer maritus:' de quo Epist. 16. 314. *Heins. Stulti*] Insipientis, cui facile imponi potest.

50 *Bene verba darem*] Tibi scilicet: hoc est, te fallerem, tibi imponerem.

52 *Concessi amoris*] Quem tam facile concedis.

53 *Adire*] Ad amicam me conferre.

54 *Vindice*] Ultore: ut impune mihi liceat omni nocte.

55 *Per nulla traham suspiria somnos*] Propertius libro tertio, 'Odi ego, quæ numquam pungunt suspiria somnos: Semper in iratam pallidus esse velim.'

57 *Lenone marito*] Mariti lenones dicuntur, qui uxorum adulteriis non offenduntur.

58 *Vitio*] Indulgentia.

59 *Quin alium, quem tanta juvet patientia, quære*] Multi *quæras:* Scaligeri excerpta *quæres:* Puteaneus *quæris,* quod verum est: sic infra ex optimis codicibus lib. III. El. 7. 'Quin istic pudibunda jaces pars pessima nostri.' Horatius Epod. VI. 'Quin huc inanes, si potes, vertis minas, Et me remorsurum petis?' quod Cruquius perperam mutavit: et sic passim tersæ Latinitatis scriptores. *Heins. Patientia*] Quia dixit: 'Multa diuque tuli.'

60 *Me tibi*] Sensus est: Si me rivale oblectaris, prohibe me tibi esse rivalem: quæ ratio me rivalem faciet.

Digitized by Google

AMORUM LIB. III.

ELEGIA I.

1 *Stat vetus, et multos, &c.*] Decrevit Naso, duobus prioribus libris Elegiarum tertium addere, qui sine controversia cæteris est longe pulchrior: unde majorem et voluptatem et utilitatem lector sit capturus. *Vetus*] Vetustas omnis est veneranda. *Incidua*] Inviolata, quæ per multos annos cæsa non fuit. Sacros enim lucos incidere, nefas erat.

2 *Numen*] Deum aliquem. *Numen inesse loco*] Suum cuique loco genium et numen affinxerunt veteres. Vide Serv. ad illud Æneid. v. 'Incertus geniumne loci.' Hinc lucos colebant religione patrum late sacros.

3 *In medio*] Scil. sylvæ. Fortasse describit Poëta Aricinum nemus, de quo Fast. III. *Pumice*] Saxo vetustate corroso. *Pendens*] Imminens.

4 *Queruntur*] Querulos cantus cum suavitate edunt.

5 *Nemoralibus*] Id est, frondibus, umbris.

6 *Quod mea*] Cogitabam, quid potissimum canerem.

7 *Venit odoratos Elegeia nexa capilles*] An myrto nexa? an lauro? an alia quavis corona? Hoc sane additum oportuit; quomodo alibi, 'Necte comam myrto.' Sed scribe meo periculo, quicquid membranæ veteres obnituntur, *pexa capilloe*. Heins. *Venit*] Hic Naso eleganti phantasia Elegiæ atque Tragœdiæ actiones attribuit; et quæ sint utrique propria, venustissime ostendit. *Odoratos*] Odoribus perfusos: quia deliciosa est elegia.

8 *Et puto*] Ut puto.

9 *Decens*] Honesta, pulchra. *Vestis tenuissima*] Propter tenuem et humilem elegorum materiam, et non sublime dicendi genus. *Cultus amantis*] Quia hoc carminis genere amatoria maxime describuntur. *Vultus amantis*] Rectius Moreti codex, *cultus;* quod ad vestem tenuissimam refer. *Heins.*

10 *In pedibus vitium*] Pentameter syllaba brevior est Hexametro.

11 *Ingenti passu*] Propter sublimem dicendi characterem, in quo versantur Tragœdiæ. *Violenta*] Quia tragœdiæ est narrare regnorum eversionem, et hujusmodi res violentas: ut Polydori necem, Medeam filios trucidantem, &c. taliaque violentiæ plena. *Tragœdia*] Arrian. Epist. I. 4. definit Tragœdiam hoc modo: Τί γὰρ ἄλλο ἐστὶ τραγῳδία, ἢ ἀνθρώπων πάθη, τεθαυμακότων τὰ ἐκτὸς, διὰ μέτρου τινοῦ δ' ἐπιδεικνύμενα.

12 *Fronte comæ torva*] Hoc dicit propter Tragœdiæ severitatem. *Palla*] Tragici est vestimenti genus. *Jacebat humi*] Unde tragici dicuntur pallam et syrma trahere.

13 *Sceptrum late regale tenebat*] *Movebat* meliores libri magno numero cum prima editione. *Heins. Late regale*] Sic Maro dixit Æneid. I. 'Hinc populum late regem.'

14 *Lydius apta pedum vincla cothurnus erat*] *Alta vincla* prima editio cum

Digitized by Google

Puteaneo, Sarraviano, optimo Palatino, Arondeliano, et septem aliis: quomodo apud Virgilium, 'Purpureoque alte suras vincire cothurno.' Sidonius, 'Laxo pes natet altus in cothurno.' Noster quoque infra 'altum cothurnum' hac elegia appellat. *Heins.* *Lydius cothurnus*] Id est, histrionicus. Histriones enim primum ex Lydia, id est, Hetruria, accersiti sunt. *Alta*] Quia cothurni sunt multo altiores quam calcei: et propemodum genua contingunt.

15 *Hæc prior, Ecquis erit finis tibi, dixit, amoris*] *Et prior* iidem codices. *Amandi* quoque, non *amoris*, nisi quod in optimo Palatino *amator:* venuste. *Heins.* *Ecquis*] Quando desines amatoria scribere?

18 *Narrant in multas, &c.*] Triviales omnes, inquit, amores tuos loquuntur. *Secta*] Divisa. *Compita*] Quadrivia. Dicta, quod multæ viæ in unum confluant. Vide Serv. Georg. II. Hinc compitalia, festa quæ in compitis celebrabantur: et ludi compitalitii.

19 *Vatem*] Te Poëtam. *Designat digito*] Demonstrat, indicat.

20 *Atque ait, Hic hic est*] *Hic ille est* Sarravianus cum prima editione. Adi Notas Met. XI. 6. *Heins.* *Hic est*] Persius: 'At pulchrum est digito monstrari, et dicier, Hic est.' *Ferus*] Crudelis.

21 *Fabula*] Scilicet tu, quia per totam urbem omnes de te loquuntur. *Fabula*] Pro sermone. Ter. Hecyr. IV. 3. 'Postremo nos jam fabulæ sumus, Pamphile; senex, atque anus.' Et alibi, 'Lupus in fabula:' pro quo Plaut. Stich. IV. 1. 71. 'Atque eccum tibi, lupum in sermone.' Et Pers. Sat. V. 'fabula fies.' *Jactaris*] Exagitaris.

22 *Dum tua præterito facta pudore refers*] *Furta* scribendum; quomodo et alibi non uno loco est peccatum: ut Trist. II. de Calvo, 'Detexit variis qui sua furta modis.' Pro *præterito pudore* male codices nonnulli *postposito, prætento, neglecto*, et similia. Trist. II. 'Est et in obscœnos deflexa Tragœdia risus, Multaque præteriti verba pudoris habet:' quo loco nihil est mutandum. 'Præteriti pudoris verba,' in quibus verecundiæ ratio non habetur. *Heins.*

23 *Thyrso*] Thyrsi proprie sunt hastæ hederis involutæ, quæ in Orgiis Bacchi sacris quatiebantur. Ipse quoque Liber pater fingitur tenere thyrsum, quod est latens telum, cujus mucro hedera circumtegitur. Hic autem ponitur pro Bacchico furore, id est, poëtico. *Pulsum*] Id est, percussum.

24 *Majus*] Quam opus Amorum.

25 *Materia*] Materiæ et argumenti levitate vilescit ingenium tuum. *Cave facta virorum*] Heroica scribe.

26 *Hæc area*] Hic campus in quo exultent carmina tua. *Animo*] Dicendi sublimitate.

27 *Lusit*] Ludere enim dicuntur Poëtæ, levia scribentes.

28 *Primaque per numeros*] Amatoria carmina, ætati tuæ juvenili convenientia satis scripsisti: nunc, quando ex prima juventa excessisti, majora aggredere. *Numeros*] Versus, carmina. *Suos*] Ætati proprios. Neque enim omnia in omni ætate decent.

30 *Leges*] Tragœdiæ leges exigunt spiritus sublimitatem et magnitudinem. *Spiritus iste*] *Ipse* Puteaneus et quinque alii. *Heins.*

31 *Movit caput*] Id est, concussit, agitavit: quod est iratorum. *Pictis*] Picturatis, pulchris. *Innixa*] Sic Flaccus: 'Et docuit magnumque loqui, nitique cothurno.' *Innixa cothurnis*] Prima editio cum Sarraviano et decem aliis *innexa;* quomodo cothurnum 'vincla' paulo ante nominavit: et Virgilio, 'suras evincta cothurno.' *Heins.*

33 *Altera*] Elegia. *Limis*] Aut transverse tuentibus, quod irati est:

Digitized by Google

subirata enim erat Tragœdiæ. Aut 'limis,' id est, pætis, quod est lasciviæ: unde Venus pætis ocellis pingitur.

35 *Gravibus verbis*] Molestis. Alludit ad gravitatem et pondus verborum, quæ tragœdiæ insunt. *Animosa*] Iracunda, animi vehementis, et elati spiritus.

36 *Me premis*] Me lædis: quia dixerat Tragœdia superius, 'O argumenti lente Poëta tui.' Et paulo inferius, 'Materia premis ingenium:' quæ verba maxime Elegiam premebant. *An nunquam non gravis esse potes*] Semperne natura gravis eris?

37 *Imparibus numeris*] Elegis carminibus. *Imparibus*] Ad præsentem contentionem Tragœdiæ et Elegiæ referendum est: utraque enim elegiaco metro suam causam agit. *Micyl.*

38 *Meis*] Elegis.

39 *Non ego*] Non negaverim, inquit, tua carmina esse sublimiora nostris: sed tamen carmina nostra sunt materiæ convenientia: et mihi est ea in dominam potestas, quam tu minime habes.

40 *Obruit*] *Obruet* multi ex scriptis. *Obruat* duo. *Heins. Obruit*] Operit, ita ut vix videri possint. *Regia*] Quia in tragœdiis mentio fit de regum palatiis, in elegiis vero de amicæ foribus.

41 *Levis Cupido*] Ad eum supra quoque dixit: 'Tu levis es, multoque tuis ventosior alis.'

42 *Fortior*] Apta igitur sum meæ materiæ.

43 *Rustica sit sine me*] *Fit* multi ex scriptis cum prima editione; bene. *Heins.*

44 *Proveni*] Nata sum. *Lena*] Elegia enim, dum iratam amicam amanti conciliat, dum puellæ ad virum, viri ad puellam verba amatoria perfert, lenæ officio fungitur.

45 *Duro cothurno*] Severo carmine.

46 *Blanditiis*] Elegia enim blanditias maxime continet: unde est, 'Blanda pharetratos Elegeia cantet amores.' *Janua*] Amicæ. *Laxa*] Aperta.

47 *Et tamen*] Licet sim levis. *Emerui*] Merita sum. *Plus quam tu posse*] Majorem habere potestatem, quam tu habes.

48 *Supercilio tuo*] Tuæ severitati.

49 *Per me*] Mea opera.

50 *Obstricti*] Ego, inquit, Corinnam docui, quo pacto custodem decipere, et clausam januam aperire posset. *Liminis obstricti sollicitare forem*] *Adstricti* meliores. Deinde et *fidem* Puteaneus, optimus Palatinus, et quinque alii; verissime: vidit et Gronovius Observat. l. II. c. 11. Apposite Propertius de Tarpeia, 'Prodiderat portæque fidem, patriamque jacentem.' Remedio Amoris, 'Sed tamen est artis strictissima janua nostræ:' ita scribendum ex libris. Sic contra 'janua laxa:' de quo lib. I. Fast. dicemus. Art. Am. lib. I. 456. 'pectora dolore adstricta' habes. *Heins.*

51 *Delabique*] Supple a superioribus, Per me didicit Corinna sensim e mariti lecto se surripere, et ad Nasonem pergere. *Velata*] Cooperta, vestita. *Recincta*] Discincta. *Tunica velata soluta*] *Recincta* multi ex scriptis. Quomodo supra lib. I. El. 5. 'Ecce Corinna venit tunica velata recincta.' Infra lib. III. El. 7. 'Nec mora; desiluit tunica velata recincta.' Artis I. 'Utque erat e somno tunica velata recincta.' Fast. III. 'Quaque metu rapitur tunica velata recincta.' Sic et zonam 'recinctam' dixit Epistola II. *Heins.*

52 *Atque impercussos*] Lego vel invitis libris *imperculsos pedes*, hoc est, intrepidos. Contra Fast. II. 'Turbatum viso rettulit angue pedem.' *Idem. Nocte*] Per noctis tenebras.

53 *Ah quoties foribus duris incisa pependi*] *Vel quoties* Puteaneus et op-

Digitized by Google

timus Palatinus; recte. Pro *incisa*, Satravianus et duo alii *illisa;* optimus Palatinus, Neapolitanus, et alii tres *concisa;* duo *illusa;* quod Politiano probabatur, ex illo Virgilii, 'Illusæque auro vestes.' Sed quid hoc ad rem? Unus, *infixa;* alius *concussa;* Excerpta Jureti *concissa.* Heins. *Foribus duris*] Mos enim erat amatorum, qui non admissi ante amicæ ostium pernoctarent, in ipsis foribus literas incidere, quibus puellæ sævitiam objiciebant, aut blandiebantur. *Incisa*] Literæ proprie incidi dicuntur in marmore, in ligno, in ære.

57 *Quid cum me munus natali misit*] *Mittis* scribe cum Puteaneo et meo chartaceo. Et mox pro *Rupit* idem Puteaneus et unus Moreti *Rumpit.* Heins.

59 *Movi*] Excitavi. Ad Nasonem convertit sermonem. *Fœlicia*] Aliis enim aliud natura ingenium tribuit: benignius et fœlicius igitur Naso sortitus fuerat. *Semina*] Igniculos eos, de quibus Cicero in Tusculana tertia: quos igniculos, hominum ignavia et socordia sæpenumero extinguit. Quoniam igitur Ovid. se primum elegis exercuit, nunc dicit, Elegiam primam movisse suæ mentis semina.

60 *Munus*] Id est, scribendi fœliciter facultatem, quam tibi donavi. *Ista*] Tragœdia.

61 *Desierat: cœpi, Per vos utrasque rogamus*] Primo *desierant* ex quatuor libris reponendum. Deinde *per vos utramque* cum Puteaneo et multis aliis. *Heins. Desierant*] Ambæ, Tragœdia scilicet et Elegia, finierant, et suis sermonibus modum imposuerant. *Cœpi*] Scilicet, eas alloqui.

62 *In vacuas auras*] *Vacuas aures* Puteaneus, tertius Palatinus, et prima editio: atque ita legit Tanaquillus Faber in Phædrum c. 3. Noster Met. IV. 'aliquid vacuas referamus ad aures;' quod non est mutandum. 'Vacivas aures' dixit Plautus. Met. XII. 'E quibus hi vacuas implent sermonibus aures:' ubi *auras* etiam nonnulli. Et postea, 'Verbaque tot fudit vacuas animosus in aures:' etsi *auras* ibi pertinaciter tam scripti quam typis editi codices. 'In auras fundere verba' dicuntur, quos nemo exaudit: ut 'ventis verba profundere' Lucretio: 'tu fac ne ventis verba profundam.' *Heins. Timentis*] Scilicet judicium meum. *In vacuas auras*] Ad nihilum, inquit, redigantur hæc vestra verba, quibus utraque timorem ostenditis, ne a me deseramini.

63 *Sceptro...cothurno*] Tragica scriptione.

64 *Jam nunc contracto magnus in orbe sonor*] *Contacto magnus in ore sonus* Puteaneus et optimus Palatinus cum Scaligeri Excerptis; recte: nisi quod *sonor* non est mutandum: alii *contacto orbe*, vel *contracto orbe.* Prima editio *cantato ore;* at frustra. Salmasius libro de Coma restituit, *contecto ore;* personati nempe tragœdi: sed *contacto ore* non est sollicitandum; ponitur nempe pro adflato. Met. XIV. 'ambrosia dulci cum nectare mista Contigit os, fecitque Deum.' Epistola IV. 'Ut quos semideæ Dryades Faunique bicornes Nomine contactos attonuere suo.' *Heins.*

70 *A tergo grandius urget opus*] Attentionem captat. Sic Æneid. l. VII. 'Major rerum mihi nascitur ordo, Majus opus moveo.' *Domin.*

Digitized by Google

ELEGIA II.

1 *Non ego nobilium venio spectator equorum, &c.*] Dum ludi Romæ celebrarentur, in theatrum et circum, quem 'maximum' dicebant, ingens utriusque sexus hominum multitudo ad spectandum confluebat. Juvenes puellis assidebant, lege loci permittente. Hinc Poëta in Artibus præcepit illi, qui puellam, quam amet, eligere cupiat, ut in his locis præcipue eam venetur. *Equorum*] Inde Equiria dicebantur hi ludi, qui in Circo maximo, inter Palatinum et Aventinum, quinto Idus Apriles fiebant. Sed potius de Circensibus.

2 *Cui tamen ipsa faves*] Sic enim præceperat in Artibus: 'Nec mora, quisquis erit cui favet illa, fave.'

5 *Tu cursum spectes, ego te*] *Spectas* meliores cum Puteaneo, qui etiam *cursus*. Forte *spectans*. Heins.

9 *Sacro*] Quia in Deorum honorem ludi fere omnes edebantur.

12 *Stringam*] Radam. *Interiore*] Propinquiore. *Interiore rota*] Compendio spatii: sic Cic. in Academ. quæst. ex Arato. 'quæ, cursu interiore, brevi convertitur orbe.' Et Noster vs. 70. 'admoto proximus axe subit.' Stat. Thebaid. VI. 'Speravit flexæ circum compendia metæ, Interius ductis Phœbæius augur habenis, Anticipasse viam.' Et Æneid. V. 'Radit iter lævum interior, subitusque priorem Præterit, et metis tenet æquora tuta relictis.' Et deinde: 'dum proram ad saxa suburget Interior:' ubi Serv. 'interior, id est, sinisterior.' Quod et ex Lucano discimus VIII. 'non sic moderator equorum Dexteriore rota, lævum cum circuit axem, Cogit inoffensæ currus accedere metæ.' Quæ omnia ex perenni Homeri fonte, Iliad. Ψ. vs. 334. et seqq. ubi plenissimam hujus certaminis descriptionem habemus. Τῷ σὺ μάλ' ἐγχρίμψας, ἐλάων σχεδὸν ἅρμα καὶ ἵππους· Αὐτὸς δὲ κλινθῆναι ἐυπλέκτῳ ἐνὶ δίφρῳ, Ἥκ' ἐπ' ἀριστερὰ τοῖιν· ἀτὰρ τὸν δεξιὸν ἵππον Κέντει ὁμοκλήσας, εἶξαί τέ οἱ ἡνία χερσίν. Ἐν νύσσῃ δέ τοι ἵππος ἀριστερὸς ἐγχριμφθήτω: Et Theocrit. Idyll. XXIV. 117. Ἵππους δ' ἐξελάσασθαι ὑφ' ἅρματι, καὶ περὶ νύσσαν Ἀσφαλέως κάμπτοντα τροχῷ σύριγγα φυλάξαι.

14 *Fluent*] Elabentur.

15 *Ah quam pæne Pelops Pisæo concidit axe*] *At quam pæne* Puteaneus cum Menteliano et Neapolitano. Idem cum Barberiniano et duobus aliis, *Pisæa hasta:* quod verum est; neque aliter Jureti et Scaligeri Excerpta: habes fabulam apud Pindarum, qui Œnomao Pelopen insequenti ἔγχος χάλκεον quoque dat. Apollonius libro I. Τὸν δὲ μεταδρομάδην ἐπὶ Μυρτίλος ἤλασεν ἵππους, Σὺν τῷ δ' Οἰνόμαος προτενὲς δόρυ χειρὶ μεμαρπώς. Claudianus laude Serenæ, 'curru Pisæa marito Fugit tela Pelops.' *Heins. Pelops*] Tantali filius, qui Pisam accesserat, visa Hippodamia, id concipiens connubium, corrupit Myrtilum, aurigam patris, primi coitus pactione. Qui factis cereis axibus rotarum, effecit ut Pelops victoria potiretur, primusque ad aram Neptuni pervenirет. *Concidit*] Hoc est, interfectus fuit. *Axe Pisæo*] Id est, ab Œnomao, qui curru Pisæo vectus hastam manu tenebat, qua procos perimebat, dum eos præcurrentes assequeretur: ut sit sensus: Pelops, dum Hippodamiæ, quam secum in suis quadrigis vehebat, faciem cum stupore conspiceret, et propter hoc aliquantulum moraretur, parum abfuit, quin ab insequente Œnomao fuerit occisus.

Digitized by Google

Pisæo] A Pisa Arcadiæ oppido, quod præterfluit Alpheus amnis.

18 *Vincamus*] Hippodamiæ exemplo debemus, inquit, amantes victoriam adipisci, puella nostra nobis favente.

19 *Quid refugis*] Puellarum exprimit ingenium, quæ facile dissimulant.

20 *In lege loci*] Lex enim neminem prohibet, quo minus in publicis subselliis assideat. *Hæc commoda*] Ut tangere et alloqui puellam possis. *Circus*] Spacium erat oblongum, in cujus principio carceres, unde quadrigæ effundebantur, et equi currunt. Circi Romæ tres fuisse scribuntur, Maximus, Flaminius vel Apollinaris, et Neronis in Vaticano.

21 *Tu tamen*] Hæc omnia, licet non fuerint, tamen in puellæ gratiam dicit, ut illius animum sibi conciliet.

24 *Rigida nec preme terga genu*] *Rigida manu* Puteaneus et Arondelianus; sed male; lib. I. Art. 'Respice præterea, post vos quicunque sedebit, Ne premat opposito mollia terga genu.' *Heins.*

25 *Demissa jacent tua pallia terræ*] *Dimissæ jacent tibi terra* meliores: sic et lib. I. Artis Amat. in iisdem, 'Pallia si terra nimium dimissa jacebunt.' Sic 'terra deponere,' non *terræ*, Amor. III. El. 5. ex optimo codice. Vulgatam tamen loco non ausim movere. *Idem. Pallia*] Vestes. Sic in Artibus: 'Pallia si terræ nimium demissa jacebunt, Collige, et immunda sedulus effer humo.'

29 *Atalantæ crura fugacis*] *Atalantis* scripti. Lege *Atalantes*. Pro *Melanion* Sarravianus *Minalion:* lege *Milanion*, et vide quæ note Art. Amat. II. 188. Lib. III. Art. 'Milanion humeris Atalantes crura ferebat:' sic et ibi ex optimis libris scribendum. *Heins. Atalantes*] Duæ fuerunt: altera Schœnei filia, nobilis cursu, altera Arcadica, quam perdite amavit Milanion, et quæ speciosissima crura habuit. Quod ostendit Poëta et hic, et in Artibus, dicens: 'Milanion humeris Atalantes crura ferebat: Si bona sunt, hoc sunt aspicienda modo.' *Fugacis*] Velocis.

31 *Succinctæ*] Venatricis habitum exprimit. *Succinctæ Dianæ*] Sic Virgil. I. 'Succinctam pharetra, et maculosæ tegmine Lyncis:' ubi Servius non placet. Simpliciter intelligendum videtur, altius cinctam, et pharetram habentem. Quod ex illo patet, 'Nuda genu:' quo respexit Noster. Βαθύζωνος. Et Ennius Annal. XV. 'Succinctei corda machairis.' 'Succinctus trabea.' Virgil. Veteres utebantur verbo ζώσθαι, pro accingi, indui ad pugnam: εὐζωνότατος, Halicar. III. Contra, discinctus pro ignavo et inerti: 'Discinctus verna:' 'Discinctus nepos.' Transfertur etiam ad alia: pro instruere, munire, fulcire. Petron. in Schedio. 'His animum succinge bonis.' Justin. VI. 1. 'Pharnabazum et Tissafernem maximarum gentium viribus succinctos:' et lib. XXXV. cap. 1. 'Totius orientis viribus succinctus.' Vide Amor. I. Eleg. 9. 41. 'discinctaque in otia natus.'

32 *Sequitur feras*] Persequitur jaculis, et clamore premit.

35 *Cætera*] Sic in Metamorph. 'Si qua latent, meliora putat.'

36 *Condita*] Celata.

37 *Vis tamen interea tenues arcessere ventos*] *Faciles ventos* libri meliores; probe: vide Notas Trist. lib. I. El. 2. 81. *Heins. Interea*] Interim, dum ludi incipiant agi. *Faciles*] Leves, non impetuosos. *Arcessere*] Advocare.

38 *Quos faciant nostra mota flabella manu*] *Facies tabella* Puteaneus: *faciat tabella* prima editio, cum Jureti excerptis, Neapolitano, et sex aliis: plures, *faciet tabella*. *Tabella* hic legendum jam monui Notis ad lib. I. Artis 163. quæ consulantur. *Heins. Quos faciant nostra*] Hoc quoque ad ineundam puellæ gratiam facit.

Digitized by Google

41 *Alba nigro sparsa est tibi pulvere vestis*] *Alba levi* Puteaneus cum Excerptis Scaligeri et Politiani: in multis aliis extat *brevi*. Heins.

43 *Sed*] Particula hæc comica semper novum aliquid demonstrat. *Pompa*] Pompa in his ludis dicebatur ordo eorum, qui præcedentes, Deorum imagines circumferebant: post autem pompam sequebatur equorum cursus. *Linguis*] Quo ad verba et omina. *Animis*] Quo ad cogitationes bonas. *Favete*] Favere, inquit Festus, est bona fari: sed veteres Poëtæ pro silere usi sunt. Hoc autem verbo in sacris taciturnitas, in ludis favor indicitur. *Favete linguis*] Εὐφημεῖτε. Bona dicite verba.

45 *Sparsis Victoria pennis*] *Passis pennis* Puteaneus, Sarravianus, Arondelianus, et quinque alii; recte. Claudianus, 'Ipsa duci sacras Victoria panderet alas.' Sic et de pavone Horatius, 'picta pandet spectacula cauda.' Noster superiore libro El. 6. 'Ite piæ volucres et passis plangite pennis:' ita enim Arondelianus liber inter optimos: vulgati *pectora plangite pennis*. Heins. *Victoria*] Victoriæ simulachrum. *Pennis*] Victoria enim propter levitatem, et inconstantiam, ambiguitatemque alata fingebatur.

46 *Huc ades atque meus*] *Et meus hic* meliores. *Heins*. *Huc ades*] Mihi faveas, ut in amore meo vincam.

47 *Neptuno*] Cui sorte obtigit maris imperium: ex quo patet, inter reliquas Deorum imagines Circensibus Neptuni quoque simulachrum ferri solitum. *Nimium*] Per hoc, navigandi periculosum studium damnat.

48 *Nil mihi cum pelago*] Sic Labrax ille Plaut. in Rud. II. 6. a princip. 'Qui homo sese miserum et mendicum volet, Neptuno credat sese atque ætatem suam: Nam si quis quid cum eo rei commiscuit, Ad hoc exemplum amittit ornatum, domum.' Hinc Eurip. Hippol. πικρὰ ναυκληρία. *Me mea terra tenet*] *Capit* meliores. *Heins*.

52 *Artifices in te verte*] Id est, tibi plaudas. Omnium fere artium, lanificii præsertim, Dea dicitur Minerva.

53 *Agricolæ Cereri*] Meliores *Rurícolæ*. Heins. *Tenero*] Quia puer fingitur. *Assurgite*] Honoris causa.

54 *Castora placet eques*] Quod Pollux pugil, Castor autem equorum domitor extiterit, præter Homerum, ostendit etiam Propertius: 'Qualis et Eurotæ Pollux et Castor habenis, Hic victor pugnis, ille futurus equis.' *Placet*] Sibi conciliet.

55 *Nos*] Veneris simulachrum alloquitur. *Blanda*] Perpetuum est Veneris epitheton. *Potentibus*] Quia 'Regnat, et in dominos jus habet ille Deos.' *Puerique potentibus armis*] *Puerisque potentibus arcu* Puteaneus; recte: hinc illa, 'Armipotens,' 'ignipotens,' 'omnipotens,' et simília. *Heins*.

56 *Inceptis meis*] Quia modo puellam, cui assidebat, amare cœperat.

57 *Daque novæ mentem dominæ, ut patiatur amari*] Libri præstantiores *ut* non agnoscunt. Magna etiam pars codicum, *novam mentem: novam dominæ mentem* excerpta Dousæ. Scribe: *Daque bonam dominæ mentem*. Libro I. El. 2. 'Mens bona ducetur manibus post terga revinctis.' Lib. II. El. 8. 'Quid quod, in ancilla si quis delinquere posset, Illum ego contendi mente carere bona?' *Heins*. *Mentem*] Animum, voluntatem.

60 *Pace loquor*] *Loquar* vetustiores; malim etiam *major eras*. Heinsius. *(Pace loquar Veneris)*] Hac parenthesi utimur, quando oratio nostra aliquem offendere videtur. *Major*] Scilicet, ipsa Venere.

61 *Per superos juro testes*] *Per tibi tot juro testes. Juro tibi;* eleganter: sic lib. I. in Fast. 'Per tibi ego hunc juro fortem castumque cruorem.' Met. III. 'Per tibi nunc ipsum (neque enim præsentior illo Est Deus) adjuro.' Epistola Sapphus,

Digitized by Google

'Per tibi (qui nunquam longe discedat) Amorem Perque novem juro nomina nostra Deas.' Propertius libro II. Eleg. 20. 'Ossa tibi juro per matris et ossa parentis.' Mox vetustiores codices *tempus in omne peti*, non *fore*. Heins.

64 *Cancellis*] Clatris. Sunt autem ligna in transversum compacta instar retis, ex quorum foraminibus spectatur.

65 *Maxima*] Præcipua. *Jam vacuo*] Ante enim quam e carceribus emitterentur equi, omnes e Circo decedebant, ne impedimento essent currentibus. *Prætor*] Siquidem apud Romanos prætores præerant ludis exhibendis.

66 *Æquo carcere*] Pro, æqualibus carceribus.

67 *Cui fæveas video*] *Studeas* multi ex præstantioribus, quod probum: hinc 'studia partium.' *Heins.*

68 *Quod capias*] Imo *Quid*, cum Puteaneo et sex aliis. *Idem.*

69 *Spacioso circuit orbe*] Id enim industriæ et laboris erat in hoc certamine, ne adeo a meta agitator diversus abiret, ut inter ipsum et metam alius subiret; aut nimium metæ adhærens rotam frangeret. *Spacioso orbe*] Magno gyro.

70 *Admoto proximus axe subit*] Superius, vs. 12. quo etiam refer vs. 72. *Proximus arte subi*] *Subit* recte meliores. *Heins.*

72 *Tende*] Intende, trahe. *Valida*] Forti. *Lora sinistra*] Meta enim erat ad lævam.

73 *Favimus*] Puellam aspiciens hoc dixit. *Ignavo*] Inerti et pigro agitatori. *Sed tum revocate, Quirites*] *Sed enim* iidem probe. *Heins.*

74 *Et date jactatis undique signa togis*] Togarum enim jactatio signum erat revocationis.

77 *Patent*] Aperti sunt. *Iterum*] Revocatus enim fuerat. *Reserato carcere*] Apertis carceribus.'

78 *Et volat admissis*] *Evolat* præstantiores; nisi malis cum Juniano et tribus aliis *Et volat emissis:* emissis, scilicet, carcere: optimus Palatinus *Advolat amissis.* Heins. *Discolor*] *Discolor agmen* dixit, quia Circensibus ludis primitus fuerunt quatuor aurigarum factiones, Veneta, Prasina, Alba, et Rosea, a coloribus dictæ. Causam numeri et diversorum colorum hanc tradit Cassiodorus, ut quatuor anni tempora repræsentarentur. Siquidem Prasinus, qui color est viridis, virenti Veri dicatus erat, Roseus flammeæ æstati, Venetus nubilæ hyemi, Albus pruinoso autumno.

81 *Sunt*] Videbat enim agitatorem, cui puella favebat, ad metam pervenisse, et jam victoriam adeptum. *Mea vota*] Quæ sunt, ut in amore mihi obsequatur puella.

82 *Ille*] Equorum agitator. *Palmam*] Victoriam. *Palma petenda mihi est*] Reliquum est, inquit, ut ego quoque victoria potiar. *Palma petenda mea est*] *Mihi est* prima editio, Arondelianus, et Sarravianus cum sex aliis. *Heins.*

83 *Argutis*] Micantibus, radiantibus. *Argutis ocellis*] Idem Eleg. seq. vs. 9. 'Argutos habuit, radiant ut sidus, ocellos.' Quasi acute arguens animi affectum. Cic. I. de legib. 'Oculi nimis arguti, quemadmodum animo affecti sumus, loquuntur.' Item arguta exta: quæ maxime declarant, quod futurum sit. Instantes oculi. Epist. XVII. 78.

84 *Hoc satis est*] Excerpta Dousæ, *Hoc satis hic:* quod et Naugerius in suis invenerat; sequor: duo alii ex nostris, *Hæc satis hic;* etiam non male. *Heins. Hoc*] Scilicet quod ocellis promisisti. *Hic*] In Circo. *Redde*] Da mihi. *Domin.*

Digitized by Google

ELEGIA III.

1 *Esse Deos credamus*] Puteaneus et optimus Palatinus, *hic crede*. Scribe, *i, crede;* elegans loquendi modus, sed non raro ab oscitantibus librariis interversus: de quo nonnihil jam ad Claudianum diximus, et supra ad Epist. 4. 127. Ep. Deianiræ, ' I nunc tolle animos et fortia facta recense.' Epicedio Drusi, ' I nunc et, rebus tanta impendente ruina, In te unam oculos et tua damna refer.' Art. Am. I. ' Atque ait exta tenens, Ite, placete meo.' Remed. ' Tu tamen i, quamvis firmis retinebere vinclis: I procul, et longas carpere perge vias:' ita ex vestigiis membranarum utroque loco scribendum. Et postea, ' Quæris, ubi invenias? artes, i, perlege nostras;' sic veterrimus Regius. Et mox denuo, ' Tu tamen, i, numero pugna; præceptaque manu Contrahe.' Et ' I fruere usque tua nullo prohibente puella.' Elegia de Nuce, ' Scilicet ite, oleas distringite, cædite messes:' ita et illic ex vestigiis veteris scripturæ emendo. Fast. VI. ' Si vir es, i, dictas exige dotis opes:' ubi perperam *indictas* nunc legitur. Pont. II. El. 3. ' Nil nisi quod prodest, carum est: i, detrahe menti. Spem fructus avidæ, nemo petendus erit:' sic et ibi ex vestigiis codicum refingo. Virgilius, ' Tyrrhenas, i, sterne acies: tege pace Latinos.' Catalectis Pithœi, ' I nunc et vitæ fugientis tempora vende Divitibus cœnis.' In iisdem pag. 33. ' I nunc et Reges tantum fuge; vivere doctus: Uni vive tibi, ne moriare tibi:' sic scribo; veterrimus enim codex Vossii sub finem, *nam moriare;* est ironia: idem codex *Nunc et Reges tantum fuge:* nimirum excidit τὸ *I* initio versus. Allusit ad illa Martialis lib. X. Ep. 96. ' i, cole nunc reges.' Sic supra Amor. I. El. 7. ' I nunc magnificos victor molire triumphos:' veterrimus Puteaneus *I* non agnoscit; unde alii codices postea finxerunt, *Nunc jam, Nunc nunc, Nunc tibi*, et similia. Martialis lib. XI. 71. ' Vende senes servos, agros, i, vende paternos:' sic et ibi lego; nam duo libri veteres *ignoscent vende:* nihil usitatius hoc loquendi modo apud Poëtas. Sed illud minus obvium, pari modo *abi* illos dixisse. Lucretius lib. III. ' Aufer, abi, hinc lacrumas, balatro, et compesce querelas:' ita locus mendosissimus fingendus; vulgati frigide, *Aufer abhinc lacrumas, barde, et compesce querelas.* Scripti plerique, quos inter duo Vossiani veterrimi *baratre:* unus Lambini *baratro;* quod illi frustra arrisit: balatronem pro homine nihili aut nugaci veteres videntur sumsisse; quo significatu etiam apud Varronem occurrit lib. II. de re rustica cap. 5. vide Festum in *Balatrones*, et Observationes parentis mei ad lib. II. Sat. 3. Horatii: hæc παράφρασις. *Heins. Esse Deos i, crede: fidem jurata fefellit, &c.*] Deceptus Naso puellæ jurejurando, cum eam nulla affectam pœna videret, de Diis dubitat. Aut, inquit, nulli sunt Dii, et falsa religione tenemur: aut si sunt, puellis nimium indulgent. *Jurata*] Quæ juravit.

4 *Postquam numina lusit*] Rectius *lusit* quinque scripti cum excerptis Jureti. Sic infra, ' Et mecum lusos ridet inulta Deos.' ' Fallere Deos' Epistola II. 37. ut illic observavi. *Heins. Lusit*] Pejerando.

6 *Lucet ore*] Tantum egregio decus enitet ore.

7 *Pedis est aptissima forma*] *Artissi-*

Digitized by Google

ma meliores; frustra. *Heins. Pedis est artissima forma*] Non major factus est post perjurium.

8 *Longæ decensque*] Id est, longa cum decore. *Manet*] Postquam numina læsit.

9 *Argutos*] Micantes.

10 *Per quos mentita est*] Et puellæ per suos oculos jurabant. Tibullus libro tertio, 'Et si perque suos fallax juravit ocellos.' *Per quos mentita*] 'Tetigit puer oculos suos, conceptissimisque verbis juravit.' Petron.

11 *Scilicet æterni*] *Æterno* prima editio cum Puteaneo, optimo Palatino, et sex aliis; quod esset pro *æternum;* ut habent duo alii. Plinius lib. II. cap. ult. 'Viret æterno hunc fontem igneum contegens fraxinus. Exit in Mutinensi agro statis Vulcano diebus.' *Heins. Falsum jurare*] Pejerare.

12 *Forma*] Corporis pulchritudo. *Habet numen*] In Deos jus habet.

14 *Et doluere mei*] Quasi hic dolor provenerit ex perjurio puellæ.

15 *Fefellerit illa*] *Fefellerat* meliores. *Heins.*

16 *Alterius meriti*] *Meritis* opt. Palatinus, et unus Moreti. *Idem. Alterius meritis*] Alterius peccatis. *Damna*] Oculorum dolorem, quem pati debuerat ipsa puella, criminis rea.

17 *At non*] Cassiopea, Cephei regis Æthiopum uxor, adeo forma superbivit, ut ausa fuerit ubique jactare se Nereidibus esse pulchriorem. Fabulam tetigit Hyginus, et Naso Metam. IV. Inquit igitur hic Poëta: O Di, nonne satis invidiæ contraxistis quando pro Cassiopeæ matris peccato insontem filiam Andromedam mori jussistis? nunc quoque me immeritum perjuria puellæ luere facitis? *Cepheis virgo*] Andromeda, Cephei filia.

18 *Male formosa*] Quia formæ superbia adjuncta erat, unde mortis periculum filiæ evenit. *Jussa*] A Jove Ammone. Hoc tamen Poëta nunc ad omneis Deos refert. *Parente*] Matre Cassiopea. *Mori*] Quia cete devoranda exposita fuit.

19 *Quod vos*] Quod vos cum fraude testata est, et vos una mecum læserit. *Habuit sine pondere testes*] *Habui* cum castigatioribus scribendum. *Heins.*

27 *Nobis*] Ira, inquit, Deorum, viris tantum nocet, fœminis autem parcit. *Nobis*] Contra nos, in nostram perniciem. *Nobis accingitur*] Archaismus. Sic antiqui dicebant, ut Servius ad illud Virgil. 'impar congressus Achilli.' 'Pelidæ tunc ego forti Congressum Æneam, nec Dis nec viribus æquum, Nube cava eripui.' *Fatifero*] Fatum, id est, mortem, ferente: letifero. *Accingitur*] Armatur.

28 *Palladis*] Quæ et ipsa bellis præest. *Hasta*] Quod est Palladis telum: unde dicta est Pallas, ἀπὸ τοῦ πάλλειν, id est, a vibrando.

29 *Nobis*] In nostra damna. *Curvantur*] Intenduntur.

33 *Imponere curat*] *Curet* opt. Palatinus; sed nil necesse: vide infra quæ noto ad Eleg. 8. 1. *Heins.*

35 *Arces*] Sancta Deorum templa.

37 *Tot meruere pati*] Imo *peti;* fulmine nimirum: atque ita libri præstantiores; idque Clofanus in uno ex suis invenerat. Elegia de Nuce, 'Optavi valido fulminis igne peti.' Trist. I. El. 1. 'Me reor infesto, cum tonat, igne peti.' *Heins. Tot meruere*] Cum Semelem Cadmi et Hermionis filiam Jupiter amaret, Juno pellicis impatiens eam de medio tollere decrevit. Fabulam narrat Ovid. Metam. III. *Arsit*] Jovis fulminibus incensa et extincta est.

38 *Officio*] Beneficio: quia obsecuta est Jovi. Sensus est: Cum Semele bene merita esset de Jove, ab illo pœnis est affecta: eoque pacto Jupiter illi gratiam retulit, beneficiorum memor.

39 *At si*] Sed si, inquit, Semele

Digitized by Google

subterfugisset Jovem cum fulminibus properantem in suos complexus, extincta non esset, nec ejus utero cæso Bacchus infans adhuc immaturus femori Jovis inautus fuisset. *Amanti*] Jovi.

40 *Pater*] Jupiter. *In Baccho*] Scilicet ferendo. *Matris onus*] Quod mater Semele ferre utero debuerat. Sane hac de causa Poëtæ bimatrem Bacchum appellarunt, et *Dithyrambon*, quod διὰ δύο θυρῶν, hoc est, per duas januas transierit. *Haberet onus*] *Opus* Puteaneus et Barberinianus cum Scaligeri Excerptis: sed *onus* rectum est. Adi Notas Fast. III. 718. *Heins.*

41 *Toto facio convitia cœlo*] *Toti* magis arridet cum duobus scriptis: vide Notas Remed. Am. 507. *Idem. Convicia*] Jurgia. *Cœlo*] Id est, Deis, qui cœlum habitant.

43 *Sine fraude*] Sine lesione, impune. *Liceret*] Scilicet, per me: id est, permitterem.

45 *Ipse ego jurarem*] Perjurio puellæ perjurium meum adderem, dum eam defendere studerem. *Verum jurasse puellas*] *Jurare* Puteaneus, Arondelianus, et duo alii. *Heins.*

46 *Tetricis*] Severis. *Dicerer esse Deis*] *Deus* idem cum prima editione et multis scriptis. *Heins. Tetricis*] De Dis non tristibus, Metam. IV. 187. Respicit Poëta ad illud Homer. Od. Θ. 351. Δειλαί τοι δειλῶν γε καὶ ἐγγύαι ἐγγυάασθαι.

47 *Tamen*] Licet tibi indulgeant. *Illorum*] Deorum. *Moderatius*] Parcius. *Dono*] Indulgentia.

48 *Aut oculis certe*] Aut saltem noli per meos oculos falso jurare, ne inde mihi dolor accedat. *Domin.*

ELEGIA IV.

1 *Dure vir, imposito teneræ custode puellæ, &c.*] Maritum puellæ, cui adhibitus fuerat custos, monet, ne tantopere servare eam velit: quia frustra id faciat. Ingenua enim mulier, quanto majorem habet peccandi potestatem, tanto minus peccat. *Imposito*] Addito.

3 *Metu dempto*] Ablato peccandi timore. Sensus est: Si quæ, cui est peccandi potestas, non peccat, illa est dicenda casta et pudica: non autem, quæ, quia non licet, pudica esse cogitur.

5 *Ut*] Quamvis. *Bene*] Diligenter. *Corpus*] Scilicet, puellæ: quia animus servari minime potest. *Adultera mens est*] Quia animo et voluntate peccat.

6 *Custodiri*] Servari.

8 *Omnibus exclusis*] Prima editio et duo scripti, *occlusis;* venusta repetitione: nisi superiore versu legas, *licet omnia serves;* quod est in quinque codicibus. *Heins. Intus*] In mente et animo.

10 *Nequitiæ*] Lasciviæ, libidinis. *Languidiora facit*] Hoc est, quod supra dixerat: 'Quod licet, ingratum est: quod non licet, acrius urit.'

12 *Obsequio vinces aptius ipse tuo*] *Illa* meliores, quod sequendam existimo. *Vincas* etiam unus Moreti. *Heins.*

13 *Contra sua frena tenacem*] *Vincla* meliores omnes recte: *frena* alterius interpretamentum est, quod et mox sequitur. *Idem.*

14 *Fulminis ire modo*] Id est, velocissime.

15 *Constitit*] Se repressit, cursum

Digitized by Google

inhibuit. *Concessus*] Immissas.

16 *Frenaque in effusas laxa jacere jubas*] *In effusa juba* Puteaneus cum multis aliis. *Heins. In effusa juba*] Equi exemplo probavit Poëta, obsequium valere plus quam vim, ad regendam uxorem.

19 *Centum fronte*] Ius et Danaës exemplo ostendit, non tutum esse puellam servare: cum tutius sit, liberam amoto custode eam habere. Nam Penelopen nemo servabat; ea tamen, quamvis inter lascivam procorum turbam versaretur, pudicissima mansit, et absenti viro fidem incorrupta servavit. *Centum oculos*] Id est, plurimos. Argus enim non poterat, nisi quinquaginta oculos in fronte, et totidem in cervice habere, tot enim illi dat Naso, cujus hæc sunt verba ex lib. I. Metamorph. 'Centum luminibus cinctum caput Argus habebat.' *Cervice*] Ut et aversus videre posset.

20 *Argus*] Hic Arestoris filius, armentorum Junonis pastor fuisse dicitur. *Hos*] Licet multi essent. *Sæpe fefellit*] Innuit Jovem sæpenumero oculatum Argum fefellisse, dum in Ius amasiæ suæ amplexus iret, postquam in vaccam versa, et a Junone custodienda ipsi Argo est tradita; ut ostendat, parum prodesse custodiam.

21 *In thalamo Danaë saxo ferroque perenni*] *In thalamum perennem* prima editio et castigatiores scripti: recte *perennem;* sic 'perennem adamantem' Met. xv. vs. 113. dixit: quem 'invictum' vocavit Pont. IV. El. 12. alludens ad Græcum adamantis nomen. Claudianus, 'Mansuroque adamante ligat.' *Heins. Danaë*] Acrisii Argivorum regis filia. *Saxo ferroque*] Id est, munitissima turri. *Danaë in thalamum tradita*] Quod etiam attingit Propert. II. 32. 'Nec minus ærato Danaë circumdata muro, Non potuit magno casta negare Jovi.' Pausan. in Corinthiac. dicit subterraneum fuisse conditorium ibique thalamum ex ære. Et Lucianus in Timoth. Κατάπερ τὴν Δανάην παρθενεύεσθαι ἐν χαλκῷ ἢ σιδηρῷ θαλάμῳ. Adi l. II. Amor. Eleg. 19. 27. Et Horat. Od. III. 16.

22 *Quæ fuerat virgo credita*] Iidem meliores *tradita*. Heins. *Mater erat*] Quia ex Jove Perseum conceperat.

23 *Penelope*] Contra Penelope incustodita pudicitiam servavit. *Quamvis custode careret*] *Carebat* meliores. Scriverianus *vacaret:* sic Met. II. 'Jupiter ut vidit' fessam et custode vacantem.' *Heins.*

24 *Inter tam multos*] *Inter tot juvenes* Puteaneus, quod sequor; quomodo et Scaligeri excerpta et Arondelianus. *Idem. Intemerata*] Inviolata, incorrupta. Ergo unaquæque tuenda est ingenio suo.

25 *Quidquid*] Alio argumento dissuadet marito custodiam uxoris. *Servatur*] Custoditur. *Furem*] Adulterum.

26 *Cura*] Id est, servandi diligentia, et accurata custodia. *Vocat*] Provocat.

27 *Facie*] Faciei pulchritudine. *Illa*] Tua uxor. *Sed amore mariti*] Arbitrantur enim, uxorem tuam longe pulchriorem esse, quam illis appareat, cum tu ex nimio amore ei custodem adhibueris.

29 *Proba*] Pudica, casta. Contra improba dicitur impudica et lasciva.

30 *Ipse timor*] Sensus est: Ipsa puella magis censetur timore mariti, quam corporis pulchritudine.

32 *Sola placet, Timeo*] Ordo est: Si qua potest dicere, Timeo, scilicet, mariti minas, custodis sævitiam, et hujusmodi verba: quibus ostendit fœmina non nisi difficulter adulteris copiam sui facere posse.

37 *Rusticus*] Durus, difficilis.

38 *Et notos*] Et non satis cognoscit ille mores urbis Romæ, in qua non possunt retineri puellæ, quo minus peccent.

39 *In qua*] Urbe Roma. *Martige-*

Digitized by Google

na] A Marte geniti. *Sine crimine*] Ex sacrilegio enim nati sunt: quod gravius est crimen, quam adulterium.

40 *Iliadesque Remus*] *Remos* Puteaneus. *Heins.*

41 *Quid tibi formosa*] Alii, *Quid formosa tibi*: prima editio et duo scripti, *Quid tibi formosam*. Lege cum Puteaneo et optimo Palatino, *Quo tibi formosam*, ut jam monuimus Ep. II. 53. Arondelianus, *Quo tibi formosa*: vidit jam ad Senecam Gronovius. *Idem. Si non nisi casta placebat*] Si casta uxor tibi placebat, non formosam ducere debebas.

42 *Ista*] Forma et castitas. *Non possunt coire*] Id est, misceri, et simul esse. Sic Juvenalis: 'Rara est adeo concordia formæ Atque pudicitiæ.'

44 *Rigidi*] Asperi. *Jura*] Potestatem.

46 *Sic*] Cum uxoris opera gratiam acquisiveris.

48 *Et quæ non tuleris*] *Dederis* codices meliores ad unum omnes. Pro *domi* Barberinus *dare*. Forte, *Et, quæ non dederis, multa videre dari*. Heins. *Et quæ non*] Præterquam quod ad convivia semper invitaberis, domi quoque tuæ, res crescet: nam adulteri multa munera uxori tuæ dabunt. *Domin.*

ELEGIA V.

Hæc Elegia, quæ sub finem operum Ovidianorum fragmenti nomine perperam hactenus legebatur, huc revocanda est ex fide optimorum ac veterrimorum codicum; uti parens meus jampridem monuit. *Heins.*

1 *Lassos submisit ocellos*] *Lapsos* pro diversa lectione Sarravianus; utrumque probum est. Sic Seneca Ep. VIII. 'Oculos vigilia fatigatos cadentesque' dixit. Trist. III. El. 4. ex scriptis. 'Labentes oculos condet amica manus:' ubi plura. Propertius lib. I. El. 10. 'Quamvis labentes premeret mihi somnus ocellos.' Et Eleg. 3. ejusdem libri, 'Dum me jucundis lapsam sopor impulit alis:' ubi frustra *lassam* Lipsius reponit. Noster tamen Epistola Herus, 'subit furtim lumina fessa sopor.' Idem Propertius l. II. El. 15. 'Illa meos somno lapsos patefecit ocellos:' sic veteres libri. Quintilianus in Procemio lib. VI. de filio moriente, 'Tuosne, o mea spes inanis, labentes oculos, tuum fugientem spiritum vidi?' Petronius, 'Ego tremulis manibus Enmolpi jam in soporem labentis laciniam duxi.' *Idem.*

2 *Terruerant*] *Terruerunt* Puteaneus; recte: dixi Ep. VII. 166. *Idem. Visa*] Insomnia, quæ videre per quietem visus sum.

3 *Aprico*] Soli exposito, ac propter hoc florido et amœno. *Celeberrimus*] Maxime frequens.

5 *Area*] Campus, planicies. Proprie area locus est æquus consolidatusque, in quo rustici frumentum triturant. *Graminoso*] Herboso.

6 *Humida*] Puteaneus *Uvida*. Avienus Ora Maritima, 'Uvetque semper dulcibus tellus aquis.' Sic 'uvida vestimenta' apud Horatium l. I. Od. 5. ut est in libris antiquis. Fast. IV. 'Valle sub umbrosa locus est aspergine multa Uvidus ex alto desilientis aquæ.' Et 'Huc ego Pelignos natalia rura petebam, Parva, sed assiduis uvida semper aquis:' sic repono; nam libri veteres *obvia*. Met. l. V. 'Frigora dant rami: varios humus uvida flores:' sic et ibi lego; nam *humus humida* ingratum sonat. Vir-

Digitized by Google

gilius Georg. I. 'et Jupiter uvidus Austris:' quomodo veterrimus Mediceus. In Bucolicis dixerat, 'Uvidus hyberna venit de glande Menalcas.' *Heins.*

11 *Nives recentes*] Metam. II. 854. 'Quippe color nivis est, quam nec vestigia duri Calcavere pedis, non solvit aquaticus auster.' Item de Ponto II. 'Et non calcata candidiora nive.' Sic et Rhesi equos Euripides comparat cum cygnorum candidis pennis: v. 618. Ἀτίλβουσι δ' ἔστε τοταμίου κύκνου πτερόν.

13 *Candidior*] Ordo est: Vacca candidior lacte, quod albet, spumis adhuc stridentibus, et modo reliquit ovem siccatam.

14 *Reliquit ovem*] *Relinquit* Puteaneus et unus Vaticanus. *Heins.*

16 *Teneram*] Propter molles herbas.

17 *Lente*] Avide enim pascuntur, et tarde ruminant boves. *Revocatas*] In os reductas: eo enim pacto fit ruminatio.

18 *Atque iterum pasto*] Ita citat Servius ad Eclog. VI. frustra Puteaneus ergo *facto cibo*. Heins. *Atque iterum, &c.*] Ruminationem describit.

19 *Somno vires adimente ferendi*] *Ferenti* Puteaneus, Arondelianus, et unus Moreti; scilicet, terræ: sic Statius, 'quantaque ferentem Fortunam virtute domas!' Ita et 'ferentes venti' Poëtis. Fuit cum *virenti terræ* scribendum censerem: quod confirmat Mentelianus. *Heins.*

20 *Cornigerum terræ*] *Terra* Puteaneus et Arondelianus. *Idem.*

23 *Bovis*] Vaccæ. Per hunc candorem amicæ suæ simplicitatem ostendit. *Petulanti rostro*] Per hoc designat lenæ procacitatem et petulantiam, in prævertendo puellæ animo.

24 *Fodit; et albentes*] *Cædit* Fragmentum Patavinum; quod placet. Scriverianus *Rodit*. Heins. *Albentes*] Per hoc candorem et probitatem ex puellæ animo sublatam demonstrat.

25 *Diu cunctata*] Per hoc ostenditur puellæ probitas, quæ haud facile impelli potuerit, ut statim amatorem suum relinqueret. *Reliquit*] Rectius *relinquit* in Menteliano. *Heins.*

29 *Illic se rapuit*] *Illuc* cum prima editione et scriptis melioribus: sic alibi, 'Quo te rapis?' *Idem.*

30 *Et petiit herbæ fertilioris opem*] *Humum* Puteaneus et Sarravianus cum prima editione, Jureti excerptis, ac quatuor aliis scriptis. *Idem. Petiit*] Carpsit: ut supra, 'Ecce potens variis immistas floribus herbas.' *Herbæ fertilioris*] Per hoc largioribus muneribus, quam quæ a se dabantur, corruptam puellam demonstrat.

31 *Nocturnæ imaginis*] Id est, insomnii. Somniorum autem interpretationem, sicut etiam ostentorum, Amphictyon primus invenit. Auctor Plin. Natur. hist. l. VII.

33 *Sic ego*] Subaudi, dixi.

34 *Expendens*] Quatuor, *Exponens*; totidem *Expediens*. Quomodo Fast. III. in re simili, 'Expedit errantem nemori gratissima conjux.' Unus *Attendens*; duo *Extendens*; unus *Excedens*; unus Ambrosianus *Executiens*, non male. Vulgati quidam *Excudens*. Heins.

35 *Quem tu*] Verba sunt auguris interpretantis somnium.

36 *Æstus amoris*] Ardor ex amore proveniens, qui male vitatur.

40 *Ingenium dominæ lene movebit anus*] Scribe cum melioribus ac prima editione *lena anus*: septem alii *prona*. *Movebit* etiam rectius quatuor scripti. *Heins. Ingenium*] Bonam puellæ naturam et animum. *Movebit*] Sollicitabit, prævertet.

42 *Frigidus*] Solus, sine puella.

44 *Labe*] Turpitudine.

46 *Et ante oculos nox stetit alta meos*] Hoc quidem usu venire solet, ut præ nimio timore et dolore sensus amittamus, et vel medio die nos in tenebris esse existimemus. *Domis.*

Digitized by Google

ELEGIA VI.

1 *Amnis*] Magis proprie inferius 'Torrea' dixit. *Domin.* Amnis de quo hic agit Poëta, is est qui prope Sulmonis mœnia labitur, quem nostro idiomate *Vellam* dicimus. *Ciofan.* *Arundinibus*] Id est, cannis, calamis, quibus fluminum ripæ abundant. *Limosas*] Lutulentas, cœnosas. *Obsite*] Pro, obsitas et circumsitas habens ripas arundinibus.

2 *Ad dominam*] Ad amicam meam. Causam petitioni præponit, ne prima fronte arrogans videatur.

3 *Nec quæ*] Nec tibi sunt lintres et naviculæ, quæ fune trahantur, et ad ulteriorem ripam homines trajiciant. *Remigis*] Nautæ, qui remo naviculam impellat.

4 *Concava cymba*] Periphrasis est lintris. Lintres enim naviculæ sunt e cavatis arboribus confectæ. *Cymba*] Proprie cymba ea dicitur navicula, cujus in medio major est latitudo; hanc Phœnices invenerunt. *Rudente*] Nautico fune.

5 *Refugi*] Recusavi, timui.

7 *Ruis*] Cum magno impetu fluis. *Appositis*] In manuscriptis legitur, *opposito*, id est, adverso monte: hic enim mons e regione et in conspectu fluminis erat. Hunc altum et sublimem montem *Majellam*, vocant. *Solutis*] Liquescentibus. *Opposito nivibus de monte solutis*] *Adposito* Puteaneus et reliqui majori ex parte: nisi quod in plerisque eorum *appositis*: *apposito monte*, recte; sic supra Elegia prima hujus libri 'appositam aquam' pro vicina dixit. Val. Flaccus l. v. 556. 'longo nam tuta recessu Puppis, et apposita fluvius defenditur urbe:' ubi pari modo in vulgatis libris peccatur. Corippus, 'Portus, quem geminæ complexant brachia ripæ Mœnibus appositis.' Propertius lib. II. El. 9. 'dominum lavit captiva cruentum Appositum flavis in Simoënta vadis:' quomodo locus vexatissimus scribendus; ni mavis *apposito Simoënte*. De 'fluviis vadis' nollem argutati essent viri eruditi. Amor. I. El. 2. 'appositas sparsit in ora rosas.' Infra El. 14. 'Apposita populum submovet ante sera:' ita codex optimus. Plura qui cupit, adeat, quæ notamus ad Epist. VII. et IX. *Heins.*

8 *Crassas*] Turbidas, cretosas. *Gurgite*] Alveo.

9 *Quid pauca dedisse quieti Tempora*] *Parva* libri quatuor: *parca* Puteaneus cum Jureti et Scaligeri excerptis. Sic lib. II. El. 15. sub finem ex codice Menteliano, *parcum proficiscere munus*: 'Grana parca' ex antiquis libris Art. Am. l. III. 54. et Fast. II. 538. 'vena parca' Trist. III. El. ult. ut scribendum puto: etiam Art. Am. III. 'parca aduta,' et 'parca crimina,' ex scriptis codicibus. *Heins.* *Quid*] Frustra, inquit, ante lucem propere huc veni, siquidem hic cessandum est. *Quid parca dedisse quieti Tempora*] Id est, me somno fraudasse festinationis causa.

10 *Quid nocti conseruisse diem*] Id est, ante diei ortum surrexisse? *Conseruisse*] Conjunxisse.

12 *Ripa premenda pede*] *Pedi* rectius quinque libri. *Heins.* *Premenda*] Calcanda. Si ad ulteriorem ripam pervenire non possum.

13 *Nunc ego*] Sic cupere dicit aut Persei talaria, aut Triptolemi currus, quibus per aërem vehatur ad ripam ulteriorem. *Opto pennas*] Mercurii talaria, alas. *Danaëius heros*] Id est, Perseus, Jovis et Danaës filius: fabulam pete ex Ovidio, Hygino, &c.

Digitized by Google

14 *Densum*] Spissum anguibus pro capillis. *Angue*] Pro anguibus. *Caput*] Scilicet, Medusæ.

15 *Nunc opto currum*] Malo *optem*. Trist. lib. III. 'Nunc ego Triptolemi cuperem conscendere currum.' *Heins.* *Currum*] Qui ab alatis draconibus per aëra tractus, Triptolemum vehebat, qui frumenti usum et agriculturam docuit: vide Nasonem Metam. v. *Cerealia semina*] Id est, fruges, quarum Ceres Dea dicitur.

16 *Rude solum*] Incultam terram.

18 *Nec tulit hæc unquam*] *Nec tulit hæc, nec fert* duo Moreti, cum Neapolitano, Menteliano, ac uno Palatino, placet. Sic Homerus, Ὅς ῥ' ἤδη τά τ' ἐόντα, τά τ' ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα, de Calchante. Apollo apud nostrum Met. I. 'per me quod eritque fuitque Estque, patet.' *Heins.*

20 *Æternus eas*] Perpetuum fluas. Æstatis enim tempore hujusmodi brevia flumina siccantur. *Labere fine tuo*] Effusus enim super ripas, terminum, ad quem fluere solitus fuerat, transierat.

21 *Non eris invidiæ, &c.*] Omnes te acerbissimo odio prosequentur, quicunque audient, te mihi ad amicam properanti obstitisse. *Torrens*] Proprie torrens fluvius is dicitur, qui æstatis tempore siccatur. *Ferendæ*] Tolerandæ. *Domin.*

25 *Inachus in media Bithynide*] Quidam in *Nympha*. Excerpta Politiani *Melia*. Puteaneus cum excerptis Scaligeri *Melie;* quomodo Parrhasius Epist. VI. et Naugerius in Notis; qui videantur. Hæc opinor Amyci Bebrycis mater fuit: nam et illa Βεβρυὶς Μελίη Apollonio dicta initio libri II. Argonautic. hinc emenda Apollodorum libro primo: ubi Ἀμύκος Ποσειδῶνος παῖς καὶ Βεβρυίδος dicitur, cum vox una exciderit: scribendum enim καὶ Μελίης Βεβρυίδος. *Melien* quoque Valerius Flaccus appellat, et Hyginus. *Heins.* *Inachus*] Fluvius hic est Achaiæ, sic dictus ab Inacho primo Argivorum rege. *Melie*] Est nomen proprium Nymphæ, ex qua Neptunus Amycum suscepit: ut refert Servius super illud Virgilianum Æneid. v. 'Bebricia veniens Amyci de gente ferebat.' *Pallidus*] Quia color est hic aptus amanti.

26 *Gelidis inoluisse vadis*] A contrariis exornavit. *Inoluisse*] Amoris incendio arsisse.

29 *Quid non Alpheon*] Fabula talis est: Arethusa virgo, Dianæ comes, cum post venationis laborem se abluere in Alpheo flumine, ab eodem est adamata: illum tamen fugiens, ne virginitatem amitteret, Dianæ auxilio in fontem sui nominis mutata est, et in Siciliam per subterraneos meatus devenit, quousque eam insecutus est Alpheus: ut scribit Naso Metam. v. *Diversis currere terris*] Quia ab Arcadia per secretos meatus in Siciliam venit, dum Arethusam sequeretur, ut diximus.

30 *Virginis Arcadiæ*] Arethusæ. *Adegit*] Impulit.

31 *Te quoque promissam Xantho, Penee, Creusam Phthiotum terris occuluisse ferunt*] Suspicabar aliquando scribendum esse *promissam Xutho;* et intelligebam de Creusa Erechthei Athenarum Regis filia, quæ Xutho Thessalo Hellenis filio nupsit: rem narrat Pausanias Achaicorum initio; tum et alii, qui addunt ab Apolline compressam Ionem genuisse; atque hinc Apollinem πατρῷον ab Atheniensibus cultum. Sed cum Pindarus Pythiorum Od. IX. Creusam Naidem Terræ filiam a Peneo amatam innuat, nunc muto sententiam. De Xutho tamen placet conjectura, quod is Thessalus fuerit. Xanthus toto orbe a Thessalia remotus locum hic vix habet: præsertim cum ejus amores paulo ante jam occurrerint. *Phthiotum* autem *terris* reposuimus ex Puteaneo codice; in quo *Phiotum* cum *Phthiiadum* ante legeretur: sed quod codices plerique *Phitiadum* et *Phicia-*

Digitized by Google

dum agnoscunt, opinor scribi debere, *Creusam Phthiada sub terris occuluisse ferunt*. *Creusam Phthiada* ut ab Atheniensi altera Xuthi amica distinguat. De voce *Phthias* diximus ad Ep. VII. *Heins.* *Te quoque*] Peneus quoque ejusdem Neæræ, quam Xanthus amavit, et cui antea promissa fuerat, amore captus, eam abscondidit apud Phthiam, ne sibi eriperetur. *Penee*] Peneus fluvius est Thessaliæ, qui inter Ossam et Olympum nemorosa convalle defluit. *Domin.* *Xantho Penee Neæram, &c.*] *Creusam.* Pindarus Od. IX. Pythiorum, ex Creusa Naiade, et Peneo, Hypseum regem Lapitharum patrem Cyrenes natum dicit: ipsam autem Creusam *γαίας θυγατέρα* vocat.

33 *Asopon*] Asopus amnis juxta Thebas Bœotias fluit. Hic amavit Theben Nympham, ex qua quinque filias suscepit. *Martia*] Bellicosa. Aut quia ex ea Mars suscepit Euadnen. *Domin.*

34 *Natarum Thebe quinque futura parens*] Has quinque recenset interpres Pindari Od. VI. Olympiorum, his nominibus: Corcyra, Ægina, Salamis, Thebe, et Harpinna: easque natas ex Metope dicit, quæ filia Ladonis. Sed Ovidius alios secutus auctores videtur, qui matrem harum Thehen facit, non Metopen. *Micyll.*

35 *Cornua si tua sunt ubi nunc*] *Si tua nunc ubi sint* meliores, recte. *Heins.* *Cornua si tua*] Achelous filius Oceani et Tethyos, pariter cum Hercule Deianiram Œnei Calydoniæ regis filiam petierunt: quamobrem in certamen ambo descenderunt. Fab. scribit Ovid. Metam. IX. *Requiram*] Quæram.

36 *Irata manu*] Pro, manu Herculis irati. *Fracta*] A fronte rupta.

37 *Calydon*] Calydonia civitas fuit Ætoliæ, ubi regnavit Œneus Deianiræ pater. *Ætolia*] Regio hæc est contigua Acarnaniæ, Phocidi, et Locris: sic dicta ab Ætolo rege, Martis filio.

38 *Una*] Sola Deianira fuit tanti, ut Achelous esset cornibus mutilatus.

39 *Ille fluens*] Nilus quoque Euadnen Asopi filiam amavit. *Dives*] Propter ingentem aquarum copiam, aut quia sua inundatione fertilem et divitem reddit Ægyptum.

40 *Qui patriam*] Nili fons ignoratur, et incertus est; quamvis Juba rex Nili ortum reperisse dicatur in monte Mauritaniæ. *Patriam*] Originem, fontem. *Tantæ*] Tam copiosæ. *Qui patriam celat aquæ*] Multi multa de Nilo, nec reperire ejus fontem potuerunt. Noster ad fabulas refert in Metam. II. 254. 'Nilus in extremum fugit perterritus orbem, Occuluitque caput, quod adhuc latet.' Vide inprimis Plutarch. de placit. Philosophor. ibidemque de Nili incremento varias variorum sententias: quarum pleræque ridiculæ. Interim non abs re videtur Homeri versiculus. Od. Δ. 581. Ἂψ δ' εἰς Αἰγύπτοιο διιπετέος ποταμοῖο Στῆσα νέας. Quod Lucanus X. videtur attingere: 'medio consurgis ab axe:' idque fortasse ad australes et æstivas pluvias nivesque liquefactas referendum, unde illa inundatio et incrementum Nili. Euripid. quoque in Helena vers. 3. ad nives liquefactas respicit: Λευκῆς τακείσης χίονος ὑγραίνει γύας....Νεῖλος ....Καὶ Αἰγύπτου πέδον. Vide Lindsch. in descriptione Chinens. ubi de lacu Caire, fonte Nili in Congo.

41 *In Euadne collectam*] Sensus est: Quamvis Nilus maximam habeat aquarum copiam, illa tamen non potuit extinguere amoris incendium, quod ipse collegerat in Euadne, quam ardentissime amavit. *Asopide*] Patronymicum est a marito matris. Euadne enim hæc filia fuit Martis ex Thebe uxore Asopi. *Flammam*] Amoris incendium.

42 *Vincere*] Extinguere.

43 *Siccus*] Enipeus etiam fluvius, et Tyro Salmonei filia se invicem miro

Digitized by Google

amore dilexerunt. *Salmonida*] Id est, Tyro, filiam Salmonei, qui in Pisana regione dicitur regnasse. Hanc Neptunus in Enipei formam versus compressit, ex quo compressu nati sunt Pelias et Neleus. *Enipeus*] Duos hujus nominis fluvios legimus, alterum Achaiæ, alterum Thessaliæ.

45 *Nec te prætereo, qui per cava saxa volutus*] *Volutans* Puteaneus et complures alii. Deinde Sarravianus cum Menteliano *Nec te præteream*. Scribe, *Ne te præteream*: cujusmodi errores plures in hoc opere deprehendimus. *Heins.* *Nec te prætereo*] Nec te silentio involvo. *Qui per cava*] Anienem dicit. Anio enim fluvius, in monte Trebanorum ortus, lacus treis amœnitate nobiles in Tiberim defert.

46 *Tiburis Argei spumifer arva rigas*] *Pomifer* Puteaneus et alii magno numero; optime. Propertius l. IV. El. 7. 'Ramosis Anio qua pomifer incubat arvis.' Horatius etiam, 'Et præceps Anio, et Tiburni lucus, et uda Mobilibus pomaria ripis:' quem locum Naugerius quoque huc adduxit. Silius præterea lib. IV. 'Pomifera arva Tiburis' dixit; et 'Pomosum Tibur:' Columella 'Et Turni lacus et pomosi Tiburis arva.' *Tibur* autem *Argeum*, ut apud Horatium 'Tibur Argeo positum colono.' *Heins.* *Tiburis Argei*] Quia Tibur condidere tres fratres, scilicet Tiburtus, Catillus, et Coras, quos Argivos fuisse testis est Maro lib. VII. Unde et dictum ab Horatio, Od. II. 6. 'Tibur Argeo positum colono.' Oppidum autem hoc in Romæ conspectu situm erat loco admodum clivoso. *Pomifer*] Propertius lib. IV. El. 7. dixit, 'Ramosis Anio qua pomifer incubat arvis.' *Rigas*] Irrigas, interfluis.

47 *Ilia cui placuit*] Ilia, in amnem Tiberim jussu Amulii regis Albanorum præcipitata fuit. Acron autem scribit, mortuam Iliam sepultam fuisse ad ripam Anienis fluvii, qui in Tiberim incidit: abundanteque aquis alveo, cineres Iliæ in Tiberim deduxisse. Inde fabulæ datum locum, ut Tiberi nupsisse dicatur. *Cui*] Anieni. *Horrida*] Quia suis unguibus præ nimio dolore faciem sibi dilaceraverat. *Quamvis erat horrida vultu*] *Cultu* meliores, cum prima editione; et hoc verum est: nisi quod Moreti unus *horrida cultus*; ut sit Græcismus: infra Tybris ad Iliam, 'Quo cultus abiere tui?' *Heins.*

49 *Illa gemens patruique nefas*] Exlatimo scribendum *patruumque nefas*: sic et noster Met. XI. 'Quem (misera o pietas) ego tum patruoque dolorem Corde tuli, fratrique pio solatia dixi.' Lib. XII. 'Annuit, atque animo pariter patruoque suoque Delius indulgens:' sic scribendum utroque loco ex optimis membranis: ut et Fast. IV. 'Ense cadit patruo Lausus:' apud Horatium habes 'patruæ verbera linguæ.' *Heins.* *Patrui*] Amulii, qui Numitorem fratrem regno pepulerat, ejusque virilem stirpem necari, et Iliam neptem, ut pariendi spem eriperet, Vestalem virginem esse jusserat. *Delictaque Martis*] Quia a Marte stuprata fuerat.

52 *Rauca ora*] Ad fluminis naturam refert.

53 *Teris*] Perambulas. *Anxia*] Sollicita.

54 *Idæo*] Trojano. *Laomedonte*] Laomedon fuit rex Trojæ, Ili Trojani regis filius.

55 *Quo*] Cur tibi, inquit, non idem est cultus, quem habere soles? *Sola*] Incomitata. *Vagaris*] Erras.

56 *Vitta*] Vittis enim ligabant sibi capillos Vestales virgines. *Evinctus*] Obligatas. *Alba*] Ut pudicitiæ candorem indicaret.

58 *Tundis aperta manu*] *Plangis* Puteaneus: parum refert. *Heins.*

59 *Et durum in pectore ferrum*] *Vivum ferrum* Puteaneus cum Scaligeri Excerptis; optime: hoc est quod alibi in Tristibus dixit, 'Et rigidum ferri semina pectus habent.' Sæpe autem ea vox ad res non animatas

Digitized by Google

transfertur: sic 'viva saxa' Ep. Hypsip. et Met. VII. 'vivum gramen,' 'vivus cespes,' 'vivi fontes,' 'viva sulphura,' 'viva flamma,' et similia passim apud nostrum aliosque veteres. Sulpitius Severus in Dialogis: 'Donec, quod contra omnem naturam erat, lignum aridum in solo arente vivisceret.' Met. VII. 'extinctaque flamma revixit:' ita enim recte libri veteres: ubi plura. *Idem.*

60 *Qui tenero lachrymas, &c.*] Id est, qui non congemiscit, quando lachrymantem puellam videt. *Lætus in ore videt*] *Lentus* probe Puteaneus, cum Scaligeri Excerptis: dixi ad Epist. XV vs. 169. *Idem.*

65 *Romana propago*] *Trojana* Puteani et Scaligeri Excerpta et quatuor libri ex nostris. Supra dixit, 'Ilia ab Idæo Laomedonte genus:' atque ita lib. III. Fastor. initio, videtur legendum, 'Tum quoque inermis eras cum te Trojana sacerdos Cepit, ut huic urbi semina digna dares:' et apud Statium epulo Domitiani: 'Trojanæ qualis sub collibus Albæ;' quod doctissimus Gronovius jam vidit. Nisi Romanam propaginem accipis, pro ea unde Romani propagati. *Idem.*

67 *Dixerat*] Scilicet, Anio. *Illa*] Scilicet, Ilia. *Dejecta*] Pro, dejectos habens oculos, modeste terram intuens.

68 *Tepido flebilis imbre sinus*] *Teneros* Puteaneus, optimus Palatinus, et unus Moreti cum Sarraviano, cui id pro diversa lectione adscriptum: alii multi cum prima editione *tepidos sinus.* Fast. IV. 'Dixit, et ut lacrymæ (neque enim lacrymare Deorum) Decidit in tepidos lucida gutta sinus.' Art. Am. II. 'Hospitis est tepido nocte recepta sinu.' Lib. III. ex auctoritate vetustorum codicum, 'Quas tegat in tepido fascia lata sinu.' Epistola Briseidis, 'Te tenet in tepido mollis amica sinu.' Martial. IX. Ep. 59. 'Et latet in tepido plurima mappa sinu.' Calpurnius Ecloga V. 'matosque tepenti Ferte sinu tremulos.' Sed et *tepidas lacrymas* recte dici non inficior. *Heins.* *Tepidos imbre*] Id est, lachrymis. *Flebilis*] Fiens.

69 *Molita*] Conatu, quæ paravit dare se præcipitem in fluvium. *Restitit*] Se repressit. Puellaris metus exprimitur. *Altus*] Altum et profundum promiscue usurpamus: 'Tum Maia genitum cœlo demisit ab alto:' idemque vocat cœlum profundum. Quod et de Silvis. Similiter de fastigio Æneid. II. 'Illicet ignis edax summa ad fastigia vento Volvitur.' Alibi de imo: 'Forsitan et scrobibus quæ sint fastigia quæras.' Quod Serv. etiam annotat.

71 *Sava tamen scindens*] Lege *Sera* cum Puteaneo et decem aliis. Nonnulli etiam *Sero;* proxime verum. Trist. IV. El. 9. 'Nostraque vincetur lacrymis clementia seris.' *Heins.*

73 *O utinam mea tecta forent*] Scribe *mea lecta forent.* Nam Puteaneus sequenti versu optime, *dum poterant virginis ossa legi*, non *tegi;* quod hactenus circumfertur. De ossilegio dixi ad Epist. X. 150. et Passeratius ad Propertii lib. II. Eleg. 24. *Idem.*

75 *Vestalis*] Deæ Vestæ sacerdos. Vestales, per decem annos sacra discebant, per totidem faciebant, et per alios decem cæteras docebant: peractis autem triginta annis, sacerdotio solutæ, nubere poterant. *Inviter*] Quia supra ad eam dixerat Anio: 'Tibi regia nostra patebit:' hoc est, te uxorem ducam.

76 *Iliacis focis*] Sacrificiis Vestæ Deæ, quam a Phrygia Æneas in Italiam advexit. *Focis*] Aris.

77 *Quid moror*] Sic Virgiliana Dido: 'Quid moror? an mea Pygmalion dum mœnia frater Destruat?' *En digitis*] Id est, Jam, inquit, infamis sum, et fabula vulgi. *Designor*] Demonstror adultera digitis vulgi. *Adultera*, pro sacrilega dixit.

78 *Desit famosus*] Nolo, inquit, vivere præ pudore amissæ pudicitiæ.

79 *Timidis prætendit ocellis*] Recte,

Digitized by Google

tumidis Puteaneus et quatuor alii: ex fletu tumentes intelligit. *Heins.*

80 *Ita*] Clausis ocellis. *Misit*] Præcipitavit.

81 *Supposuisse manus*] Scilicet, cadenti Iliæ. *Amnis*] Anio.

82 *Et socii jura dedisse tori*] Hoc est, eam conjugem accepisse.

85 *Dum loquor*] Dum fluminum amores narro. *Increvit*] Auctus est torrens. *Latis spatiosus in undis*] Sic nostri. Naugerius ex suis malit *latis spatiosius undis;* quod et Grutero arridebat, et jam editiones nonnullas occupavit. *Heins.*

88 *Cæptum*] A me. *Rustice*] Difficilis, inurbane. *Iter*] Meum ad amicam.

89 *Quid si legitimum fluxeres, &c.*] Major esset tua insolentia et superbia, quando illegitimum et vile tantopere superbis.

91 *Nivibus collecte caducis*] Libri potiores *rivis;* et recte: de nivibus mox sequetur. Deinde Puteaneus, cum Scaligeri Excerptis, *pluviamque* prō *pluviasque*. Heins. *Rivis collecte caducis*] Nam mox ait, 'Fontis habet instar pluviasque nivesque solutas.'

93 *Nivesque solutas*] Liquefactas.

95 *Lutulentus*] Cœnosus, limosus, luto plenus, turbidus. *Brumali*] Hiberno.

97 *Quis te unquam potuit*] *Quis te tum potuit*, Puteaneus; probe: æstive tempore nimirum, quando arentem humum pulverulentus premis. *Heinsius.* *Haurire*] Bibere.

99 *Damnosus pecori curris*] Quia tuas aquas pecudes bibentes in morbos incidunt. *Damnosior agris*] Quia inundati tuis aquis sterilescunt.

100 *Hæc*] Scilicet, damna movent alios. *Mea damna*] Quia prohibeor in amicæ complexus ire.

101 *Huic ego na demens*] *Va* libri meliores magno numero cum prima editione: unus Mediceus, *ah demens.* Scriverianus *vah demens.* Lege, *Huic egon' ah demens.* Sic Epistola Herus: 'Mentior ah demens! ille secundus erat.' Virgil. 'Quo fugis, ah demens?' Deinde pro *fluminum amores*, quod præter morem Nasonis durius, duo codices, *flumen;* unus *fluminis:* optimus Palatinus, *flumis.* Latere mendum suspicor. *Heins.* *Huic*] Quasi dicat, vilissimo. *Va demens*] Valde demens. *Va*, particula interdum auget, interdum minuit.

102 *Jactasse*] Jactavisse, id est, inaniter et frustra dixisse. *Indigno*] Cui tantorum fluminum nomina et amores narrarentur. *Jactasse*] Eclog. II. 'studio jactabat inani:' ubi Serv. 'Fundebat incassum.'

103 *Nescio quem spectans*] Puteaneus cum Jureti excerptis, *Nescio quem huc spectas: hunc spectans* duo alii cum codice Neapolitano. *Nescio quam spectas:* Farnesianus: *amnem* etiam Puteaneus. Forte, *Nescio cui spretos Acheloon et Inachon amnes.* Latet certe mendum. *Heins.* *Nescio quem*] Id est, vilissimum et ignobilem quendam torrentem aspiciens.

105 *Non candide*] Id est, turbide.

106 *Rapidi*] Maxime ardentes. Sol enim attrahit et rapit ad se liquorem: unde minores fluvii æstatis tempore siccantur. *Sicca*] Sine pluviis et nivibus, ut penitus arescas. *Domin.*

Digitized by Google

ELEGIA VII.

1 *Aut non formosa est, aut*] *At* pro *Aut* ter geminandum ex auctoritate Puteanei, Sarraviani, et trium aliorum; quomodo et Naugerius ex suis. Vide Notas nostras initio Epist. XII. *Heins. Aut non formosa est, &c.*] Vehementissime dolet Naso, quod cum sibi pulcherrima puella contigerit, cum illa tamen dulce Veneris opus peragere non potuerit: quod fortasse evenerat, quia tunc Corinnæ, quam ardentissime amabat, recordatus est. Alii leg. *At non formosa est, at non, &c.* Ut ironice loquatur. Præcipuas enim causas removet, quibus id evenire potuerit: cum deformi enim fœmina, aut inornata, aut non optata, non mirum est si quis nequiverit. Quod autem hæc puella formosa fuerit, ostendit inferius, dicens: 'At qualem vidi, qualem tetigique puellam...Illius attactu Pylius juvenescere posset.'

4 *Sed jacui*] *Se jacui*, optimus Palatinus. Puto, *Et jacui*. Heins.

5 *Pariter*] Una mecum.

6 *Effœti*] Languidi. *Frui*] Proprie fruimur cum delectatione.

8 *Sithonia nive*] A Sithone monte Thraciæ, qui perpetuis nivibus opertus est.

9 *Cupida luctantia lingua*] Repone ex prima editione et tribus scriptis *cupidæ linguæ*; duo, *cupidis linguis*; Puteaneus et tres alii, *cupide linguis*. Heins.

12 *Publica*] Communia verba: ut ζωὴ καὶ ψυχή, id est, vita et anima.

13 *Gelida*] Mortifera. *Cicuta*] Venenum est publica Atheniensium pœna invisa: ea enim Socratem necari jusserunt.

14 *Propositum meum*] *Suum* excerpta Politiani et Barberinianus; concinne: nam τὸ *mea membra* præcesserat. *Heins.*

15 *Species*] Non homo, sed veluti simulachrum et imago hominis. *Et inutile signum*] *Pondus*: ac sequenti versu *Et non exactum corpus* Puteaneus cum aliis nonnullis ex meliorum numero. Nil mutem temere. Forte tamen scribendum, *signumque et inutile pondus*: certe Arondelianus, *pondusque et inutile lignum*. Heins.

16 *Exactum*] Exploratum, certum. Dubium est, inquit, fuerimne corpus, an umbra sine corpore. *Corpus an umbra*] Umbras enim, tenues sine corpore vitas, cava sub imagine formæ volitare docuit docta comes Ænean. Quas Lucian. in Menip. vocat τετρεγνῖας τῶν νεκρῶν σκιάς· ubi etiam vide τὰς πρὸς τὸν ἥλιον ἀποτελουμένας σκιάς, quod sane philosopho dignum. Homerus Odyss. Λ. 475. βροτῶν εἴδωλα καμόντων. Ideoque non sine ratione vs. 15. dixit, 'inutile signum,' quod simulacrum, non ipsa res. Sic Noster Metam. X. 14. Umbras vocat, 'leves populos, simulacraque functa sepulcro.'

17 *Quæ mihi*] Si, inquit, juvenis puellam decepi, et iners fui: cum ad senectutem pervenero, multo segnior in Venerem ero. *Quæ*] Inertissima. *Siquidem est ventura*] Quia nemini exploratum est, utrum ad senectutem perventurus sit, an non. *Siquidem est ventura senectus*] *Siquidem ventura* Puteaneus cum quatuor aliis: complures *si qua est ventura*. Fast. IV. 'Hoc quoque tentemus; siquidem jejuna remansit.' *Heins. Senectus*] Cum sanguis hebet, et vires frigent in corpore effœto. Ideoque

Digitized by Google

et Homero Odyss. A. 195. vocatur χαλεπὸν γῆρας. Sic Plaut. lepide in Mercat. 4. 1. vs. 6. 'Sy. Nequeo mecastor, tantum hoc oneris est, quod fero. Do. Quid oneris? Sy. annos octoginta et quatuor.' Φοβοῦ τὸ γῆρας, οὐ γὰρ ἔρχεται μόνον. Χαλεπὸν τὸ γῆρός ἐστιν ἀνθρώποις βάρος. Menand. in fragm. loc. 22. de Sen. Et Eurip. in Herc. Fur. τὸ δὲ γῆρας αἰεὶ βαρύτερον Αἴτνας σκοπέλων. Quod Cic. de Senect. exprimit.

18 *Numeris*] Perfectionibus, viribus, officiis. *Suis*] Sibi propriis. Proprium enim adolescentiæ est libidinibus flagrare.

19 *Quod me juvenemque virumque*] *Quo me* Puteaneus: dictum alibi. *Heins. Juvenemque virumque*] Inter ætatem juvenilem et virilem, quæ ætas ludo aptissima.

20 *Nec juvenem*] Quia nec juvenis nec viri officio functus sum.

21 *Sic flammas*] Ita a me intacta surrexit amica, ut Vestalis virgo e lecto ad sacra se confert, et pudica soror a fratre mane surgit. *Sic sacerdos surgit*] Ὅσιος ἀν' εὐνᾶς ἴον. Eurip. Ion. 150. *Pias æterna*] Hypallage est: pro, sacerdos pia, et flammas æternas. Nam in templo Deæ Vestæ ignis perpetuus servabatur, qui tamen quotannis renovabatur Calendis Martiis.

22 *Verenda*] Hoc verbo omnis suspicio sceleris removetur.

23 *At nuper*] Ex anteactis hoc dedecus abolere nititur. *Bis*] Subaudi a consequentibus, continuata est meo officio. *Flava*] A capillorum colore. *Pitho*] Fortasse hæc meretrix facillime aliquid persuadere poterat suis amatoribus. *Bis flava Chie*] Alii aliter. Puteaneus *Clide*; hoc est χλίδη. *Clyte* Barberinianus. *Heins.*

24 *Libas*] Nomen hoc meretricis est: forsitan a λείβω, libo ac degusto; sive a libandis osculis.

26 *Et memini*] *Me memini* in scriptis. *Heins.*

27 *Thessalico*] Thessalia enim veneficiis infamis. *Devota*] Incantata.

28 *Misero*] Mihi.

29 *Saguve Phœnicea*] Sic Puteaneus et multi alii: quidam *punicea*; quomodo noster alibi. Sed *Pœnicea* legendum Metam. XII. 104. Apud Senecam Medea, 'Ostro sic niveus pœniceo color:' ubi tamen Mediceus liber *punicea*. Heins. *Saga*] Saga, dicitur incantatrix et malefica, quæ carminibus vel arcessere possit mala hominibus, vel pellere. *Phœnicea*] Purpurea: ut sit color ignis, propter amoris incendium. *Nomina*] Meum nomen. Excantatores enim ceream imaginem fingebant, cum nomine illius quem incantabant.

30 *In jecur urget acus*] *Egit* meliores: vulgata lectio ex Epistola Hypsip. promanavit, 'Devovet absentes simulacraque cerea figit, Et miserum tenues in jecur urget acus.' Certe et hic loci *miserum jecur* in nonnullis scriptis. *Heins. In jecur*] Quia in jecore sedes amoris esse dicitur. *Jecur*] Lactant. VI. 15. et de Opif. Dei c. 14. 'Lætitiæ affectus,' inquit, 'in splene est: iræ in felle, libidinis in jecore, timoris in corde, ut medici dicunt.' Cui et Poëta accinit Od. I. 25. 'Cum tibi flagrans amor, et libido, Quæ solet matres furiare equorum, Sæviet circa jecur ulcerosum, Non sine questu.' Et Od. IV. 1. 'Si torrere jecur quæris idoneum.' Quod videtur ex Theocriti Idyll. XIII. vs. 71. Χαλεπὸς γὰρ ἔσω θεὸς ἧπαρ ἄμησεν.

31 *Steriles vanescit in herbas*] *Sterilem herbam* libri meliores: et *lævæ aquæ* sequenti versu. *Heins.*

32 *Deficiunt*] Fluere desinunt. *Carmine*] Incantatione.

34 *Nullo movente*] Nemine excutiente. *Fluunt*] Excantata poma ex arboribus sponte defluunt.

36 *Impatiens*] Debile. *Inde*] A magicis artibus.

39 *At qualem vidi, qualem*] *Vidi*

Digitized by Google

tantum Puteaneus ac Arondelianus, cum tribus Moreti et aliis duobus. *Heins. Qualem*] Formosissimam.

41 *Illius attactu*] *Ad tactum* Puteaneus, et *possit:* et *Tithonosque* pro *Tithonusque*. Heins. *Pylius*] Nestor, ex Pylo.

42 *Tithonus*] Fuit Laomedontis regis Trojæ filius: quem, quia juvenis, et forma egregius erat, Aurora adamavit, rapuitque: ex quo Memnonem peperit. Tithonus autem post longissimam optatamque vitam, audita filii morte, in cicadam versus esse dicitur. Posuit autem Naso Nestorem et Tithonum pro quibuscunque hominibus senio confectis. Adeo pulchra, inquit, est hæc puella, ut senes vel decrepiti, si eam attingant, juvenes fieri possint.

43 *Hæc*] Talis puella. *Sed vir non contigit illi*] Dixit et supra: 'Nec juvenem, nec me sensit amica virum.'

44 *Nova*] Quia ante sæpius ejusdem puellæ consuetudinem cupivit.

45 *Quo sum tam turpiter usus*] Malo *sim*. Heins. *Quo*] Scilicet, munere. *Tam turpiter*] Quia puellam in nullos usus tenuit.

47 *Recipi*] A puella admitti.

49 *Quid mihi fortunæ tantum*] *Quo* Puteaneus cum optimo Palatino: et mox, *quo regno:* vide Notas Epist. II. 53. *Heins.*

50 *Quid nisi*] Divites avari frustra possident divitias, cum illis uti timeant. Non aliter, inquit Poëta, puellam possedi: id est, sine usu.

51 *Aret*] Siti conficitur, siccus est. *Vulgator*] Proditor Tantalus, qui immortalium Deorum secreta, quæ communis cœnæ usu perceperat, vulgavit, et hominibus prodidit.

52 *Tangat*] Tangere possit.

54 *Protinus*] Statim, sine aliqua expiatione. *Sanctos possit adire Deos*] Religio enim removet pollutum hominem a re divina.

55 *Sed puto non blanda*] Præfero quod est in nonnullis editionibus, *Sed non blanda, puto.* Heins. *Sed non blanda*] Ironice loquitur, ut supra: 'At non formosa est,' &c. *Perdidit*] Quia frustra me est exosculata.

59 *Divosque viroque*] *Viroque* optime Puteaneus cum Jureti excerptis: sequentia confirmant: atque ita Lucas Fruterius in Verisimilibus conjecerat scribendum. *Heins.*

60 *Vixi*] Sensum habui.

61 *Quid juvat*] *Jubet* Puteaneus. Lege, *juvet:* et sic sequenti versu optimus Palatinus. *Heins. Phemius*] Homer. Odyss. X. v. 330. Τερπιάδης δέ τ' ἀοιδὸς ἀλύσκαζε κῆρα μέλαιναν Φήμιος, ὃς ῥ' ἤειδε μετὰ μνηστῆρσιν ἀνάγκῃ. Et deinde 347. Αὐτοδίδακτος δ' εἰμί· θεὸς δέ μοι ἐν φρεσὶν οἴμας Παντοίας ἐνέφυσεν· et alibi.

62 *Quid miserum Thamyran*] Philamonis filius, cum ex urbe Œchalia reverteretur, in Dorio Musas obvias habuit, easque, canendi scientia gloriabundus, in certamen provocavit: qua insolentia Musæ permotæ, eum et modulatione, qua præclarus erat, et sensu videndi privaverunt. Hic autem poëta pro quocunque homine cæco *Thamyran* ponit. *Thamyrum*] *Thamyran* Puteaneus: quidam *Thamyrin:* utrumque rectum. *Heins.*

67 *Quæ nunc ecce vigent*] *Rigent* prima editio et sex scripti; optime: hinc et *arrigere* de illa parte. Fast. II. ex antiquis libris, 'Et rigidum cornu durius inguen erat.' Sic et 'rigidæ tentigo vulvæ' Juvenali dicta. Horatius Epod. VIII. 'Illitterati num magis nervi rigent, Minusve languet fascinum?' Ita locus ille scribendus. *Languere* et *rigere* inter se opponuntur, cum contraria sint. Vulgo *num minus nervi rigent?* hinc et 'rigidus ruris custos' nostro Priapus dictus lib. I. Fast. et 'rigidus Deus' in Priapeis. In loco Horatiano Franciscus Guietus scribi volebat notis ad Andriam Terentii Act. II. Sc. 1. *Illitteratis num minus nervi rigent, Magisve languet fascinum.* Sed non per-

Digitized by Google

sudet: alii alia commenti sunt. *Idem.*

68 *Militiamque suam*] Et Virgil. 'At non in Venerem segnes, nocturnaque bella.'

69 *Quin istic pudibunda jace*] *Jaces* meliores recte, dixi supra lib. II. El. 19. Prima editio, *pars pessima rerum;* non invenuste. *Heins.*

70 *Sic sim pollicitis captus, ut ante, tuis*] Libri fere omnes *sic sum;* et Puteaneus, *captus es:* unde *captus et* refinxi minima mutatione: atque ita unus Moreti, *Sic sum pollicitis captus et ante tuis.* Idem.

71 *Tu dominum fallis*] Malo *dominam* cum quatuor scriptis, atque in iis Neapolitano. *Idem.*

75 *Assurgere posse per artes*] *Consurgere* meliores. *Idem.*

79 *Lanis*] Id est, lanea imagine. Excantatores enim duas imagines, ex lana alteram, alteram ex cera fingebant.

81 *Nec mora: dissiluit*] Imo *desiluit*, ut est in melioribus; de lecto videlicet: sic supra Elegia prima, de Corinna itidem, 'Delabique toro tunica velata recincta.' *Heins. Desiluit*] E toro se corripuit.

82 *Et decuit*] Cum decore nudis pedibus proripuit.

83 *Intactam*] Ad tempus hoc dicit: alias *intacta* dicitur incorrupta virgo.

ELEGIA VIII.

1 *En quisquam ingenuas etiamdum suscipis artes*] *Suspicit* rectius alii: bene etiam Puteaneus, *Et quisquam.* Sic supra Eleg. 3. 'Et quisquam pia thura focis imponere curat?' In obitum Drusi, 'Et quisquam leges audet tibi dicere flendi?' Et sub finem, 'Et cuiquam miserandus ero?' Rem. Amor. 'Et quisquam præcepta potest mea dura vocare?' Æneid. lib. I. ex optimo Mediceo: 'et quisquam numen Junonis adorat Præterea, aut supplex aris imponit honorem?' non *adoret* et *imponat*, quod est in vulgatis. Noster infra El. 10. cum optimis libris, 'Hanc quisquam lacrymis lætari credit amantum?' *Heins. En quisquam ingenuas*] Exclusus ab amica, cujusdam opulenti militis causa, Naso dolet et conqueritur, plus posse divitias quam ingenium: et rivalem in odium et invidiam adducit. *En*] Particula hæc comica est, et affectui servit. *Ingenuas*] Liberales, quibus ingenui homines institui debent.

2 *Dotes*] Id est, quibus in precio sit ille qui carmen facit. Unusquisque enim suis dotibus solet censeri.

3 *Ingenium quondam*] Sic in Artibus ait: 'Cura ducum fuerant olim regumque poëtæ, Præmiaque antiqui magna tulere chori: Nunc ederæ sine honore jacent.'

4 *At nunc barbaria est grandis*] Lege *barbariæ est grandis* secundo casu: nisi malis cum quinque scriptis *barbaries grandis;* idque sequor. *Heins. At nunc barbaries*] Sed nunc, ait, barbarus, nullisque ingenuis artibus præditus existimatur esse qui pauper est, licet virtutes habeat. *Habere nihil*] Scilicet, divitiarum, et egenum esse.

5 *Libelli*] Scilicet, Amorum.

6 *Quo*] Admissi, inquit, fuere libelli: sed ego non admittor.

7 *Laudato*] Scilicet, mihi. *Janua clausa est*] Ab amica. Nam (ut in Artibus ait Naso) 'Carmina laudantur, sed munera magna petuntur:

Digitized by Google

Dummodo sit dives, barbarus ille placet. Ipse licet venias Musis comitatus, Homere, Si nihil attuleris, ibis, Homere, foras.'

9 *Per vulnera*] Quæ aliis ipse intulit, et sibi ab aliis illata sunt. *Censu*] Scilicet, equestri, qui erat quadringentorum sestertiorum: nam qui eam summam habebant, inter equites Romanos numerabantur edicto Roscii Othonis.

10 *Sanguine factus eques*] Unus Moreti cum Jureti excerptis *sanguinolentus*: alter Puteani *sanguine sparsus*; quomodo et Vossii excerpta: optimus Palatinus, *sanguine partus*; quod et ex suo Codice Barthius in Adversariis est secutus: sed frustra; cum id verbi jam præcesserit superiore versu. Proxime tamen veram lectionem, quam præ se fert Puteaneus ille, *sanguine pastus*. Met. VIII. 'Actæo bis pastum sanguine monstrum.' Petronius, 'est mihi cordi Quippe cremare viros, et sanguine pascere luxum.' Sic 'pavit flumina sanguis' Claudiano, III. Consulatu Honorii ex membranis, 101. ubi vide quæ noto. Sic in Tristibus codex præstantissimus, lib. IV. El. 4. 'Cæde pharetratæ pascitur ara Deæ:' ubi plura. Val. Flaccus lib. VII. 'Vobisne domos, vobisne parentes Esse putem, ratis infandis quos sola rapinis Sævaque pascit hyems?' *Heins*. *Sanguine*] Id est, precio sanguinis.

11 *Formosis, stulta, lacertis*] Pro *stulta* tam hic quam sequenti versu Puteaneus *vita*. Mea vita, mea lux, blanditiæ amatorum. Propertius lib. I. El. 2. 'Quid juvat ornato procedere, vita, capillo?' atque ita ille passim alibi: optimus Palatinus utroque loco *fulta*. Sequenti versu quidam, *Hujus in amplexus, stulta, venire potes?* etiam bene; *in amplexus jacere*, non *amplexu*, unus Moreti cum Puteaneo. *Heins*.

15 *Serum*] Quia sero factus est eques: et cum antea in extrema paupertate fuerit, nunc male convenit illi aurum. *Aurum*] Equestris annulus.

18 *Heus ubi*] Lege *Heu* cum melioribus. Vide Notas Epist. IV. 150. *Tò est* etiam meliores non agnoscunt. *Heins*.

20 *Quæsitum*] Partum. *Corpore*] Corporis exercitio. Pugnando, inquit, divitias omnes quas possidet acquisivit.

21 *Quoties hominem jugulaverit ipse Indicet*] *Ille* meliores: *hostem jugulaverit* etiam Sarravianus; probe. Pro *Indicet*, Puteaneus *Et dicet*: Arondelianus *Dicat et hoc fassus*. Lego *Prædicet*. Heins.

22 *Avara*] Quæ pecuniis corrupta, non times homicidam et impurissimum hominem attrectare.

23 *Purus*] Musarum ministri et sacerdotes sunt eruditi omnes. Hinc 'sacri' poëtæ dicuntur. *Purus sacerdos*] Nulla cæde et cruore maculatas manus habens, ut decet sacerdotem Phœbi; at ille miles scilicet, multo sanguine respersus, et impurus est. Ideoque impura dicuntur loca, quæ cæde et sanguine sunt polluta. Propert. lib. IV. Eleg. 1. De Appia: 'Appia, dic, quæso, quantum, te teste, triumphum Egerit effusis per tua saxa rotis. Spectaculum ipsa sedens primo temone pependit, Ausa per impuros frena movere locos.' Contra, 'pura' loca, quæ cadaveribus sublatis purgata sunt. Quod ex Homero discimus Iliad. K. 199. *Ἐν καθαρῷ, ὅθι δὴ νεκύων διεφαίνετο χῶρος Πιπτόντων*. Et 'pura' domus, in qua nemo mortuus. Eurip. Helen. 1446. *καθαρὰ γὰρ ἡμῖν δώματ'. οὐ γὰρ ἐνθάδε Ψυχὴν ἀφῆκε*. Pertinet hæc vox proinde ad multa. Sic mortem impuram vocat Homerus, quam quis elisis laqueo faucibus sibi ipse consciscit, anima interclusa. Odyss. X. v. 462. *Μὴ μὲν δὴ καθαρῷ θανάτῳ ἀπὸ θυμὸν ἑλοίμην Τάων αἳ δὴ ἐμῇ κεφαλῇ κατ' ὀνείδεα χεύαν. Κελεύθῳ ἐν καθαρῷ*. Pind. Olymp. VI. *Ἐπὶ καθαρῷ πυρί*. Ha-

Digitized by Google

licarn. I. non amplius humanis crematis hostiis. Hasta pura: non præpilato ferro: qua donabantur tirones, qui tunc primum vicissent. Quod Serv. annotat ex Varron. de G. P. R. Docemur tamen ex Sueton. in Claud. non tironi magis quam veterano datam fuisse hastam puram: felix enim ille, donatus hasta pura a Claudio, non erat tiro, sed trium reginarum maritus. Adi quoque Amor. I. Eleg. 12. 16.

24 *Rigidas*] Asperas, duras. *Inane*] Nihil profaturum. *Canto carmen inane*] *Nomen inane* unus Moreti; ut de se ipso loquatur. *Heins.*

25 *Discite*] Cum nulla, inquit, præmia sint carminibus, divitiæque prævalèant, nullus sit qui posthac poëticæ se dedat; sed rei militari, quæ divites reddit homines. *Hæc*] Humanitatis studia. *Inertes*] Desides, pigri, inutiles. Cum stomacho id dixit ex vulgi sententia, qui poëticam ut inutilem et ignavam cavillantur. *Non hæc quæ scimus inertes*] *Non quæ non scimus* Puteaneus. Lege, *non quæ nos scimus;* atque ita unus Moreti et unus meus, Arondelianus quoque pro diversa lectione: at Neapolitanus, *non quod nos scimus.* Heins.

26 *Et fera bella sequi*] *Castra sequi* Puteaneus cum Sarraviano et uno Moreti: sic Tibull. 'Castra Macer sequitur.' Arondelianus *lustra* mendose. Lucanus, 'Nulla fides pietasque viris qui castra sequuntur.' *Idem.*

27 *Deducite*] Ingeniose Poëta verbum hoc elegit, quod utique rei congruit: nam et carmina proprie deduci dicuntur. *Primum pilum*] Id est, centuriam primam primæ cohortis.

28 *Posset, Homere*] *Possit* Puteaneus. *Heins.*

29 *Admonitus*] Sciens. *Nihil esse potentius auro*] Hoc nobis Danaës fabula declarat.

30 *Corruptæ virginis*] Id est, Danaës. *Precium ipse fuit*] Quia in aurum versus est.

31 *Merces*] Præmium amplexus. *Durus*] Difficilis, asper, intractabilis. *Pater*] Acrisius. *Ipsa*] Virgo Danaë. *Severa*] Minime inepta. Nullum admittens amantem: non amans hunc ludum. Ter. Eunuch. II. 5. 'Hoc nemo fuit Minus ineptus, magis severus quisquam, nec magis continens.' Illud 'severum' Plautus explicat in Captiv. I. 2. 'Ille demum antiquis est adolescens moribus; Cujus nunquam voltum tranquillavi gratiis.'

32 *Ferrea turris erat*] Lege *erant.* Heins.

33 *Sapiens amator*] Est enim res ingeniosa, dare. Jupiter ἄπυρος χρυσὸς γογγὸς...ποθεινὸν εἶδος τοῦτο κτῆμα τοῖς βροτοῖς. Eurip. in fragmento Danaës vs. 30. Ἀφῶς δὲ πείθειν οὐκ ἔχων, εἰς μηχανὴν...Τοιάνδ' ἐχώρησεν. Istud autem Pindarus vocat αὐτόῤῥυτον. Pyth. 7. Ζεὺς κύκνος, ταῦρος, σάτυρος, χρυσοῦς, δι' ἔρωτα Λήδης, Εὐρώπης, Ἀντιόπης, Δανάης. 'Taurus, olor, Satyrus, fit et aurum Jupiter ardens Europen, Leden, Antiopen, Danaën.'

34 *Jussa*] Nec potuit magno casta negare Jovi. *Dedit*] Sui copiam Jovi fecit.

35 *At cum regna senex cœli*] *Jura* Scriverianus. Met. XV. 'O cui jus cœli bis sex fecere labores!' *Heins. At cum*] Virgil. lib. VIII. 'Aureaque (ut perhibent) illo sub rege fuerunt Secula.'

38 *Manibus*] Umbris Inferorum. *Admorat*] Apposuerat. *Massa*] Metalli pondus.

39 *Dabat*] Præbebat, scilicet, terra. *Sine vomere*] Sic in Metamorph. 'Mox etiam fruges tellus inarata ferebat.'

41 *Terram scindebat aratro*] *Findebat* quidam codices: *terras aperibat* excerpta Jureti venuste: *terras findebat* excerpta Politiani. *Heins.*

42 *Fossor humum*] *Mensor* recte Puteaneus cum aliis sex. Sic Metam. libro I. 'Cautus humum longo signavit limite mensor:' ubi pari modo in

Digitized by Google

quibusdam libris peccatur. Horatius Od. I. 28. 'Et maris et terræ numeroque carentis arenæ Mensorem' vocat Archytam. Hinc *agrimensura*, et *agrimensores*. Idem.

43 *Nec freta demisso verrebant eruta remo*] *Non freta dimissi. v. e. remo* Puteaneus: *demissi remi* quatuor alii; recte. *Idem. Verrebant*] Sic Virgil. 'Certatim socii feriunt mare, et æquora verrunt.' *Eruta*] Evulsa.

47 *Quid tibi turritis*] Scribe, tam hic quam sequenti versu, *Quo* ex auctoritate optimorum codicum, et vide notas nostras Artis Amatoriæ I. 303. *Heins. Turritis*] Turribus munita mœnia.

50 *Cur non et cœlum*] Cum stomacho dixit. Sic Horat. 'Nil mortalibus arduum est: Cœlum ipsum petimus stultitia.' *Tertia regna*] Jovi sorte obtigit cœlum, Neptuno mare, Plutoni terra. *Tertia regna petis*] *Tertia dona facis* Puteaneus: *regna facis* excerpta Scaligeri. *Heins.*

51 *Qua licet*] Optimus Palatinus, *Qua libet*. Forte *Quamlibet:* de quo ad Epistolas est dictum. *Idem. Affectas*] Nimia, sed frustra petis. *Quirinus*] Romanus.

52 *Liber et Alcides*] Non damno hanc lectionem; cum tamen optimus Palatinus, *Viribus et Alcides*. Forte scribendum *Virbius, Alcides*. Certe in antiquis inscriptionibus *Virbialis Flaminis* occurrit mentio. *Heinsius. Liber*] Bacchus. *Alcides*] Hercules. *Cæsar*] Julius, Augusti pater. Hi omnes mortales fuerunt, et post mortem inter Deos fuisse relatos credidit posteritas.

55 *Curia pauperibus clausa est*] Quia non licet pauperibus quamvis sapientibus, consulendi gratia in curiam accedere. *Dat census*] Sic Fast. 'In precio precium nunc est: dat census honores, Census amicitias: pauper ubique jacet.' *Census*] Divitiæ. *Honores*] Magistratus.

57 *Campus*] Scilicet, Martius, ubi comitia habebantur. *Forum*] Ubi jura reddebantur.

59 *Nostros avidi lucrentur amores*] *Liciantur* Puteaneus: quo et optimus Palatinus alludit, in quo *ejiciantur*. Arondelianus etiam *ejiciantur;* cum diversa lectione *velliciantur*. Scribe *liceantur*. *Liceri* et *licitari* pretium offerre pro re venali. Festus, 'Licitati, in mercando sive pugnando contendentes.' Vide et Nonium in eodem verbo. In aliis codicibus est, *venentur, prædentur, precientur, laniêntur, luctentur*, et similia. Verbum *liceri* minus notum loco corrumpendo ansam dedit: quod tamen et apud Martialem exstat. *Heins. Nostros amores*] Nostram puellam.

60 *Et satis est, aliquam pauperis esse sinant*] *Aliquid* libri meliores. Præterea legebam *Id satis est*. Sic apud Martial. l. III. Ep. 5. pro *Hoc satis est*, libri veteres *Et satis est*. Lege *Id*. Vide Notas supra Amor. II. El. 12. 44. Hoc tamen loco nihil mutandum præter distinctionem. Satis est sinant aliquid esse pauperis. *Heins.*

61 *Tetricas licet illa Sabinas*] *Rigidas* unus Mediceus: ut Amor. II. El. 4. 'Aspera si visa est, rigidasque imitata Sabinas:' alii codices, *duras, fortes, tetras:* unus Farnesianus, *tacitas Sabinas*. Puto, *Tatias*: vide quæ noto Fast. I. 261. *Idem.*

62 *Multa*] Munera. 'Hæc etiam clausas expugnant arma pudicas;' ut Propertius ait.

63 *Me*] Quia nihil affero. *Prohibet*] In puellæ amplexus ire. *In me*] Quasi dicat, Non in eos qui afferunt. *Illa*] Amica mea.

64 *Si dederim*] Si precium attulerim. *Cedet*] Sic Tibullus elegia quarta libro secundo, 'Sed precium si grande feras, custodia victa est: Nec prohibent claves, et canis ipse tacet.' *Uterque*] Scilicet, custos et maritus.

66 *Pulvere mutet*] In pulverem resolvat, id est, ad nihilum redigat. *Dom.*

Digitized by Google

ELEGIA IX.

1 *Mater*] Aurora. *Mater*] Thetis.

4 *Ex vero nunc tibi nomen*] Elegia enim dicitur ἀπὸ τοῦ ἐλέγου, id est, a luctu. *Nunc tibi nomen erit*] Quidam *inest*. Heins.

5 *Ille*] Optimus amorum scriptor.

6 *Inane*] Carens anima.

11 *Excipiunt*] Proprie enim cadentia excipiuntur.

14 *Castris, pulcher Iule, tuis*] *Tectis* meliores. *Heins. Pulcher Iule*] Ex Virgil. qui Æn. v. ait: 'Formaque ante omnes pulcher Iulus.'

15 *Confusa*] Turbata.

16 *Juveni*] Adonin autem intelligit, quem ardentissime Venus amavit. Is dum venaretur, ab apro in inguine vulneratus interiit, non sine maximo Veneris dolore. Fabulam scribit Naso Metam. x. *Ferus aper*] Trux aper. Metam. x. 715. Hunc autem Veneri luctum debuit Diana propter Hippolyti miserabilem interitum. Sic enim interminatur apud Eurip. in Hippolyto v. 1420. Ἐγὼ γὰρ αἰτῆς ἄλλον ἐξ ἐμῆς χερὸς, Ὃς ἂν μάλιστα φίλτατος κυροῖ βροτῶν, Τόξοις ἀφύκτοις τοῖσδε τιμωρήσομαι.

17 *Cura*] Amor, ut Veneris justissima cura.

18 *Nos*] Poëtas. *Numen habere*] Secundum Platonem. Sic Naso Fast. VI. 'Est Deus in nobis, agitante calescimus illo: Impetus hic sacræ semina mentis habet.' *Numen*] *Et fuit in tanto non parvum pectore numen.* Silius l. XIII. laudat autem Homerum prolixe.

19 *Importuna*] Molesta. *Profanat*] Violat.

20 *Obscuras*] Nigras. Inferis enim et morti omnia nigra dantur.

21 *Quid*] Probat exemplis, quod proposuerat: scilicet, mortem omnibus manus injicere, nulla habita aut generis, aut doctrinæ, alteriusve rei ratione. *Pater*] Apollo; secundum eorum opinionem, qui dicunt Orpheum Apollinis ex Musa Calliope filium fuisse. *Ismario*] Thracio. Ismarus enim mons est Thraciæ. *Mater*] Calliopea.

23 *Et Linon in silvis idem pater abditus altis*] *Et Linon altis* Puteaneus cum optimo Palatino, Arondelliano, et tribus aliis: venusta mehercules repetitione: pro quo alii, *edidit, abditum in*, vel *expositum*, et similia. Cæterum Puteaneus a manu prima *Elinon;* ut utroque forsan loco sit scribendum *Ælinon;* priori certe: sic unus Vaticanus atque unus Mediceus; quomodo cantus ille vocatus, quo Linum Apollo deflevit: atque ita Scaliger in margine codicis sui emendarat. Nota illa Moschi, Αἴλινά μοι στοναχεῖτε νάπαι. Hesychius, Αἴλινος, ὕμνος, θρῆνος. Vide Athenæum et Sophoclis Scholiasten in Ajace. Sed nec αἴλινος semper carmen lugubre. Athenæus l. XIV. Λίνος δὲ καὶ αἴλινος οὐ μόνον ἐν πένθεσιν, ἀλλὰ καὶ ἐπ' εὐτυχεῖ μολπῇ κατὰ τὴν Εὐριπίδην. Rutgersius præterea Venusinis Lectionibus cap. 5. *in silvis Idæ* legendum contendit; quomodo unus Vaticanus. Apollo nimirum tutelaris Troadi Deus. *Heins.*

24 *Invicta concinuisse lyra*] Lege cum eodem Rutgersio et quibusdam codicibus *invita lyra*. Idem.

25 *Aspice Mæonidem*] *Adjice* meliores; et recte. *Idem. Mæoniden*] Homerum.

27 *Hunc quoque summa dies*] Zinzerlingus ex veteri libro, *magna dies:* nostri omnes pro vulgata lectione

Digitized by Google

stant; quibus accedo. *Heins.* *Averno*] Avernus est lacus in sinu Baiano prope Puteolos. Hic pro inferno ponitur, quia inde ad inferos aditum esse vulgo credunt.

28 *Effugiunt avidos*] *Diffugiunt* vetustiores cum prima editione. *Heins.*

30 *Tardaque nocturno tela, &c.*] Scribit Homerus in Odyssea, Penelopen, cum a procis sollicitaretur, pollicitam se tunc conditionem accepturam, cum telæ finem imposuisset: utque procos in longum duceret, quantum per diem texuisset, tantum per noctem ad lucernam detexuisse solitam. Hic igitur Poëta per 'Trojanum laborem,' Iliada: per 'telam retextam,' Odysseam intelligit. *Tela retexta*] Sic ipsa de se, Ep. I. 'Nec mihi quærenti spatiosam fallere noctem Lassaret viduas pendula tela manus.' Penelope autem hanc sese telam instituere simulabat ad ταφήϊον Λαέρτῃ ἥρωϊ. Simile hujus exemplum habemus Æneid. IX. ubi mater Euryali: 'nec te, tua funera, mater Produxi, pressive oculos, aut vulnera lavi, Veste tegens, tibi quam noctes festina diesque Urgebam, et tela curas solabar aniles.' Ad Penelopes ἱστὸν λεπτὸν καὶ περίμετρον videtur Plautus alludere in Pseud. I. 4. 7. 'Neque ad detexundam telam certos terminos Habes:' ubi vide Casaub. qui hoc eleganter explicat. Quid sit 'pallium detexere,' docet Douza in Amphitr. Plaut. I. 138. Quo refer illud Æneid. X. 'Dum texit Imaona Halesus:' id est, spoliat.

31 *Sic*] Per carmina.

32 *Altera*] Nemesis. *Cura recens*] Amor novus. *Altera*] Delia. Primum enim Tibullus Deliam, tum Nemesin amavit.

33 *Quid nos sacra juvant*] Bene *vos* Puteaneus et quinque alii; ut ad Nemesin et Deliam referatur: nisi *nunc* præferas cum aliis codicibus. Respexit illa Tibulli, ubi *mihi* pro *tibi* repono. 'Quid tua nunc Isis mihi, Delia quid mihi prosunt Illa tua toties æra repulsa manu?' *Heinsius.* *Quid*] Nihil, inquit, prodest religio, si nemini mors parcit. *Ægyptia*] Ex Ægypto enim Isidis sacra Romam advecta sunt.

35 *Cum rapiant*] *Rapiunt* meliores. *Heins.*

37 *Vive pius, moriere tamen*] *Moriere pius* iidem cum Puteaneo; recte: nisi quod Neapolitani codicis lectio omnino arridet, in quo, *Vive pius, moriture pius;* quomodo legendum jam pridem conjeceram. *Idem.*

38 *Mors tamen a templis*] *Mors gravis* codices castigatiores magno numero et prima editio. *Idem.* *Cava busta*] In sepulchra. *Bustum* tamen proprie locus dicitur, in quo combustorum cadaverum cineres reponuntur. Aut potius id quod ex combusto cadavere restat.

39 *Jacet ecce Tibullus*] *Ille Tibullus* excerpta Jureti. Vide Notas ad Ep. XIV. 95. Supra, 'Ille tui vates operis, tua fama Tibullus Ardet.' *Heins.*

40 *Vix manet e toto parva quod urna capit*] *Et tanto* rectius unus Palatinus et unus Vaticanus. Præterea in uno Moreti et Menteliano *curva urna.* Putem *curta.* Met. XIII. 'Jam cinis est, et de tam magno restat Achille Nescio quid, parvam quod non bene compleat urnam.' Propert. lib. II. El. 9. 'et tanti corpus Achillis Maximaque in parva sustulit ossa manu.' *Heins.*

42 *Pectoribus*] Corpore. *Pasci*] Proprie ignis dicitur pasci materia quam comburit.

43 *Aurea*] Ad Capitolium alludit.

45 *Erycis quæ possides arces*] Id est, Venus, cui magnificentissimum templum structum fuit in Erycino monte Siciliæ: unde ipsa Venus appellatur a poëtis Erycina.

47 *Sed tamen hoc melius*] Ut mortuus sit inter suorum manus. *Phæacia tellus*] Corcyra, Ionii maris insula,

Digitized by Google

olim Phæacum patria, ubi Alcinous regnavit. In hac insula Tibullus Messalam secutus, in adversam valetudinem inciderat: qua tamen levatus, Romam rediit, ubi mortem obiit.

48 *Supposuisset*] Sepelivisset. *Vili humo*] Respectu Italiæ.

49 *Hic certe manibus*] Puteaneus et optime Palatinus *Hinc* tam hic quam sequenti hexametro: alii tres *Huic* cum Jureti Excerptis. At idem Puteaneus cum Sarraviano et Farnesiano *madidos fugientes:* septem *madidos fugientis.* Forte, *madidos fugienti pressit ocellos,* ut sint 'madidi ocelli,' quos Met. IV. vocat, 'oculos jam morte natantes:' et Epicedio Drusi, 'Lumina cærulea jam jamque natantia morte.' Sed opinor scribendum *gravidos fugienti pressit ocellos:* quomodo Met. IV. 'oculos jam morte gravatos Pyramus erexit:' et apud Virgilium Dido moritura, 'Illa graves oculos conata attollere.' *Heins.*

52 *Dilacerata comas*] *Dilaniata* cum prima editione et scriptis compluribus. *Idem.*

53 *Tuis*] Osculis. *Prior*] Delia, quam primum amavit.

54 *Oscula*] Id optavit ipse Tibullus Elegia prima lib. I. dicens: 'Te spectem, suprema mihi cum venerit hora, Et teneam moriens deficiente manu. Flebis et arsuro positum me, Delia, lecto: Tristibus et lachrimis oscula mista dabis.'

56 *Vixisti, dum tuus ignis eram*] Quasi hæc mors ex eo provenerit, quod Nemesin amarit.

57 *Cui*] Scilicet, Deliæ. *Tibi sunt*] Quid tu tantopere doles meis damnis? *Tibi sunt mea damna dolori*] *Sint* Moreti. *Heins.*

60 *In Elysia valle Tibullus*] Hoc prædixit ipse Tibullus l. I. Eleg. 3. inquiens: 'Sed me, quod facilis tenero sum semper amori, Ipsa Venus campos ducet in Elysios.'

61 *Obvius huic venies*] *Venias* Puteaneus et alius Moreti. *Heins.*

62 *Calvo*] Calvus poëta. Propert. l. II. 'Hæc eadem docti confessa est pagina Calvi, Cum caneret miseræ funera Quintiliæ.' *Docte Catulle*] Catullus Veronensis fuit, poëtarum elegantissimus eruditissimusque. Non est autem mirum, Nasonem hic Calvum et Catullum conjunxisse: horum enim carmina a musicæ modulatoribus Hermogene, Tigellio, et Demetrio cantabantur.

63 *Quoque*] Sicut Catullus et Calvus. *Si falsum est*] Nam si verum esset crimen illud, inter impiorum umbras in Tartaro acerbis pœnis multaretur, neque in Elysio cum piis esset. *Temerati*] Violati. Suspicio enim fuit, Cornelium Gallum conjurasse in Augustum: cumque senatui damnandus traditus esset, sua se manu interfecisse. *Amici*] Augusti: qui eum adeo amavit, ut Ægypti provinciam illi primum commiserit.

64 *Prodige*] Contemptor: ut apud Horat. 'Animæque magnæ Prodigum Paulum.'

65 *Si qua est modo corporis umbra*] *Si quæ modo* Puteaneus a manu emendatrice: Excerpta Jureti et tres alii codices, *si quid modo corporis umbra est;* recte. Pont. IV. El. 1. 'Da mihi (si quid ea est) hebetantem pectora Lethen.' El. 13. 'Styx quoque (si quid ea est) bene commutabitur Istro.' Prudentius Prœmio Cathem. 'Cum jam, quicquid id est, quod fueram, mors aboleverit.' *Heins.*

68 *Et sit humus cineri non onerosa tuo*] Sic solebant antiqui amicis mortuis precari. *Micyl.*

Digitized by Google

ELEGIA X.

1 *Cerealis*] Hujus Deæ ludi celebrabantur Romæ quinto Idus Aprilis.

3 *Flava*] A maturæ segetis colore.

4 *Inhibes*] Prohibes.

7 *Hirsuti*] Asperi, inculti, sylvestres. *Torrebant*] Coquebant. Sic Æn. I. 'Frugesque receptas Et torrere parant flammis, et frangere saxo.' *Farra*] Frumenta.

8 *Nec notum terris*] Nec sciebant mortales quid area esset. *Area*] Area locus est in agris, creta consolidatus, ubi sectæ fruges teruntur et arefiunt.

9 *Quercus*] In Epiro enim Dodona urbs fuit, juxta quam Jovi sacrum nemus erat, glandibus abundans. *Oracula prima*] Appositio est. Hoc dicit, quia fama est, in Dodonæo nemore arbores fuisse, quæ responsa darent. Virg. Georg. II. 'Atque habitæ quondam Graiis oracula quercus.' *Quercus oracula*] Dodonæa quercus vetustissima credebatur, et verissima edere oracula: cujus et Homer. mentionem facit Odyss. Ξ. 327. Τὸν δ' ἐς Δωδώνην φάτο βήμεναι, ὄφρα θεοῖο Ἐκ δρυὸς ὑψικόμοιο Διὸς βουλὴν ἐπακούσῃ. Unde et Lucan. VI. 'primis quid frugibus altrix Ore Jovis Dodona sonat.' Et noster Metam. XIII. Herodot. lib. II. Τὸ γὰρ δὴ μαντήϊον τοῦτο νενόμιστο ἀρχαιότατον τῶν ἐν Ἕλλησι χρηστηρίων εἶναι. Et Eurip. in Phœnis. Ἀεμνὰ Δωδώνης βάθρα. 'Hæc tibi non hominem, sed quercus erede Pelasgas Dicere.' Art. Amat. II. 541.

10 *Hæc cibus, et teneri cespitis herba torus*] Puteaneus cum multis aliis melioris notæ *Hæc erat, et teneri cespitis herba cibus;* Quod amplector; neque aliter Jureti et Scaligeri excerpta. Similis locus Fast. IV. 'Panis erant primis virides mortalibus herbæ Quas tellus nullo sollicitante dabat. Et modo carpebant vivax e cespite gramen, Nunc epulæ tenera fronde cacumen erant. Postmodo glans nata est: bene erat jam glande reperta: Duraque magnificas quercus habebat opes. Prima Ceres, homine ad meliora alimenta vocato, Mutavit glandes utiliore cibo.' Nihil ibi de toro gramineo. Artis tamen l. II. 'Tum genus humanum solis errabat in arvis: Idque meræ vires et rude corpus erat. Sylva domus fuerat, cibus herba, cubilia frondes.' *Heins.*

11 *Prima Ceres*] Sic in Met. V. ait: 'Prima Ceres unco glebam dimovit aratro, Prima dedit fruges alimentaque mitia terris.'

12 *Coloratas*] Flavas, maturas. *Comas*] Fruges.

13 *Prima jugis tauros*] *Jugo* excerpta Politiani; quod mollius. *Heins.*

14 *Curvo dente*] Periphrasis est vomeris.

15 *Hanc*] Quæ tot ac tanta mortalibus munera attulit. *Credit*] Credibile non esse, tam liberalem et mitem Deam lætari cruciatibus et tormentis amantum. *Lætari credat amantum*] *Credit* meliores cum prima editione; dixi supra El. 8. *Heins.*

17 *Quamvis agros amet*] Licet rure degat, non tamen est rustica, id est, severa, difficilis.

18 *Nec vacuum pectus amoris habet*] *Viduum* libri castigatiores magna copia cum vetustis editionibus. *Heins.*

19 *Cretes*] Cretenses. *Nec fingunt omnia Cretes*] Hoc dixit, quia de Cretensibus proverbialiter dicitur, Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται.

20 *Superba*] Id est, nobilis, insig-

Digitized by Google

nis. *Nutrito Jove*] Vide Fabulam. Scribunt nonnulli ideo fictum esse, ut in Creta natus dicatur Jupiter; quia Cretenses primo religionem invenerunt.

21 *Sideream*] Sideribus ornatam. *Mundi arcem*] Cœlum. *Temperat*] Moderatur, regit.

22 *Lac bibit*] Scribit Lactantius, Amaltheam una cum sorore Melissa aluisse Jovem puerum lacte caprino ac melle.

23 *Testis*] Creta. *Laudatur*] Probatur. *Alumno*] Jove.

24 *Fassuram Cererem*] Adeo hæc quæ mox dicam nota sunt, ut nec ipsa Ceres sit negatura. *Crimina*] Amores suos. *Crimina nota*] *Nostra* quinque ex melioribus. Sequenti versu *Iason* unus Vaticanus. *Heins.*

25 *Viderat*] Cereris amores narrare incipit. *Iasium*] Jasius Jovis fuit filius ex Electra. Scribit Diodorus Cadmum Agenoris filium uxorem duxisse Harmoniam, Jasii sororem: quas nuptias a Diis primum celebratas ferunt, Cereremque in gratiam Jasii ex frumento panem attulisse. *Sub Cretæa Ida*] Ad differentiam Idæ Phrygiæ. *Diva*] Ceres.

26 *Figentem*] Jaculo percutientem. *Certa*] Ejus enim ictus nunquam fallebat.

27 *Flammam rapuere medullæ*] Ut amoris incendio ardere cœpit.

28 *Hinc pudor, ex illa parte*] Multi libri *ex alia*. Sarravianus *ast alia parte*. Heins.

30 *Sata*] Segetes.

31 *Cum bene*] Licet diligentissime terram colerent, non tamen idcirco uberiores proveniebant fruges.

32 *Ierunt*] Jacta et sparsa fuerant. *Æqualiter*] Hoc ratio agriculturæ exigit.

35 *Diva potens frugum*] Periphrasis est Cereris. *Silvis errabat in altis*] *Cessabat* meliores: quomodo supra, 'Nos, Macer, iguava Veneris cessamus in umbra.' *Heins.*

38 *Qua tulerat se Dea*] Per quemcunque locum transierat Ceres. *Messis*] Seges. Proprie tamen fructuum perceptio, messis dicitur.

39 *Ipse locus nemorum*] In sylvis minus proveniunt fruges: idcirco Poëtice hoc dicit. *Canebat*] Arva enim maturis segetibus canescunt. Sic in Metamorph. 'Nec renovatus ager gravidis canebat aristis.'

40 *Metebat*] Adunco dente decutiebat, ut metere videretur.

41 *Legifer*] Minos primus Cretensibus leges dedit.

42 *Cereris longus ut esset amor*] Malim *Cereri*. Heins. *Longus*] Ut diutius fertilis esset Creta.

43 *Qui tibi secubitus*] Alii codices *Quid* concinne; unus Palatinus *Quod*: et sequenti versu *Hoc* pro *Hos*. Heins.

45 *Cur ego sum tristis*] *Sim* meliores. *Idem. Cur ego*] Nulla, inquit, est causa quamobrem ego tristis esse debeam tuis solennibus: nata enim, quam lachrymans per universum orbem quærebas, inventa tibi est uxor Plutonis: unde tua sacra cum voluptate et lætitia celebrari deberent, non cum amantium lachrymis et tormentis. *Nata*] Filia tua Proserpina.

46 *Regnaque quam Juno forte minora rogat*] *Sorte minora* plerique libri; et recte: *sorte minore* Puteaneus et sex alii. Posset etiam legi, *Regnaque Junonis sorte minora regat*. De hac sorte inter tres fratres ducta plena Poëtarum ubique scripta. *Heins. Regna*] Infernum. *Quam Juno*] Junonis regna sorte majora sunt, quia in orbis divisione Jovi cœlum obtigit.

47 *Festa dies, Veneremque vocat*] Alii codices *Cereremque colat*. *Vocat*, ut Fast. IV. 'Scena sonat, ludique vocant: spectate, Quirites.'

Digitized by Google

ELEGIA XI.

1 *Multa diuque tuli, &c.*] Hæc elegia mirum in modum exprimit amantum inconstantiam. *Vitiis*] Puellæ.

3 *Fugique catenas*] *Rupique* Scriverianus. *Heins.*

4 *Et quæ non puduit ferre*] *Depuduit* bene Jureti excerpta. Epist. IV. 'Depuduit, profugusque rubor sua signa reliquit.' *Idem.*

6 *Venerunt capiti cornua sera meo*] Id est, Sero admodum meam ignominiam animadverti. *Domin, Cornua sera meo*] Id est, Sero tandem cœpi indignari, et me opponere. *Micyl.*

8 *Sæpe tulit*] Alibi: 'Ut valeas, multa dolenda feres: Sæpe bibi succos, quamvis invitus, amaros Æger,' &c. *Lassis*] Morbo jacentibus.

11 *Nescio cui*] Nescio in cujus gratiam. Cum contemptu dixit.

12 *Excubui ante domum*] Justin. VIII. 4. optime utitur hoc verbo: ubi de Græcia, bellum deprecante, loquitur: 'regum certe,' inquiens, 'gentiumque semper victricem, et multarum adhuc urbium dominam, alienis excubare sedibus.' Vide et Phædr. 3. in prol. ad Eutych. 'tradere vigiliam suam alteri.' Qua etiam Cicero utitur locutione ad Brutum Epist. Fam. l. II. 24. 'Cupio jam,' inquit, 'vigiliam meam, Brute, tibi tradere.' Horat. Od. IV. 13. 'pota cupidinem Lentum sollicitas. Ille virentis et et Doctæ psallere Chiæ Pulchris excubat in genis.' *Excubui*] Vigilavi. *Clausam servus ut ante domum*] Excerpta Scaligeri, Puteani, et Jureti, cum sex aliis *forem:* quod probarem, nisi 'foribus' mox sequeretur. *Heins.*

13 *Vidi ego cum foribus*] Meliores scripti τὸ *ego* non agnoscunt; quare licet tollatur. *Idem. Foribus*] A foribus amicæ.

17 *Quando ego non*] Id est, semper. *Spatiantis*] Mos enim erat Romanis viris et mulieribus, refrigerationis gratia sub aliqua porticu æstatis tempore spatiari. *Lateri spatiantis adhæsi*] *Patienter* Puteaneus cum duobus aliis. *Heins.*

21 *Vanæ mendacia linguæ*] Τὸ γὰρ ψεύδεσθαι καὶ πᾶσιν ἀνθρώποις μισεῖσθαι ἄξιον, καὶ οὐδὲ μετρίοις δούλοις συγγνωστόν. Plutarch. de liber. educ. Plaut. eleganter in Curcul. IV. 1. 9. 'Qui perjurum convenire vult hominem, mitto in Comitium: Qui mendacem et gloriosum, apud Cloacinæ sacrum.' Et in Pseud. I. 5. 12. 'Homines qui gestant, quique auscultant crimina, Si meo arbitratu liceat, omnes pendeant, Gestores linguis, auditores auribus.'

26 *Veni, rivali non erat ægra meo*] *Veni, et rivali* scripti plerique cum prima editione. *Heins.*

27 *His*] Scilicet superius commemoratis. *Et quæ taceo*] Plura alia quam memoravi, perpessus sum. *Duravi*] Pro, obdurui. *Micyll.*

29 *Jam mea*] Se jam extra periculum constitutum esse dicit. *Votiva corona*] Quam ego in tempestate vovi.

30 *Læta tumescentes*] *Lenta* scribendum, quicquid libri veteres dissentiunt, dixi Epist. XIX. 81. at nunc eam conjecturam invenio confirmatam in codice Arondeliano. *Heins. Læta*] Quod periculum evasit. *Tumescentes*] Turgidas, inflatas. *Æquoris*] Allegoricῶς ad puellæ inconstantiam et fraudem respiciens, ipsam æquori comparavit. *Audit*] Non horrescit, ut antea, quia in tuto est.

31 *Potentia quondam*] Quæ olim valebant, et poterant mihi persuadere quicquid volebas.

Digitized by Google

32 *Non ego sum stultus*] *Non ego nunc* Scriverianus; rectius. *Heins.*

33 *In contraria ducunt*] *Tendunt* meliores; nonnulli *vertunt*. Sequenti versu *vincit* pro *vincet* iidem præstantiores. *Idem.*

34 *Hac amor, hac odium*] Vide Epist. XIX. 173. 'Calor et reverentia pugnant.'

35 *Odero, si potero*] Distichon hoc Ovidianum non videtur esse. *Heins.*

37 *Nequitiam*] Amicæ improbitatem. *Fugientem*] Me. *Forma*] Pulchritudo corporis. *Reducet*] Revocabit. *Forma reducit*] *Reducet* Puteaneus. *Heins.*

38 *Morum crimina*] Id est, malos mores.

39 *Sine te*] Quia corpus tuum amo. *Nec tecum vivère possum*] Quia animum odi.

40 *Voti*] Voluntatis, desiderii.

42 *Non facit ad mores tam bona forma*] Dedecorant ergo mores, quem vultus honestat.

43 *Facta merent odium*] *Movent* quidam codices: merent pro merentur. Medicamine faciei: 'mundicie crimine nulla merent;' si tamen locus iste est sanus. *Heins.* *Exorat*] Impetrat a me amorem.

44 *Vitiis plus valet illa suis*] Quia non prohibent ejus mores, quo minus eam amem.

46 *Qui dant fallendos*] *Qui dent* legendum cum codice Neapolitano. Vide Notas ad Epistolam XV. 107. *Heins.*

48 *Qui rapuere meos*] Sic libro secundo Amorum: 'Per te, perque oculos, qui rapuere meos.'

49 *Quidquid eris*] Qualiscunque fueris.

51 *Lintea*] Vela. *Potius*] Quam te coactus amem. *Ferentibus*] Secundis, prosperis.

52 *Cogar*] Tuis illecebris. *Domin.*

ELEGIA XII.

3 *Quodve putem sidus nostris occurrere votis*] *Fatis* Puteaneus et multi alii. Epistola Œnones vulgatam tuetur, 'Quis Deus opposuit nostris sua numina votis?' *Heins.* *Occurrere*] Obstare, obesse, impedimentum afferre.

8 *Sic est*] *Sic erat* meliores; nisi quod Sarravianus cum duobus aliis *Sic erit*. Lib. I. El. 2. 'Sic erat: hæserunt molles in corde sagittæ.' *Heins.* *Ingenio*] Ingeniosis carminibus. *Prostitit*] Prostare est, turpitudine corporis quæstum facere, ut meretrices.

10 *Vendibilis*] Venalis.

11 *Duce me productus amator*] *Perductus* Puteaneus et quatuor alii: hinc 'perductores' pro lenonibus apud Comicos. *Heins.*

12 *Est adaperta*] Patefacta est rivali ad amicam introeunti.

15 *Cum Thebæ, cum Troja foret*] *Forent* prima editio cum quinque scriptis: eadem *Thebe* quoque agnoscit; atque ita Puteaneus: neque aliter Statius pluresque ex antiquis singulari numero. *Heins.* *Cum*] Cum multa alia essent, de quibus canere potuissem, Corinnam solam meis carminibus celebrandam suscepi. *Thebæ*] Thebana bella: de quibus Papinius cecinit, et operi titulum 'Thebaidos' indidit. *Troja*] Trojana bella: quæ apud Latinos Macer Nasonis amicus

Digitized by Google

scribebat. *Cæsaris acta*] Hoc in Augusti gratiam dixit.

16 *Movit*] Ad scribendum de ejus pulchritudine.

17 *Adversis Musis*] *Aversis* Puteaneus et complures alii: dictum initio Epistolæ VII. *Heins.*

19 *Ut testes*] Tanquam testes, quos mentiri non decet.

20 *Maluerim*] *Malueram* scripti. *Heins.*

21 *Per nos*] Scilicet, poëtas, qui hæc fingimus. Probat, quod supra dixit, non debere poëtas ut testes audiri quia monstrosa et naturæ repugnantia scribunt. *Scylla*] Duas fuisse Scyllas fabulantur poëtæ, alteram Nisi Megarensium regis filiam: alteram autem Scyllam Phorci filiam, quam Glaucus amavit, quamque Circe Glauci amore capta in canes media sui parte mutavit. Fabulas scribit Naso Metam. VIII. et XIV. *Patri*] Niso. *Canos*] Ad illius ætatem respiciens hoc dixit. Coma enim, quam furata est Scylla suo patri, purpurea fuisse dicitur. *Canos furata capillos*] *Caros* Puteaneus et quinque alii, quod sit, pretiosos: sed male. Met. VIII. de Niso, 'Inter honoratos medio de vertice canos Crinis inhærebat magni fiducia regni.' *Heins.*

22 *Pube*] Virgil. 'Prima hominis facies, et pulchro pectore virgo Pube tenus: postrema immani corpore pistrix.'

23 *Pennas*] Talaria: quibus usus est Perseus, dum Medusam interficeret. *Crinibus angues*] Medusam Phorci filiam intelligit.

24 *Abantiades*] Significat Bellerophontem, Glauci regis Ephyræ filium, qui usus esse dicitur Pegaso alato equo, cum vinceret Chimæram. *Alite equo*] Id est, Pegaso: Metam. IV. *Fertur*] Per nos poëtas, qui hæc fingimus.

25 *Tityon*] Tityus Jovis ex Elara filius, cum Latonæ vim inferre tentasset, ab Apolline sagittis confossus est: et apud inferos ea pœna damnatus, ut ejus jecur semper renascens volucres exederent. Hunc Poëtæ adeo magnum finxerunt, ut ejus corpus novem jugera terræ occuparet. Metam. IV.

26 *Et tria*] Cerberum tricipitem dicit, qui fingitur pro pilis habere serpentes.

27 *Fecimus Enceladum*] *Enceladon* Moreti unus. Puteaneus deficiebat hoc loco. *Heins. Fecimus*] Proprie poëtæ facere dicuntur. *Enceladon*] Enceladus fuit Titani et Terræ filius, qui cum Deis bella gerere ausus est, eum Jupiter fulmine percussit, et monti Ætnæ supposuit.

28 *Ambiguæ*] Duplicis, bimembris. Et sic per ambiguam virginem poteris intelligere Sirenem, cujus a capite usque ad pubem forma erat formosæ virginis, cætera in duos pisces reflexos desinebant. Aut, qui sensus fortasse erit melior, per virginem ambiguam accipe Circen, quæ ambigua, id est, duplex, fallax, et varia fuit. *Viros*] Id est, Ulyssi socios, qui carminibus Circes in varias feras mutati sunt.

29 *Æolios Ithacis*] Scribit Homerus Æolum ventorum regem Ulyssi, ut tutior navigaret, ventos utre conclusos dedisse: sed socios in coriis aurum inclusum existimantes, utrem Ulysse dormiente dissolvisse, Metam. IV. *Inclusimus utribus Euros*] Hanc fabulam habemus in Homer. Odyss. K. vs. 19. Δῶκε δέ μοι δείρας ἀσκὸν βοὸς ἐννεάροιο· Ἔνθα δὲ βυκτάων ἀνέμων κατέδησε κέλευθα. Hinc et Lycophr. Cassandr. Βύκτας ἐν ἀσκῷ συγκατακλείσας βοός. Et Noster Metam. XIV. 224. 'Æolon Hippotaden, cohibentem carcere ventos: Quos bovis inclusos tergo memorabile munus Dulichium sumsisse ducem,' &c.

30 *Proditor*] Quia Deorum secreta mortalibus prodidit.

31 *De Niobe*] Niobe Tantali filia, et Amphionis uxor, cum septem filios totidemque filias forma egregias pe-

Digitized by Google

perisset, ea re in tantam superbiam elata est, ut se Latonæ præferret: unde ejus proles omnis Apollinis et Dianæ sagittis interiit, ipsa autem Niobe in marmor mutata. Fabulam narrat Naso Metam. VI. *Virgine*] Callistone. Calisto enim Lycaonis Arcadiæ regis filia: vide Metam. II.

32 *Concinit*] Mortuum cantu deflet. *Odrysium*] Threïcium: ab Odrysarum gente, quæ Thracia fuit. *Cecropis*] Atheniensis. *Ales*] Prognen dicit, Pandionis Athenarum regis filiam: quæ, ut maritum Tereum ulciscereturr, ei Itym filium communem apposuit comedendum. Tum in hirundinem mutata esse dicitur, Itys in phasianum.

34 *Virgine*] Europa, Agenoris Phœnicum regis filia.

35 *Protea*] De Proteo Oceani et Tethyos filio, qui se in varias formas secundum poëtarum figmenta vertere solebat, diximus libro superiore, elegia decima quinta. *Thebanaque semina dentes*] Fabulantur poëtæ, Cadmum Agenoris filium a patria profugum, maximi cujusdam serpentis dentes jussu Palladis seminasse: unde subito orti sunt armati homines, qui omnes præter quinque, quos condendæ urbis Thebarum socios habuit Cadmus, mutuis vulneribus se confecerunt. Fabulam Ovid. Metam. III. describit. *Thebanaque semina dentes*] Vide Epist. VI. 11.

36 *Vomerent*] Jason Æsonis filius, ut aureum vellus raperet, boves ore naribusque ignem efflantes jugo submisisse a poëtis dicitur. Lege Nasonem Metam. VII.

37 *Flere genis electra*] Apostrophe est ad Phaëtontem. Fabula narratur a Nasone Metam. II. Ordo est: O auriga, subaudi a superioribus, Quid referam tuas sorores flere electra genis? *Flere genis*] A genis. *Electra*] Quod Græci ἤλεκτρον, a sole, dicebant; id Latini, quia arboris succum credidere, succinum appellitarunt: hodie vulgo *ambra* dicitur. *Auriga*] Phaëton. *Sorores*] Heliades.

38 *Quæque rates fuerant*] *Fuerint* legendum cum octo libris: possit et *fuerunt* rescribi. *Heins. Quæque rates*] Subaudi a superioribus, Quid referam? Scribit Virgil. Æneæ naves, ne a Rutulis incenderentur, in Cybeles gratiam a Jove mutatas fuisse in marinas Nymphas.

39 *Aversumque diem*] Fabulantur Poëtæ, Atreum et Thyestem Pelopis ex Hippodamia filios, cum sibi in dissensione nocere non possent, in simulatam gratiam rediisse. Inde captata occasione, cum fratris uxorem Thyestes subagitasset, illi Atreus filios epulandos apposuit: quæ scelera Sol, ne polluereturr, aversus effugisse dicitur. *Mensis*] Epulis. *Furialibus*] Furiis impulsus Atreus.

40 *Duraque percussam saxa secuta lyram*] Amphion, Jovis et Antiopes, sive Mercurii filius, tanta cantus suavitate valuit, ut ad citharam canens, saxa ad struenda Thebarum mœnia traxisse a Poëtis dicatur. *Domin.*

ELEGIA XIII.

1 *Cum mihi pomiferis, &c.*] Cum Nasoni e Phaliscorum gente uxor contigisset, illius gratia ad Phaliscos pervenit: ubi sacrorum Junonis ritum edidit, et simul originem Phaliscorum docet. *Pomiferis*] In Phaliscis enim maxima provenit pomorum copia. *Conjux*] Aut primam aut

Digitized by Google

secundam intellige. Treis enim uxores habuit Poëta, quarum duabus repudiatis, cum tertia conjunctissime vixit.

2 *Mænia*] Falerios oppidum Phaliscorum. *Victa, Camille, tibi*] M. Furius Camillus, vir summa virtute præditus, Faliscos ad deditionem coëgit. Vide Flor. I. 12. *Tibi*] A te. *Victa, Camille, tibi*] Falerios intelligit. Excerpta Puteani et Jureti tamen cum octo scriptis *culta tibi;* ut Veios designet: multi ex scriptis *juncta tibi*, vel, *juncta tuis*. Heins.

3 *Casta...Junoni*] In honorem Junonis, quæ maxime a Phaliscis colebatur.

4 *Per celebres ludos indigenamque bovem*] *Et celebres* scripti plerique cum prima editione. Jureti Excerpta, *indigenæque Jovi;* frustra. Faliscus enim ager victimis pascendis dicatus. *Heins. Ludos*] Ludi antiquitus dicebantur omnia spectacula publica, quæ in Deorum honorem fiebant.

5 *Grande moræ pretium*] *Voco meritum* quatuor codices. Forte, *Grande loco meritum*. Martialis l. VIII. Ep. 64. 'Grande loci meritum testantur et altera dona.' Sed vulgata scriptura bene se habet. Epistola Didus, 'Grande moræ pretium tuta futura via est.' *Heins.*

6 *Difficilis via*] Phalisci enim montana fere incolunt.

7 *Stat vetus*] Lucum describit, in quo ara Junoni constituta erat.

8 *Aspice*] Id est, Si aspexeris, concedes. *Numen inesse loco*] Sic supra: 'Credibile est, illi numen inesse loco.' *Concedes numinis esse locum*] *Numen inesse loco* Excerpta Scaligeri, Puteani, ac Jureti, cum nostrorum multis. Fast. III. 'Lucus Aventino suberat niger ilicis umbra, Quo possis viso dicere, Numen inest.' *Heins.*

10 *Ara per antiquas facta, &c.*] Antiqui enim non ambitiosi erant, nec in exornandis rebus multum elaborabant.

11 *Hic ubi personuit*] *Præsonuit* sex scripti. Pro *Hic, Hac* Sarravianus; tres alii *Hinc*. Lege *Huc*. Heins.

12 *It*] Procedit. *Velatas*] Velis et vestibus stratas. Dicit enim inferius: 'Qua ventura Dea est, juvenes timidæque puellæ Præbuerant latas veste jacente vias.'

14 *Herba Phalisca suis*] Ex religione: ut supra, 'indigenamque bovem.' *Dom. Campis herba Phalisca suis*] Perinde ac si dicat, Quales peculiariter in agro Phalisco habentur, propter amnem Clitumnum, cujus aqua candidas facit. *Micyll.*

16 *Minor victima*] Quæ dicantur majores victimæ, quæ minores, ex Livio et aliis cognitum est. Hodie licenter confundimus Hostias cum Victimis. Veteres autem victimas eas vocabant, quæ post victoriam immolabantur: hostias, quum in hostem irent. Quod et Servius notat ad Æn. I. 'Multa tibi ante aras nostra cadet hostia dextra.'

18 *Invisa*] Ex omnibus brutis solam capellam Juno odit. *Dominæ Deæ*] Junoni: quæ uxor dicitur Jovis, qui omnibus dominatur.

21 *Incessitur*] Petitur. *Index*] Capella: cujus indicio fugiens Juno in sylvis inventa est.

23 *Dea*] Junonis simulachrum.

24 *Præbuerant latas veste jacente vias*] *Præverrunt* optime excerpta Scaligeri, Puteani, ac Jureti; etiam Arondelianus liber pro diversa lectione. Auctor Moreti, 'Præverrit canda silices gremiumque molarum.' Unus tamen Mediceus *velarunt;* unus Vaticanus *Præbuerunt:* Junianus *Prævertunt;* alius Vaticanus *Straverunt:* forte *Præsternunt*. Heins.

26 *Auratos*] Aureis calceamentis ornatos. *Palla*] Vestis longa.

27 *More patrum sanctæ*] *Grato* excerpta Puteani, Scaligeri, ac Jureti. Lege *Graio:* atque ita Arondelianus, et pro diversa lectione Sarravianus et Barberinianus: optimus Palatinus

Digitized by Google

Graium. Mox dicet, ' Argiva est pompæ facies.' Statius Theb. IX. ' Militiamque trucem sexum indignata frequento, More nihil Graio.' *Heins. Albis*] Albarum enim vestium usus in sacrificiis.

28 *Tradita sacra*] Sarravianus *Condita*: ut Arte Amatoria, ' Condita si non sunt Veneris mysteria cistis.' In Fastis tamen, ' Cœptaque sunt pure tradita sacra coli.' Met. l. XI. ' cui Thracius Orpheus Orgia tradiderat cum Cecropio Eumolpo.' *Heins. Tradita*] Sibi imposita. *Vertice*] Capite.

29 *Ore favent populi*] *Favet populus* unus Politiani et Moreti. Puto *favent populus*. Heins. *Ore favent populi*] Id est, tacent.

31 *Agamemnone cæso, Et scelus, &c.*] Halesum alii aurigam, alii filium Agamemnonis fuisse dicunt. Is, ubi Agamemnon uxoris Clytæmnestræ et Ægisti adulteri insidiis interfectus est, sceleris atrocitate permotus, patriam fugiens, in Italiam se contulit: et oppidum, quod non longe a Sabinis distabat, condidit: quod a suo nomine *Phalesum*, præposito *P.* nominavit: id postea *Phaliscum* appellarunt. *Cæso*] Ab Ægisto et Clytæmnestra interfecto. *Scelus*] Agamemnonis cædem.

33 *Terraque marique*] *Fretoque* scripti plerique, cum prima editione. *Heins.*

34 *Marsia*] Phalesum. *Alta*] Quia in monte posita.

35 *Ille*] Halesus, qui Græcus erat: apud Græcos autem Juno maxime colebatur.

36 *Sint*] Sacra Junonia: per quæ ipsam Deam intelligit. *Suo populo*] Phaliscis. *Domin.*

ELEGIA XIV.

1 *Cum sis formosa*] Quia difficile est formosam mulierem pudicam esse.

2 *Sed ne sit*] Ne cogar tua furta deprehendere.

3 *Nostra censura*] Nostrum judicium.

4 *Sed tamen ut tentes*] *Sed tantum* Mentelianus. Excerpta Jureti, *Sed tantum tentes;* recte. *Heins.*

6 *Solaque*] Famosæ, inquit, et meretrices illæ tantum appellandæ sunt, quæ palam peccant: non illæ quarum furta dissimulantur.

7 *Quis furor*] In Artibus, inquit Poëta: ' Præcipue Cytherea jubet sua sacra taceri.' *In luce fateri*] *Sub luce* duo ex melioribus. *Heins.*

9 *Ignoto*] Ignobili; per quod vilem et diobolarem meretricem ostendit.

10 *Opposita sera*] *Apposita* Puteaneus cum Jureti excerptis: vide quæ supra ad Elegiam 6. hujus libri notamus. Lib. II. Artis, quomodo et illic in membranis: ' Atque erit apposita janua firma sera:' ut et Fastor. l. I. ' Et jam contigerant portam. Saturnia custos Demserat appositas insidiosa seras.' Neque aliter apud Festum in *Adserere* antiqui codices: ' unde etiam seræ appellantur, quia foribus admotæ apponuntur.' ' Addere postibus seram' noster in Arte dixit: ' Et centum duris postibus adde seras.' Apud Appuleium, ' adducta fore pessulis firmatis.' *Heins. Populum*] Prætereuntes. *Summovet*] Removet, et arcet. *Ante*] Priusquam corpus suum Quiriti jungat. *Apposita sera*] Ostio pessulum obdit, et fores claudit.

12 *Commissi*] Peccati. *Perages in-*

Digitized by Google

dicium] Tu ipsa tui peccati eris index.

13 *Saltemque imitare pudicas*] *Saltemve* meliores; rectius: *imitere* etiam Junianus; probe. Tres alii cum Arondeliano *pudicam;* quomodo libri veteres. Arte Amatoria I. 'imitataque amantum Verba.' *Heins.*

17 *Locus*] Lectum dicit.

18 *Sit procul inde pudor*] *Stet procul* Puteaneus: sic alibi, 'stat pudor ante genas.' *Heins.*

19 *Hinc*] E lecto.

21 *Tunicam tibi sit pomisse pudori*] *Rubori* rectius Sarravianus: nam 'pudor' præcesserat. Vide quæ observavi ad Epist. XX. 202. *Heins.*

25 *Nec verba juvantia cessent*] *Desint* tres libri. *Idem.*

27 *Metuentem crimina vultum*] Id est, severum, honestum.

28 *Opus*] Amoris. *Diffiteatur*] Neget, celet.

29 *Da populo, da verba mihi*] Me et populum falle. *Sine*] Permitte. *Nescius*] Tui furti ignarus. *Errem*] In dubio sim an peccaveris.

34 *Collaque conspicio dentis*] *Compositi dentis* Hafniensis: *conspicuo* Neapolitanus. Lege *conspicui dentis.* Heins.

37 *Mens abit*] *Fugit* Sarravianus; ut l. II. Artis, 'miseræ mensque colorque fugit;' ita libri veteres. Epistola Deianiræ, 'Mens fugit admonitu; frigusque perambulat artus.' Barberinianus vero et Arondelianus *Mens hebet:* ut et in Tristibus, 'Temporis adversi sic mihi sensus hebet.' Vulgata tamen lectio proba est. Fast. II. 'Mens abit et morior, quoties pugnantis imago Me subit.' *Id.*

42 *Falsi criminis instar erit*] *Facti muneris* optimus Palatinus: at in Puteaneo, Sarraviano, et quinque aliis, *falsi muneris.* Nil muto; nisi quod scribendum puto, *falsi criminis instar erunt:* nimirum, quæ parabis celare. *Heins. Erit*] Scilicet, verum crimen.

44 *Probra*] Tua flagitia et crimina.

47 *Prona tibi*] Ordo est: Palma, id est, victoria, est prona tibi vincere cupientem vinci. *Prona*] Facilis. *Cupientem*] Scilicet, me, qui victoriam non quæro.

49 *Contingat*] Liceat tibi. *Superare*] Vincere me. *Verbis duobus*] 'Non feci.'

50 *Causa*] Causæ honestate. *Judice*] Scilicet, me. *Domin.*

ELEGIA XV.

1 *Mater Amorum*] Venus.

2 *Traditur hæc Elegis ultima meta meis*] Rectius *hic Elegis* unus Moreti. Scriverianus *his;* alius *hoc.* Pro *meta,* quidam codices, tam scripti quam editi, *charta:* optimus Palatinus *nota:* Mentelianus *cura.* Lipsius Antiquis Lectionibus et ad Symmachum Juretus *creta* legendum contendunt. Sed perperam. Scribe minima mutatione, vel invitis membranis, *Raditur hic Elegis ultima meta meis.* Elegos enim tanquam curru vectos designat passim Noster. Sic Art. Am. I. 'imparibus vecta Thalia rotis.' 'Radere metam' quid sit, non est ut multis explicem. Nihil aptius aut elegantius dici potuit. 'Terere metam' id ipsum alibi vocat. Simile mendum ex Propertio sustuli I. II. El. 1. 'Hoc si quis vitium poterit mihi demere, solus Tantalea poterit radere poma manu:' sic enim scribendum censeo: *radere* pro corradere posuit. Noster Metam. l. XIV. 'Raserat Occidnus Tartessia littora Phœbus:' sic et ibi

Digitized by Google

opinor esse reponendum. Nam libri vetustiores, *Sparserat:* vulgati *Presserat.* 'Radere littora' Virgilius quoque dixit, etsi alio sensu, 'Proxima Circææ raduntur littora terræ.' Et alibi, 'Ille inter navemque Gyæ scopulosque sonantes Rasit iter lævum interior.' Val. Flaccus lib. v. 'alba Carambis Raditur,' ab Argo videlicet. 'Ripas radentia flumina' Lucretius similiter dixit. Noster, 'sicco freta radere passu' Met. x. Medic. Faciei 'radenti tubera nitro' est legendum pro *eradenti.* Sic 'radere nomen fastis' apud Ciceronem pro *eradere:* 'radere cultros' Martial. l. ix. Ep. 72. 'Delibata semel summos modo purpura cultros Raserat:' sic scribendum puto; quod mollitiem capillorum optime exprimit: vulgo *sparserat,* et *Et libata.* 'Lima radere librum' Noster Trist. et Martial. x. Ep. 2. 'Tybris radit arenas' Fast. i. 'Aquosus Eurus arva radit imbribus' Horatio Epod. xvi. *Heins. Ultima meta*] Id est, ultimus terminus. *Ultima*] Quia in curuli certamine plures erant metæ. *Ultima meta*] Quod explicat Virgil. Æn. v. 'Jamque fere spatio extremo, fessique sub ipsam Finem adventabant.'

4 *Nec me*] Quia juvenis hæc lusi. *Dedecuere meæ*] *Tuæ* malim cum uno Moreti: nam 'meis' sub finem proximi pentametri jam præcesserat. *Heins.*

5 *Si quid id est*] Esse ex equestri ordine. *A proavis*] Modeste se a genere laudat. *Ordinis*] Equestris.

6 *Modo*] Nuper. Ad illud refert quod dixit, 'Vetus ordinis hæres.' *Militiæ turbine factus eques*] Rivalem suum obiter mordet, de quo supra dixit: 'Ecce recens dives parto per vulnera censu, Præfertur nobis sanguine factus eques.' *Domin. Turbine*] Pro turbulentia et inquietudine: aut certe pro rotatione equorum, quos in gyrum circumagere solebant. Quasi dicat: Non bello aut arte aliqua militari equestrem dignitatem consecutus sum: sed a majoribus accepi, &c. *Micyl. Militiæ turbine factus eques*] Quidam *fortunæ munere;* ut lib. iv. Trist. Elegia ult. *Heins.*

7 *Mantua Virgilio*] Quemadmodum Mantua Virgilio, et Verona Catullo alumnis lætatur et illustris est: sic ego, inquit, Pelignam gentem illustrabo.

9 *Quam sua libertas*] *Quam* legendum cum quatuor scriptis atque ita Scaliger in ora libri sui emendarat. Mox *Martia Roma* unus Moreti. *Heins. Quam*] Scilicet, Pelignam gentem: laus enim hæc patriæ Nasonis in ipsum quoque redundat. *Honesta*] Honestissima enim arma sunt, quæ pro libertate sumuntur. *Coëgerat*] Impulerat: est enim boni viri, ut non nisi coactus ad arma confugiat. *Libertas*] 'Virei validis cum viribu' luctant, Libertatem ut perpetuassint maxime.' Enn. Annal. ix. Lucan. vii. 'hæc libera nasci, Hæc vult turba mori.' Sic Metius ad suos Albanos: ἐλεύθεροι γὰρ ἐξ ἐλευθέρων ἔφυμεν. Halic. iii. ἔμφυτον γὰρ πᾶσιν ἀνθρώποις τῆς ἐλευθερίας πάθος.

10 *Socias manus*] Quando omnes fere socii populi Romani defecerunt, et ad arma conversi sunt. Unde maximus terror et solicitudo Romanis incessit. Lege Lucium Florum lib. iii. *Anxia*] Sollicita. Adeo enim consternatos sociali bello Romanos legimus, ut magnos ludos Jovi Optim. Maxim. si Rempubl. in meliorem statum vertisset, voverint.

11 *Spectans*] Aspiciens. *Hospes*] Peregrinus. *Sulmonis*] Quæ est mea patria.

12 *Quæ campi*] *Qua* rectius duo scripti: nam 'quæ' sequitur. *Heins. Jugera pauca*] Parvum fuisse Sulmonis oppidum ostendit.

13 *Tantum*] Tam magnum. Mos est poëtarum, hujuscemodi laudes si-

Digitized by Google

bi attribuere. *Ferre*] Proferre, gignere. *Poëtam*] Nasonem.

15 *Culte puer*] Satis superque, inquit, amoribus indulsi: nunc ad majora tendo. Ordo est: O puer culte longo tempore mihi, et parens pueri, vellite signa, &c. *Culte*] Amate. *Puerique parens mihi tempore longo*] *Tempore in omni* excerpta Jureti et unus Moreti. Scriverianus, *parens amat hostia cultus.* Arondelianus pro diversa lectione *amat hostia cultu.* Optimus Palatinus, *parens Amathuntia culta.* Scribe, *Amathusia culti;* ab Amathunte Amathusia, ut a Rhamnunte Rhamnusia, a Selinunte Selinusia: hinc 'creta Selinusia' apud Plinium; sic 'Amathusiacas bidentes' noster dixit Met. x. Amathuntem enim ab Amathusa Cinyræ matre appellatam volunt. Quomodo et apud Catullum lego, 'Nam, mihi quam dederit duplex Amathusia curam, Scitis.' Et in Ciri Virgiliana, 'Nam te jactari, non est Amathusia nostri Tam rudis, ut nullo possim cognoscere signo:' ubi et *nostra* male legitur. Catulli illa respiciebat, 'non est Dea nescia nostri, Quæ dulcem curis miscet amaritiem.' 'Non est Amathusia nostri Tam rudis,' pro, nos non simus tam rudes Amathusiæ aut Veneris. Symmachus l. I. Ep. 8. 'Amathusias remidens.' Sic in iis versibus scribendum esse alibi monemus; non *Amathusium*, ut nunc legitur. Si quis *Amathuntia* præfracte tuetur, non omnino me oppono: nam et *Selinuntii* apud Ciceronem occurrunt, et *Hydruntii* apud Plinium: præstat tamen alterum. *Heins.*

16 *Vellite*] Extrahite. *Signa*] Vexilla.

17 *Corniger*] Cornua gerens. Quare cum cornibus fingatur Bacchus, docet Diodorus l. IV. *Increpuit*] Scilicet me, monens ut majora scriberem. *Thyrso*] Furore.

18 *Pulsanda est magnis area major*] Majora mihi scribenda sunt. *Magnis equis*] Ad carminis qualitatem refert: id est, heroicis carminibus. *Area*] Campus. Hoc ad materiam.

19 *Imbelles*] Qui respuunt bellicam et altam materiam. *Genialis*] A Genio, voluptatis Deo.

Digitized by Google

ARTIS AMATORIÆ LIB. I.

P. Ovidii Nasonis Artis Amatoriæ Liber Primus] De Arte Amandi hactenus inscripti sunt in vulgatis editionibus hi libri: nos veram inscriptionem revocavimus; quam veterrimus Codex Gallicus bibliothecæ Regiæ, Francisci Jureti, Josephi Scaligeri, ac Claudii Puteani excerpta, cum fragmento Oxoniensi Bodleianæ bibliothecæ itidem antiquissimo agnoscunt. Seneca excerptis Controversiarum III. 7. 'Iste sensus est ejus, qui hoc sæculum Amatoriis non Artibus tantum, sed sententiis implevit. Ovidius enim in libris Metamorphoseon dicit, 'Ipse suos artus,' &c. Aurelius Victor vulgatus, in vita Augusti Cæsaris: 'Nam et poëtam Ovidium, qui et Naso, pro eo quod tres libellos Artis Amatoriæ conscripserat, exilio damnavit.' Freculphus VIII. 10. Chronici: 'Quibus diebus Ovidius poëta in exilio diem obiit, qui ab Augusto sene damnatus fuerat, propter libros Amatoriæ Artis, quos composuerat.' Neque alio nomine ab Eutyche Grammatico hi libri citantur, aut a Scholiastis Mss. in Metamorphoseis, ac cætera ejusdem opera; idque passim. Vocat quidem Artem Amandi ipse Ovidius primo hujus operis versu, sed legi carminis id dedit, quæ verum poëmatis hujus titulum non admittebat: unde et errorem natum existimo. Πρωταγορίδου ἀκροάσεις ἐρωτικὰς laudat Athenæus l. IV. *Heins.*

1 *Si quis in hoc artem, &c.*] Ex Latinorum poëtarum consuetudine proponit, invocat, et narrat Ovidius. Nam primis duobus versibus amatoriam artem se doctum profitetur; deinde Venerem Amorum matrem invocat: narrat postremo, quomodo invenienda et concilianda sit amica. *In hoc populo*] In Romana civitate. *Artem amandi*] Modum conciliandæ amicæ.

2 *Me legat*] *Hoc legat* codex Regius et Bodleianus cum duobus aliis; sed nil muto. Tres etiam *doctus eat*, non *amet*; et placet: quo alii alludunt nonnulli, in quibus *erat* vel *erit*. Heins.

3 *Arte citæ*] Ut naves et currus gubernantur a perito homine, ita et amor regi debet ab optimo magistro. *Remoque rates veloque reguntur*] *Moventur* Regius, Bodleianus, et alii nonnulli cum excerptis Scaligeri et Puteani; placet. Epist. Laodam. 'Cum venies veloque move remoque carinam.' Viro clarissimo mihique conjunctissimo Jano Vlitio legendum videbatur, *Arte citæ remique rates velique reguntur:* nec obnitor, dummodo *moventur* admittamus. *Heins.*

5 *Curribus Automedon*] Automedon Diorei filius fuit, et Achillis auriga. Unde quum aurigam designant poëtæ, eum *Automedonta* appellant. *Lentis habenis*] Flexibilibus, et se implicantibus.

6 *Tiphys in Æmonia*] Tiphys fuit gubernator Argonautarum, qui in ea

Digitized by Google

expeditione periit. *In Æmonia puppe*] In Argo navi, fabricata in Thessalia.

8 *Tiphys et Automedon, &c.*] Dicar esse optimus amoris magister, ut Tiphys et Automedon habiti sunt optimi gubernatores.

9 *Ille quidem ferus est*] Fateor sævum esse Cupidinem. *Et qui mihi sæpe repugnat*] *Repugnet* excerpta Puteani et Scaligeri cum optimo Regio et Bodleiano. *Heins.*

11 *Phillyrides puerum*] Chiron filius fuit Saturni ex Phillyra Oceani filia: cum qua ille in equum conversus, dum per Thraciam Jovem filium quærit, consuevit. Hic herbariam disciplinam invenit: docuitque Achillem medicinam et citharœdicam artem, ut Statius tradit. *Perfecit Achillem*] Sic a manu prima codex Regius, et quatuor alii; quomodo Naugerius monuit legendum, non *præfecit*. Sic Amor. l. II. 'Ponendis in mille modos perfecta capillis.' *Heins.*

12 *Contudit*] Domuit.

13 *Perterruit hostes*] *Exterruit* libri meliores constanter. *Heins.* *Exterruit socios*] Centauros perterrefecit, quum Pelion habitaret.

14 *Annosum senem*] Longævum Chironem.

15 *Quas Hector sensurus erat*] Hoc dicit, quoniam Achilles Hectorem occidit.

17 *Æacidæ Chiron præceptor*] Vide Stat. Achilleid. 'nam tunc labor unus Nosse salutiferas dubiis animantibus herbas, Aut monstrare lyra veteres Heroas alumno.' Ælian. l. IX. *Ὅμηρος τὸν Ἀχιλλέα πεποίηκε τὴν ὀργὴν πέπτοντα τὴν πρὸς τὸν Ἀγαμέμνονα διὰ Μουσικῆς, ἧς ἔμαθε παρὰ τοῦ σοφωτάτου Χείρωνος.* Et Sen. Troad. 830. 'hic recumbens Montis exesi spatiosus antro Jam trucis Chiron pueri magister, Tinnulas plectro feriente chordas, Tunc quoque ingentes acuebat iras Bella canendo.'

18 *Uterque puer*] Et Cupido et Achilles. *Natus uterque Dea*] Cupido ex Venere, Achilles ex Thetide.

18 *Sed tamen et tauri cervix*] Tauri et equi exemplo probat, Cupidinem posse gubernari. *Tauri cervix oneratur aratro*] *Tauri curvis onerantur aratris* unus Ambrosianus et unus Vaticanus. Aratra passim 'curva' nostro aliisque poëtis dicuntur. *Heins.*

24 *Ultor ero*] Docendo modum amandi.

25 *Non ego, Phœbe, datas*] Non dicam, me artem amatoriam ab Apolline, non ab avium auspiciis, non a Musis; sed ab usu, et longa amandi peritia accepisse.

26 *Aëria voce avis*] Garritu volucrum: quem augures maxime observabant.

27 *Nec mihi sunt visæ Clio*] Hesiodum dicit: qui cum patris oves pasceret juxta Heliconem, a Musis ad fontem Hippocrenem ductus, poëta evasit. Clio autem una est ex Musis: sic appellata propter gloriam, quæ ex poëtarum laudibus oritur. *Cliusque sorores*] Reliquas Musas intellige. *Clius* autem genitivus est Græcus. *Clio Cliusque sorores*] *Cliosque* scripti: sic in Priapeis Epigramm. 67. cum in priscis codicibus, 'Penelopes primam Dido fac prima sequatur,' exstet, facile apparet *Didus* esse reponendum: vulgati *Didonis prima*, præter usum cultioris ævi. *Heins.*

28 *Ascra*] Vicus est in Thespiis, juxta Heliconis partem: quam Dius et Pycimede Hesiodi parentes incoluerunt, relicta patria Cuma.

29 *Usus opus movet hoc*] Usu et experientia doctus hæc canto.

31 *Este procul vittæ tenues*] Rejicit Vestales, et matronas castissimas, quas tenui vitta et instita denotat. Stola autem matronæ utebantur ad imos pedes: quam instita assuta, hoc est, tenuissima fasciola, ambibat. Hanc nonnulli limbum appellant. Vitta vero Vestalium peculiaris erat,

Digitized by Google

qua capillos ligabant. Magis tamen placet, ut per 'vittas,' puellas virgines, et nondum nuptas intelligas, potius quam Vestales virgines: quas etiam vitta utebantur. Ovid. in Metam. 'Vitta coërcebat positos sine lege capillos.'

33 *Venerem tutam*] Ignobiles fœminas, ad quas est aditus tutus: quum e diverso ad nobiles periculosus sit. *Concessaque furta*] Amores lege permissos, et aditu faciles. *Nos Venerem tutam*] Libro Tristium secundo, ubi quatuor hi versus repetuntur, legere est, 'Nil nisi legitimum concessaque furta canemus.' *Heins.*

37 *Placidam exorare puellam*] *Placitam* ex melioribus libris omnino est legendum: et mox, *Tot tibi tamque dabit formosas Roma puellas*, non *namque dabit*. Epistola Acontii, 'Per gladios alii placitas rapuere puellas.' Amor. 1. Eleg. 10. 'Non aries placitam munere captat ovem.' Lib. II. El. 4. 'Sive rudis, placita es simplicitate tua.' Art. III. 'Nec Tuscus placitis devehit amnis aquis.' Et mox, 'Nos facimus placitæ late præconia formæ;' ut illis locis restituendum. Plura vide Notis ad Epistolam XIX. 208. *Idem. Exorare*] Precibus et blanditiis tibi morigeram reddere.

39 *Hic modus*] Hæc mensura. *Nostro curru*] Nostris præceptis. Est enim similitudo ab aurigis sumpta. *Signabitur area*] Describetur spatium operis.

40 *Hæc erit admissa meta*] Currendum erit per hoc spacium. *Admissa rota*] Admoto vel celeri curru. *Meta terenda rota*] Memini illorum Propertii, 'Septima quam metam triverit arte rota.' Memini et a Nostro l. II. mox dici, 'Interior curru meta terenda meo est.' Libri tamen meliores hoc loco *meta promenda;* nec male: unus Vaticanus cum Ambrosiano, *tenenda;* quomodo Trist. l. IV. El. 8. 'Nec procul a metis, quas pene tenere videbar.' Virgilius I. v. 'Jamque propinquabant scopulo, metamque tenebant.' Paulo post etiam nonnulli codices *meta tenenda*, non *terenda*. Heins.

41 *Dum licet*] Dum nihil tibi obstat: vel dum fas est per ætatem: nam senem non decet. *Loris solutis*] Amota omni alia cura.

43 *Hæc tibi non veniet tenues*] *Tenues veniet* meliores libri. *Heins.*

44 *Quærenda est*] Non enim dormienti tibi hæc confecturi sunt superi. Nec sine tua opera deducetur tibi amica.

45 *Ubi retia tendat*] *Ponat* Argentinensis liber; etiam non male: sic et infra 263. libri meliores, 'Hactenus unde legas quod ames, ubi retia ponas.' Virgilius Georg. I. 'Tunc gruibus pedicas et retia ponere cervis.' Noster quoque Metam. VII. 'positarum lina plagarum.' Et alibi, 'in laqueos, quos posuere, cadent.' *Heins.*

47 *Qui sustinet hamos*] Periphrasis est piscatoris. *Sustinet hamos*] *Continet* fragmentum Bodleianum et tres quatuorve alii codices. Sic infra, 'pressas continet arte jubas.' *Heins.*

49 *Longo amori*] Diu duraturo.

51 *Dare vela*] Non est, inquit, longius navigandum, ut puellam invenias: quemadmodum fecit Paris, qui in Græciam navigavit.

52 *Longa terenda via est*] Non etiam peragranda erit terra, ut fecit Perseus, qui a Polydecte Magnetis filio ad Gorgonas missus, Andromedan invenit in littore, cete expositam, ut in Metam. docet Ovid.

53 *Andromeden*] *Andromedan* lege, ut meliores libri; quod jam monui notis ad Epist. XVIII. 149. In cæteris Naugerii conjecturam expressimus. Nam scripti codices cum vulgatis *portavit;* et *Raptaque sic*. Heins. *Nigris portavit ab Indis*] In Joppe, quæ est in Palæstina, ante diluvium con-

Digitized by Google

dita, ubi Cepheus regnavit, id factum fuisse prædicant. *Nigris* autem, hoc est, fuscis, solis ardore.

57 *Gargara quot segetes*] Gargara sunt in Mysia, quæ est Hellesponti provincia. Hic autem pro oppido accipitur, frugum feraci. *Methymna racemos*] Methymna est urbs Lesbiorum, in qua vinum optimum nascitur.

59 *Quot cœlum stellas*] Distichon hoc non esse Ovidianæ notæ contendo. Pentameter ex illis Nostri adumbratus est Amor. I. El. 8. 'Nunc Mars externis animos exercet in armis: At Venus Æneæ regnat in urbe sui.' In Oxoniensi fragmento legebatur, *Mater in Æneæ constitit urbe sui. Constitit* etiam Regius. *Heins.*

60 *Mater et Æneæ*] Venus, Æneæ mater, Romæ sedem habet: ex quo ostendit, lascivas esse Romanas mulieres.

63 *Sive cupis juvenem*] Majorem natu puellam.

64 *Cogeris voti*] Scripti plerique, *Cogeris et*. Puto, *Cogere et*. Comelinianus codex superiori versu non male, *juvenes tibi mille patebunt:* patebit tibi aditus ad mille juvenes; dictum Notis ad Amor. II. El. 19. vs. 25. *Heins. Cogeris voti nescius esse tui*] Ignorabis quænam ex tam multis puellis eligenda sit.

66 *Crebrius agmen erit*] *Plenius* meliora exemplaria; idque constanter. *Heins.*

67 *Tu modo Pompeia*] Porticus olim Romæ erigebantur, ad inambulationes et umbras. Inter cæteras maximæ fuit admirationis porticus Corinthia, ad Circum Flaminium erecta a Cneo Octavio: ita appellata propter æs Corinthium, quod erat in columnis.

68 *Quum sol Herculei*] Quum Sol est in Leone. Sol enim 13. Calend. Aug. in Leonem transitum facit. Designat æstatem. *Herculei leonis*] Nemeæum leonem dicit, quem Hercules inermis occidit, et inter sidera collocatus est.

69 *Aut ubi muneribus*] Sunt qui intelligant de templo Concordiæ. Mihi magis placet, intelligas de portico Octaviæ.

70 *Externo marmore*] Peregrino marmore: quod e Laconia, Phrygia, Numidia, Paro, Caristo advehebant.

71 *Priscis tabellis*] Antiquorum pictorum clarissimis picturis, quæ in porticibus locabantur.

72 *Livia nomen habet*] Porticus Liviæ meminit Ovidius in Fastis: 'Disce tamen veniens ætas, ubi Livia nunc est Porticus, immensæ tecta fuisse domus.' *Domin.* Porticus Livia, teste P. Victore, erat in tertia urbis regione, prope Suburram. *Ciofan.*

73 *Quaque parare necem miseris*] Porticum Apollinis Palatini intelligit. Nam Augustus templum Apollinis in parte Palatinæ domus excitavit, cui addidit porticum cum bibliotheca Græca Latinaque. In ea erant imagines Danaidum quinquaginta.

74 *Belides*] Danaides. Belus enim pater fuit Danai et Ægypti.

75 *Nec te prætereat*] In templis adulteria exerceri solita, docet Juvenalis. Intelligit autem hic Ovidius de templo Veneris: quæ ritu Assyrio Romæ colebatur cum Adonide, maxima veneratione. Fuit autem Adonis filius regis Cinyræ, et Myrrhæ ejus filiæ, quem ardentissime amavit Venus: sed ab apro vulneratus interiit, non sine Deæ luctu maximo. Is deinde in florem mutatus est, ut docet Ovid. in Metam.

76 *Cultaque Judæo septima sacra viro*] *Syro* optime Bodleianum fragmentum pro diversa lectione. Nisi quod *Idumæo Syro* reponi malim; quod magis poëticum: etsi et Judæos Syris fuisse adscriptos ex Strabone liquet. Ptolemæus: Παλαιστίνης Χώρας, ἥτις καὶ Ἰουδαία καλεῖται, θέσις. Infra vs. 418. similiter ex Puteaneis excerptis scribendum, 'Culta Palæstino septima sacra Syro:' nam et illic *viro* legebatur. In fragmento Bod-

Digitized by Google

leiano tam illic quam hic *Deo*. Tibullus lib. I. 'Alba Palæstino sancta columba Syro:' ubi minime ferendum *suo*; quod Scaligeri codex exhibebat, illo non improbante. Syria enim triplex apud veteres Geographos, Συρία Κοίλη, Φοινίκη, καὶ Παλαιστίνη. *Heins. Cultaque Judæo*] Cærimonias Judaicas accipe, ad quas confluebant Romanæ puellæ. Sed eas Tiberius postmodum compescuit. *Septima sacra*] Cærimoniæ Judæorum, quæ fiebant septimo quoque die, quem Judæi Sabbatum appellant.

77 *Neu fuge Niligenæ Memphitica templa juvencæ*] Ad Nilum Io cum non sit genita, perperam Niligena dicatur. Scripti plerique *lanigeræ*; sed *linigeræ* verum est; quod in optimo Regio, Puteani excerptis, et duobus tribusve aliis extat. Pont. Eleg. I. 1. 'Vidi ego linigeræ numen violasse fatentem Isidis Isiacos ante sedere focos.' Et Amor. II. El. 2. 'Nec tu linigeram fieri quid possit ad Isin Quæsieris.' Quibus locis pari modo turbant libri veteres. Linigera quemadmodum Isis, sic ejus quoque sacerdotes linigeri poëtis passim dicti. Noster Met. I. 'Nunc Dea linigera colitur celeberrima turba.' 'Linigeri calvi' Martiali iidem lib. XII. Ep. 29. et Juvenali, 'Qui grege linigero circumdatus et grege calvo.' Claudianus, 'plurimus infra Liniger imposito suspirat vecte sacerdos.' Sed hac de re jam copiose egerunt viri eruditi. *Heins. Nec fuge linigeræ*] Templum Isidis dicit: quod fuit proximum ei campo, qui erat conjunctus campo Martio. Juven. 'Isidis antiquo quæ proxima surgit ovili.' Hujus Deæ sacra celebrabantur quotannis a mulieribus, decem continuis diebus, ut ostendit Propertius, ubi sæpenumero scortationes et lenocinia exercebantur. *Memphitica sacra*] Ægyptia. Memphis enim urbs in angustiis Ægypti sita fuit. *Juvencæ*] Isidis, quam Juno mutavit in vaccam.

78 *Multas illa facit*] Multæ illic vitiantur. *Quod fuit ipsa Jovi*] Nam Io, quæ postea Isis dicta fuit, a Jove compressa est.

79 *Quis credere posset*] *Possit* meliores. *Heins.*

80 *Arguto foro*] Frementi litigantium vocibus et convitiis.

81 *Subdita qua Veneris*] *Qua*, ubi. Appiam aquam dicit: nam Appius Claudius in censura viam munivit, quæ a porta Latina, sive Capena, quam etiam Fontinalem Pompeius appellat, Brundusium usque ducebat. *Facto de marmore*] Nam in foro C. Cæsaris erat Veneris genitricis, quod fecit Archelaus: sed festinatione dedicandi reliquit imperfectum.

82 *Appias*] Ab Appio Censore eo ducta, ubi postea forum Cæsar exstruxit. *Expressis*] Ejaculatis, emissis. *Aëra pulsat aquis*] Id est, e fontibus in altum erumpens, aërem ferit.

83 *Capitur consultus amore*] *Amoris* vetustiores libri. Lege *Amori*, id est, Cupidini; atque ita fragmentum Bodleianum, cum alio codice quem Andreas Cavalcantes Patricius Florentinus, vir ad comitatem et elegantias factus, mihi dono obtulit. 'Consultus' pro jurisconsulto: ut Noster Amorum lib. I. El. 13. 'Nec tu consulto, nec tu jucunda diserto es.' Et mox, 'Hæc eadem sponsum consulti ante atria mittit.' Horatius, 'Eris tu, qui modo miles, Mercator, tu consultus modo,' &c. Et 'consultor' apud eundem, 'Sub galli cantum consultor ubi ostia pulsat.' *Heins. Consultus*] Jurisperitus. *Aliis cavit*] Reos defendit.

85 *Desunt sua verba*] Nescit jurisperitus uti apud amicam eloquentia, qua in foro uti solet.

86 *Resque novæ*] Novæ causæ, non judiciales, sed amoris. *Causaque agenda sua est*] Unus Vatican. et Palatin.

Digitized by Google

subit. Rottendorphianus *sub est*. Scribe cum Politiani codice, *causaque agenda sui est:* sui ipsius causa, non aliena. *Heins.*

89 *Sed tu præcipue*] Fœminæ ad spectandos ludos ex omni urbis parte in theatrum decurrebant. *Curvis theatris*] Curvum theatrum appellat propter formam hemicycli quam obtinebat.

90 *Voto fertiliora*] In theatro uberior est puellarum copia, quam speres. *Votis fertiliora tuis*] *Voto tuo meliores. Heins.*

93 *Longum formica per agmen*] Quod ex Æneid. IV. videtur desumtum: 'It nigrum campis agmen,' et quæ seqq. Et hoc ex Ennio et Acilio.

95 *Et olentia nactæ Pascua*] Non damno penitus hanc lectionem, quam codices scripti tuentur: minimum tamen abest, quin *Hymettia pascua* reponendum censeam. Sic infra pro *Hymettia mella* plurimæ membranæ *humentia*. Laudatissimum mel Atticum ex Hymetto monte; ut et Hybleum favi Siculi. Noster Met. X. 'ut Hymettia sole Cera remollescit.' 'Hymettia' quoque 'mella' habes apud Horatium; et sane frequenter in hisce propriis nominibus peccatur: sic in Tristibus pro 'Pæstana rosaria' nunc legitur *et amœna;* ut suo loco dicetur. *Heins.*

96 *Per flores et thyma*] 'Fervet opus, redolentque thymum fragrantia mella.'

101 *Sollicites*] A Romulo primum in theatro cœpisse lascivam licentiam, ostendit. *Sollicitos ludos*] Inquietos, et curarum amoris plenos.

102 *Rapta Sabina*] Noster Fast. III. 187. 'Jamque loco majus nomen Romanus habebat; Nec conjux illi, nec socer ullus erat. Spernebant generos inopes vicinia dives;' et quæ seqq.

103 *Tunc neque marmoreo*] Vela in theatris umbram faciebant: quod primus omnium invenit Q. Catulus, quum Capitolium dedicaret. Mox Cæsar totum forum Romanum intexit. *Pendebant*] Sic et Propert. 'Nec sinuosa cavo pendebant vela theatro.' *Marmoreo theatro*] Theatra quondam non ex marmore structa erant; ut postea theatrum Pompeii.

104 *Nec fuerant liquido*] Croco trito, et mero infuso vasi vitreo, quod Martial. 'nimbum' appellat, spargebantur theatra, populo nimia opulentia luxuriante, ut testis est Plin. *Pulpita rubra croco*] Similiter in Fast. I. 342. 'Nec fuerant rubri cognita fila croci.' Vide Ep. XXI. 162.

105 *Illic, quas tulerant*] Scena prius frondibus e Palatino monte decerptis ornabatur. At postea Claud. Pulcher scenam varietate colorum adumbravit.

107 *In gradibus de cespite factis*] Hanc Romanorum tunc temporis honestam paupertatem vel continentiam laudat Poëta in Fast. I. 203. 'Frondibus ornabant, quæ nunc Capitolia gemmis: Pascebatque suas ipse Senator oves. Nec pudor, in stipula placidam cepisse quietem, Et fœnum capiti supposuisse, fuit.'

108 *Qualibet hirsutas*] Coronam frondeam gestabant majores in spectandis ludis. Postea tanta inolevit luxuria, ut etiam rosacea cœperint uti. *Hirsutas comas*] Quia Romani antea intonsi fuerunt. Olim tonsores non fuisse, significant antiquorum statuæ.

109 *Respiciunt*] Lustrant, et inquirunt quam rapiant.

110 *Multa movent*] Cum animo suo taciti cogitant, inque varias partes rapiunt, et volvunt per singula.

111 *Rudem modum*] Rudem modulationem. Rudibus adhuc hujus artis Hetruscis: quia nondum tam inflexo sono, nec multiforatili tibia utebantur. *Tibicine Thusco*] Quia ex He-

Digitized by Google

truria venerant tibicines: quorum ad sacra tibiæ ex buxo fiebant, ludicræ vero ex loti arbore. Deinde ex ossibus asininis, postea ex argento.

112 *Lydius æquatam*] *Ludius* Scaliger et Politianus; nec aliter pro diversa lectione in Moreti libro. *Ludii* iidem qui histriones: de quibus cum alii jam abunde ex professo egerint, quod addam non habeo. Ad rem tamen facit Livii locus l. VII. c. 2. 'Ludiones ex Hetruria acciti, ad tibicinis modos saltantes haud indecoros motus more Thusco dabant.' Optimus Regius *Ludis* a manu prima, sed emendatum postea *Lydius*. Heins. *Pulsat pede humum*] Saltat. Sic Hor. Od. I. 37. 'nunc pede libero pulsanda tellus.' De veterum saltatione vide Athen. l. I. c. 14. 18. et 19. Homer. Odyss. Θ. 264. αὐτὰρ Ὀδυσσεὺς Μαρμαρυγὴς θηεῖτο ποδῶν, θαύμαζε δὲ θυμῷ. Quod Didym. explicat, illas pedum micationes vocans τὰς συντόνους τῶν ποδῶν κινήσεις· et deinde ἐν γὰρ ταῖς ὀξείαις κινήσεσι ἀπόστιλψις τῶν ποδῶν γίνεται.

113 *In medio plausu*] In media populi plaudentis lætitia.

114 *Rex populo*] Romulus signum dedit rapiendi virgines Sabinas.

115 *Animum clamore fatentes*] Hostili et incondito fremitu, qualem tollere solent qui in hostem procurrunt: Δορίκτυπον ἀλαλάν. Pindar. Nem. III. Et Diod. Sicul. XIV. 2. de Persis, Ἐπεφάνησαν οἱ Πέρσαι διεσκευασμένοι καταπληκτικῶς, καὶ μετὰ βοῆς ἐπιφερόμενοι.

117 *Ut fugiunt aquilas*] Idem in Metam. 'Sic aquilam penna fugiunt trepidante columbæ.' *Ut fugiunt columbæ*] Similiter de accipitre. Horat. Od. I. 37. 'Remis adurgens, accipiter velut Molleis columbas, aut leporem citus Venator, in campis nivalis Æmoniæ.' Ideoque et Homero Iliad. O. vocatur, Ἶρηξ φασσοφόνος.

118 *Utque fugit visos*] *Ut fugit visos* Regius et Bodleianus: in quinque aliis, *Ut fugit invisos*: sed nulla opus mutatione. Pont. II. El. 7. 'Sæpe canem longe visum fugit agna, lupumque Credit: et ipsa suam nescia vitat opem.' *Heins. Agna novella*] Tenera: recens a matre. Sic Cicer. 'novellæ arbores.' 'Præda novella,' Art. III. 560. Quo vulgo utuntur pro commentariis et actis.

119 *Sine lege*] Sine ordine.

121 *Nam timor unus erat*] Omnes pariter timebant. *Facies non una timoris*] Quia aliæ aliam timoris faciem ostendebant. Quædam enim mortem, aliæ captivitatem, et alia id genus supplicia timebant.

122 *Pars laniat*] *Laniant* Vaticanus unus cum codice Patritii Junii; et tum *sedent* lege. *Heins.*

124 *Hæc fugit, illa manet*] *Hæc manet, illa fugit* scripti fere omnes. *Idem.*

125 *Genialis præda*] Generandis liberis parata.

126 *Ipse decere pudor*] Vetustiores *timor*. Heins.

127 *Si qua repugnabat nimium, comitemque negabat*] *Repugnarat* et *negarat* melioris notæ libri: sed *comitem negarat* non placet, ut *se* subintelligatur. Nimirum huic loco accidit, quod aliis multis, ut repetitio ejusdem vocis neglecta a supinis librariis causam errori dederit. Lege, *Si qua repugnarat nimium, nimiumque negarat*. Plures hujusmodi errores deteximus a librariis commissos Notis ad Epist. VI. 29. *Idem.*

129 *Atque ita, Quid teneros*] Livius quoque docet, Romanos precibus, quæ maxime ad muliebre ingenium efficaces sunt, Sabinas raptas conciliasse.

133 *Solemnia theatra*] In quibus solennes ludi exhibentur.

134 *Insidiosa manent*] Ex eo tempore quo raptæ sunt Sabinæ, semper in theatris paratæ fuerunt puellis ab amantibus insidiæ.

135 *Nec te nobilium*] Sunt qui hoc ad equiria tantum referendum putent: quæ fiebant quinto Idus Apri-

Digitized by Google

les, in Circo maximo, inter Palatinum et Aventinum. Magis placet intelligas de ludis omnibus qui fiebant in Circo. Inter quos etiam Megalesiaci, qui in honorem magnæ matris celebrabantur, magna hominum frequentia.

136 *Multa commoda*] Quia eo confluunt puellæ. *Circus habet*] Circus dictus est, quod circum metas pompa ferebatur, et equi currebant: ut auctor est Varro. Tres autem Circos Romæ fuisse legimus: Maximum, Flaminium vel Apollinarem, et Neronianum in Vaticano. Disponebatur autem circus in formam spacii oblongi: et in summitate circi carceres erant, unde equi curribus juncti ad cursum incitabantur.

139 *Proximus a domina*] *Ad dominam* multi ex scriptis. Forte, *Proximus at dominam?* ut apud Ciceronem lib. I. Ep. 9. ad Atticum, 'Proximus Pompeium sedebam.' *Heins.*

140 *Quam potes*] Scripti majori ex parte *qua:* sed nihil mutandum. Vid. lib. III. 262. *Idem.*

141 *Et bene quod cogit si nolit linea jungi*] *Si nolis* recte castigatiores libri. Amor. lib. III. El. 2. 'Quid frustra refugis? cogit nos linea jungi. Hæc ex lege loci commoda Circus habet.' Hinc apparet infra vs. 497. scribendum esse, *Nec sine te curvo sedeat spatiosa theatro:* idque cum melioribus libris. *Idem. Et bene te cogit*] Sedendi ordo et locus jungit te puellæ, etiam si id ipsa nollet. *Mer. Et bene te cogit, si nolit, linea jungi*] Per lineam funiculum, aut simile aliquid intelligo, quo sedilia in circo distincta fuere. *Micyl.*

142 *Qua tibi tangenda est*] *Quod* Regius et unus Palatinus, ut referantur hæc ad τὸ *Et bene.* Oxoniensis *Quid:* primus Vaticanus *Quo;* proxime verum. *Heins.*

144 *Et moveant primos*] Primus sermo sit cum puella, quisnam sit futurus victor in ludis, ex omnium sententia, vel simile quid.

145 *Cujus equi veniant*] Docet juvenes studiis puellarum obsequi debere, favendo ei quem ipsa laudarit, ex illis quatuor factionibus Circensium ludorum, a panni coloribus denominatis.

147 *At quum pompa frequens*] Qualis sit hæc pompa in ludis Megalesiacis, docet in Fast. *At cum pompa frequens, &c.*] De ea pompa intellige quæ ipsum certamen præibat, in qua Deorum imagines per circum et circa metam gestabantur. *Micyl. Pompa frequens certantibus ibit ephebis*] *Cælestibus eburnis* Jureti liber et fragmentum Oxoniense: quomodo et Comelini codex pro diversa lectione; optime. Vide de hac Deorum pompa per Circum ferri solita ipsum Ovidium copiose agentem Amor. lib. III. El. 2. quibus totus hic locus mire illustratur. *Heins.*

148 *Tu Veneri dominæ*] In pompa Megalesiaca non modo ipsam Cybelen deferebant in circum, sed alia quoque simulacra: id quod etiam in pompa Cereris fieri solitum testatur Ovid. in Fast. Amantes autem Veneri potissimum assurgebant.

153 *Pallia si terræ*] Pallium supra tunicam gestabatur a viris et mulieribus. *Terræ nimium demissa*] *Terra dimissa* Regius et Oxoniensis cum aliis nonnullis monui Amor. III. El. 2. vs. 25. *Heins.*

154 *In munda sedulus effer humo*] *Immunda humo* bene libri veteres: nonnulli *aufer.* Idem. *Effer humo*] Id est, amoveas e loco immundo.

155 *Protinus officii pretium*] *Officio* Regius, Oxoniensis, et unus ex meis, quo vir optimus Angelus Aprosius Intimelius me donavit. *Heins.*

159 *Parva leves capiunt animos*] Parvis hujusmodi officiis conciliantur puellæ.

160 *Pulvinum facili*] *Pulvinar* multi ex scriptis; sed male. Pulvinaria enim proprie in sacris locum habent. Epistola Herus, 'Cellaque pulvine

Digitized by Google

nostra ferenda dedi.' *Heins. Pulvinum fucili supposuisse manu*] Huc non incommode videtur referri posse illud Plaut. in Sticho. I. 2. 35. 'Pi. asside hic, Pater. An. Non sedeo istic: vos sedete: ego sedero in subsellio. Pi. Mane pulvinum. An. bene procuras mihi: satis sic fultum est mihi.'

161 *Profuit et tenues ventos movisse flabello*] *Tenui ventos*, scripti plerique. Regius tamen et Oxoniensis, *tenui vento movisse tabellam;* optime. Intimelii codex *ventos movisse tabello:* in uno Vaticano, *tenui tabella;* quod maxime placet; neque aliter Arondelianus. In Farnesiano *scabella:* duo alii *flagello.* Amorum lib. III. El. 2. 'Vis tamen interea tenues arcessere ventos, Quos faciat nostra mota tabella manu.' Ita et illo loco vetustiores libri, ut Salmasius in suis quoque invenerat; ut testatur ad Pallium Tertulliani. Apud Propertium lib. IV. El. 9. Hercules de se, 'Mollis et hirsutum cepit mihi fascia pectus, Et manibus duris apta tabella fuit:' ita scribo; vulgo inepte legitur *apta puella fui.* Noster Fast. II. de Omphale eadem, 'Aurea pellebant rapidos umbracula soles, Quæ tamen Herculeæ sustinuere manus.' Flabellum Latine dici haud ignoro, cum Terentius ac Martialis ea voce sint usi, sed primam ejus vocis syllabam non posse corripi habeo persuasum. Producunt certe Propertius, et Martialis. Fiebant autem flabella ex tabulis tenuioribus, unde et tabellæ dictæ. Puto pari modo corrigendum esse carmen de Mensibus, quod in Catalectis Pithœanis extat, 'Augustum penitus torret Phaëthontius ardor: Quem recreant fessum, gillo, fabilla, melo.' Ita enim legitur posterior versus in codice longe vetustissimo, quem Petrus Scriverius mihi aliquando utendum dedit. Nec in diversum abit alter, qui penes multæ eruditionis virum Isaacum Vossium extat; in quo *gillo, faula.* Eliæ Vineti codex *gillo, saula.* Scripserat auctor, nisi fallor, *gillo, tabella:* unde *tavella* et mox *taula, saula, fauia* factum. Nisi *flabella* ab eo relictum fuisse credimus, non habita metri ratione. Esse enim carmen posteriorum temporum vox *gello* abunde evincit, cum *gellonem* Isidorus in Glossis *baucalem* interpretetur, vas nempe vitreum: de quo videndus Scaliger ad illa Propertii l. IV. 'Vitrique æstiva supellex:' nam quod idem *facilla* pro *fabella* agnoscit in illo carmine, non persuadet, nec probo: aliter tamen *gillonem* seu *gellonem* interpretantur Glossæ optimæ Mss. in quibus, *Aquale, gello, ποδόκολον. Heins.*

164 *Sparsaque sollicito*] Ludos gladiatorios intelligit, de quibus multa Juvenalis. Exhibebantur autem in foro arena constrato: unde arena pro loco accipitur, ubi munus gladiatorium exhibebatur. *Tristem* autem arenam appellat, propter gladiatorum vulnera.

166 *Vulnera habet*] Vulneratur a Cupidine. *Vulnus habet*] Proprie de gladiatoribus: quorum si quis vulneraretur, spectatores clamabant, 'habet,' i. e. ictus est, percussus est. Sic Virgil. XII. 'Desuper altus equo graviter ferit, atque ita fatur: Hoc habet: hæc melior magnis data victima divis.' Quo etiam referunt illud Terent. 'certe captus est: habet.' Et Plaut. Mostell. III. 2. 26. 'Hoc habet: repperi, qui senem ducerem:' ubi Donatus: 'Vox propria in gladiatores vulneratos, aut irretitos: vel insultantis adversarii: vel vulgi acclamantis.' Et in Rudente, IV. 4. 99. 'Hoc habet, solutum est:' ubi Taubm. 'tralatitio more exultantium exclamat statim a solutione.'

168 *Posito pignore*] Amantes in spectaculis sponsione facta anulos deponebant, quum alii alium victorem fore affirmarent.

169 *Saucius ingemuit*] Amator sensit, se esse a Cupidine vulneratum.

Digitized by Google

170 *Et pars spectati vulneris ipse fuit*] Regius et Oxoniensis cum Excerptis Scaligeri ac Puteani, *spectati muneris;* egregie, ut jam monui ad Claudianum, in Rufin. II. 396. intelligit enim munus gladiatorium. Sic 'spectare munus' Martiali, 'Spectabat modo solus inter omnes Nigris munus Horatius lacernis.' Cur autem munera dicta causam adfert Servius Æn. III. 'Apud veteres etiam homines interficiebantur; sed mortuo Junio Bruto cum multæ gentes ad ejus funus captivos misissent, nepos illius eos, qui missi erant, inter se composuit, et sic pugnaverunt: et quod muneri missi erant, inde munus appellatum.' Quanquam munus vocatum, quicquid spectaculi aut in theatris aut in circis exhiberetur. 'Circi munus' dixit noster Fast. v. *Heins.*

171 *Quid modo, quum belli*] Augustus Cæsar præter cæteros ludos, quorum assiduitate, varietate, et magnificentia omnes antecessit, dedit etiam prælium navale circa Tiberim, cavato solo, in quo postea fuit Cæsarum nemus: quibus diebus custodes in urbe disposuit, ne raritate remanentium grassatoribus obnoxia esset.

172 *Persidas indixit Cecropiasque rates*] *Cecropidasque* lege cum prima editione et multis scriptis. Schedæ Oxonienses *Cecropetasque:* sic 'Dardanides rates' ex veteri libro, et 'Argolides puppes' Remediis Amoris: et 'Parætonides rates' lib. III. infra: et 'Dardanides pinus' lib. I. Fast. et 'Hæmonides aquæ' ex veteri libro Fast. II. 'Bistonides aquæ' Trist. I. El. 9. itidem ex veteri codice: 'Pegasides undæ' Trist. III. El. 7. quod male mutant libri veteres. Plura a me hujus generis observata ad Epist. IX. 73. *Heins. Persidas induxit*] Classem designat, quam M. Antonius (ut docet Plutarch.) partim orientalibus copiis, partim viatoribus, agasonibus, messoribus, adolescentulis per totam Græciam a magistris captis, collegerat, et contra Augustum duxerat: quæ deinde apud Actium devicta, et Romam adducta, in naumachia Cæsaris pulcherrimum præbuit spectaculum. *Persidas* ergo, Orientis populos accipe. *Induxit*] Invexit in cavatum circa Tiberim solum ut pugnarent. *Cecropidas*] Athenienses, qui Antonianas partes secuti sunt.

173 *Ab utroque mari*] Ab orientali et occidentali plaga.

177 *Ecce parat Cæsar*] Augustus, finito Hispano bello, in Syriam ad componendum Orientis statum venit; metumque Phrahati injecit, ne bellum Parthis inferret. Itaque tota Parthia captivi ex Crassiano sive Antonii exercitu recollecti, signaque cum his militaria Augusto remissa. *Mer. Domito, quod defuit, &c.*] De Caio magis quam de Tiberio intelligendum hoc loco et sequentibus videtur: propterea quod Tiberius, Lucio et Caio jam mortuis, in Cæsarum familiam adoptatus demum fuit: ut per id tempus, quando ipse in Armeniam profectus est, id quod longe ante mortem C. et Lucii factum est, Cæsar dici nondum potuerit. Deinde, quod et *puerum* vocat: quo nomine immerito, ut puto, Tiberius vocaretur, qui jam plusquam viginti ætatis annos impleverat, cum expeditio Syriaca susciperetur.

179 *Crassi gaudete*] M. Crassum patrem, et Publium filium, spectatæ virtutis adolescentem designat, quos Parthi trucidarunt.

180 *Signaque*] Signa a Parthis bis sunt adempta Romanis: primo Crasso devicto, deinde etiam M. Antonio.

181 *Primisque ducem profitetur in armis*] *Armis* sex libri: sic Met. VIII. 'et primis etiamnum Nestor in armis:' ut quidem illic complures membranæ ex melioribus. Intelligenda autem hæc de Caio Cæsare Agrippæ filio, qui ab Augusto adoptatus expeditionem Parthicam suscepit. Eum

Digitized by Google

marrant Dio et Paterculus. Adi Notas Met. VIII. 818. *Heins.*

188 *Parcite natales*] Puerilis ætatis immaturam virtutem divinitati Cæsarum ascribit. *Timidi*] Pavidi et timentes, ne quid adversi accidat Caio contra Parthos eunti, propter ætatem. *Natales Deorum*] Dies quibus nati sunt Dii, seu partus Deorum.

187 *Tirynthius*] Hercules, a Tirynthe oppido, haud longe a Mycenis, appellatus: ex quo pulsus Amphitryon, ejus pater conventitus, Thebas concessit.

189 *Nunc quoque qui puer es*] Bacchus Bœotias Thebas patriam habuit. Puer orbem peragravit, Multas domuit nationes. Primus omnium triumphavit, vectus Indico elephanto.

191 *Auspiciis animisque patris*] Ita castigatiores libri: ante perperam *annis* in utroque versu legebatur. *Heins. Auspiciis annisque patris*] Auspiciis et annis Augusti patris per adoptionem; quasi dicat, Multum tibi puero conferent auspicia et anni Augusti. Tiberius, sive Caius, dicitur arma movere auspiciis Augusti: quoniam ei Cæsar bellum gerendum mandarat. Romæ enim consuetudo erat, ut nihil domi forisque gereretur, nisi captatis auspiciis. Captabantur autem auspicia duobus modis, aut volatu aut garritu avium: quarum quædam oscines, quædam præpetes dicebantur.

193 *Tale rudimentum*] Tale initium, sub tanto nomine Cæs. Augusti patris.

195 *Quum tibi sint fratres*] Vel M. Agrippam et Lucium innuit, quos læsos dicit propter jus accipiendi rectores. Vel si ad Tiberium referas, Caium et Lucium intelligit, quos ex Julia nepotes Augustus adoptavit: quibus intra triennium defunctis, adoptatur ab Augusto Tiberius simul cum fratre M. Agrippa, quos læsos dicit Poëta propter Caium a Parthis interemptum.

196 *Jura tuere patris*] Nam Armenios, victo rege Tigrane, in hoc unum servitutis genus asserverat Pompeius, ut rectores a Romanis acciperent. Intermissum ergo jus Augustus primo per Caium, deinde per Tiberium recuperare voluit.

197 *Genitor patriæque, tunique*] Augusto senatus populusque Romanus per Valerium Messalam patris patriæ cognomen detulerunt.

198 *Hostis*] Parthus. *Regna rapit*] Armeniam dicit, quæ ad Parthos defecerat. *Ab invito parente*] Ab Augusto id moleste ferente.

199 *Pia tela*] Quia causa tua est honesta. *Scelerata ille sagittas*] Quia Parthorum causa iniqua est.

200 *Stabit pro signis*] Placet cum uno Vaticano legi *Stabunt*. Heins. *Stabunt pro signis*] Romanæ militiæ consuetudinem notat. Solebant enim in exercitu numen aliquod Imperatores præferre: ut C. Cæsar victricem Venerem, Pompeius Herculem invictum in auxilium vocabat.

202 *Eoas opes*] Parthicas gentes. *Dux meus*] Tiberius, vel Caius.

204 *Deus e vobis alter*] Cæsarem Augustum dicit, qui vivus divinos meruit honores, et mortuus in Deorum numerum relatus est. *Alter es, alter eris*] Intelligit autem Martem et Augustum, quorum alter, hoc est, Mars, jam Deus erat: alter autem, Augustus scilicet, futurus erat. Non autem de Caio Tiberiove intelligendum, quorum neutro neque vivo neque mortuo divini honores constituti fuere.

205 *Votivaque carmina*] Quæ Diis vovi, si Parthos viceris.

207 *Consistes*] In concione stabis. *Meis verbis*] Meo carmine.

208 *O desint animis*] *Fac desint* unus Vaticanus. *Heins. O desint animis ne mea verba tuis*] Utinam nostra carmina respondeant et paria sint tuis animis ingentibus: nec deficiant mea verba, quum scribam gesta tua, et Parthos a te debellatos.

Digitized by Google

209 *Terga Parthorum*] Fugam Parthorum. *Romanaque pectora*] Romanas vires et victoriam.

210 *Telaque ab adverso*] Plutarchus scribit, Parthos in fuga etiam sagittas emittere consuevisse, idque post Scythas omnium optime facere: unde fugientes non minori hostes afficiebant calamitate, quam stantes.

211 *Quid fugis ut vincas? quid victos, Parthe, relinquis*] Ita ne? ut victos Ovidius Romanos appellarit, ob exercitum Crassi a Parthis deletum? absit omen. Indignum sane id fuerit majestate nominis Romani. Quid ergo? Libri sex, *quid victo, Parthe, relinquis?* Nec aliter fragmentum Bodleianum, nisi quod *relinques* in eo. Arondelianus, *Quod fugis ut vincas, quid te victo parte relinques?* Scribe meo periculo, *Qui fugis ut vincas, quid victo, Parthe, relinques?* hoc est, Quid tibi ipsi victo relinques? Quid aliud victus facias? In Vintimeliano certe codice, *Quo fugis?* Heins. *Quid fugis, ut vincas*] Apostrophe ad Parthos est, quorum pugnandi morem deridet.

214 *Quattuor in niveis*] Triumphi forma describitur.

216 *Ne possint tuti*] Causam assignat, cur catena vincti sint captivi.

218 *Diffundetque animos*] Exhilarabit. *Illa dies*] *Ista* meliores omnes; et superiori versu *lati juvenes:* et sequenti *cum regum nomina quæret.* Heins.

220 *Quæ loca*] Nam homines et loca imaginibus scriptisque in triumpho præferebantur.

223 *Hic est Euphrates*] Qui serta arundinea capite gestabit, illum Euphratem esse dicito. Coronæ enim ex arundine a Poëtis fluminum Dis dantur.

224 *Cui coma dependet cærula*] Qui capillos habet cœruleos. *Tigris erit*] Tigris fluvius est qui ex Armeniis fluit, a celeritate dictus. Medi enim tigrim sagittam appellant.

225 *Hos fac Armenios*] Regius *facis*, cum duobus aliis: totidem cum fragmento Bodleiano, *facit.* Scribe, *Hos facito Armenios.* Simile mendum tollendum ex Ponticorum lib. I. El. 3. 'Non petis ut bene sit, sed uti male tutius:' ubi Vaticanus unus, *petis:* alius *pete quod;* cum vera lectio sit, *Non petito ut bene sit, sed uti male tutius.* Et lib. II. Metamorph. fabula Phaëthontis, 'polumque Effugit Australem;' cum *Effugito* sit refingendum. Remed. Amor. 'Exige quod cantet:' vetustissimi libri, *Exige ut,* pro *Exigito ut.* Epist. IV. sub finem, 'Perlegis, et lacrymas finge videre meas,' pro *perlegito.* Heins. *Hos fac Armenios*] Finge illos esse Armenios, quos devicit Augustus per Tiberium. *Hæc est Danaëia Persis*] Persis regio est orientalis post Carmaniam, a Perse Danaës nepote cognominata.

226 *In Achæmeniis vallibus*] Hoc est, Persicis.

227 *Et erunt quæ nomina dicas*] Finges nomen.

229 *Dant etiam positis*] Inter epulas quoque poteris tibi amicam conciliare.

231 *Sæpe illic positis*] Lege *positi* cum codice Regio: et intellige, *Bacchi,* quod sequitur. Infra hoc libro, 'Ergo ubi contigerint positi tibi munera Bacchi.' Artis III. 'Et moveat posito brachia jussa mero.' Ep. Herus, 'Diluitur posito serior hora mero.' Paridis, 'Hostibus eveniant convivia talia nostris, Experior posito qualia sæpe mero.' Met. VI. Fabula Philomelæ, 'Regales epulæ mensis, et Bacchus in auro Ponitur.' Fast. II. 'Ecce nurum regis fusis per colla coronis Inveniunt posito pervigilare mero.' Lib. III. 301. 'Plenaque adorati Dis ponit pocula Bacchi:' sic emendo; cum hactenus legatur, *disponit.* Eodem libro, 'Et ducunt posito duras cratere choreas.' Lib. V. 'Nunc dape, nunc posito mensæ nituere Lyæo.' Amor. lib. IV. 'posito quod candida vino Atracis ambiguos

Digitized by Google

traxit in arma viros.' Lib. II. El. 11. 'Illic apposito narrabis multa Lyæo.' Propertius lib. II. El. 3. 'Quantum quod posito formose saltat Iaccho!' Sed exemplorum jam satis est. Sic et 'posita mensa' et 'apposita' passim; ut paulo ante noster. *Heins.*

232 *Purpureus Amor*] Formosus Cupido, qui inter epulas versatur. *Pressit*] Demulsit, inclinando ad amoris illecebram, priorem animi ferociam et fastum. *Bersman.*

234 *Et capto stat gravis ille loco*] Libri veteres *cæpto* vel *cepto*. Sic Calpurnius Eclog. v. 'Sit tibi cœli Viljs amor, cœptamque pater ne desere terram.' In Catalectis Pithœi, 'Occidit infelix cœpto modo flore juventæ.' Sic 'cœptum carmen' Lucanus initio Panegyrici ad Pisonem: 'cœptus furor' Seneca Hercule Furente, et 'cœpta verba' Hippolyto: 'iter cœptum annus peragit' nostro Fast. I. et I. IV. 'cœptum perficere opus;' atque his similia plura, quæ passim occurrunt. *Heins.*

239 *Tunc pauper cornua sumit*] Fit protervus: in effusam prolabitur audaciam.

243 *Illic sæpe animos, &c.*] In conviviis sæpenumero juvenes capti sunt amore.

244 *Et Venus in vinis*] Vera lectio: ne dubita. Epistola Paridis, 'Sæpe mero volui flammam compescere, at illa Crevit: et ebrietas ignis in igne fuit.' Claudianus de bello Gildon. 'Ut vino calefacta Venus, tum sævior ardet Ebrietas.' Hinc natum apud Græcos proverbium πῦρ ἐπὶ πῦρ, de quo Zenobius et Apostolius videndi. Perperam alii, *Venus in venis*. Callimachus apud Athenæum lib. II. Οἶνος μὲν πυρὶ ἴσον ἔσχει μένος. *Heins. Ignis in igne fuit*] Amoris calor additur calori vini.

245 *Hic tu fallaci*] Docet, eligendam esse amicam in luce et sole.

246 *Noxque merumque nocet*] *Nocent* mellores. *Heins.*

248 *Vincis utramque Venus*] *Utramque Deam* Intimelii et Comelini liber. *Idem.*

251 *De tincta murice lana*] Murex genus conchæ est, a purpura haud dissimilis: sed pro purpura accipitur a Poëtis.

253 *Quid tibi fœmineos*] Docet, amantes quoque posse in sylvis puellas conciliare, præsertim si venatione delectentur. *Mer.*

255 *Quid referam Baias*] Baiæ a Baio Ulyxis socio nomen traxere. Fuit autem oppidum Campaniæ amœnissimum. Quo sub æstivum tempus, salubritatis causa, navigabant matronæ cymbis, variis coloribus pictis, ubi nocturna canentium convivia et symphoniæ audiebantur. *Prætextaque littora velis*] *Bais* fragmentum Oxoniense. Puto *Baulis*. *Bauli* enim *Baiis* vicini, et quidem in ipso littore. Vide Cluverii Italiam. Utrumque locum conjunxit quoque Martialis, lib. IV. 'Dum petit a Baulis mater Cerellia Baias, Occidit insani crimine mersa freti.' Potest et ferri *prætexta Baiis littora*, ut totum illum tractum littoralem designet, qui a Puteolis Misenum usque promontorium incurvus tenditur, ac sinuosus. Sed et *prætexta velis littora* ita intelligi possunt, ut apud Virgil. lib. VI. 'littora curvæ Prætexunt puppes.' Per sinum enim istum inter Puteolos et *Baias* lintres frequentissime volabant. *Prætexta villis littora* Gronovius etiam eleganter conjiciebat. Sequenti versu multi libri *manet aquam*. Heins.

256 *Et quæ de calido*] Baiæ habebant aquas calidas, et ad voluptatem et sanandos morbos accommodatissimas.

257 *Vulnus referens*] Amoris vulnus.

259 *Ecce suburbanæ*] Lucum describit, ubi erat Dianæ templum: de quo in Fastis Ovid. *Suburbanæ Dianæ*] Templum enim non longe aberat ab Aricia.

Digitized by Google

260 *Partaque per gladios, &c.*] Poëta historiam et morem tangit, quò sacerdotes apud Ariciam alii aliis succedebant. Non enim ingenui hoc munus obibant, sed servi, iidemque fugitivi. Qui singulari certamine inter sese dimicantes, cum victoria etiam sacerdotium adipiscebantur: semperque victor idem, et successor alterius erat. Per 'regnum' ergo sacerdotium intellige: nam et ipse sacerdos rex nemoralis, a nemore scil. Aricino, ubi templum Deæ erat, vocabatur. *Micyll.*

261 *Illa quod est virgo*] Diana enim a poëtis virginitatis Dea appellatur.

262 *Multa vulnera*] Quia illic multi amore capiuntur.

263 *Hactenus unde legas*] Docuit, ubi quærenda esset amica: nunc quemadmodum concillanda sit, præcipit. *Unde legas*] Unde eligas. *Ubi retia tendas*] *Ponas* scripti meliores; nisi quod in Oxoniensi *pones*. 'Tendi retia' usitatum optimis auctoribus non ignoro: sed et alterum elegans, pro quo librorum pugnat auctoritas; idque eo magis arridet, quod 'plagas tendere' paulo post sequatur: dixi supra 45. Sequenti versu *imparibus retis*, non *modis*, reponendum ex eorundem codicum auctoritate. Pont. III. El. 4. 'Ferre etiam molles elegi tam vasta triumphi Pondera disparibus non potuere rotis.' Atque ita legendum jam vidit Zinzerlingius in Promulside Critica. Jureti codex *notis*; proxime verum. *Heins.*

264 *Imparibus modis*] Inæquali modulatione, Hexametri et Pentametri.

267 *Quisquis ubique viri*] Videtur legendum, *Quotquot ubique viri*, vel *Quicquid ubique virum*. Heins.

269 *Prima fiducia*] Prima spes. *Veniat fiducia cunctas*] *Fiducia formæ* Regius et Oxoniensis. Lego *forma Posse capi*, puellas tua forma capi posse. Idem Oxoniensis *capias* sequenti versu. *Heins.*

272 *Mænalius canis*] Canis Arcadicus, venaticus, qui in Mænalo monte feras insequitur.

273 *Tentata repugnet*] *Captata* Vaticanus unus. Infra, 'Nec teneras semper tutum captare puellas.' Epistola Acontii, 'Sit dubium possisne capi, captabere certe.' Nihil tamen temere hic mutandum. *Heins.*

276 *Male dissimulat*] Nescit amorem celare. *Tectius illa capit*] Cautior est in regendo amore.

278 *Rogantis aget*] *Agat* meliores libri: *blanda roganeque cogat*, pro *blanda rogantis agat* Oxoniensis. *Heinsius.*

280 *Adhinnit*] Quo desiderium et voluptatem Veneris significat. Cicero in Pison. translate dixit: 'Sic suos sensus voluptarios omnes incitavit; sic ad illius hanc orationem adhinnivit.'

281 *Parcior in nobis nec tam furiosa libido est*] *Fortior* primæ editiones, et Intimelianus codex pro diversa lectione; eleganter: quomodo et Naugerius conjiciebat: et in margine Gryphianæ legitur editionis. 'Fortis' enim Ovidio pro eo, qui moderatur adfectibus, sæpe ponitur. Remed. Am. 'Fortius e multis mater desiderat unum, Quam quæ flens clamat, Tu mihi solus eras.' Ita enim illic legit optimus liber Regius. Paulo ante dixerat, 'Hortor et ut pariter binas habeatis amicas. Fortior est, plures si quis habere potest.' Lib. II. ut et illic scribendum puto, 'fortior ille est, Quo veniunt alii conciliante viro.' Met. VII. Fabula Medeæ, 'Et jam fortis erat, fractusque resederat ardor.' Pont. lib. I. El. 4. 'Sic ego mente jacens et acerbo saucius ictu, Admonitu cœpi fortior esse tuo.' Epistola Herus: 'Urimur igne pari, sed sum tibi viribus impar. Fortius ingenium suspicor esse viris.' Auctor Elegiæ in obitum Drusi, 'Scilicet exiguo percussa es fulminis ictu, Fortior ut possis cladibus esse tuis.' Et mox, 'Omnia jam metuo: fortior ante

Digitized by Google

fui.' Plura vide Notis ad Remed. Amor. vs. 463. *Heins.*

282 *Legitimum finem*] *Legitimam* Mentelii liber: adi notas ad Amor. l. II. El. 12. Propertius l. I. Eleg. 16. 'Nullane finis erit?' Æn. lib. II. 'Hæc finis Priami fatorum.' Lib. III. 'Quam fessis finem rebus dabis?' et lib. V. 327. 'sub ipsam Finem:' quomodo illis locis Grammatici veteres et præstantiores membranæ agnoscunt. Noster in Ibide, 'Quam finem vitæ Sardanapallus habet:' ita optimus codex. *Idem. Legitimam finem*] Certum modum. *Flamma virilis*] Amor virorum.

283 *Byblida quid referam*] Exemplis agit, amori esse magis obnoxias fœminas quam viros. Byblis ex filia Mæandri nata, Caunum fratrem turpiter amavit: qui, scelesto amore cognito, ex patria profugit. Fabulam Plinius narrat. Et Ovid. in Metam.

284 *Et est laqueo*] Hic laqueo eam dicit vitam finivisse: in Metam. vero aliter ejus exitium describit.

285 *Myrrha patrem*] Fabulam in Metam. narrat. *Qua filia debet*] *Quo* meliores. *Heins.*

286 *Obducto cortice*] *Abducto* tres libri. Commelinianus cum uno Palatino *adducto;* placet: *conducto cortice* dixit Met. IV. *Idem. Obducto cortice*] Nam in arborem mutata est.

287 *Illius lacrymis*] *Illius et* scripti nonnulli; haud male. *Illius e* Oxoniensis. Puto, *Illis et lacrymis, quas arbore fundit odore, Ungimur.* Heins. *Illius lacrymis*] Myrrhæ guttis, ex arbore stillantibus.

289 *Vallibus Idæ*] Ida mons fuit non modo Trojcus, sed et Cretensis.

291 *Tenui media inter cornua nigro*] Alii *tenui virga:* unus Vaticanus *gyro.* Sed nil mutandum. 'Nigro' ut 'albo' apud Virgilium l. III. Georg. 'Nec mihi displiceat maculis insignis et albo, Aut juga detrectans.' Noster Met. III. 'Et nigram medio frontem distinctus ab albo Harpalos.' *Heins. Tenui nigro*] Macula nigra, sed parva. *Mer.*

292 *Una fuit labes*] Hanc solum habuit maculam nigram. *Micyll.*

293 *Illum Gnosiadesque Cydoniadesque juvencæ*] Mire variant hic libri: meliores tamen *Gnosiades Cydoneæque;* quod sequendum duxi; nisi quod *Gnosiadesque* lego vel invitis scriptis, cum prior in *Cydon* syllaba corripiatur ab antiquis scriptoribus: apud Maronem tamen 'Cydon' nomen viri productum exstat. *Heins. Gnosiadesque*] Cretenses, a Gnoso Cretæ urbe, quam condidit Minos. *Cydoneæque*] A Cydone, ejusdem Cretæ oppido, condito ab eodem Minoë.

297 *Centum quæ sustinet urbes*] Creta enim a Creta nympha, Hesperidis filia, cognominata, centum fuit urbium clara, ut Plinius docet. Et Strabo scribit, eam Hecatopolin appellatam esse.

298 *Quamvis sit mendax*] Cretenses enim mendaces appellantur.

299 *Ipsa novas frondes et prata tenerrima*] *Per prata* libri nonnulli; sed male. Frondes et herbas sic quoque conjunxit Metam. I. de Io, 'Frondibus arboreis et amara pascitur herba.' *Heins.*

301 *Ituram*] Pasiphaën taurum secuturam.

302 *A bove victus erat*] Quia illa pluris faciebat taurum quam maritum.

303 *Quid tibi, Pasiphaë, pretiosas sumere vestes*] Omnino scribendum, vel contra libros, *Quo tibi?* eleganter enim id cum infinitivo jungitur. Certe in codice Regio, *Quod tibi;* sic apud Persium Sat. I. 'Quo didicisse:' ubi veterrimus codex Puteaneorum fratrum *Quod.* Similiter scriptum exhibebat Amor. III. El. 8. 'Quo tibi turritis incingere mœnibus urbes? Quo fera discordes addere in arma manus?' ut recte meliores libri. Horatius lib. I. Sat. 6. 'Quo tibi Tul-

Digitized by Google

it Sumere depositum clavum, fierique tribuno?' Noster Fastor. lib. v. ex vestigiis veteris libri: 'Quo tibi nunc solitas mitti post terga sagittas?' Pont. lib. I. El. 5. ex antiquis itidem libris, 'Quo mihi diversum fama contendere in orbem?' Similiter dicebant, 'Quo tibi, si contendas,' eadem elegia, ut ex vestigiis veterum librorum est legendum, 'Quo tibi, si calida positus laudere Syene?' *Heins.*

304 *Ille tuus*] *Iste* Oxoniensis. *Idem.*

310 *Virum fallere*] Maritum Minoa decipere. *Falle viro*] Ames hominem, non taurum.

312 *Concita Baccha*] Sacerdos Bacchi, furore numinis impulsa. *Aonio Deo*] Baccho, qui in Bœotia colitur, ubi erat Thebe, natale solum Liberi patris et Herculis: et Cithæron, fabulis carminibusque celebratissimus.

315 *Ut ante ipsum teneris exultat*] *Exultet* meliora exemplaria. Et mox, *quin se stulta decere putet*, non *placere*: ita in Metam. IV. 'Et quid se deceat spectatas consulit undas.' Remedio Amor. 'Et nihil est quod se dedecuisse putent:' codex tamen Regius et Oxoniensis, *quin est ulta decere*. Forte *quin et stulta docere putet*. Heinsius.

318 *Sub juga curva trahi*] *Juga panda* prima editio cum quatuor scriptis; quæ vox in deliciis est nostro. Epistola Hypsipyles, 'Isse sacros Marti sub juga panda boves.' Amor. lib. I. El. 13. 'Prima vocas tardos sub juga panda boves.' Pont. lib. I. El. 9. 'Ducam ruricolas sub juga panda boves.' Sic et 'pandus asellus,' 'panda carina,' 'pandum rostrum,' et similia apud nostrum passim. Vide Notas Metamorph. l. x. 270. *Idem.*

323 *Et modo se fieri Europam*] *Se Europen fieri* castigatiores libri. *Idem.*

324 *Altera quod bos est*] Io facta est vacca.

327 *Cressa Thyesteo*] Æropen Cretensem Atrei uxorem cum Thyeste concubuisse, scribit Seneca: quod ægre ferens Atreus, liberos ei epulandos apposuit: quæ Sol, ne polluetur, effugit. *Thyesteo amore*] Nefando Thyestis concubitu.

328 *O quantum est*] *Et quantum* Regius cum tribus aliis. Puto, *At quantum est*. *Ha quantum* decem alii. Oxoniensis, *Et quantum est uno posse carere viro*. Heins.

329 *Non medium rupisset iter*] Non in medio itinere. Sol cursum avertisset, ne scelus conspiceret. *Rupisset medium iter*] Interrupisset: nec perrexisset, retrocessisset. Sic Sen. in Thyest. 776. 'O Phœbe patiens, fugeris retro licet, Medioque ruptum merseris cœlo diem.' Sic dicimus, rumpere vocem, pro abrumpere, tacere. Infra vs. 539. 'Excidit illa metu, rupitque novissima verba.' Contra, rumpere silentia, pro loqui. Æneid. x. 'quid me alta silentia cogis Rumpere, et obductum verbis vulgare dolorem?' Vide Æneid. II. ibique Servium, 'Composito rumpit vocem.' *Curruque retorto*] Curru reflexo, et ad orientem, unde discesserat, redeunti.

331 *Filia purpureos*] Scylla, Nisi Megarensium regis filia, capta amore Minois, qui ejus patriam obsidebat, purpuream comam patris, in qua fata urbis constabant, illi attulit; sed a Minoë spreta, in avem cyrin a Neptuno mutata est: ut in Metamorphosi narrat Ovid.

332 *Puppe celsa*] Cui hæserat, dum Minos discederet. *Puppe cadens celsa facta refertur avis*] Multi codices, *Hunc hostem patitur cum reliquis avibus*: at in Oxoniensi nec hic nec sequens versus ille, *Altera Scylla maris monstrum medicamine Circes*, exstabat, ut nec in Regio secundæ notæ: at optimus mann recentiori margini adscriptos agnoscebat, alterumque legebat hoc modo, *Altera Scylla novum Circes medicamine monstrum*. Patavinus Trevisani, *Filia sed Phorci cor-*

Digitized by Google

repta cupidine Glauci. Alii codices aliter legunt hos versus; quæ Grammaticorum commenta sunt. Utrumque autem delendum esse pluribus docui ad Sabini Penelopen. *Heins.*

333 *Qui Martem terris*] *Terra* meliores. *Idem.* *Qui Martem terra*] Agamemnon post excidium Trojanæ urbis totum annum erravit. Deinde in patriam venit: sed sceleratæ conjugis Clytæmnestræ dolis, ab Ægistho adultero incautus in convivio obtruncatur. *Martem terra*] Ex prælio enim Trojano incolumis evasit. *Neptunum effugit*] Evasit maris procellas.

334 *Atrides victima*] Agamemnon enim convivio exceptus ab impia conjuge, tanquam bos cecidit. Odyss. Δ. 534. Τὸν δ' οὐκ εἰδότ' ὄλεθρον ἀνήγαγε, καὶ κατέκεφνε Δειπνίσσας, ὅς τίς τε κατάκτανε βοῦν ἐπὶ φάτνῃ. Similiter Juven. Satyr. x. de Priamo: 'Et ruit ante aram summi Jovis, ut vetulus bos.' Et Senec. Agamemn. 897. 'Armat bipenni Tyndaris dextram furens: Qualisque ad aras colla taurorum prius Designat oculis, ante quam ferro petat.' 'Mactati more juvenci.'

335 *Cui non defleta est*] Jason, rapto vellere, id Creonti Corinthiorum regi detulit: cujus filiam Creusam, vel Glaucen (ut maluit Diodorus), uxorem duxit, repudiata Medea: quæ irata regiam cum conjuge Creusa incendit, laniavitque filios duos, quos ex Jasone susceperat. De Jasone plura legito apud Diodorum in v. *Flamma*] Qua Medea Creusam absumsit. *Creusæ Ephyræa*] Id est, Creusæ Corinthiacæ. Corinthus enim urbs Achaiæ, quæ prius dicebatur *Ephyra*, ut docet Plinius.

336 *Nece natorum*] Duos enim filios ex Jasone interemit.

337 *Flevit Amyntorides*] Phœnix filius fuit Amyntoris filii Cercaphi: quem Phocidem, alii Ormenium genuisse volunt. Hic cum amica patris rem habebat: sed post multas ejus imprecationes ex Hellade discessit. Is igitur ad Peleum fugit, quem filio Achilli comitem præceptoremque dedit. *Per inania lumina Phœnix*] *Perinania* quidam: ut apud Martialem, 'magnum sed perinane sophos,' unica voce. *Heins.*

338 *Hippolytum rapidi*] Phædræ etiam exemplo, majorem esse in fœminis quam in viris amorem, ostendit. *Rapidi diripuistis equi*] *Pavidi* est in nonnullis: ut Remedio Amoris, 'Perdat opes Phædra, parces, Neptune, nepoti, Nec faciet pavidos taurus avitus equos.' Eosdem equos 'consternatos' et 'attonitos' alibi vocat. Regius, Oxoniensis, et quatuor alii, *rabidi equi.* Heins.

339 *Quid fodis immeritis*] Phineus rex fuit Arcadiæ: qui repudiata Cleopatra, uxorem Harpalicem Scythicam duxit, cujus instinctu filios occæcavit. Sed in hujus rei vindictam mox illum Dii oculis privarunt, et Harpyias aves immiserunt, quæ dapes diripiebant, atque ventris profluvio fœdabant.

341 *Sunt ista libidine mota*] *Cupidine plena* Oxoniensis. *Heins.* *Fœminea libidine*] Amore muliebri.

343 *Cunctas superare puellas*] Imo *sperare;* quod emendatiores membranæ agnoscunt: quanquam *superare* pro *expugnare* possit capi; ut in isto Virgilii, 'dominamque potentem Supplicibus supera donis:' quomodo et idem alibi locutus. *Heins.*

346 *Ut jam fallaris*] Quum negaverit mulier. *Tuta repulsa*] Quia nihil mali ex ea consequeris.

348 *Et capiant animos plus aliena suis*] *Suos* Jureti et Politiani codex cum aliis quibusdam. Oxoniensis *animis plus aliena suis.* Metuo ne distichon sit ab interpolatrici manu confictum, cum ad rem non satis faciat: idque eo magis, quod 'alienis' mox denuo sequatur, inconcinna repetitione. *Heins.*

351 *Captatæ nosse puellæ*] *Captan-*

Digitized by Google

dæ Intimelianus. *Idem.* *Ancillam captandæ puellæ nosse*] Hæc enim disciplina est amatoribus: 'munerarier ancillas primum, ad dominam qui affectant viam.' Hinc callida ancilla ad Menæchm. Sosicl. III. 3. 17. 'An. Amabo, mi Menæchme, inaureis da mihi Faciundas pondo duum nummum stalagmiæ, Ut te libenter videam, cum ad nos veneris. Me. Fiat.' Et in Asinar. I. 3. 31. 'Volt placere sese amicæ, volt mihi, volt pedissequæ, Volt famulis, volt etiam ancillis: et quoque catulo meo Subblanditur novus amator.'

352 *Molliat*] Molles et faciles reddat. *Tuos accessus*] Tuos aditus ad amicam. *Mer.*

353 *Proxima consiliis dominæ sit ut illa videto*] Τὸ *ut* libri quidam non agnoscunt. Oxoniensis et Petavianus, *sit an illa.* Forte *Conscia consiliis; consiliis* etiam est in Commeliniano; de qua voce Met. I. 711. actum est: sic Ep. Helenæ legendum videtur, 'Quæ mihi sunt comites conciliumque duæ,' non *consilium.* Heins.

354 *Neve parum tacitis conscia, &c.*] Sensus est: Videto ne parum fida sit tacitis jocis conscia: hoc est, concilia eam tibi sic, ut lusibus occultis vestris, quorum conscia fuerit ipsa, silentium adhibeat.

359 *Lætissima rerum*] Amica hilaris.

360 *Luxuriabit humo*] *Luxuriavit* Regius et Oxoniensis cum aliis nonnullis. Jureti *luxuriatur.* Lege *luxuriarit:* et sic unus Vaticanus. *Heins.*

363 *Defensa est Ilion armis*] *Ilios* Regius, Oxoniensis, aliique non pauci ex melioribus. Vide notas ad Epistolam primam, vs. 48. *Idem.*

366 *Tunc facies*] *Tum facias* tres scripti. *Idem.*

368 *Remigis addat opem*] Subremiget: negotium nostrum promoveat, et in amore adjutrix sit, quo melius proveniat: uti, qui remis, et velis utuntur, procedunt citatius. Et eam sententiam esse Virgilii X. Æneid. mihi persuadeo; non simpliciter, *subnatat,* ut vult Servius: versus hi sunt: 'Pone sequens dextra puppim tenet, ipsaque dorso Eminet, ac læva tacitis subremigat undis.' Id quod ex sequentibus clarum est: 'Dixerat: et dextra discedens impulit altam, Haud ignara modi, puppim: fugit illa per undas Ocior et jaculo, et ventos æquante sagitta.' Atque id remigis esse puto opem velo addere.

370 *Ut puto, non poteris ipsa*] *Poteras ipse* Regius; alius *poteras ipsa:* nihil videtur mutandum. Non poteris vicem illi in amando referre. *Heins.* *Referre vicem*] Referre gratiam amanti. *Mer.* *Ipsa referre vicem*] Hoc est, compensare id quod conjux in te peccavit; te ulcisci. *Micyll.*

373 *Sed propera, ne vela cadant, iræque residant*] *Properet* Oxoniensis, ut ad ancillam referatur. Deinde *auræque residant* unus Palatinus, ut in metaphora persistat; quo alludunt duo alii, in quibus *viresque.* Æn. VII. 'omnisque repente resedit Flatus.' *Heins.* *Ne vela cadant*]. Ne opportunitas negligatur: in tempore enim venire, omnium est rerum primum. Πολλῶν γὰρ ὁ καιρὸς γίνεται παραίτιος. Menand. 'Dum vocat aura ratem.'

375 *Violare ministram*] Duo codices *vitiare;* unus *mollire: temerare* opinor legendum Nasoniano verbo. Vide Notas Amor. lib. I. El. 8. 19. *Heins.*

377 *Hæc ad concubitum*] *A concubitu* Regius a manu prima, cum Scaligeri et Puteani excerptis. Sequenti etiam versu *te parat* pro *temperat* ex auctoritate optimorum codicum scribendum: quod in Observationibus jam monuit accuratissimus Gronovius l. I. c. 10. *Idem.*

379 *Casus in eventu est*] Successus rei pendet e fortuna. *Licet hic indulgeat ausis*] Scripti plurimi *hæc;* nimirum ancilla; et recte. *Heins.*

Digitized by Google

381 *Acuta cacumina*] Albertus Rubenius, magno rei literariæ damno nuper extinctus, retulit mihi aliquando vidisse se codicem, in quo *acuta Cerumnia* legeretur: nostri omnes cum vulgatis sentiunt. *Idem.*

385 *Comes illa sequatur*] *Comes inde* unus Palatinus; non male. *Heins.*

388 *Per mare ventus agat*] Scribe *agit* cum melioribus. *Idem.*

389 *Aut nunquam tentes, aut perfice*] *Aut non tentasses* Regius et multi alii: Jureti codex, nec pauci alii, *Aut non tentabis.* Oxoniensis, *tentares.* Lego *Aut non tentaris.* Mutarunt id scioli, quod nescirent ultimam syllabam sæpe produci in hujusmodi verbis: qua de re diximus ad Epistolam VII. 53. Noster infra hoc ipso libro, 447. 'Si dederis aliquid, poteris ratione relinqui:' cum vulgo legatur, *si dederis quicquam.* Sequenti versu *ipsa veni* pro *illa* iidem libri. *Idem.*

390 *Cum semel in partem criminis illa venit*] Quasi dicat, Nunquam illa de domina indicabit marito, postquam ipsa quoque in eadem culpa erit, et in societatem criminis venit. *Micyl.*

391 *Non avis utiliter*] Avis exemplo docet, ancillam non tuto intactam relinqui, cum semel tentatur.

392 *Laxis cassibus*] Non bene tentis retibus.

393 *Piscis retinetur ab hamo*] *Tenetur* scripti. *Heins.*

394 *Opprime tentatam*] Scripti fere omnes *Perprime;* id est, usque preme. *Idem.*

395 *Communi noxia culpa*] Alii *conscia culpa:* duo *noxia culpæ.* Patavinus unus *obnoxia culpa.* Scribe, *communi obnoxia culpæ.* Accius apud Festum in Noxa, 'Te esse huic noxæ obnoxium.' Ausonius Cupidine Cruci adfixo, 'Ipsa etiam simili genitrix obnoxia culpæ Alma Venus.' Phædrus libro I. Fab. 10. 'Lepus arguebat vulpem furti crimine: Negabat illa se esse culpæ obnoxiam:' ita scribo; non quod ignorem 'culpæ proximum' et 'affinem' Latine dici: sed quod id minus huic loco convenire censeam, ubi de ipsa culpa agitur. Opportunum vero τὸ *proximus culpæ* apud Val. Flaccum lib. III. in oratione Mopsi, 'At quibus invito maduerant sanguine dextræ. Si fors læva tulit miseros et proxima culpæ:' sic emenda; perperam nunc circumfertur, *Si fors sæva tulit miseros, sed proxima culpa:* agit enim de iis, qui nolentes cædem admiserant. Apud eundem Valerium ex eadem Mopsi oratione aliud mendum tollatur, 'sed nostra requiret Cura viam, memori jampridem cognita vittæ:' sic enim restituo, cum *memori vate* nunc occupet scriptos ac vulgatos, quos vidi, codices. Atque ita libro IV. quoque restituendum puto in oratione Phinei, 'Salve o mihi longum Expectata manus, nostrisque, ait, agnita vittis:' quod sequentia confirmant; *vetis* nunc legitur: 'vittas' pro vaticinio posuit. *Communi noxia culpæ* pro *obnoxia* apud nostrum absorpta una syllaba, cujusmodi mendas non paucas alibi castigavimus: sic apud eundem Valerium hoc ipso tertio libro vs. 213. 'graviorque oculos jam luce propinqua Umbra premit,' scribendum, cum *locos* inepte legatur. Idem Valerius libro IV. 'Sævit inops Amycus, nullo discrimine sese Præcipitans, aviduseque viri (respectat ovantes Quippe procul Minyas) æstu velatus utroque Irruit:' τὰ *velatus* otiosum; jam enim *æstu velatum* satis descripserat, si tamen id recte dicitur. Legendum *æstuque elatus utroque.* Sublato utroque æstu, quod improvidum, et contra regulam artis. Opinor etiam reponendum *aviduseque iræ;* nam sequitur mox 'trucis ultro Advolat ora viri.' 'Elatus mediis aquis Alcides' eidem Valerio libro II. et lib. I. 'elatis cornibus amnes:' et 'elata dextra' libro III. et lib. VIII. et 'elata securi' libro V. pro sublata. Apud Gratium, 'Ipse Deus cultos-

Digitized by Google

que feri Tirynthius orbis Hinc decus et famæ primum impetravit honorem:' perperam *primus patravit* nunc legitur. 'Impetrare,' secunda producta, apud Gratium bis alibi, et apud Propertium occurrit. *Heins.* *Noxia*] Nocens ancilla, vel conscia et obnoxia.

397 *Sed bene celetur*] Quicquid tibi ancilla dixerit de amica. *Bene si celabitur index*] Ancilla.

400 *Et nautis aspicienda putat*] Tempora non modo ab agricola et nauta, sed etiam ab amante observanda esse dicit.

401 *Nec semper*] Non omni tempore seminandum est.

402 *Viridi aquæ*] Mari glauco. Nam austris spirantibus, mare fit glaucum et cœrulum; aquilonibus, obscurius atriusve.

403 *Nec teneras semper tutum est*] Potiores scripti, *Nec teneras semper tutum capture.* Heins.

404 *Fiet idem*] Captabitur puella.

405 *Si dies suberit*] Τὸ *suberit* paulo ante præcesserat. Quare malim *sive dies aderit;* quod est in duobus; totidem *fuerit.* Aut forte *veniet* scribendum. *Heins.* *Dies natalis*] Amicæ: qui apud priscos habebatur in magna veneratione. *Sive calendæ*] Ovid. in Fastis docet cur matronæ Romanæ, Calendis Martiis Junoni sacrificent. Mittebantur autem munera ad amicas Calendis Martiis.

406 *Quas Venerem Marti*] Hoc dicit, quia Calendæ Martiæ etiam Veneri serviebant, quoniam colebatur a mulieribus. Vel quia Martiæ Calendæ Aprilem Veneri dicatum præcedebant.

407 *Sigillis*] Parvis statuis, quibus etiam theatra ornabantur. Scribit Plin. lib. VII. cap. 3. Pompeium Magnum, in ornamentis theatri mirabiles fama posuisse effigies. Ordo autem est: Sive non erit ornatus circus sigillis, ut fuit ante: quia primo ille solum parvis statuis ornabatur, deinde regalibus muneribus ornari cœpit. Dicit Ovidius, Non captandas esse puellas tempore quo tragœdia aliqua recitatur: quia tunc puellæ sunt tristes, propter flebilem tragœdiæ materiam.

408 *Sed regum positus*] Obeliscos dicit, qui in medio circo locabantur. Est autem obeliscus lapis in figuram metæ cujusdam, sensim in excelsum consurgens. *Mer.* *Circus habebit opes*] Ego vero simpliciter accipio de quibuscunque regum opibus ac spoliis, Romam per imperatores allatis, quibus circus et theatra exornari solebant. Innuit Poëta, cum varie ac speciosis rebus circus exornatus erit, ita ut puellæ illis contemplandis vacare magis quam amatori velint, tunc abstinendum esse: tunc enim operam in illis conciliandis frustra sumi. *Micyll.*

409 *Differ opus*] Quia hyems, et Pliades, et Hœdi instant: hoc est, non esse tentandum puellæ animum tunc, quia periclitaturus sit amator, perinde ut nauta, qui sub ortum aut occasum Pleiadum et Hœdorum navigationem instituit. *Micyll.* *Pleiades instant*] Libri veterrimi *Phades;* ut et alibi in iisdem scribi videas apud Virgilium Mediceum et Germanicum Cæsarem Vossii literis majoribus Romanis exaratos: atque ita semper scribendum censeo, quoties ea vox trisyllaba occurrit. Cæterum legendum videtur, *dum tristis hyems, dum Pliades instant, Dum tener æquoreas mergitur Hœdus aqua:* ut metaphorice hæc omnia dicantur. *Heins.*

410 *Hœdus aqua*] Auriga hœdos humeris gestat, qui a poëtis 'Oleniam pecus' appellantur. Et 'capram Oleniam' appellat Ovid. in Metamorph. Oriuntur autem Hœdi 5. Calend. Octob. In ortu autem et occasu tempestatem pluviamque faciunt.

411 *Tunc bene desinitur*] Cessatur a captanda puella.

Digitized by Google

413 *Tunc licet incipias*] Oxoniensis *Tu licet;* et sequor: sic infra, 'Tu licet et Tamyran superes et Amœbea cantu.' Et lib. III. Pont. El. 4. 'Tu licet erroris sub imagine crimen obumbres.' *Heins. Qua flebilis Allia*] Allia fluvius est undecim millibus passuum ab urbe distans, Crustumeniis defluens montibus: apud quem deletæ sunt a Gallis copiæ Romanæ ad 15. Calend. Sextiles; quem diem atrum, velut infausta appellatione damnarunt.

415 *Quaque die redeunt*] Saturnalia intelligit, id est, diem Saturno sacrum, qui erat ad decimum quartum, vel decimum sextum Calendas Januarias. Erant autem dies lætitiæ et jocorum pleni: quibus arma sumere, et pœnas a nocente exigere piaculum erat.

416 *Palæstino*] Viro Judæo. Nam Judæi diem, quem Latini Saturnum dicunt, Sabbatum appellant, et observant mira superstitione. *Septima festa*] Saturnalia. *Septima festa viro*] *Syro* legendum esse ex Puteani et Scaligeri excerptis jam supra monui. *Heins.*

418 *Sit atra*] Sit infausta.

419 *Invenit artem Femina*] Quam natura instruxit dolis, sed vim negavit. Sic Orestes in Taur. Eurip. 1032. Δεινὰ γὰρ αἱ γυναῖκες εὑρίσκειν τέχνας. Hinc proverbii locum fecit Τὸ γυναικεῖον τι δρᾷν. Et in Med. Κακῶν πάντων τέκτονες.

421 *Veniet discinctus*] Oxoniensis *veniat;* et sequenti versu *Expediat;* quomodo et duo alii; recte: modo pro *Quas illa* reponas, *Has illa.* Heins.

428 *Littera poscetur, nec didicisse juvat*] *Ne didicisse juvet* Regius, Oxoniensis, aliique nonnulli: Ne prosit forte, quod didicisti literas. Sic Trist. II. 'Hei mihi cur didici? cur me docuere parentes? Litteraque est oculos ulla morata meos?' *Heins. Littera poscetur*] Petet a te syngraphum pro emtis mercibus, ut institori cautum sit.

429 *Quid quasi natali*] Arbitror ab Ovidio fuisse scriptum, *Quid sua natali cum poscit munera libo.* Mox libri nonnulli pro *illa, ipsa sibi.* Heins. *Natali libo*] Sic etiam in Amoribus: 'Quum tibi deficient poscendi munera causæ, Natalem libo testificare tuum.'

430 *Nascitur illa sibi*] Fingit natalem suum adesse, ut mittas ei munera.

432 *Lapis*] Margarita. *Elapsusque cava*] Fingit ex aure unionem decidisse.

433 *Multa rogant reddenda dari*] Commodus his inest sensus. Libri tamen uno consensu meliores *utenda dari,* nisi quod Jureti codex pro vulgata stat lectione: quidam etiam *tradenda sibi;* unus, *optanda dari.* Heins.

437 *Cera vadum tentet*] Sollicitandam esse literis amicam dicit. *Cera*] Literæ scriptæ in tabulis ceratis. *Vadum tentet*] Sollicitet et experiatur animum puellæ.

438 *Cera tuæ primum conscia mentis eat*] *Nuncia* Oxoniensis, Sarravianus, et unus Palatinus; bene. Noster Epist. Hypsip. 'Cur mihi fama prior, quam nuncia litera venit?' Epist. XVII. ut quidem illic scribendum videtur, 'Hactenus arcanum furtivæ nuntia mentis Littera jam lasso pollice sistat opus.' Pont. lib. IV. El. 11. 'Nuncia nam luctus mihi nuper epistola venit.' Epistola Paridis, 'Uror: habes animi nuncia verba mei.' Statius Sylv. lib. IV. ad Julium Menecratem, 'Protinus ingenti non venit nuncia cursu Litera.' Sic et 'vultus nuncia fama' Epistola Paridis. *Heins.*

439 *Imitataque amantum Verba*] Neapolitanus *mentem.* Lego *amantem:* vel, *amorem;* nam *amorum* est in Oxoniensi. Infra, 'Est tibi agendus amans, imitandaque vulnera verbis.' Sic Amor. lib. III. El. 14. 'imi-

Digitized by Google

tare pudicam,' ut veteres libri; non *pudicas* cum vulgatis. *Idem.*

441 *Hectora donavit Priamo*] Precio redemtum. Vide Iliad. Ω. Ἐϋξέστου δ' ἀπ' ἀπήνης Ἥρεον Ἑκτορέης κεφαλῆς ἀπερείσι' ἄποινα. Quod invidia notat Virg. Æneid. I. 'Exanimumque auro corpus vendebat Achilles.' Sen. Agam. 447. 'Et emto redditum corpus rogo.' Quo Plautus alludit, solens, in Mercat. II. 4. vs. 20. 'Achillem orabo, aurum mihi det, Hector quo expensus fuit.'

446 *Spes apta Dea*] Miserum enim sine spe vivere. *Sed tamen apta Dea est*] Spes tamen hominibus commoda.

447 *Si dederis quicquam*] *Dederis aliquid* libri plerique meliores; et recte. Diximus supra l. II. 389. Infra, 'Sed non, quo dederis a littore carbasa, vento Utendum est:' ita et illic veteres libri; ut et in Remedio Amoris, 'Munera, quæ dederis, habeat sine lite jubeto.' Amor. II. El. 2. 'Quod dederis illi, reddat ut ille tibi.' Trist. V. El. 5. 'Terga vapor dederis, Ausoniamque petas.' Horatius, 'Cuncta manus avidas fugient hæredis, amico Quæ dederis animo.' Fast. I. 'Da mihi te placidum: dederis in carmina vires:' ubi *dederisque* insulse reponunt. Met. VII. 'vitam dederitis in undis.' Vide quæ noto ad Epistolam Didus, vs. 51. ubi plura hujus notæ. *Heins. Poteris ratione relinqui*] Quia, quum acceperit quod volet, te relinquet.

448 *Præteritum tulerit perdideritque nihil*] *Tulerit* unus Patavinus; tertius Regius, *perdiderisque;* nil muta. Videbitur accepisse, quod promiseras, nec quicquam perdet. *Heins. Præteritum tulerit*] Illa, quod voluerit, abstulerit, habeatque, nempe a te munera data: nihil autem reddiderit sui, nec voluptatem tuam expleverit.

449 *Et quæ non dederis*] *At quod* meliores libri; nisi quod Oxoniensis *At quæ non dederas.* Heins.

451 *Sic*] Sperando. *Lusor*] Aleator.

452 *Revocat cupidas alea sæpe manus*] *Alea blanda* ex suo codice Zinzerlingus Promulside Critica; quod et in Commelinlano et quatuor aliis ipse offendi. Pont. l. I. El. 6. 'Nec tenet incertas alea blanda manus.' Sic et Martiali, 'blanda vagus alea December,' l. IV. Epigr. 14. et apud eundem l. I. 'Supposita est blando nunquam tibi tessera talo.' Sequenti versu *primo* pro *primum* meliores libri. *Heins.*

454 *Si dederit gratis*] Regius et Oxoniensis, *Ne dederit;* argute. Sperat enim se imposterum non daturam gratis. Superiora hanc lectionem confirmant. Ambrosianus *Ne dederit;* alius, *Nec dederit.* Idem.

457 *Littera Cydippen*] Acontius ex Cæa insula Delum navigavit ad sacra Dianæ, quæ a virginibus celebrabantur: ubi in amorem Cydippes exarsit: et quum aperte non auderet eam uxorem petere, ipse dolo et fraude pomum ad pedes puellæ projecit, in quo hæc carmina scripta erant; 'Juro tibi sane per mystica sacra Dianæ, Me tibi venturam comitem, sponsamque futuram.' Puella, pomo accepto, doli ignara, carmen legit, visumque est sese uxorem polliceri Acontio. Erat enim lex, ut quæ in templo Dianæ Deliæ dicerentur, rata essent.

463 *Sed lateant vires*] Dissimulandam esse eloquentiam dicit; id quod etiam præcipit Fabius: quo plus dicentibus fidei, minusque suspectæ advocatorum insidiæ forent. *In fronte disertus*] Ne præ te feras, aut jactes artem.

464 *Effugiant voces*] *Ceræ* libri tres; probe. *Verba magistra* Argentinensis: vide Notas in Epistolam Sapphus vs. 83. sed τὸ *magistra* hic minus placet. *Heins.*

Digitized by Google

465 *Declamat amicæ*] *Declamet* verius meliores. *Idem.*

466 *Littera causa fuit*] Epistolam dicit nimis disertam, et in declamationis modum compositam. *Valens littera*] Epistola dicendi efficax.

467 *Consuetaque verba*] Alii *consultaque;* hoc est cauta, prudentia: sed alterum præstat. Noster Metam. XI. 'Addidit his voces et consuetissima cuique Verba:' et infra libro III. Artis, 'Munda, sed e medio consuetaque verba puellæ Scribite: sermonis publica forma placet.' *Heins.*

469 *Scriptum*] Litteras missas.

477 *Perstes modo*] *Persta* libri plerique. *Heins.*

480 *Legat ipsa tuas*] *Legat usque* idem. *Idem.*

482 *Per numeros veniunt*] *Venient* Oxoniensis, et quatuor alii; duo *veniant*. Idem.

484 *Quæque roget*] Legendum vel invitis libris, *Quæque roget:* de epistola intellige. *Idem.*

487 *Sive illa toro resupina feratur*] *Feretur* scripti. *Idem.*

488 *Dissimulanter*] Quasi nescias, quæ sit in lectica.

489 *Odiosas afferat aures*] *Offerat* Regius et Oxoniensis cum uno Vaticano. Dixi Epist. XX. 194. *Heins.*

490 *Abde*] Absconde, ne intelligaris. *Ambiguis notis*] Dubio sermone.

495 *Nec tibi de mediis aliquam transire columnis*] *Aliquot transire columnas* Oxoniensis et decem alii; quæ vera lectio: *aliquod columnas* Regius: quidam *aliquot columnis;* quos inter Arondelianus; etiam non male. Lapides autem milliares intelligit. *Heins. Aliquot transire columnas*] Partem porticus, quæ columnis fulta erat.

497 *Sedeat speciosa theatro*] *Spatiosa* libri majori ex parte; idque vere: vide supra vs. 143. *Heins.*

501 *Et plaudas aliquo mimo saltante puella*] *Aliquam mimo saltante puellam* optime Scaligeri excerpta cum codice Oxoniensi; neque aliter veterrimus Regius a manu prima. Remedio Amoris, ubi agit de theatris, 'Illic assidue ficti saltantur amantes:' quæ vera illic lectio est. Juvenalis, 'Chironomon Ledam molli saltante Bathyllo.' *Idem.*

502 *Et favens illi*] *Ut favens* potiores scripti. *Idem. Quisquis agatur amans*] Quicunque amans repræsentetur ab aliquo mimo saltante fabulam.

503 *Cum surgit, surgas, donec sedet illa, sedeto*] *Surges* et *sedebis* iidem scripti: *surget* etiam quidam. *Heins.*

505 *Torquere*] Crispare. *Ferro*] Calamistro.

506 *Mordaci pumice*] Pumices, ut Plinius scribit, sunt in usu corporum lævigandorum fœminis, jam quidem et viris. Precium in candore, et in minimo poudere, et ut quam maxime spongiosi aridique sint.

508 *Exululata*] Ululatu celebrata.

509 *Forma viros neglecta decet*] Cultus negligentia in viro laudatur: unde mollius ornatos a se rejicit Phædra: 'Sint procul a nobis juvenes ut fœmina compti, Fine coli modico forma virilis amat.' *Minoida*] Phædram: nota est fabula.

512 *Aptus Adonis*] Adonis in sylvis amatus est a Venere.

513 *Fuscentur*] Sole nigrescant. *Corpora Campo*] Campum Martium intellige: ubi juvenes Romani variis certaminibus corpora exercebant. Horat. 'Car apricum oderit campum Patiens pulveris atque solis?'

514 *Sine labe*] Toga sine macula et sordibus. *Et sine labe togæ*] *Sit sine labe* Arondeliano. *Heins.*

515 *Linguaque nec rigeat*] *Ne rigeat* plerique libri veteres. *Idem.*

516 *In laxa pelle*] In calceo majori.

517 *Deformet capillos*] Deformes faciat capillos, sectos in gradus.

518 *Sit docta barba resecta manu*] *Sit tuta* Oxoniensis et Regius; quod non capio, nisi legendum *scita manu;* idque verum arbitror. Sic in Fastis

Digitized by Google

'curvæ scita Thalia lyræ:' et 'scitus vadorum' Metam. IX. 'scite et literate præscriptæ literæ' Ciceroni oratione in Pisonem. Multi sunt in ea voce Plautus ac Terentius: tum et Tullius. Sequenti versu *Ut nihil eminent* pro *Et* veteres fere omnes, certe præcipui. *Heins.*

522 *Nec lædat nares*] *Lædant* iidem. Duo præterea libri *duxque paterque gregis*, non *virque*, quod mox sequitur. *Dux gregis*, ut in istis, 'Dux gregis ipse caper deerraverat.' *Heins. Nec lædat nares*] Alæ sive axillæ, partes sunt sub brachiis, per quas natura expellit sordidiores humores, qui fœtidum relinquunt odorem, nisi munditia succurratur. Hinc proverbium est 'hircum in alis cubare,' quoniam male olet. Horat. 'An gravis hirsutis cubet hircus in alis.'

523 *Cætera*] Superfluum cultum et mundum.

524 *Vel si quis male vir*] *Et si quis* scripti. Pathicôs intelligit. *Heins.*

527 *Gnosis in ignotis*] Theseus superato Minotauro Ariadnæ auxilio, cum ea et sorore Phædra Athenas redibat. Ariadnæ promiserat, se eam ducturum uxorem, Hippolyto vero filio Phædram daturum. Quare quum Diam appulisset, Ariadnam dormientem reliquit, ipse cum Phædra abiit. Fast. III. et Metam. VIII. *Gnosis in ignotis amens*] Ariadna, a Gnoso Cretæ urbe, Minois regia.

528 *Dia feritur*] Alluitur. Dia insula Cretæ adjacens.

530 *Croceas comas*] Flavos capillos.

532 *Indigno imbre*] Indignis lachrymis.

536 *Quid mihi flet*] Etiam aufer. casu. Ter. Heaut. 'Quid te futurum censes.' Quod Plautinum. Mostellar. I. 3. 65. 'Di me faciant quod volunt:' id est, de me. Ut in Epidic. I. 2. 48. 'Quid de illa fiet fidicina igitur.' Qui et dandi casu in Trucul. II. 8. 3. 'Quid mihi futurum est.'

539 *Excidit illa metu*] Omnem metus illi animum expectoravit. Ut Ennius. Sen. casum addit, in Hippol. 589. 'Quam bene exciderat mihi:' et ad omnes affectus accommodatur. Sic Græci, ἐκπίπτειν φρενῶν. Eurip. Hippolyt. 365. καταλύσαι φρενῶν, quo Senec. respexit in d. l. 'Excidit; et miseræ voxque colorque fugit.' Art. Aman. II. 450. *Rupit*] Intermisit territa cymbalorum strepitu. *Mer.*

541 *Mimallonides*] Mimallonides sunt Bacchæ mulieres, dictæ a monte minoris Asiæ, qui Mimas dicitur, ubi sacra fieri consuevere. *Sparsis in terga capillis*] De more Bacchantium. *Mimallonides*] Vide Epist. X. 41.

542 *Leves Satyri*] Veloces Satyri. Ovid. 'Me Satyri celeres, sylvis ego tecta latebam, Quæsierant, rapido turba proterva pede.' *Prævia turba Dei*] Malim *Deo:* ut vitetur κακοφωνία. *Heins.*

543 *Silenus*] Silenus fuit Bacchi pædagogus, ac nutritor, bonorumque institutor studiorum: plurimum Dionysio ad virtutem et gloriam, resque bellicas profuit. Sileni appellantur Satyri seniores, qui in exteriori Oceano insulas multas desertas incolunt.

544 *Et pressas continet arte jubas*] Præ nimia ebrietate titubat. *Pressas jubas*] Malim *prensas.* Heins.

548 *Surge, pater*] *Senex* Oxoniensis et Sarravianus. Sequenti versu *e curru* quinque libri. *Heins.*

550 *Tigribus adjunctis*] Curru enim Bacchus vehitur, quem tigres et lynces ducunt. Idcirco autem dicuntur currum Bacchi trahere simul cum lyncibus, quod (ut tradit Solinus) utrumque animal uvas depascitur.

551 *Et color et Theseus*] Politiani liber et Hafniensis, *Et color et sensus.* Heins. *Et Theseus, et vox abiere, &c.*] Vox, Theseum vociferans.

553 *Steriles agitat quas ventus aristæ*] Putabam aliquando legendum *steriles avenæ;* quod sic Virgilium quoque locutum meminissem: nunc nihil mutandum censeo: intelligit aristas solo

Digitized by Google

adunatas, ac proinde steriles. Epist. v. 'Et minus est in te, quam summa pondus arista, Quæ levis assiduis solibus usta riget.' Adi Notas ad Epist. XIV. 39. *Heins.*

557 *Cælo spectabere sidus*] *Spectabile* Arondelianus; ut ex eo monuit legendum præstantissimus Gronovius Observat. II. 21. cui subscribo: quanquam reliqui nostri vulgatam sequantur. Sequenti versu scripti plerique *Cressa Corona*, non *puella*. De Ariadnes Corona in cœlum relata fuse noster l. III. Fastorum aliique jam egerunt. Trist. l. x. Eleg. 3. 'Sic micet æternum vicinaque sidera vincat Conjugis in cælo Cressa Corona tuæ.' Ut vere illic Zulichemianus liber, cum in vulgatis sit *clara Corona*. 'Gnossida Coronam' vocat in Fastis Noster; 'Gnosiam Coronam' Virgilius; Statius 'Coronam Gnosiacam.' *Idem.*

558 *Sæpe reges dubiam*] Nautæ solebant dirigere cursum ad siderum rationem: nec septentriones tantum, sed etiam illis vicinas stellas intuebantur, ut Booten, Oriona, et coronam Ariadnæ, quam humero sinistro prope contingit Arctophylax. *Dubiam ratem*] Navem viæ ignaram.

560 *Cessit arena pede*] *Pedi* sex libri; bene. *Heins.*

562 *Ut facile est*] *In facili est* Regius et unus Patavinus. Oxoniensis et Vaticanus unus, *ew facile est:* sic 'ex facili,' Remed. Amor. 'ex facili gaudia ferre licet:' et supra, 'Quod licet, ex facili, si volet illa, feres:' et in Fastis, 'Non ex difficili causa petenda subest.' *Idem.*

563 *Hymenæa canunt*] De more nubentium invocabant Hymenæa, quem Catullus Musæ Uraniæ filium appellat. Euhyos enim bonus filius est: quo nomine eum Jupiter pater appellavit. *Pars Hymenæe canunt: pars altera Evoë clamant*] Mire variant hic veteres libri. Regius cum Excerptis Scaligeri et Puteani, aliisque nonnullis atque eos inter Arondeliano, *Pars Hymenæe canunt, pars clamant Evion evoë.* Nec abludit Oxoniensis, in quo *Evio evoë;* forte pro *Evie evoë.* Posset et legi *Evan evoë;* ut versus sit spondaicus. Jureti liber, *Pars Hymenæu vocat, pars altera clamat choke.* Alii codices, *pars Evion Evie clamat*, et his similia, quæ recensere odiosum foret. Quare scribi etiam posset, *Hymen pars Hymenæe canunt, pars Evie evoë:* vel *Evan evoë*, vel *Evie Evan;* ut Lucretio, 'graditur simul Evius Evan.' Columella libro x. 'Exstimulet vatem per Dindyma casta Cybelles, Perque Cithæronem, Nyseia per juga Bacchi, Per sua Parnassi, per amica silentia Musis Pierii nemoris, Bacchea voce frementem, Delie io Pæan, teque Evie Evoë Evan:' sic versus mendosissimi scribendi. Paulo ante etiam reponendum, *Ista canat majore Deo;* non *majora.* Heins.

567 *Nocturnaque sacra*] Bacchi sacra, Orgia, Bacchanalia, et Trieterica appellata, nocte fiebant. *Nyctelius*] Nocturnus est.

568 *Ne jubeant capiti vina nocere tuo*] Scaliger conjiciebat, *Ne subeant capiti vina nociva tuo.* Lego, *Ne subeant nocere*, usitato Græcismo. Noster in Tristibus l. I. El. 6. 'Quæ quoties spectas, subeat tibi dicere forsan.' Statius Theb. VI. 'Sunt et qui nudo subeant concurrere ferro.' Propertius lib. IV. El. 2. 'Clamabis capiti vina subisse tuo:' quæ vera lectio. Idem l. II. El. 27. 'Neu subeant labris pocula nigra tuis.' *Idem.*

569 *Sermone latentia ficto*] *Tecto* scripti nostri. *Idem.*

571 *Perscribere vino*] *Præscribere* Regius cum quatuor aliis: nil muto. *Idem.*

573 *Oculis fatentibus ignem*] Instantibus. Ut in Epist. Helen. vs. 78. in oculis enim et genis amor excubare videtur: unde ignis ille absistit. *Fatentibus ignem*] *Foventibus* tres libri; sed vulgata non est sollicitanda. *Heins.*

Digitized by Google

574 *Vultus habet*] Sic et ad Corinnam: 'Me specta, nutusque meos, vultumque loquacem.'

576 *Quaque bibit*] *Bibet* potiores: et Jureti codex cum quibusdam aliis, *tu quoque parte bibas:* ut Epistola Helenæ, 'modo pocula proxima nobis Sumis, quaque bibi, tu quoque parte bibis.' *Heins.*

577 *Et quemcunque cibum*] Probe in uno Vaticano *Et quodcunque cibi.* Sic Remedio Amoris ex antiquis libris, 'Quodcunque in corpore mendæ est.' *Idem.*

580 *Utilior votis*] *Vobis* Regius aliique multi. *Idem.*

581 *Huic si forte bibas*] *Si forte* Puteani et Scaligeri excerpta; vere: notum illud, 'Nec regna vini sortiere talis;' tum et hoc, 'Quem Venus arbitrum dicet bibendi.' De lege Talaria conviviorum jam abunde disseruerunt homines eruditi. *Idem. Huic*] Marito puellæ.

582 *Capiti missa corona tuo*] *Demta corona* Jureti codex, Ambrosianus unus et Neapolitanus: infra lib. II. 'Et capiti demtas in fore pone rosas.' Met. XV. fabula Cipi, 'Et demta capiti populo prohibente corona.' Epistola Medeæ, 'Demta forent capiti quam mala multa meo!' Pro vulgata tamen lectione faciunt, quæ notavi Fast. II. 634. *Heins. Demta corona tuo*] In potu atque hilaritate coronis utebantur, ut docet Plinius.

583 *Prior omnia sumat*] *Omina* Scaliger; cujus ut et Jureti codex sequenti versu *Neu dubites.* Pro *sive erit inferior* Regius mendose *si velit.* Lege *sive sit:* atque ita decem scripti. *Heins.*

584 *Verba secunda*] Optata, aures juvantia, quibus eum capi posse putes.

585 *Tuta frequensque via est per amici fallere nomen*] Fuit cum *Trita frequensque via est* opinarer legendum. Nunc nihil muto; nisi quod *amicum nomen* cum codice Patricii Junii et uno Vaticano amplector. Manilius lib. II. 'illis (sæpe est nam subdolus astus) Scorpios aspergit noxas sub nomine amico:' ubi perperam vir magnus *nomine amici* reponit ex codice Gemblacensi. Pro *subdolus actus* emendavi *astus:* sic 'ungues amicos' dixit Juvenalis Sat. V. ut in Leidensi codice legitur, 'custos adfixus ibidem Qui numeret gemmas, unguesque observet amicos.' 'Ventus amicus' Nostro Met. XIII. 440. 'amica causa' Trist. I. El. 8. 65. 'amica lima' Pont. II. El. 4. 17. quomodo ista ex codicibus vetustis castigavi. Sic 'alumnum numen' in Metam. et 'cognatum nomen' in Fastis, aliaque his similia. *Heins.*

587 *Inde procurator nimium quoque multa procurat*] De propinatore propinante, quod viri eruditi, depravatos codices secuti, hic produnt, a vero alienum est. Libri certe meliores nihil variant. Agit de procuratoribus, quos domini absentes rebus suis constituebant, quique ista occasione eorum auctoritate, quorum res curabant, nonnunquam abutebantur. Ita cum Naugerio etiam doctissimus Gronovius locum capit; qui illud *videnda* sequenti versu interpretatur pro providenda et curanda: ut apud Terentium, 'Aliud sodes lenius vide:' et Ciceronem, 'Mandavi ei, ut prandium nobis videret:' et sæpe apud eundem. Neque aliter magnus Cujacius Observat. XII. 24. qui addidit locum Varronis, 'Tu domi videbis:' et Plauti, 'Qui herilem rem procurat, videt.' Perperam igitur tres codices cum Jureti libro, qui *jubenda;* et Rottendorphian. qui *bibenda* exhibent; quod postremum tamen Scaligero quoque conjectanti in mentem venerat. *Idem.*

589 *Certa tibi a nobis*] Regius τὸ a non agnoscit. *Idem.*

590 *Officium præstent*] Ὁ γὰρ νοῦς ὑπὸ οἴνου διαφθαρεὶς ταῦτα πάσχει· τοῖς ἄρμασι τοῖς τοὺς ἡνιόχους ἀπεβάλλοσαν. Isocrat. ad Demonic. Hoc nempe

Digitized by Google

illud poculum Circæum, quo ex homine fiebat fera. Ἀεὶ γὰρ ἄνθρωπος, τῇ τῆς ἀρετῆς καὶ κακίας ἀνὰ μέρος κτήσει θεὸς, ἢ θηρίον γενέσθαι λέγεται. Hier. ad carm. Pythag. v. 53. Vide v. 54. quid sit ὁρμὴ τῆς πτεροῤῥυήσεως.

592 *Faciles ad fera bella manus*] Regius et sex alii *fera verba*: hoc est, manus cavete inter jurgia nimium paratas et promtas, per quas ad verbera a verbis veniatur. *Heins.*

593 *Occidit Eurytion*] Centaurus in nuptiis Pirithoi mero incaluit: et quum Hippodamen rapuisset, a Theseo vasto cratere prostratus, animam vinumque evomuit; ut in Metam. XII.

597 *Ebrietas ut vera nocet, sic ficta juvabit*] Docet quandoque simulandam esse ebrietatem.

599 *Et quicquid dices faciesve*] *Ut quicquid facias dicasve* scripti meliores. Sed vere Neapolitanus *Ut, quicquid facies dicesve.* Τὸ *Ut* refer ad 'Credatur.' *Heins.*

601 *Et bene, dic, Dominæ*] *Dominam* scribendum existimo vel contra libros. Plautus Sticho Act. v. Sc. 4. 'Tibi propino decuma fonte. tibi tute inde, si sapis. SA. Bene vos, bene nos, bene te, bene me, bene nostram etiam Stephanium:' ut precor valere, subintelligatur. Noster in Fastis l. II. 'Et, bene nos, bene te, patriæ pater optime, Cæsar, Dicite:' ubi *bene tu* perperam hactenus legebatur. Tibullus, 'Et bene Messalam, sua quisque ad pocula dicat.' Quod mutari a Scaligero nolim; etsi non ignorem ista Plauti Persa Act. v. Sc. 1. 'Bene mihi, bene vobis, bene amicæ meæ.' Et mox, 'Bene omnibus nobis! hoc mea manus tuæ poculum donat, Bene ei qui invidet mihi, et ei qui hoc gaudio gaudet:' unde liquet utrumque in usu fuisse. *Dormiat* etiam pro *dormiet* recte veteres libri: et *discedet* sequenti versu pro *discedit.* Idem. *Bene dic dominæ*] Φέρε, τύχῃ ἀγαθῇ, poculum offerentis vox. Athen. XV. c. 13. Τὸ τ' ἀγαθοῦ δαίμονος ποτήριον, καὶ Διὸς Σωτῆρος, καὶ Ὑγιείας. Idem I. 11. Ἤτοι ἐδεξιοῦντο προπίνοντες ἑαυτοῖς ταῖς δεξιαῖς· hoc est, ut Virgil. 'statuere dextris pocula.' Et Plaut. in Pers. v. 1. 22. 'Tua factum opera BENE omnibus nobis, hoc mea manus tuæ poculum donat.'

604 *Turba locumque dabit*] *Locusque dabunt* unus Vaticanus. Lege, *locumque dabunt;* et sic Jureti liber: sic 'Turba ruunt,' et similia passim. *Heins.*

606 *Velle latus*] Sic et in Hecyr. III. 5. 'Noli fodere, jussi.' Et Plaut. Menæch. IV. 2. 49. 'Non hercle ego quidem usquam quidquam nuto neque nicto tibi.' Et in Trucul. IV. 3. 14. 'Omnium primum diversæ state, hem sic: istuc volo. Neve inter vos significetis, ego ero paries.'

609 *Sub nostras leges*] Non finem statuo orationi. Nec præfinito loqui necesse est. Sic Argyrippus apud Plaut. Asinar. I. 2. 26. 'Meo modo loquar quæ volam, quoniam intus non licitum est mihi.' *Veniet facundia leges*] *Veniat* meliores libri. Scribo, *Ne veniat.* Heins.

610 *Fac tantum cupias*] Imo *incipias.* quod in multis codicibus extat, et in Erfurtano Zinzerlingus invenit. Notum illud, 'Dimidium facti, qui bene cœpit, habet:' et adagium Græcum, Ἀρχὴ δέ τοι ἥμισυ παντός. *Heins.*

911 *Est et agendus amans*] Vetustiores *Est tibi agendus.* Idem. *Agendus amans*] Amantis partes agendæ, vulnusque amoris exhibendum.

612 *Hinc tibi quæratur*] Regius, Excerpta Scaligeri, prima editio, et decem libri scripti, *Hæc tibi.* Lege, *Hac tibi quæratur quam libet arte fides.* De voce *quamlibet*, quæ Ovidio in deliciis est, jam egi Notis ad Ep. VI. 140. *Heins.*

613 *Sibi quæque videtur amanda*] *Videntur* unus meus; venuste: vide quæ noto Amor. II. El. 11. 21. *Idem.*

614 *Forma placet*] Nulla enim illi

Digitized by Google

sexui fit major, quam spretæ formæ, injuria.

617 *Imitantibus*] Simulantibus se amare.

618 *Qui modo fictus erat*] *Falsus* libri meliores: et sane 'finxerat' jam præcessit. *Heins.*

619 *Animum*] Amantis puellæ. *Furtim deprendere nunc sit*] Est Græcismus, de quo infra II. 28. male igitur potior librorum pars *fas sit;* at Regius et Oxoniensis, cum Excerptis Scaligeri, et alio codice, *non sit*. Proximo versu pro *ripa subitur*, Lincolniensis *salitur*. Arondelianus *cavatur*. Heins.

625 *Nam cur in Phrygiis*] Cur Juno et Pallas descenderunt ad judicium Paridis, quo ille malum aureum, velut victoriæ calculum, Veneri dandum censuit? nempe quia ambæ se Veneri præferendas formæ elegantia credidere.

626 *Non tenuisse*] Non obtinuisse.

627 *Laudatas ostendit avis*], Malo *ostentat*, quod in Sarraviano est, et quatuor aliis. Arondelianus et Aprosianus *extendit:* an *distendit?* 'picta pandit spectacula cauda' de pavone, Horatius: 'distenta umbracula' mox habebimus. *Heins. Avis Junonia*] Pavonem designat, cujus caudæ Argi oculos, a Mercurio interfecti, Junonem apposuisse, narrat in Metam.

628 *Recondit opes*]: Aureas pennas versicoloresque abscondit.

632 *Pollicitis testes*] *Pollicito* libri: *quolibet adde* etiam in nonnullis. Forte *quamlibet adde*, ut paulo ante. *Heins.*

633 *Perjuria amantum*] Quære Ep. XX. 82. et Amor. II. Eleg. 7. 27.

635 *Per Styga*] Virgilius, 'Dii cujus jurare timent, et fallere numen.'

636 *Nunc favet ille*] *Ipse* libri. Et superiori versu quidam *falso jurare* cum Regio; male. Amor. III. 'Scilicet æterni falsum jurare puellis Dii quoque concedunt.' *Heins.*

638 *Thura merumque*]. Thure et vino Deos colamus.

639 *Nec secura quies*] Secundum Stoicos dicit, Deos curare mortalia, et nocentes punire. *Secura quies*] Ut impius Epicurus docebat, et ejus sectatores, qui dicebant 'Deos securum agere ævum, nec ira nec gratia tangi.'

640 *Innocui vivite*] *Innocue* scripti. *Heins.*

644 *Hac minus est una fraude*] *Hæc magis est* Regius et alii quidam. Sed probe Oxoniensis et Scaligeri excerpta cum potioribus, *Hac magis est una fraude*. Jureti codex aliique tres, *Hac magis est una parte*. Idem.

647 *Dicitur Ægyptus*] *Ægyptos* Regius. Pro *juvantibus* Ramirezius in Martialem *rigantibus* reponit; sed perperam. Noster Pont. I. II. El. 1. 'Jupiter utilibus quoties juvat imbribus agros, Mixta tenax segeti crescere lappa solet;' ut vere illic membranæ meliores. Plinius Epist. VII. 9. 'Utque sacris fontes non sola incendia sistunt; Sæpe etiam flores vernaque prata juvant.' Ita scriptum offendi in veterrimo libro Mediceo; neque aliter edidit in catalectis Pithœus. Nam vulgati codices *rigant* agnoscunt. Seneca Natural. Quæst. IV. 2. de Nilo, 'aut nulli imbres sunt aut rari, et qui insuetam aquis cælestibus terram non adjuvent.' Sic et rei rusticæ scriptores nonnunquam locutos memini. Sequenti versu *annos novem* libri plerique, non *annis*. Idem. *Dicitur Ægypto*] Exemplis arguit, meretricias fraudes fraude propulsandas esse. Busiris rex Ægypti Neptuni et Libyes filius fuit, sub quo quum novem annis nimia siccitate magna esset sterilitas, Thrasius docuit Busirim, humana hospitum nece posse aquas elici: sed primus ipse immolatus est. Inde cum cæteriquoque hospites simili modo mactarentur, ab Hercule Busiris eadem pœna affectus interiit.

648 *Imbribus*] Nili irrigationem intelligit.

650 *Hospitis effuso sanguine*] *Adfuso*,

Digitized by Google

Regius, ut ad aram Jovis respiciat. Ep. Laodamiæ, 'Ut solet adfuso surgere flamma mero.' Pont. I. El. 3. ex veteri codice, 'Ut solet affuso vena redire mero.' Sic et apud Martialem scribendum l. IX. Ep. 62. 'Crevit et adfuso lætior umbra mero;' ubi de platano agit. Plinius lib. XVI. Nat. Hist. c. 44. 'Est in suburbano Tusculani agri colle, qui Corne appellatur, lucus antiqua religione Dianæ sacratus a Latio: velut arte tonsili coma, fagei nemoris. In hoc arborem eximiam ætate nostra adamavit Passienus Crispus, bis consul, orator, Agrippinæ matrimonio et Nerone privigno clarior postea; osculari complectique eam solitus, non modo cubare sub ea, vinumque illi affundere:' ubi scribendum, *sacratus a Tatio;* ut in Priapeis ipso initio Petrus Scriverius recte castigabat, 'Conveniens Tatio pone supercilium;' cum *Latio* perperam legatur. Apud Propertium quoque lib. II. Eleg. 33. Passeratius scribendum censebat, 'Largius affuso madeat tibi mensa Falerno;' pro *effuso:* sed vide ne *infuso* illic reponendum sit, cum de potatione agat potius quam de libatione. *Heins.*

653 *Et Phalaris*] Perillus ad Agrigentinum tyrannum Phalaridem taurum æreum attulit: docuitque, eo includi posse noxios, et imposito circumquaque igni, vocem bovis mugientis audiri. Tyrannus opus laudavit, ut ipse in epistolis scripsit: sed artificem primum experiri voluit.

657 *Ergo et perjurus merito perjuria fallant*] *Ut fallant* scripti plerique: sed Regius et Oxoniensis *ut fallent;* quinque alii *ut perjurus merito perjuria fallunt;* quod verum puto, ut parenthesi hæc includantur. Sequenti versu *femina lusa*, non *lassa*, codex meus; et placet. *Heins.*

659 *Adamanta movebis*] Fœminam durissimam.

662 *Deficiunt, uda lumina tange manu*] Primo *Deficient* est in melioribus: deinde *uncta manu* Regius cum Politiani codice et quinque aliis. Oxoniensis *cuncta:* tres *tincta:* duo *unda:* sed *uncta* verum est: sic et 'unctas comas' pro unguento delibutis l. V. Fastorum dixit. *Heins.*

666 *Pugnando vinci se tamen illa volet*] *Sed tamen* scripti nonnulli: dictum Amor. I. El. 5. *Idem.*

668 *Dura oscula*] Hinc puella apud Theocrit. Idyl. XXVII. 7. Καλόν σοι δαμάλας φιλέειν, οὐκ ἔξυγα κόραν.

670 *Perdere dignus erat*] *Erit* meliores. Et superiori versu, *si non et cætera sumet*, vel *sumit*. Heins.

671 *Pleno post oscula voto*] *Facto* Jureti et Intimelii liber. Forte *furto*. Idem.

673 *Vim licet appellent*] *Appelles*, et *vis ista*, Jureti et Intimelii libri. *Idem.*

676 *Gaudet*] Ὄμμασιν ἀδομένη, κραδίη δέ οἱ ἤνδον ἰάνθη. Theocr. Idyll. XXVII. 69.

679 *Vim passa est Phœbe*] Phœben et Ilairam formæ elegantia excellentes Leucippus pater despondit Idæ et Lynceo fratribus: quas quum rapuissent Castor et Pollux, inter eos pugnatum est ante Spartanam urbem, ut Hyginus docet. *Vim passa est*] Rapta est enim a Castore et Polluce. *Sorori*] Ilairæ. *Vis est illata sorori*] *Allata* Regius et Oxoniensis cum sex aliis; bene: dictum Epist. XVII. 21. *Heins.*

680 *Et gratus raptis*] *Raptæ* meliores. *Idem. Raptor uterque*] Castor et Pollux.

681 *Fabula nota quidem*] Vim puellis gratam esse, docet exemplo Deidamiæ Lycomedis regis filiæ, apud quem Thetis Achillem sub muliebri habitu celavit: quoniam a Proteo acceperat, illam periturum esse in bello Trojano.

682 *Scyrias Æmonis*] Puella Scyrias, Deidamia filia Lycomedis, regis Scyri. Quæ clarissima propter Ly-

Digitized by Google

comedis cum Achille affinitatem, et Achillis filium Neoptolemum ibi procreatum. *Victa puella viro*] *Juncta* meliores: et sequenti versu *sua præmia*, non *mala*, ut vulgati. Forte legendum *Hæmonio juncta puella toro*. Frequenter enim inter se confunduntur *viro* et *toro;* ut monui. Epist. XIX. 100. Propertius, 'Sciria non viduo Deidamia toro:' ita enim vetus codex: vulgati et illic *viro*. Heins.

683 *Jam Dea*] Venus. *Præmia*] Helenam, quam Venus Paridi promiserat.

684 *Vincere digna Venus*] *Duas* pro diversa lectione Oxoniensis; quomodo et prima editio et tres scripti. *Venus* ex Glossa videtur natum. Epistola Paridis, 'Arbiter es formæ, certamina siste Dearum, Vincere quæ forma digna sit una duas.' *Heins.*

686 *Grataque in Iliacis*] Lege *Grataque* cum Jureti codice et aliis nonnullis; atque ita prima editio: supra, 'Raptaque sit Phrygio Graia puella viro.' Simile mendum ex Metamorph. l. IV. sustulimus. *Idem.*

687 *Jurabant omnes*] Vide Amor. II. 18. 2.

690 *Veste longa*] Thetis fœmineo habitu Achillem induit.

692 *Titulos*] Gloriam. *Alia arte Palladis*] Quoniam tractabis arma et prælia, quorum Pallas quoque fuit princeps. *Mer.*

693 *Clypeo manus apta terendo*] *Tenenda est* Oxoniensis: *terenda est* alii nonnulli. Puto, *terendo est;* et sic unus Vaticanus: *ferendo* tamen non ablegem. *Heins.*

695 *Succinctos stamine fusos*] Vide Amor. II. Eleg. 3. 31. *Succinctos fusos*] Alligatos.

696 *Pelias hasta*] Hasta Achillis, a Pelio Thessaliæ monte. Ea erat ex fraxino, tantæ magnitudinis, ut cum Patroclus arma sumpsisset ab Achille, hastam reliquerit tanquam intractabilem. *Pelias hasta*] Homer. Iliad. T. vs. 387. Ἐκ δ' ἄρα σύριγγος πατρώϊον ἐσπάσατ' ἔγχος, Βριθὺ, μέγα, στιβαρόν· τὸ μὲν οὐ δύνατ' ἄλλος Ἀχαιῶν Πάλλειν, ἀλλά μιν οἶος ἀείρετο πῆλαι Ἀχιλλεὺς, Πηλιάδα μελίην, τὴν πατρὶ φίλῳ τάμε Χείρων Πηλίου ἐκ κορυφῆς, φόνον ἔμμεναι ἡρώεσσιν.

697 *Virgo regalis*] Deidamia, regis filia.

698 *Comperit*] Nam antea crediderat puellam esse Achillem.

702 *Fortia sumperat arma*] Achilles jam deposita colo, et muliebribus exercitiis relictis, induerat arma bellica, ut cum Græcis ad Trojam abiret: nihilominus tamen Deidamia instabat rogando, ut maneret, &c. *Micyll.*

705 *Quiddam cœpisse priorem*] Meliores libri *quadam* vel *quandam*. Scribe *quondam* cum prima editione et tribus scriptis: vide Notas Epistola XVII. 71. *Heins.*

708 *Expectet*] *Expectat* meliores libri; et mox *Excipiet* pro *Excipiat*. Pro *comiter* perperam multi *molliter*. Fast. II. 'Comiter excipitur: sanguine junctus erat.' *Idem.*

715 *Tumidos accedere fastus*] *Flatus* Oxoniensis; venuste. L. III. 511. 'Odimus immodicos (expertæ credite) flatus:' sic videtur legendum; nam vetus liber illic *fatus*. Propertius lib. II. El. 25. 'Mendaces ludunt flatus in amore secundo;' non *secundi*, quod nunc legitur. Statius Theb. III. 'Cum magniloquos luit impia flatus Tantalis.' Et l. I. 'Attollit flatus ducis, et sedisse superbum Dejecto se fratre putat.' Drances de Turno, 'Det libertatem fandi, flatusque remittat.' Seneca Agamemnone, 'Tamen superba et impotens flatu nimis Fortuna magno spiritus tumidos daret.' Idem Thyeste, 'Ponite inflatos tumidosque vultus.' Valerius Flaccus libro III. 'Non hi tum flatus, non ista superbia dictis.' Et paulo ante, 'tali mentem pars maxima flatu Erigit, et vana gliscunt præcordia lingua.' Corippus Africanus libro III.

Digitized by Google

'Quod tua ventosis inflata superbia verbis Jactitat.' 'Tumentes flatus' in re simili dixit Ammianus Marcellinus: memini et apud Silium id occurrere: ad Claudianum plura. Cæterum Regius, Oxoniensis, Jureti codex et alii nonnulli, *abscedere*, non *accedere*, contrario plane sensu; sed male. *Heins.* *Tumidos flatus*] Sic et Græci. Theocr. In scuto Hercul. vs. 24. ὑπὲρ σακέων πνείοντες. Et Eurip. in Herc. Fur. πνέας θέρμας πνέω.

722 *Qui fuerat cultor factus, amator erat*] Puto, *Qui fuerat cultor fictus, amator erat.* Heins.

725 *Turpis in agricola*] *Et agricolæ* libri veteres. *Idem.*

726 *Sub Jove*] Sub cœlo aperto. Horatius: 'Manet sub Jove frigido Venator.'

727 *Et tu Palladiæ*] *Et tua* Regius, Oxoniensis, Jureti codex, et tres alii; bene, ut ad 'corpora' referatur. *Palma coronæ* pro *fama* quatuor libri; nec damno. *Heins.* *Palladiæ coronæ*] Coronæ oleaginæ. Est enim olea arbor sacra Palladi, qua victores in Olympico certamine coronabantur. Erant olim in Græcia quatuor ludorum genera præ cæteris celebratissima. Ludi Olympici, qui celebrabantur quinto quoque anno, magna hominum frequentia, in honorem Jovis Olympici. Pythii, Apollini sacri, in quibus victor poma referebat. Isthmii vero ludi erant Palæmoni dicati: victori corona ex apio dabatur. Nemæi, in memoriam Archemori instituti: victores pinea corona ornati discedebant.

730 *Hoc decet: hoc multi non valuisse putant*] *Hic decet* bene nonnulli codices: nimirum *color*. *Hic decet, hunc multi* Excerpta Scaligeri et Puteani cum aliis quibusdam: *putent* etiam Regius et duo alii. Pro *multi* unus meus *vultu*. Forte, *Hic decet, hoc vultu non valuisse putant:* ex hoc vultu colligant ac persuadeantur puellæ te non valere, et ægrum esse præ nimio sui amore. *Tῷ putent* sic et usus est l. II. 'Quo magis o juvenes deprendere parcite vestras. Peccent: peccantes verba dedisse putent.' *Hic multi non valuisse putent*, prima editio. *Heins.*

731 *Pallidus in Lyrice sylvis errabat Orion*] Noti sunt Amores Orionis, qui Œnopionis filiam perdite amarit, quam Meropen alii, Parthenius in Eroticis cap. 20. Hæro appellat. De Lyrice nihil legisse me memini. Nec constant sibi veteres membranæ. Jureti codex *Pallidus in Licea: in Linces* unus ex meis, ut et Regius; nisi quod a manu secunda *Linea*, quomodo in multis aliis. Arondellianus *in silvis Lincea*, vel *Licoæ*, vel *Lincea*. Cæteri, *Lineam, Lincem, Licie, Litie, Lincie, Licita, in Linceis, illincis*, et similia. Nam codex Oxoniensis hunc versum non habebat. Lege *in Dirces sylvis*. Nam Orion Thebanus, hinc 'Bœotus' sæpe poëtis dicitur; et Dirce fons Thebani agri, quem inter alios Statius in Thebaide sua luculentis versibus descripsit. Regius etiam *Arion* pro *Orion*. De Daphnidis Amoribus ex Parthenio, Scholiaste Theocriti, Junio Philargyro, et Servio res est non plane ignota. *Idem.*

732 *Pallidus in lenta*] Ex Mercurio et Nympha Daphnidem natum in Sicilia, scribit Diodorus: et a laurorum multitudine, in quas divertebantur Nymphæ, ita appellatum. Educatus a Nymphis boum permulta possedit armenta, a quorum cura *bucolos* est dictus. Quum esset ingenio acri, studiumque plurimum gubernandis bobus impenderet, carmen bucolicum, quod postea a Siculis in pretio habitum fuit, invenit. In Dianæ gratiam venatui operam dedit, eamque fistula et cantu bucolico delectavit. *Lenta*] Dura, et tarda ad amandum Daphnidem.

734 *Pileolum nitidis imposuisse comis*] *Palliolum* melioris notæ libri, nec dubium quin recte. Qui enim

Digitized by Google

infirmæ valetudinis erant, palliolis obnubebant caput. Quintilianus: 'Palliolum, sicut fascias et focalia, sola potest excusare valetudo.' Monuit jam ad Historiam Augustam Salmasius. Sequenti versu *Attenuent* etiam bene tres libri; vulgo *Attenuant:* et *e magno qui sit amore* nonnulli, non *in magno*. Heins.

739 *Conquerar, an moneam mistum fas esse nefasque*] Libri meliores *fas omne nefasque.* Deinde Regius *Cum querar admoneam. Admoneam* etiam est in Oxoniensi. Scribe, *Num querar ac moneam mistum fas omne nefasque,' Nomen amicitias, nomen inane fidem?* ut *esse* subintelligatur. Nisi quis malit *Conquerar an taceam*, quod est in excerptis Politiani, et tribus a me inspectis. *Idem.*

741 *Quod amas*] *Quod ames* meliores. *Idem.*

743 *At non Actorides*] Perpaucos amicis fidos fuisse commemorat: sed nullos tales reperiri amplius posse, ostendit. *Actorides*, patronymicum est, ab avo deductum. Actor enim fuit pater Menœtii, patris Patrocli. *Lectum Achillis*] Hippodamiam Brisei filiam. *Lectum temeravit Achillis*] *Achilles* Regius, Oxoniensis, et alii quidam. Scribe *Achillei:* sic *Ulyssei*, pro *Ulyssis*, passim quoque tam apud Virgilium quam nostrum. Remed. Amor. vs. 473. 'ope tutus Achillei,' ex vestigiis vetusti codicis: in veterrimo codice Virgilii Mediceo semper *Achilli* et *Ulyssi* scribitur in secundo casu; et *Oili*, non *Oilei:* quomodo et *Oronti:* et sane *Achillei* et *Ulyssei* apud Horatium quadrisyllaba sunt. Pluribus de his accurate disputavit ex antiquis grammaticis Pierius Valerianus ad vs. 30. libri primi Æneidos. 'Persei ala' apud Propertium; et 'Persei uxor.' Vide Notas Gronovii ad Livium XLII. 25. nos plura ad Metamorphoses. *Heins.*

744 *Ad Pirithoum*] Initium amicitiæ inter Theseum et Pirithoum, et quam se mutuo dilexerint, docet Plutarch. in Theseo. *Phædra pudica fuit*] Pirithous non violavit Phædram, uxorem Thesei. *Mer.*

745 *Qua Pallada Phœbus*] *Quod* Regius; reliqui plerique, *quo*, ut supra, 'Myrrha patrem, sed non quo filia debet, amavit.' *Heins.*

747 *Laturas poma myricas*] *Jacturas* Regius, Oxoniensis, et sex alii; quomodo in Observationibus ex Arondeliano codice restituit præclare Gronovius I. 18. qui videatur omnino. 'Cornua jacta' Art. III. 'Nec faciunt cervos cornua jacta senes.' Sic et alibi 'nix jacta.' Mox *e medio flumine* libri meliores. Remed. Amor. 'Cedimus, e medio jam licet amne bibas.' *Idem.*

753 *Fidumque sodalem*] *Carumque* castigatiores; nam *fidos* præcesserat superiori versu. *Idem.*

761 *Utque levis Proteus modo se tenuabat in undas*] Primo *leves undas* reponendum est ex auctoritate optimi Regii, fragmenti veterrimi Oxoniensis, et octo vel novem aliorum codicum. 'Leves aquas' noster alibi non uno loco dixit: ut in Fastis, 'leves cursum sustinuistis aquæ.' Pro *tenuabat*, deinde, idem Regius, et duo alii *tenuavit:* sed probe prima editio et unus Vaticanus, *tenuabit:* et sequenti versu pro *erat*, fragmentum Oxoniense, Codex Regius, et duo alii, *erit;* verissime. Instar Protei, inquit, modo in leves undas, nunc in leonem, aut aprum, aut arborem se mutabit. De Proteo noster pluribus libro Met. VIII. et res est cæteroquin nota. Porro Horatii ista, Satyra III. 2. respexit hoc loco noster, ubi is agit de malo debitore. 'Scribe decem a Nerio; non est satis: adde Cicutæ Nodosi tabulas centum: mille adde catenas: Effugiet tamen has sceleratus vincula Proteus. Cum rapies in jus malis ridentem alienis, Fiet aper, modo avis, modo saxum, et, cum volet, arbor.' Nam prover-

Digitized by Google

bii locum obtinuisse videtur, ut qui urgentes eludebant, Protei dicerentur. Idem Horatius libro I. Epist. 1. 'Quo teneam vultus mutantem Protea nodo?' *Idem.*

766 *Longius insidias curva videbit anus*] Ridicule profecto. Causæ scilicet multum est, cur anus jam curvata præ senio insidias amatorum metuat. Quis credat optimo poëtæ tale quid excidisse? Tollit scrupulum codex Regius, in quo a manu prima legebatur *cerva anus.* Nec aliter in Oxoniensi pro diversa lectione. 'Cervum senem' pari modo Lucretius dixit lib. III. et Noster infra lib. III. 'Nec faciunt cervum cornua jacta senem.' Similes autem metaphoræ familiares sunt Nostro, quoties de puellis agit: sic supra: 'Saucius arrepto piscis teneatur ab hamo.' Et postea, 'lepus hic aliis exagitandus erit.' Et initio sequentis libri, 'Decidit in casses præda petita meos:' sed nihil opus est, ut elegantissimam lectionem pluribus adstruamus. *Idem.*

ARTIS AMATORIÆ LIB. II.

1 *Dicite, Io Pæan*] Ex tribus partibus quas proposuerat Ovid. duas absolvit: tertia superest, quam nunc exequitur. Docet enim in hoc l. II. quemadmodum ab amatore conservandus diu sit amicæ amor, quam assiduo labore sibi morigeram reddidit. *Dicite, Io Pæan*] Triumphandum esse dicit de amica victa: et Apollinem invocandum, ut in triumphis fieri solebat. Pæan autem non modo Apollinem significat, sed ipsius et cæterorum Deorum laudem.

2 *In casses meos*] Capta est. *Præda petita*] Puella quæsita.

3 *Lætus amans donet*] *Donat* optimus Regius cum aliis nonnullis et prima editione. Forte *dona.* Heins.

4 *Præferor Ascræo*] Præponor Hesiodo, ab Ascra Bœotiæ vico appellato. *Mæonioque seni*] Homero, a Mæone patre, eodemque patruo, ut Plutarchus scribit.

5 *Ab armiferis Amyclis*] A bellicosis Amyclis. Amyclæ autem fuit civitas Laconiæ, patria Helenæ. *Priameius hospes*] Paris, quem Menelaus suscepit hospitio.

6 *Conjuge vela dabat*] *Dedit* meliores. *Heins.*

7 *Talis erat, qui te curru*] Œnomaus rex Pisæ et Elidis in Peloponneso, filius Martis et Æginæ, quum accepisset ex oraculo, se moriturum quamprimum filia nupsisset, eam in perpetua virginitate asservandam curavit. Itaque, quicunque filiam peteret, cursu certabat. Habebat enim duos velocissimos equos, Psiliam et Harpinam. Tandem Pelops, Tantali filius, ex Peloponneso veniens, corrupto Myrtilo, victor evasit. Œnomaus, existimans advenisse responsi tempus, sibi mortem conscivit. Pelops, ducta uxore Hippodamia, Pisæ regnum tenuit. *Diodorus.*

8 *Peregrinis rotis*] Curru peregrini Pelopis.

9 *Tua pinus*] Amoris cursus.

10 *Et longe*] Nam plura adhuc restant dicenda.

11 *Non satis invenisse tibi est me*

Digitized by Google

cate puellam] Regius cum reliquis plerisque, *Non satis est venisse tibi;* optime: sic et Græci fere *συνέρχεσθαι* de re venerea honesto vocabulo utebantur. Noster infra, ' Hoc est, uxores quod non patiatur amari: Conveniunt illas, cum voluere, viri.' Epistola Sapphus, ' Jam tibi Sicelides veniunt nova præda puellæ.' Amor. I. El. 10. ' Quæ Venus ex æquo ventura est grata duobus; Altera cur illam vendit, et alter emit?' El. 11. ' Sæpe venire mihi dubitantem hortata Corinnam:' ut illic scribendum videtur. Martial. l. I. Ep. 71. ' Omnis ab infuso numeretur amica Falerno; Et quia nulla venit, tu mihi, somne, veni.' In Apophoretis, ' Tunc triplices nostros non villa dona putabis, Venturam cum se scribet amica tibi.' Propertius l. II. El. 14. ' Sic veniet hodie, si qua negavit heri.' El. 18. ' Mi formosa sat es, si modo sæpe venis:' ita scribo; ubi *τὸ venit* perperam interpretatur magnus Scaliger. El. 20. ' Speranti subito si qua venire negat.' Noster infra, ' fortior ille est, Quo veniunt alii conciliante viro:' uxores nimirum; ita corrigendum. Modus loquendi Propertio admodum familiaris. *Heins.*

15 *Puer et Cytherea*] Cupidinem et Venerem invocat. *Si quando*] Favistis.

17 *Remanere*] Durare.

19 *Quibus evolet alas*] *Avolet* Regius et alii complures cum prima editione; quod sequor: sed et multi *advolat;* proxime verum. *Heins.*

21 *Hospitis*] Dædalus genere Atheniensis, natus ex Metione Eupalami, præclarus architectus fuit. Fabulam refert Diodor. et Ovid. in Metam. *Præcluserat omnia*] Terras et maria clauserat. *Præcluserat omnia Minos*] *Præstruxerat* meliores libri magno numero; rectius: nam *clausit* mox sequitur. Dædalus ipse Met. VIII. de Minoë, 'Terras licet, inquit, et undas Obstruat: at cœlum certe patet: ibimus illac. Omnia possideat, non possidet aëra Minos.' Fast. I. de Caco, ' Ille aditum fracti præstrinxerat objice montis.' *Heins.*

23 *Crimine matris*] Pasiphaës infando amore. *Ut clausit*] Posteaquam labyrinthum ædificavit.

25 *Sit modus exilio*] Verba sunt Dædali precantis Minoa.

26 *Terra paterna*] Urbs Athenæ.

28 *Da mihi posse mori*] *Sit mihi* Jureti excerpta eleganti Græcismo, *γένοιτο, ἔστι, ἐνδέχοιτο.* Sic contra, *Non est, οὐκ ἔστι. Non sit, Ne sit, μὴ γένοιτο, μὴ δ' ἔστω· οὐκ ἔστι,* pro non licet, non datur. Imitatus hunc Nasonis locum Maximianus in Elegiis, ' Nunc, quia longa mihi gravis est et inutilis ætas, Vivere cum nequeam, sit mihi posse mori.' Libet paulum exspatiari, ut modum loquendi elegantem illustremus. Tibullus l. I. El. 6. ' Tunc mihi non oculis sit timuisse meis.' Et l. III. El. 4. ' Nec tibi sit duros aculisse in pectora dentes.' Virgilius, ' Tu procul a patria, nec sit mihi credere tantum.' Noster superiori libro, quod non est mutandum, ' Blanditiis animum furtim deprendere nunc sit.' Lib. III. Art. ' Nec mihi tot positus numero comprendere nunc sit:' ita scribo, vel invitis scriptis codicibus; vulgo nunc legitur *fas est.* Et hoc ipso libro, ' O quater et quoties numero comprendere non est, Felicem!' sic lego ex scriptis; vulgo, *O quantum:* unde emendandus in itinerario Rutilius, ' O quater et quoties non est numerare beatos, Nasci felici qui meruere solo!' ita enim scribo, cum perperam ibi extet, *O quantum et quoties possem numerare beatos!* Respexit illa Rutilius Trist. III. El. 12. ' O quater, et quoties non est numerare, beatum, Non interdicta cui licet urbe frui:' ubi etiam codices plurimi *O quantum;* frustra. Trist. V. El. 11. ' Utque aliis, quorum numerum comprendere non est, Cæsareum numen, sic mihi mite

Digitized by Google

fuit.' Noster lib. III. infra, 'Quid minus Andromedæ fuerat sperare revinctæ, Quam dotes ulli posse placere suas?' ita præstantiores libri recte: vulgati, *Quid minus Andromede poterat sperare relicta.* Met. II. 'Et modo, quos illi fato contingere non est, Prospicit occasus:' quomodo et ille locus corrigendus; ubi plura. Fast. II. 'et quam corrumpere non est:' pro, quam non datur corrumpere. Met. III. fabula Narcissi, 'liceat, quod tangere non est, Aspicere.' Trist. l. I. El. 1. ad Deos, 'Fallere quos non est, hanc mihi fertis opem.' Pont. IV. El. 12. 'Quid mandem, quæris? peream, nisi dicere vix est.' Virgilius præfatione Æneidos, 'Si mihi susceptam fuerit decurrere munus.' Silius l. VI. 'Sed mihi sit Stygios ante intravisse penates, Talia quam videam ferientes pacta Latinos.' Lib. VIII. 'nec longius uti His opibus Battoque fuit.' Lib. III. El. 4. 'Sic tamen hæc absunt, ut quæ contingere non est Corpore, sint oculis cuncta videnda meis.' Virg. Georg. IV. 'Scis, Proteu, scis ipse: neque est te fallere cuiquam.' Horat. Sat. I. 5. 'Mansuri oppidulo, quod versu dicere non est.' Propert. l. II. El. 10. 'Ut caput in magnis ubi non est tangere signis, Ponitur his imos ante corona pedes.' Idem l. I. El. 20. 'Nec tibi sit duros montes et frigida saxa, Galle, nec expertos semper adire lacus:' ita codices, quos consului, ex scriptis meliores. 'Duri montes,' usitato poëtis Epitheto. Noster Met. XIV. 'durisque in montibus ortæ Molle fretum celebrant.' Idem Propertius l. III. El. 3. 'Nec tibi sit ranco prætoria classica cornu Flare.' Germanicus Arateis, 'Est etiam propiore Deum cognoscere motu.' Ἔστι γνώσκειν. Avienus Prognosticis, 'Nec minus ex aliis aderit cognoscere motus Æquoris, et magnos cœli callere tumultus.' Πάρεστι γνώσκειν. Græcismus et ille. Martialis l. XII. Ep. 11. 'Et si forte (sed hoc vix est sperare) vacabit.' Et Ep. 82. ejusdem libri, 'Effugere e thermis et circa balnea non est Hermogenen, omni tu licet arte velis.' Et l. XI. 'Effugere non est, Basse, basiatores.' Ex quibus duobus postremis locis liquet et apud nostrum infra loco vexatissimo scribendum esse, 'Effugere hunc non est, cave ne tibi possit amica Dicere.' Met. IX. 'Et quoniam non est ad vos incumbere nobis:' ita enim ex vestigiis scriptorum codicum reponendum videtur: vulgati, *mihi fas ad vos incumbere non est.* Heins.

29 *Senis*] Patris Dædali.

30 *Puero*] Filio Icaro.

32 *Dicere, at egressus*] *Et egressus* scripti plerique: Regius *dicere egressus:* prima editio et sex scripti, *regressus.* Lege, *regressus nec dabat ille.* Heins.

33 *Quod simul ac*] *Simul ut* Regius cum Scaligeri et Jureti excerptis et octo aliis; sed frustra. Met. II. 'Quod simul ac sensere, ruunt.' Quatuor libri, *nunc o nunc Dædale;* concinnius. *Sentit* etiam recte Commelinianus. *Id.*

35 *Possidet et terras*] Argentinus et unus Vaticanus et pro diversa lectione Arondelianus, *Possidet en.* Lego, *Possidet en terras, en possidet æquora Minos.* Idem. *Possidet et terras et æquora*] Virgil. IX. 'Nec spes ulla fugæ: rerum pars altera ademta est: Terra autem in manibus nostris.' Quod imitatur Lucan. 'Abstulimus terras, exclusimus æquore toto. Ecce maris magno claudit nos objice pontus, Deest jam terra fugæ.' Hom. Il. II. Χάρης ὀλίγην ἔτι μοῖραν ἔχοντες Ἀργεῖοι.

37 *Restat iter cœli*] *Cœlo* Politiani excerpta et duo alii; non male. *Cœlo tentabimus ire*] *Cœlum* Sarravianus et duo alii. Vide Notas ad Epist. VII. 40. *Heins.*

42 *Sint mihi*] *Sint mihi* Regius et Puteani excerpta. *Idem. Jura novanda*] Naturæ jura Dædalus dicitur

Digitized by Google

innovare, quum aërem volucribus concessum tentat, relicta terra.

43 *Ingenium mala sæpe movent*] Pericula reddunt hominem ingeniosum.

44 *Aëriae vias*] Horat. 'Expertus vacuum Dædalus aëra Pennis non homini datis.'

45 *Remigium volucrum disponit in ordine pennas*] Alas remigium quoque Græci vocant nonnunquam: sic *εἰρεσίαν πτερῶν* Lucianus Timone de Mercurio. 'Ο μὲν ἀπελήλυθεν, ὡς δοκεῖ. Τεκμαίρομαι γὰρ τῇ εἰρεσίᾳ τῶν πτερῶν. Sic et 'alarum remigium' Virgilius in hac eadem de Dædalo Fabula: et 'Dædaleum remigium' auctor supplementi ad Plautinam Amphitryonem, 'non ocyus quivi, si me Dædaleis tulissem remigiis.' Noster 'alarum remos.' Met. v. 'Posse super fluctus alarum insistere remis Optastis.' Silius l. XII. de Dædalo, 'natumque solutis Pennarum remis et non felicibus alis Turbida plaudentem vidit freta.' Lucret. VI. 'Remigii oblitæ pennarum vela remittunt:' ubi *remigium* simpliciter habes; quomodo et apud Avienum in Phænomenis, de cygno, 'dextro late Cepheida dextram Radens remigio.' 'Pennarum' quoque 'vela' Lucretianum imitatus Apuleius in Floridis, de Aquila, 'Velificatas alas quo libuit advertens modico caudæ gubernaculo:' et Noster infra, 'Quaque ferent auræ, vela secunda dato,' de alis. 'Pedum remigium' dixit Statius Theb. IX. hinc 'tranare nubila' obvium, tanquam de mari. Cæterum in quinque scriptis *Remigium volucris* legitur: sed *volucres pennas*, ut unus habet Palatinus, probum est, eleganti appositione: sic 'volucer Cupido,' et similia. 'Volucris turba' pro avibus Met. v. ex optimis libris, 'nuper et istæ Auxerunt voluerem victæ certamine turbam:' non *volucrum*. Fast. I. ex antiquis itidem libris, 'Tuta diu volucris proles tum denique cæsa est.' *Heins.*

54 *Qua licet*] *Quem licet* meliores cum prima editione: nonnulli *Quem libet:* Commelinianus et tres alii, *Quam libet*, etiam non male. Vide Notas Ep. VI. 140. *Idem.*

55 *Virgo Tegeæa*] Calisto Arcadia ab urbe Tegea, Lycaonis Arcadiæ regis filia, a Jove compressa, mutata fuit a Junone in ursam, quam Jupiter cum filio inter sidera collocavit: eamque Arcton, filium Arctophylaca nominavit. Fabulam narrat Ovid. et plenius Hyginus. *Comesque Bootæ*] Arcton, plaustrum nominarunt: nam ex septem stellis, duas quæ pariles videntur, pro bobus habuerunt: reliquis vero quinque, figuram plaustri dederunt. Proximam illi stellam Booten dixerunt, a bobus, quos videtur agitare. Hunc et Arctophylaca, id est, ursæ custodem, appellari diximus. *Comesque Bootes*] Novi illa Hesychii, Βοότης, ὁ Ὠρίων et Βοωτεῦν ἀστερίζειν ὅτε ὁ Ὠρίων δύνει Ἀθήναιος ubi Orion cum *Boota* confunditur: quomodo alii cum Icario unum faciunt; unde *Actæus Bootes* Valerio Flacco dictus l. II. 09. qui locus non est sollicitandus. Propertio quoque l. II. El. 33. 'Flectunt Icarii sidera tarda boves.' Hic tamen scribe *Bootæ* cum optimo Regio et uno Patavino. Neque obstat sidera hæc minus sibi vicina esse, cum et Catullus 'proximum Hydrochoo Orionem' ponat carmine de Coma Berenices; nisi pro *Hydrochoo* scribendum illic *Heniocho.* Heins.

56 *Ensifer Orion*] *Ensiger* Regius cum quinque aliis et prima editione: sic et meliores libri quarto Fastorum, 'Ensiger Orion æquore mensus erat.' *Idem. Ensifer Orion*] Orionis sidus observari a nautis, docet etiam Virg. *Ensifer* autem appellatur, quoniam tres stellæ sunt, quibus gladius in ejus dextra formatur, ut Hyg. docet.

57 *Me pennis sectare*] Ne aspicias ulla sidera, sed me tantum volatu subsequere.

Digitized by Google

58 *Sit tibi cura sequi*] *Tua cura* prima editio cum melioribus scriptis; et mox *timeto* pro *caveto;* et *sibi factas* pro *suis;* et *timide* pro *timidus.* Heins.

63 *Inter utrumque vola*] Medium tene.

71 *Monte minor collis*] Collem Cretæ describit, unde Dædalus cum filio evolavit.

78 *Inceptum dextra reliquit opus*] *Relinquit* nonnulli; unus Vaticanus, *remisit;* alter Regius *remittit.* Sic Fast. II. 'Desinit in lacrymas, inceptaque fila remisit.' Met. VI. 'Aspicit hanc torvis, inceptaque fila remisit;' ita et illic quidam ex antiquis libris: quomodo et *remissa ambages* de quo ad Epist. VII. 149. *Heins.*

79 *Jam Samos a læva fuerat*] *Fuerant* cum melioribus. Sequenti etiam hexametro unus meus cum Vaticano uno *erant:* pro *Calydna* Regius veterrimus *Palismne;* prima editio cum nonnullis scriptis *Palymne,* forte pro *Calymne:* tam enim Calymnam quam Calydnam inter insulas recenset Stephanus. Certe Met. VIII. 'Dextra Lebinthos erat fœcundaque melle Calymna,' occurrit in eadem hac narratione; sive *Calymne,* ut libri meliores agnoscunt constanter, nisi quod *Calydne* in uno regio illic offendi: alii *Calynne* et *Calyne.* Apud Strabonem quoque sub finem libri X. non constant sibi codices, qui modo hanc modo illam lectionem agnoscunt. De melle tamen Calymnio subscribit Ovidianæ lectioni in Metamorphosi, Ἅπαν μὲν οὖν τὸ νησιωτικὸν μέλι, ὡς ἐπιτοπολὺ ἀστεῖόν ἐστι, καὶ ἐνάμιλλον τῷ Ἀττικῷ· τὸ δὲ ἐν ταῖς νήσοις, διαφερόντως· μάλιστα δὲ τὸ Καλύμνιον. At Plinius lib. XI. cap. 13. de melle: 'Ibi optimum semper, ubi optimorum caliculis florum conditur. Atticæ regionis hic et Siculæ Hymetto et Hybla ab locis, mox Calydna insula.' Eustathius ad illa Homeri Iliad. B. Νήσους τε Καλύδνας, inter alia, Νῆσοι αἱ Καλύδναι εἰσὶν, ἃς ἕτεροι διὰ τοῦ μ' γράφουσι Καλύμνας, ὅτι δὲ ἀγαθὸν μέλι τὸ Καλύδνιον. Deinde ubi diversas sententias retulit de his insulis, Καλύδναι νῆσοι κατά τινας αἱ Σποράδες, ἂν μία Καλύμνα. *Calydnas* numero plurali efferunt: ut apud Senecam Troadibus ex fide optimi Medicei, 'Semper Euripo properante Chalcis, Quolibet vento faciles Calydnæ.' Nam vulgatum *Echydnæ* nihil est: nisi *Echinæ* reponas, quomodo Echinadas esse dictas ἀπὸ Ἐχίνου μάντεως testatur Stephanus Byzantinus, cujus etiam nominis oppidum fuerit in Acarnania. *Heins.* *Jam Samos a læva*] Samos (ut Apuleius scribit) modica insula est, in mari Icario, adversa Mileto, ad occidentem ejus sita. In ea fanum fuit Junonis, antiquitate celebre. *Naxos*] Naxos una est ex Cycladibus.

80 *Et Paros*] Paros quoque inter Cyclades ponitur, marmore nobilis. *Et Clario Delos*] Delos Cycladum est longe clarissima, natali et templo Apollinis, et mercatu celebrata. *Clario Deo*] Apollini dicto, ut arbitratur Servius: vel a Clario oppido, in confinio Colophoniorum: vel a Claro, Cycladum una, ubi colebatur.

81 *Dextra Lebinthos erat*] Lebinthos quoque una est ex Cycladibus. *Umbrosa Calydne*] Calydne insula a Strabone ponitur inter Sporadas. Ovid. in Metam. 'Fœcundaque melle Calydne.'

82 *Cinctaque piscosis Astypalæa*] Astypalæa insula est Sporadum una, unam habens civitatem. Hæc ad Cnidiam oram protenditur, longa, sublimis, angusta.

83 *Incautis nimium temerarius annis*] *Armis* prima editio cum primo Mediceo: unus Vaticanus et unus Ambrosianus *alis:* alius Vaticanus *ausis,* quod placet. *Heins.*

84 *Deseruitque patrem*] *Ducem* malo cum Moreti et Mentelii codice: sic Dædalus ad Icarum Met. VIII. 'Me duce carpe viam.' Fast. lib. IV. 'Dux comiti narrat, quam sit sibi fi-

Digitized by Google

lius æger.' Lib. VI. 'Nympha jubet quæri de more remotius antrum. Utque comes sequitur, destituitque ducem.' *Idem. Deseruitque ducem*] Viam, quam tenebat dux pater, reliquit.

85 *Deo propiore*] Sole vicino.

86 *Nec tenues venti*] *Ventos* potiores scripti. *Heins.*

93 *Non jam pater*] *Nec jam* iidem cum prima editione. *Idem. Nec jam pater*] Filio jam perdito.

95 *Icare, clamabat*] *Dum clamat* Lincoliensis. *Heins.*

96 *Æquora nomen habent*] Ab Icaro enim Icarium mare appellatum fuit.

98 *Deum volucrem*] Cupidinem alatum.

99 *Fallitur, Æmonias*] Magicam vanitatem in Perside a Zoroastre ortam scribit Plinius, tum deinde transisse ad Thessalas urbes. Æmonia enim Thessalia cognominata est, ab Æmone Deucalionis filio.

100 *A teneri fronte revellit equi*] Carunculam intelligit, quæ nascitur in fronte pulli: de qua Plinius hæc: Et sane equis innasci amoris veneficium, hippomanes appellatum, in fronte, caricæ magnitudine, colore nigro, quod statim edito partu devorat fœta, aut partum ad ubera non admittit: si quis præreptum habeat, olfactu in rabiem agitur. *Fronte revellit equi*] Sic Juvenal. Satyr. VI. 'Et furere incipias: ut avunculus ille Neronis, Cui totam tremuli frontem Casonia pulli Infudit.' Æneid. IV. 'Quæritur et nascentis equi de fronte revulsus, Et matri præreptus amor:' ubi videndus Servius. *Revellit*] *Revellet* Regius: alii tres *revellat*. Heins.

101 *Medeides herbæ*] Veneficæ herbæ, quibus utebatur Medea. *Ut vivat amor*] Ut permaneat.

102 *Mistaque cum Magicis mersa venena sonis*] *Marsa* legendum omnino cum prima editione et scriptis quamplurimis. Sed necdum sanum præstiterim locum, nisi cum optimo Regio et excerptis Scaligeri ac Putemi reponas, *nænia Marsa*. Cantus enim magicus Marsorum serpentibus fatalis creditus. Atque ita lib. VI. Fastorum optimi codices, de strigibus, 'Sive igitur nascuntur aves, seu carmine fiunt, Næniaque in volucres Marsa figurat anus:' ubi *Nænia falsa* vulgo legebatur. Horat. Ep. XVI. 'vincor, ut credam miser Sabella pectus increpare carmina, Caputque Marsa dissilire nænia.' Et Ep. V. 'Ad me recurres, nec vocata mens tua Marsis redibit vocibus.' Noster Medicamine Faciei, 'Nec mediæ Marsis finduntur cantibus angues.' Lucilius lib. Sat. 'Jam disrumpetur medius, jam ut Marsu' colubras Disrumpit cantu' venas cum extenderit omnes.' Pomponius Pistoribus, 'Mirum est, ni hæc Marsa est, in colubros callet Cantiunculam.' Silius lib. VIII. 'Hæ bellare acies norant: at Marsica pubes Et bellare manu, et chelydris cantare soporem, Vipereumque herbis hebetare et carmine dentem.' Hinc 'serpentum domitores Marsos' appellant Plinius ac Gellius: eosque originem a Marso Circes filio ducere testantur, ut artis magicæ peritia, qua vulgo male audiebant, in iis nequaquam sit miranda. Arnobius lib. II. 'Adversus ictus noxios, et venenatos colubrarum morsus, remedia sæpe conquirimus, et protegimus nos laminis, Psyllis, Marsis vendentibus, allisque institoribus atque planis.' Marsos ob artis cognationem cum Psyllis frequenter veteres conjungebant, quo modo Plinius lib. XV. 2. et Gellius lib. XVI. 11. locis jam citatis. Julius Firmicus, 'sub angue nati Marsi erant, vel qui venenis ex herbarum pigmentis confectis salutaria solebant hominibus remedia comparare.' Similia his et idem alibi. Virgil. lib. VII. 'neque ejus juvere in vulnera cantus Somniferi, et Marsis quæsitæ montibus herbæ.' *Heins. Marsa venena*]

Digitized by Google

Herbarum succos dicit: aut carmina, quibus Marsi utebantur. Aut certe serpentes dicit, a Marsis domitos, quarum membrana in veneficiis utebantur. Marsi autem populi fuere in Italia, Albæ finitimi, prope Fucinum lacum. Gellius scribit, Marsorum genti datum esse, ut serpentium virulentorum domitores essent, et incantationibus, herbarumque succis faciant miracula medelarum. *Cum magicis sonis*] Cum carminibus magicis.

103 *Phasias Æsonidem*] Exemplis docet, non posse magicis carminibus amorem retineri. Phasias autem Medea appellatur, a Phasi Colchorum fluvio. *Æsonidem*] Jasonem Æsonis filium. *Circe tenuisset Ulyssem*] Sol (ut Diodorus refert) duos procreavit pueros, Æeten et Persen. E Perse nata est Hecate, quæ prima aconitum invenit. Patrem veneno sustulit. Poëtæ tamen dicunt, Circen ex Sole et Persa Oceani filia ortam.

104 *Carmine*] Incantatione. *Posset amor*] *Possit* meliores. *Heins.*

105 *Nec data profuerint*] Alii *profuerunt*. Lego *profuerunt*: sic supra l. 1. 'Profuit et tenui ventos movisse tabella.' Et Medicamine Faciei, 'Profuit et marathos bene olentibus addere myrrhis.' *Idem. Philtra pallentia*] Quæ reddunt homines pallidos. Philtra enim pocula et venena sunt, quæ amorem ingerunt.

109 *Sic licet antiquo Nireus adamatus Homero*] *Scilicet* quinque libri: unus, *si licet*: alius, *sic licet*. Scribe, *sis licet*, atque ita Moreti codex. Licet, inquit, Nireum ab Homero tantopere laudatum æques pulchritudine, aut Hylan. Respexit illa, Νιρεὺς δὲ κάλλιστος ἀνὴρ ὑπὸ Ἴλιον ἦλθε Τῶν ἄλλων Δαναῶν quare Thersiten Lucianus apud inferos cum Nireo colloquentem sic inducit, ἂν μὲν ἤδη τοῦτ' ἔχω, ὅτι ὅμοιός εἰμί σοι, καὶ οὐδὲν τηλικοῦτον διαφέρεις, ἡλίκον σε Ὅμηρος ἐκεῖνος ὁ τυφλὸς ἐπῄνεσεν, ἀπάντων εὐμορφότατον προσειπών. Hinc Νιρέως εὐμορφότερος adagium apud Græcos, et Νιρέως καλλίων sic in priore editione jam castigaram, quod alius sibi postea vindicavit. Τὸ *adamatus* cave mutes. *Bersman. Sis licet antiquo Nireus*] Nireus Caropei filius et Aglaies, ex Sime insula, tribus navibus ad bellum Trojanum profectus, omnium pulcherrimus fuisse scribitur Homero, secundo Iliad. præter Achillem. Propert. 'Nirea non facies, quamvis sit candida, cepit.'

110 *Crimine raptus Hylas*] *Crimina* primus Vaticanus, ut epistola Paridis, 'Et tua sim, quæso, crimina solus ego.' Et in Amor. 'Vestrum crimen erit talis jactura puellæ.' Tibullus, 'Tam formosa tuum mortua crimen erit:' atque ita passim poëtæ. *Heins. Tener Hylas*] Quum Hercules per Dryopas iter faceret, a Thiodamante, quem arantem invenerat, cibum petiit. Sed cum ille hoc negaret, Hercules bovem ab aratro abductum mactavit: inter eos pugna orta, Thiodamas periit. Tum Hylam, ejus filium Hercules abduxit: qui et a patre Thiodamanteus dicitur a Propert. Sed quum Argonautæ in Bithyniam venissent, Hylas ab Hercule aquatum missus, a nymphis ob pulchritudinem raptus dicitur. Juvenalis: 'Et multum quæsitus Hylas, urnamque secutus.' *Crimine Naiadum*] Nympharum amore, vel insidiis Nympharum, a quibus captus est.

115 *Nec semper violæ, nec semper lilia florent*] Mire turbatur versus hic in vetustis libris: alii codices, *mollia lilia*, vel *candida*; optimus Regius, *Nec violæ semper, nec hyacinthia lilia florent*, cum glossa adscripta, 'id est, Apollinea,' sed τὸ *hyac* linea subductum erat, quo id delendum esse significabatur: certe *cinthia lilia* in sex aliis quoque inveni. Unde fuit cum legendum censerem, *Nec violæ aut semper hyacinthia lilia florent*: *lilia* enim et *hyacinthus* solo colore distinguuntur; nisi malis *hyacinthina*: quo-

Digitized by Google

modo 'florem hyacinthinum' Catullus dixit. Hæc olim: nunc scribo, *Nec violæ semper, nec hiantia lilia florent:* atque id confirmat cum Palatinus unus, tum codex probæ notæ, quo Andreas Cavalcantes Patricius Florentinus vir eleganter eruditus me donavit. Præterea in uno Ambrosiano id ipsum quoque offendi, et in Hafniensi ac Menteliano; duo alii *olentia*, proxime verum: lilia optime 'hiantia' dicuntur, quod omnium florum maxime patula sint. De floribus Columella libro x. 'Pangite tunc varios terrestria sidera flores. Candida leucoia, et flaventia lumina calthæ Narcissique comas, et hiantes apta leones Hora seri:' sic scribendos puto mendosissimos versus. Leontopetalum florem intelligit, de quo Dioscorides: vulgo pessime legitur, *Pingit et in varios, et hiantis sæva leonis Ora feri.* Vetustus codex *Pingit et unco varios. Pangere* non semel alibi in eodem Columellæ carmine occurrit. Propertius lib. IV. El. 2. 'Nec flos ullus hiat pratis, quin ille decenter Impositus fronti langueat ante meæ.' Sic idem 'calamum hiantem' alicubi vocat pro fistula, 'Capripedes calamo Panes hiante canent;' quæ ex illis Lucretii est imitatus lib. IV. 'cum Pan Unco sæpe labro calamos percurrit hiantes.' *Heins.*

119 *Jam molire animum, qui duret, et astrue formam*] Recte *adstrue formæ* optimus Regius cum Scaligeri excerptis et septem aliis; hoc est, superadde. Sic 'novum veteri ædificio adstruere' dixit Columella; neque aliter optimi Latinitatis auctores. 'Moliri animum' eleganter dixit: est enim moliri, magno conatu et magno molimine aliquid agere: sic 'moliri terram,' et 'moliri carmina.' Met. XIV. ex veteri codice; ubi plura. Nonnunquam et ad ornatum refertur; quomodo hoc loco et in illis Terentii, 'Dum moliuntur, dum comuntur, annus est.' *Idem.*

122 *Duas linguas*] Græcam et Latinam.

124 *Æquoreas torsit amore Deas*] Scribe *æquoream Deam;* nisi et Circe Deabus æquoreis accensenda. *Heins.*

125 *Ah quoties*] *O quoties* meliores. Malim etiam *illo properante.* Idem. *Calypso*] Calypso, Nympha fuit, Oceani et Tethyos filia. Homerus tamen eam Atlantis filiam fuisse scribit. *Doluit Calypso*] Odyss. E. 203. Διογενὲς Λαερτιάδη, πολυμήχαν' Ὀδυσσεῦ, Οὕτω δὴ οἶκόνδε φίλην ἐς πατρίδα γαῖαν Αὐτίκα νῦν ἐθέλεις ἰέναι; Quod Propert. assumit, I. 15. 'At non sic Ithaci digressu mota Calypso Desertis olim fleverat æquoribus. Et quamvis nunquam posthac visura, dolebat Illa tamen, longæ conscia lætitiæ.'

127 *Hæc Trojæ casus iterumque iterumque rogabat*] *Hic* prima editio cum Cavalcantiano. Puto *Hac rogante*, vel *Huic roganti;* sic et infra pro 'muros in littore fecit,' idem codex *muros factos* habet: quare placet reponi, *Hæc, inquit, Troja est; muris in littore factis.* Heins. *Iterumque iterumque rogabat*] Ex Virg. Æneid. IV. 'Iliacosque iterum demens audire labores Exposcit, pendetque iterum narrantis ab ore.'

130 *Ducis Odrysii*] Rhesi, regis Thraciæ. *Odrysium* autem eum appellat, ab Odrysarum gente, quam in Thracia fuisse Plinius docet. Rhesus autem Phoronei filius fuit; qui cum candidissimis et pernicissimis equis, et curru auro argentoque ornatissimo in auxilium Trojanorum venerat: sed noctu a Diomede et Ulysse interfectus est, et equi abducti fuere, ut Homerus Iliad. x. ostendit.

135 *Campus erat, campum fecit*] *Campumque facit*, emendatioris notæ libri magno numero. *Heins. Cæde Dolonis*] Dolon, Eumedis filius, a Trojanis missus speculator ad Græcorum castra, pactus pro remuneratione Achillis equos, in Diomedem et Ulyssem incidit, qui speculatum quo-

Digitized by Google

que ierant ad Trojanos. Illi promissa ei impunitate Trojanorum consilia ab eo didicere. Inter cætera facti certiores de adventu Rhesi, Dolonem interficiunt, Thracum castra aggrediuntur, et equos inde abducunt.

136 *Æmonios equos*] Equos Achillis. *Hæmonios dum vigil optat equos*] Hom. Il. K. 322. Ἦ μὲν τοὺς ἵππους τε, καὶ ἅρματα ποικίλα χαλκῷ, Δωσέμεν, οἳ φορέουσιν ἀμύμονα Πηλείωνα. De equis autem Achillis habemus Il. P. vs. 76. οἱ δ' ἀλεγεινοὶ Ἀνδράσι γε θνητοῖσι δαμήμεναι, ἢ δ' ὀχέεσθαι Ἄλλῳ γ' ἢ Ἀχιλῆϊ. Ideoque Æneid. XII. 'Hic quondam, castra ut Danaum speculator adiret, Ausus Pelidæ pretium sibi poscere currus; Illum Tydides alio pro talibus ausis Affecit pretio; nec equis adspirat Achillis.' Hinc et prov. Δόλωνος ἀγωνίστερος. Quia metu mortis deinde omnia prodidit. Quod et noster in Metamorph. XIII. 244. 'Phrygia de gente Dolona Interimo; non ante tamen, quam cuncta coëgi Prodere, et edidici quid perfida Troja pararet.' Et deinde, 'Cujus equos pretium pro nocte poposcerat hostis.' Vide et Euripid. Rhesum.

137 *Sithonii*] Threicii. Nam (ut Gellius scribit) Thracia Sithon prius dicebatur.

138 *Captis nocte reversus equis*] *Revectus* potiores scripti: probe. Ulysses in Sabiniana responsione, 'Evasi et Thracum cæso duce prælia Rheso In mea captivis castra revectus equis.' *Heins.*

141 *Tum Dea*]. Calypso.

142 *Fallaci timide confide figuræ*] Duo codices *timide ne crede*. Forte, *fallaci timide te crede figuræ*. Heins. *Fallaci timide confide figuræ*] Timidius spem ponas in pulchritudine tua.

144 *Atque aliquid corpore pluris habe*] *Aut aliquid* meliores. *Heins.*

145 *Dextera indulgentia*] Obsequium. *Capit mentes*] Allicit puellas.

146 *Asperitas odium sævaque bella movet*] *Verba movet* quatuor libri: duo *bella movent*. Commelinianus cum Arondeliano *sævaque verba movent*; recte. *Heins.*

150 *Turres*] Columbaria, peristereones. *Chaonis ales*]. Columba Epirotica. Species pro genere. Chaonia pars est Epiri, a Chaone Trojano appellata, ut voluit Maro. Erat illic templum Jovis Dodonei, ubi columbæ humana voce dabant responsa. *Quas colat*] Propter ejus mansuetudinem.

153 *Lite fugant*] *Fugent* Regius et Lincolniensis cum excerptis Puteani et Scaligeri. *Credant* quoque sequenti versu pro *credunt* iidem; et *res* pro *rem* meliores omnes: sequor. *Heins.* *Lite fugant*] Uxores de dote cum maritis contendant, non amantes, inter quos hæc inimicitiarum causa minime intercedit.

154 *Rem sibi semper agi*] Signate verbis usus est, quibus in divortiis utebantur. Dicebant enim: 'Tuas res tibi habeto, tuas res agito.'

156 *Optatos sonos*] Placita verba.

159 *Auresque juvantia verba*] *Auremque* iidem cum prima editione; rectius. Sic et infra optimus codex, 'tibi semper præbeat aurem.' *Heins.*

161 *Præceptor amandi*] *Amoris* multi codices. Lib. I. 'Æacidæ Chiron, ego sum præceptor Amoris.' Infra, 'Is mihi, lascivi dixit præceptor Amoris.' *Idem.*

163 *Qui cum libet, Accipe, dicit*] *Qui cui libet* legi cum uno Palatino malim. *Idem.*

164 *Inventis plus habet ille meis*] *Plus placet* Regius et multi alii cum Jureti excerptis: plures cum prima editione et excerptis Puteani ac Scaligeri, *plus valet*. Idem.

169 *Me iratum memini*] *Me memini iratum* scripti et primæ editiones. *Id.*

170 *Hæc mihi quam multos abstulit ira dies*] *Illa* scripti plerique. Regius pro diversa lectione *Heu mihi*; atque ita magnus scriptorum numerus, vel *Hei*: prima editio *Hic*. Legendum

Digitized by Google

forte, *Lis mihi quam multas abstulit illa dies!* Sic lib. II. Tristium, 'Nec male commissa est nobis fortuna reorum, Usque decem decies inspicienda viris,' nullo sensu nunc legitur, cum *Lisque* reponendum sit. Cæterum de hac lite vide Eleg. 6. l. I. Amorum. *Idem. Quam multos dies*] Quia excluderet me amica.

173 *At vos si sapitis*] *Qui sapitis* nonnulli. *Heins.*

177 *Nec erit tibi comis amica*] *Tibi amanti* meliores cum prima editione. *Idem.*

180 *Franges, si vires experiere tuas*] *Frangis* meliores: *experiare* etiam nonnulli. *Idem.*

183 *Tumidosque leones*] *Numidasque* Regius cum Puteani ac Scaligeri excerptis, et duodecim aliis. Jureti excerpta cum nonnullis *Numidosque:* prima editio *mundosque:* duo *timidosque:* unus *undasque;* quæ omnia ad veram lectionem alludunt. Martial. l. VIII. Epist. 55. de leone eleganter et vere: 'Sed cujus tremerent ipsi quoque jura leones: Cui diadema daret marmore picta Nomas.' 'Ursos Numidas' habes apud Juvenalem Sat. IV. El. 6. 'Tempore Pœnorum compescitur ira leonum:' quomodo et Virgilius in Eclogis et in Ciri. 'Gætulos' Plautus Menæchmis et Horatius Od. I. 23. et Statius Theb. IX. sic 'Armeniæ tigres' alibi non uno loco occurrunt, et 'Ossæa ursa' Met. XII. ubi male *obscœnam* reponunt. Veram hujus loci lectionem Fruterius quoque vidit in Verisimilibus. *Idem.*

185 *Nonacrina Atalanta*] Atalante Arcadica, a Nonacri urbe appellata. Duas autem Atalantas fuisse legimus: alteram nobilem cursu, alteram vero Arcadicam: de qua nunc Ovidius loquitur, ex qua natus est Parthenopæus. Hanc amavit Hyleus et Mimalion: qui obsequiis tandem puella potitus est, ut docet Propertius. *Mer.*

188 *Melaniona*] Valde turbant in hoc nomine veteres libri; sed lege *Milaniona* cum Regio: qui libro etiam III. cum aliis melioribus, 'Milanion humeris Atalantes crura ferebat.' Reliqui codices, *Minaliona* aut *Mimaliona.* Apud Græcos Μιλανίων est: ut Xenophonti de Venatione, at poëtis Μειλανίων sic Musæus, Παρθένος οὐ σὲ λέληθεν ἀπ' Ἀρκαδίης Ἀταλάντη, Ἥποτε Μειλανίωνος ἐρασσαμένου φύγεν εὐνήν. Atque ita Tzetzes quoque Chiliad. XII. 453. et Scholiastes Apollonii Rhodii, Ἀταλάντη Ἰάσονος θυγάτηρ, ἣν ἔγημε Μειλανίων· ἑτέρα γάρ ἐστιν ἡ Ἀργεία ἡ Σχοινέως, ἣν ἔγημεν Ἱππομέδων. Ubi Ἰασίωνος θυγάτηρ scribendum est, et ἣν ἔγημεν Ἱππογένης· quanquam apud Johannem Tzetzen Chiliad. XII. 453. etiam Hippomedon dicitur: sed locus est mendosus. Repone igitur Ἡπτᾶται Ἱππομένει pro Ἱππομέδοντι. Antiphanus Comicus citatur ἐν Μειλανίωνι apud Athenæum l. X. Amorum libro III. Eleg. 2. et apud Propertium libro I. Eleg. 1. quoque *Milanionis* nomen castigandum est. Apud Palæphatum Μηλανίων est: apud Apollodorum medo Μελανίων, modo Μειλανίων. *Melanion* etiam Servio ad l. VI. Æn. 'Parthenopæus Menalippæ et Martis sive Melanionis filius.' *Heins.*

189 *Fallentia retia*] *Fallacia* cum scriptis et priscis editionibus. *Idem.*

191 *Sensit et Hylæi contentum*] Sic esse legendum, ex Callimacho patet, hymno in Dianam: ubi de Hylæo et Rhœco centauris agit. Intelligimus autem hic, Poëtam illud voluisse significare, in gratiam Atalantæ Melanionem sustinuisse ab Hylæo ultro sauciari. Quod et versus innuere videtur, qui infra sequitur: 'Pectora nec missis jubeo præbere sagittis,' &c. *Micyl.*

192 *Notior alter erat*] Arcus Cupidinis.

194 *Nec jubeo collo retia ferre tuo*] Τὸ *jubeo* cum denuo occurrat versu proxime sequenti, hic nequaquam

Digitized by Google

videtur admittendum; nec juvant tamen libri veteres. Censeo nihilominus scribendum esse ex Nasonis sententia, *Subdola nec collo retia ferre tuo:* ut apud Martialem, 'Subdola tenduntur crassis modo retia turdis.' Et, 'Subdola famosæ, moneo, fuge retia mœchæ.' Et, 'Nunc tendit avidis rete subdolum turdis.' Noster ipse 'fallacia retia' paulo ante dixerat. *Heins.*

196 *Artis erunt cautæ mollia jussa meæ*] Lege *cauto:* cautis ac prudentibus, inquit, non difficilis erit ars mea. Sic infra, 'Crimina sunt cautis ista timenda viris.' *Idem.*

198 *Fac modo quas partes illa jubebit ages*] *Eas* Regius cum multis aliis non contemnendæ notæ: quare scribendum fortassis, etsi vulgata non displicet, *Fac modo quas partes illa subibit, eas,* pro *subeas: subibit* certe in altero Regio legebatur. *Idem.*

199 *Arguit*] *Arguet,* et *dices* sequenti versu meliores cum prima editione: et mox *flebit,* pro *flevit.* Idem.

204 *Tu male jactato*] Ut te vincat amica. *Tu bene jacta dato*] Concede illi puncta meliora. *Mer. Seu ludet, numerosque manu jactabit eburnos, Tu male jactato, tu male jacta dato*] Præcipit amanti cum amica sua ludenti, ut et male tesseras jactet, et male calculos moveat, et sic de industria perdat, ac se vinci patiatur. Male ergo hodie legitur: *tu bene jacta dato:* nos ex vett. libris ita correximus. Jactabantur tesseræ, dabantur calculi, id est, promovebantur: dare enim calculum dicebant, pro movere. In jactandis tesseris fortuna dominabatur; in dandis, hoc est, promovendis calculis sola ars locum habebat: male ergo jactabat, qui in tesserarum jactu fortunam parum sibi faventem habebat: male autem calculum dabat, qui male ludebat et imperite, nec ex arte calculum promovebat. *Salmas. Tu bene jacta dato*] *Male jacta* scripti cum prima editione quod Salmasio Notis in Historiam Augustam arridebat. *Heins.*

205 *Seu jacies talos*] Talus rectus est in articulo pedis ventre eminens, ut vertebra ligatus, ut Plinius docet: quo veteres in ludendo usi sunt. Hunc Græci 'astragalum' appellant: et 'astragalizontes' dicuntur a Plinio talis ludentes. *Ne pœna sequatur*] Ne doleat amica, se esse a te superatam. *Mer.* Vel pœnam hic accipe pro pecunia seu mulcta, quam qui victus est persolvere necesse habet. *Micyll.*

206 *Damnosi facito*] In tali latus, quod unitatem significat, canis sive canicula dicebatur, et semper jacturam afferebat.

207 *Sive latrocinii sub imagine calculus*] Calculus is est, qui etiam latro, sive per diminutionem latrunculus appellatur: vulgo 'schacum' dicimus. Martial. 'Hic mihi bisseno numeratur tessera puncto: Calculus hic gemino discolor hoste perit.' *Sub imagine latrocinii*] Sub forma rapiendi et occidendi militis tui. Nam qui ludunt calculis, insidiantur semper collusoribus. Et is ludus est quasi pugnæ cujusdam simulachrum.

208 *Miles tuus*] Tuus calculus: qui in eo certamine militis partes agit. Calculi enim duas in partes divisi sunt: et alii milites, alii hostes dicuntur. *Fac pereat*] Capiatur. Tunc enim dicitur perire. *Vitreo ab hoste*] Ab hostili calculo, qui ex vitro constabat.

209 *Ipse tene distincta tuis umbracula virgis*] *Distenta suis virgis* meliores; proprio distinendi verbo hic usus est. *Heins. Umbracula*] Umbraculum, vel umbella, ab umbra deducitur. Est autem capitis tegmentum adversus solem. *Distincta*] Divisa. Alii legunt *distenta,* id est, lata. *Suis virgis*] Vel calamis, vel pennis, ex quibus fiunt umbracula.

212 *Soleam deme*] Quibus plantæ tantum in fine teguntur ac teretibus habenis junctæ sunt, 'soleas' appel-

Digitized by Google

tari, scribit Gellius: 'crepidas' voce Græca.

213 *Quamvis horrebis et ipse*] Nonnulli *algebis:* sed *horrere* pro algere rectum est. Juvenalis, 'horrenti tunicam non reddere servo:' hinc et 'horror' pro frigore. *Heins.*

215 *Quamvis sit turpe, placebit*] *Quamvis tibi turpe* venusta repetitione Sarravianus, et prior viri humanissimi Jacobi Mentelii. *Idem.*

217 *Ille fatigatæ vincendo monstra novercæ*] *Præbendo* Regius cum excerptis Scaligeri et sex aliis præstantioris notæ, quod tamen non satisfacit: totidem scripti cum prima editione *perdendo;* ut epist. IV. 'Silvaque perdendas præbeat alta feras.' Impensius tamen placet, quod in codice Argentinensi offendebam, *perimendo;* atque ita insistens vestigiis optimi Regii jam ante conjeceram legendum: duo codices *premendo.* Hæc æmulatur Met. IX. ubi Hercules, 'defessa jubendo est Sæva Jovis conjunx, ego sum indefessus agendo.' *Idem. Ille fatigatæ*] Ordo est: Ille qui meruit cœlum, &c. creditur tenuisse calathum. Designat autem Herculem, qui (ut Diodorus scribit) quum Iphitum ex turri Tirynthia præcipitasset, et purgari mox vellet, vendique oporteret ex oraculo Apollinis, ut eo precio Iphiti liberis satisfaceret, Omphalæ reginæ Lydorum venditus, regionem latronibus purgavit. *Fatigatæ novercæ*] Junonis, jam defessæ imperando. *Perimendo monstra*] Sic Æneid. VIII. 'ut duros mille labores Rege sub Eurystheo, fatis Junonis iniquæ Pertulerit,' et quæ seqq. Et alibi 'usque graves dum terra labores Præbuit.' Et Senec. Herc. Fur. vs. 40. 'monstra jam desunt mihi: Minorque labor est Herculi jussa exequi, Quam mihi jubere.' Ideoque laborioso functus fato dicitur. Tzetz. Chil. XII. Histor. 417. Τὸν Ἡρακλῆν λέγουσι μηνὸς τετράδι Τεχθέντα, et quæ seqq. Sic et ipse apud inferos de se fatetur Ulyss. Odyss. Λ. vs. 619. Ζηνὸς μὲν πάϊς ἦα Κρονίονος, αὐτὰρ ὀϊζὺν Εἶχον ἀνειρεσίης.

218 *Meruit cœlum*] Et propter virtutem, et quia erat filius Jovis. *Quod prior ipse tulit*] Hercules cœlum ab Atlante susceptum sustinuit; quod ideo fingitur, quoniam Atlas ei tradidit scientiam. Constat enim, Herculem fuisse philosophum: unde non immerito tot monstra dicitur vicisse.

219 *Inter Ioniacas calathum tenuisse puellas*] *Ionicus inter* prima editio et potiores scripti: alii *Inter Ionicas,* vel *Ionias inter.* Comelinianus *Inter Achaiadas.* Scribo, *Inter Mæonidas* vel *Mygdonidas;* quod posterius malo. Lyda enim aut Phrygia Omphale, quæ et *Mæonis* nostro dicta lib. II. Fastorum. Neque me fugiunt quæ ad Epistolam IX. 73. hoc de loco notavi, sed accuratius singula perpendenti, tam illic quam hic censeo legendum, *Inter Mygdonidas calathum tenuisse puellas.* Nam 'Mæonia sona' illic paulo ante præcesserat. Sed et eadem Epistola IX. 101. 'Hæc tu Mygdonio potes insignitus amictu Dicere,' opinor a Nasone nobis relictum: non, *Sidonio amictu;* quod in editis ac scriptis exemplaribus nunc legitur. *Heins. Inter Ioniacas puellas*] Inter puellas Mæonias. Ionia pars est minoris Asiæ. *Calathum tenuisse*] Nam apud Omphalem pro ancilla servivit: et clavam, leonis pellem, arcum, sagittasque concessit Omphalæ: ipse vero monilia, gemmas, mitram, zonam, cæteraque mulierum gestamina sumpsit, nevitque etiam interdum.

221 *Tirynthius*] Hercules, a Tirynthe oppido appellatus: ex quo postea Eurystheus illum veluti sibi insidiantem ejecit, cum matre Alcmena.

222 *Quod ipse tulit*] *Quod ille* meliores. *Heins.*

223 *Adesse foro*] Ut ejus causam tuearis in judicio.

225 *Occurras aliquo tibi dixeris*]

Digitized by Google

Scribe, *alio;* nam de foro jam egerat. Neapolitanus *aliqui si dixerit*. Puto pro *alibi*. Vide notas ad Epistolam XII. 89. *Heins.*

227 *Epulis perfuncta redibit*] *Epula* Regius; hoc est, ni fallor, *epulo:* nisi malis *epulas perfuncta;* ut apud Lucretium, 'Omnia perfunctus vitai præmia.' Sic et 'officium fungi' Terentius, et 'munera fungi' Tacitus dixerunt. Remediis Amoris, 'Dixeris ut veniat pacta tibi nocte, venito.' *Idem.*

229 *Rure erit, et dicet, Venias*] *Eris* prima editio cum scriptis quatuor et Jureti excerptis. Scribe etiam, *dicet venias*, pro ut venias; nempe, ad se; ut se convenias: 'dicere' pro jubere: hinc legem dicere. *Idem.*

230 *Si rota*] Si currus.

231 *Grave tempus*] Gravis cœli temperies. Designat autem frigus. *Sitiensve Canicula*] Oriens cum Leone, æstu omnia urit.

234 *Signa tuenda*] Jureti codex cum multis aliis *signa ferenda;* nil muto. *Heins.*

236 *Mollibus his castris*] *In castris* quinque libri. Neapolitanus *et*. Forte *hæc*. Idem. *Mollibus his castris*] In quibus mollis fovetur voluptas.

238 *Frigidus in nuda sæpe jacebis humo*] *Et nuda* meliores: *manebis* etiam excerpta Jureti; ut apud Horatium, 'manet sub Jove frigido Venator.' Suetonius in Octavio, 'Matutina vigilia offendebatur, ac si vel officii vel sacri causa maturius evigilandum esset: ne id contra commodum faceret, in proximo cujuscumque domesticorum cœnaculo manebat.' Hinc 'emansores:' Glossæ Stephani, *Emansio*, Παννυχισμός. *Emanet*, διαμένει, παννυχεύει. *Heins.*

239 *Cynthius Admeti vaccas pavisse per æstus*] Scripti multi *per herbas*. Sed aut *Pherei* legendum cum Regio, Jureti, Scaligeri, ac Puteani excerptis, et Lincolniensi codice, aut *Pheræas* cum uno Vaticano et Patavino ac prima editione. Vide quæ de hoc loco jam a nobis notata sunt ad Epist. v. 151. *Idem. Cynthius Admeti*] Apollinis exemplo amatorem quoque dicit debere omnia perferre, ut amica potiatur. Apollo (ut Servius scribit) ob occisos Cyclopas spoliatus divinitate, Admeti, regis Thessaliæ, novem annos pavit armenta. *Admeti vaccas*] Vide Eurip. Fab. VI. [Alcest.] Apollodor. I. et lib. III. Tzetz. Chil. I. histor. 53. περὶ Ἀλκήστιδος. *Pheræas*] Thessalas. Pheræ enim oppidum est Thessaliæ.

241 *Exue fastus*] Pone superbiam.

243 *Si tibi per tutum placiturumque negabitur ire*] *Placidumque* scripti plerique. Sed diu est quod *planumque* vidi corrigendum; quod unus ex Vaticanis postmodum confirmavit. 'Plana' arduis et præruptis opponuntur. Seneca Phœnissis, ita enim optimus Mediceus inscribit Tragœdiam, quæ Thebaidis nomine perperam circumfertur, 'In plana tendis? vado: prærupta appetis? Non obsto; sed præcedo.' *Heins.*

244 *Opposita janua fulta sera*] *Apposita* alter Regius: diximus Amor. III. El. 14. *Idem.*

246 *Fenestra*] Quodlibet in pariete foramen. Sic Æn. II. 'ingentem lato dedit ore fenestram.' Quod et ex Statio probatur, Thebaid. X. 'Armatæque vomunt stridentia tela fenestræ.'

247 *Ut causam tibi se sciet esse periclí*] Te ejus causa periculum adiisse.

249 *Sæpe*] Leandrum sæpenumero adisse mortis periculum constat, quo se fidum amicæ ostenderet.

252 *Servos demeruisse pudor*] *Emeruisse* codex Moreti et unus Vaticanus. Vide Notas ad Epist. VI. 188. *Heins. Demeruisse*] Beneficio conciliasse.

254 *Junge tuas humiles, ambitiose, manus*] Imo *tuis* cum optimo Regio; quo alludunt Politiani excerpta et unus Palatinus, in quibus *suis*. Heins.

Digitized by Google

256 *Fortunæ munera parva tuæ*] Malim *parca:* nam 'parva' mox sequitur: sic apud Martialem lib. v. Epigr. ult. pro *munera parva* puto reponendum *parca*, quia 'minora' sequitur; ne bis idem dicat. *Idem.*

257 *Porrige et ancillæ*] Ordo est: Porrige et munera ancillæ, quæ Gallica, lusa maritali veste, luce pependit pœnas. *Porrige et ancillæ*] Dona etiam aliquid ancillæ. *Pœnas luce pependit*] Quia si maritus deprehenderet eam esse uxoris lenam, mane illam pulsaret. Sunt qui legant: *Porrige et ancillæ, qua pœnas luce pependit;* ut sit ordo: Porrige et ancillæ ea luce, qua manus Gallica lusa maritali veste, pependit pœnas; hoc est: Dona etiam ancillam aliquo munere nonis Juliis, quem diem Romæ ancillæ magnifice ornatæ, circumeundo jocandoque cum occurrentibus scommatibus agunt. Historiam refert Macrob. lib. Saturn. i. c. 2. *Ea luce*] Eo die. *Pœnas pependit*] Quia eos Romani dormientes trucidarunt in castris. *Mer. Qua pœnas luce pependit*] Hoc est, festo ancillarum, quod peragebatur nonis Julii, quæ et Caprotinæ dicebantur. *Micyl. Qua pœnas luce pependit*] Nonas Caprotinas intelligit. *Heins.*

258 *Quæ Gallica*] Quæ ancilla ex gente Galliæ. *Lusa maritali veste*] Decepta veste mariti. Credens enim ancilla, adulterum se introducere nocte ad dominam, insciens maritum alia veste indutum, ut fidem uxoris experiretur, recepit.

263 *Cum bene dives ager*] Non gemmas, nec aurum, sed dona rustica mittenda esse dicit. *Pondere nutant*] Dum rami præ nimia pomorum copia curvantur.

266 *Illa vel in Sacra*] *Illa tibi in Sacra* quidam. *Heins. In Sacra Via*] Ubi poma vendebantur. 'Sacra' autem 'Via' ideo appellatur, quod in ea fœdus ictum est inter Romulum et Tatium.

268 *At nunc castaneas, nunc amat illa nuces*] Scribe *non amat* cum Regio, Scaligeri excerptis, et uno Patavino; nisi malis *haud amat.* Nam Hafniensis *aut amat.* Argute avaritiam notat in puellis sui sæculi. Atque ita legendum videri Janus quoque Vlitius noster per literas me monuit, neque aliter nobilissimus Dousa in suo codice conjectarat. Respicit autem illa, 'Castaneasque nuces, mea quas Amaryllis amabat:' quo alludunt etiam Catalecta Petroniana, 'Nolo nuces, Amarylli, tuas, nec cerea pruna. Rusticus hæc Corydon munera magna putet.' Sic et noster de castaneis lib. iii. 'Nec glandes, Amarylli, tuæ, nec amygdala desunt.' In Copa, 'Castaneæque nuces, et suave rubentia mala.' Calpurnius Ecloga ii. 'Mille renidenti dabimus tibi cortice Chias, Castaneasque nuces.' Serenus Sammonicus c. 30. 'Proderit et pueris, quos dentis origo fatigat, Castaneas coxisse nuces.' *Heins.*

269 *Quin etiam turdoque licet*] Turdi sermonem humanum imitantur. Hi in Germania hyeme maximè cernuntur. Inter aves primæ sunt. Martial. 'Inter aves turdus, si quis, me judice, certet, Inter quadrupedes gloria prima lepus.' Mittebantur autem in corona pendentes. *Missaque corona*] Turdis corona alligatis.

271 *Turpiter his emitur*] Captatores hæreditatum execratur, qui viventibus munera mittebant, ut scriberentur hæredes. *Orba senectus*] Senectus sine liberis.

282 *Altera non doctæ, sed tamen esse volunt*] Scripti potiores cum prima editione, *Altera non doctæ turba, sed esse volunt.* Heins.

283 *Utraque laudetur*] *Laudentur* Neapolitanus cum uno Vaticano; concinnius: turbam subintellige. Adi Notas Fast. lib. i. 696. *Idem.*

285 *His ergo atque illis*] *Aut illis* libri meliores. *Idem. Vigilatum carmen*] Elegans carmen et multa vigilia

Digitized by Google

politum. *In ipsas*] In laudem ipsarum.

286 *Exigui muneris instar erit*] *Habet* tres scripti. Vide quæ noto ad Epist. XVI. 360. *Heins. Erit instar muneris*] Erit fortasse gratum, perinde ac munus.

287 *At quod eris per te facturus*] *Eras* malim: ut mox, 'Quod facturus eras, debeat illa tibi.' *Heins.*

294 *Partes illa petentis agat*] *Potentis agat* scribendum cum potioribus scriptis jam monuimus Notis ad Amor. lib. II. El. 2. 30. *Idem.*

297 *Sive erit in Tyriis*] In veste purpurea, dicta a Tyro olim insula nobili conchylio atque purpura.

298 *Sive erit in Cois*] Cos insula est in Ægæo, ex adverso Atticæ, quæ a Latinis Cæa appellatur, unde et Cous et Cæus deduci potest. Cæa autem vestis bombycina erat, ad luxum fœminarum inventa, valde tenuis. Vide Plin. II. 22.

299 *Aurata est*] Si est aurea veste amicta.

300 *Gausapa si sumsit*] *Sumit* membranæ castigatiores: aliter tamen Sosipater et Priscianus, qui hunc versum citant. *Heins. Gausapa si sumit*] Gausape vestis erat villosa, quæ hyemali tempore gestabatur. De hoc nomine Carisius lib. I. et post eum Priscianus lib. VII.

301 *Astiterit tunicata*] Tunica vestis erat, quæ longiores usque ad digitos manicas habebat, fluebat usque ad talos. *Moves incendia*] Clama: dic contenta voce, tunicam confecturam illam calore.

303 *Discrimen*] Divisio crinium in capite.

304 *Torte capille places*] *Place* Regius et tres alii. *Heins. Torserit igne comam*] Si calamistro, hoc est, acu ferrea calefacta, crispos fecerit capillos.

306 *Et cum desierit*] *Et quod desierit* Regius aliique duo. *Heins. Verba querentis*] Quod tam cito desierit.

308 *Et querula gaudia voce notes*] De *querula voce* jam præcesserat, cum dixit: 'verba querentis habe:' scripti *et quædam gaudia voce notes*, vel, *et quædam gaudia vocis habe*. Nisi quod Regius et quatuor alii cum Jureti ac Scaligeri excerptis *quædam gaudia noctis habe;* neque aliter prima editio. Præterea unus meus chartaceus *et quæ das gaudia vocis habe*. Locus haud dubie corruptus, nihil tamen nunc succurrit, quod convenientius sit, quam si refingas *atque datu gaudia nocte probes*. 'Dare noctem' in re venerea usitatum. Noster Remed. Amor. 'Institor heu noctes, quas mihi non dat, habet.' Et, 'Est data nox: dubita nocte venire data.' Et mox apposite, 'Hic mihi lasciva gaudia nocte dedit.' 'Gaudia noctis' Epist. Leandri, 'Non magis illius numerari gaudia noctis, Hellespontiaci quam maris alga potest:' atque ita passim 'gaudia' pro coitu aut concubitu ponit. *Heins.*

309 *Si fuerit torva violentior ipsa Medusa*] *Ut fuerit* Regius cum excerptis Scaligeri et quatuor aliis. Adi Notas Pont. I. El. 7. 50. meliores etiam *violentior illa*. Idem. *Violentior*] Asperior, difficilior ad amandum. *Torva Medusa*] Quæ se intuentes mutabat in saxum. Aut 'torva' propter aspectum, et crines in serpentes mutatos a Minerva, cujus rei causam Ovid. in Metam. IV. describit.

310 *Æqua*] Mutuo amore. Sic ille apud Ter. Eunuch. I. 2. 'utinam esset mihi pars æqua amoris tecum.' Item in Plaut. Rud. II. 6. 68. 'Æquas habemus partes.' Et in Trin. II. 4. 'PH. Bene volt tibi. LE. edepol mutuom mecum facit.' Sic, 'Mutuum sentire.' Cæs. Et Cicer. 'Mutuus me sensus admonet.'

311 *Verbis simulator in illis*] *Turbis* Regius; ut de concubitu pergat loqui. *Heins.*

312 *Nec vultu*] Videndum est, ne vultu videaris aliter sentire, quam lo-

Digitized by Google

queris.

317 *Cum modo frigoribus premimur*] *Premitur* et *solvitur* Regius, ut ad aërem aut annum hæc referantur. Mox *si cubarit* videtur scribendum, pro *cubabit:* etsi ἀρχαϊκῶς; sequens τὸ *senserit* ita requirit. Sane Plinius x. 47. 'cubatum' pro cubitum dixit. *Heins.*

322 *Tunc sere, quæ plena*] *Quod plena* scripti potiores. *Idem.*

324 *Quæ sinit illa maxus*] *Sinet ipsa* iidem; subintellige, fieri: sic infra l. III. 'petite hinc præcepta, puellæ, Quas pudor et leges et sua jura sinunt.' Amor. III. El. 4. 'pauci, quod sinit alter, amant.' *Idem.*

327 *Quotiesque licebit*] *Libebit* scribe cum Regio et Sarraviano: dixi Epist. xv. vs. 134. *Idem.*

329 *Et veniat quæ lustret anus*] Sacrum pro amicæ salute faciendum esse dicit: cujus meminit Apuleius in ultimo Metam. quo dicit, summum sacerdotem Isidis teda lucida, et ovo, et sulphure, solennissimisque precibus usum fuisse.

330 *Præferat et tremula sulphur et ova manu*] Prima editio cum Lincolniensi et uno Vaticano, *sulphura viva:* sed cum ovorum quoque usus in lustrationibus sit notissimus, nil hoc loco mutandum censeo. Superiori versu pro *Et veniat*, unus Vaticanus *Ter veniat quæ lustret anus;* ut *Ter* ad τὸ *lustret* referatur. *Heins. Sulphur*] Quod ideo κακῶν ἄκος vocat Homer. Odyss. X. 481. καὶ θεῖον πῦρ. Vide Plin. XXXV. 15. et XVI. 10. Et Theocr. Idyll. XXIV. 94. Καθαρῷ δὲ πυρώσατε δῶμα θείῳ. Lucian. in Diogene, ὀδὸν ἐκ καθαρσίου. Adi Tzetz. Histor. 440. Chil. XII. περὶ θείου ἀπυροῦ, καὶ τί θεῖον καλεῖται.

332 *In thalamos multis hæc via fecit iter*] *In tabulis* scripti plerique cum prima editione. Regius cum duodecim aliis, *In tabulas;* quod verum est: intellige tabulas supremæ voluntatis seu testamenta. Sic Horatius, Juvenalis, alii auctores cum Jurisconsultis passim loquuntur; eamque lectionem in suis quoque codicibus Naugerius invenerat. *Heins.*

335 *Neve cibos præbe*] Scripti plerique *cibos prohibe.* Regius cum duobus Vaticanis et prima editione *cibo prohibe*, quod verum est. Odiosum enim est, et male ægros habet, si cibo prohibentur. Nam, 'Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata. Sic interdictis imminet æger aquis.' Geminus huic, de quo agimus, locus Remedio Amoris, 'Sæpe bibi succos, quamvis invitus, amaros Æger: et oranti mensa negata mihi est.' 'Prohibere cibo,' ut 'prohibere aquis et aditu.' Met. VI. 'Quid prohibetis aquis? usus communis aquarum est.' Et lib. XII. 'prohibent aditu littusque tuentur Troës.' Quibus locis in vulgatis libris pari modo peccabatur: 'prohibere thalamis' apud Claudianum initio Raptus Proserpinæ, ut et ibi restituimus. Met. VIII. 'obstruximus orbem Terrarum nobis, ut Crete sola pateret. Hac quoque sic prohibes:' ita et ibi recte vetustiores libri. Met. XV. 'Vos urbe virum prohibete, Quirites.' Sic apud Virgilium, 'hospitio prohibemur arenæ.' Val. Flaccus lib. III. 'quæ me hospita tellus Accipiet? quæ non primis prohibebit arenis?' Cornelius Nepos vita Hannibalis, 'Alpicos conantes prohibere transitu concidit:' ubi perperam *transitum* nunc legitur. Seneca Theb. 'morte prohiberi haud queo.' *Idem.*

337 *Sed non quod dederis a littore carbasa vento*] *Cum dederis* erat emendatum in Regio. Scribe *cui dederis;* ut tertii sit casus: vel *quis dederis ventis;* nam *ventis* erat in Regio: 'dare carbasa vento:' usitatus loquendi modus poëtis. Sequenti versu pro *potiare* idem Regius *potiere.* Lego, *potiere;* et sic prima editio cum tribus aut quatuor scriptis. *Idem.*

339 *Vires sibi colligit usu*] *Colligunt* Regius et octo alii ex melioribus. *Idem.*

Digitized by Google

345 *Nihil assuetudine majus*] *Nil* scripti potiores: quatuor *nil consuetudine;* concinnius. *Idem.*

346 *Quam tu dum capias*] *Captas* unus Vaticanus: placet, ut de puella intelligatur. *Idem.*

347 *Præbeat aures*] *Aurem* rectius in Sarraviano: dixi supra. *Idem.*

348 *Exhibeat vultus noxque dieque tuos*] *Exhibeant* unus Regius; recte. *Idem.*

349 *Posse requiri*] Posse te ab ea peti.

350 *Tum procul absenti cura futurus eris*] Sarravianus et prior Moreti, *abi;* recte: *Tunc procul, absenti cura futurus, abi;* vel *cum procul,* ut Regius aliique nonnulli; nisi quod *eris* in illis, non *abi:* unus tamen Mentelii, *I procul;* sed alterum præstat. *Heins. Tum procul*] Tunc ab ea te aliquandiu amovebis.

351 *Da requiem*] Da amicæ, sine te respirandi spacium.

352 *Phyllida Demophoon*] Absentes magis desiderari, probat exemplis. Nam Phyllis impatientius Demophoontis absentiam tulit, Penelope Ulyssis.

355 *Penelopen absens*] Prior Mentelii hoc distichon non agnoscit; et abesse potest salva orationis serie: est enim frigidiusculum. *Heins.*

356 *Phylacides tuus*] Tuus Protesilaus. Ab avo sic dictus. Fuit enim Phylacus pater Iphicli, Iphiclus Protesilai. Hic ad bellum Trojanum profectus, quum in Aulide tempestate teneretur, ab uxore Laodamia Acasti filia epistolam accepit: quæ, quantum ob ejus absentiam anxia fuerit, facile ostendit.

357 *Sed mora tuta brevis*] Non diutius abstinendum esse dicit ab amicæ conspectu. *Lenteserunt tempore*] Minuuntur intervallo temporis.

359 *Dum Menelaus abest*] Menelai exemplo, absentiam amantum non esse tutam, docet. Nam cum ille in Cretum profectus esset, et Paridem domi reliquisset, Helena capta ejus amore, mariti absentis immemor, cum Paride in Asiam navigavit.

361 *Quis stupor*] *Qui stupor* Regius et tres alii. *Heins.*

363 *Credis, furiose, columbas*] Committis ovem lupo.

368 *Quo nisi consilio est usa puella tuo*] *Quid nisi* Regius et Junianus. Remed. Amor. ' Quid nisi secretæ læserunt Phyllida sylvæ?' Art. lib. II. ' Quid, nisi quam sumes, dic mihi, perdis aquam?' Mox, ' Quæ nunc sub Phœbo ducibusque palatia fulgent, Quid nisi araturis pascua bubus erant?' Amor. II. Eleg. 7. ' Scilicet ancillam, quæ tam tibi fida, rogarem? Quid, nisi ut indicio juncta repulsa foret?' Trist. II. ' Quid nisi Mæonides Venerem Martemque ligatos Narrat in obscœno corpora prensa toro?' ubi frustra reponunt, *quis nisi.* Heins.

371 *Viderit Atrides*] Menelaus ipse judicet.

373 *Sed neque fulvus aper*] Diligentissime videndum esse docet, ne amica intelligat te aliam amare.

374 *Fulmineo ore*] Similiter Metam. VIII. 280. ' dentes æquantur dentibus Indis: Fulmen ab ore venit; frondes afflatibus ardent;' et l. I. 305. ' nec vires fulminis apro Prosunt.' Quia instar fulminis ruit et icit: formidabilis et vulnificus. *Rapidos dum rotat ore canes*] *Rabidos* Regius et alii nonnulli cum prima editione: *cum* etiam meliores. Amor. III. et Artis l. I. de Scylla, ' Pube premit rabidos inguinibusque canes.' Ep. I. Sabini de Hecuba, ' Et stetit in rabidam protinus acta canem.' *Heins.*

380 *Cornibus icta*] Furore stimulata. *Aonii Dei*] Bacchi, qui Thebas patriam habuit in Bœotia, quam primum Aones barbari tenuerunt, a quibus Aonia Bœotia cognominata est.

381 *Conjugis admissum*] Jasonem, scribit Diodorus, annis decem cum

Digitized by Google

Medea Corinthi apud Creontem regem vixisse: cujus filia, quam Glaucam appellat, uxore sumpta, Medeam expulit. *Violataque jura mariti*] *Maritæ* Regius; ne bis idem dicat. Cæterum hi versus eo, quo exhibemus ordine, legebantur in prima editione et scriptis exemplaribus plerisque. *Heins.*

382 *Phasias*] Medea a poëtis Phasias dicitur, a Phasi fluvio, qui Colchon influit.

383 *Altera dira parens*] Altera mater etiam ulta est per natum jura mariti violata. Prognen autem Terei regis Daulidis uxorem intelligit, quæ filium occidit, et patri apposuit, propter violatam sororem Philomelam. Metam. VI. *Mer.*

385 *Hoc firmos rumpit amores*] *Solvit* scripti cum prima editione. *Heins.*

387 *Mea censura*] Meum judicium. *Uni puellæ*] Ut cum una puella tantum rem habeatis. *Donat censura puellæ*] Placet cum Lincolniensi libro reponi, *damnat censura;* de quo ad Claudianum. *Heins.*

388 *Nupta tenere potest*] *Potes* alter Mentelii. *Idem.*

390 *Gloria peccati nulla petenda tui*] *Sui* meliores; recte: dictum alibi. *Idem.*

394 *Non uno est semper convenienda loco*] *Non uno est omnis* scripti plerique cum prima editione, id quod superiora confirmant. *Idem.*

396 *Inspice*] Ne quid scripseris quod amicam lædat. *Plus legunt*] Plura interpretantur in literis quam scripseris.

398 *Et modo quæ questa est ipsa*] Meliores, *Et, modo quod questa est, ipse querare, facit.* Heins.

399 *Dum fuit Atrides*] Clytemnestræ exemplo probat, læsas fœminas ulcisci injurias. *Una contentus*] Sola Clytemnestra uxore contentus.

401 *Audierat laurumque*] Causam assignat, quare facta sit uxor Agamemnonis impudica, vitio mariti. *Laurum et vittas*] Quod ex Homer. Iliad. A. 14. Ἔτέμμα τ' ἔχων ἐν χερσὶν ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος, Χρυσέῳ ἀνὰ σκήπτρῳ. Sic et Virgil. VIII. 'vitta comtos prætendere ramos.' Κλάδος ἐλαίας ἐρίῳ περιπεπληγμένος. Plutarch. Hinc et vocatur εἰρεσιώνη. Chryses autem laureatas vittas tulit, quod Apollinis esset sacerdos.

403 *Audierat*] Clytemnestra etiam senserat. *Lyrnesi*] Hippodamia. Fuit enim ex Lyrneso oppido in ora Trojæ, contra Lesbon. *Tuos abducta dolores*] Regius cum aliis nonnullis, *adducta;* sed frustra. Ep. Hermiones, 'Abducta viduum conjuge flere virum.' Rem. Amor. 'Hoc et in abducta Briseide flebat Achilles.' *Heins.*

405 *Hæc tantum audierat*] Tamen meliores, et *Priameida ipsam.* Sic Epistola Deianiræ: 'Hæc tamen audieram: licuit non credere famæ: En venit ad sensus mollis ab aure dolor.' *Idem.* *Priameida viderat ipsa*] Cassandram enim Priami filiam, everso Ilio, Agamemnon Mycenas duxit.

406 *Victor erat prædæ prædæ pudenda suæ*] Prior Mentelianus probe, *erus prædæ prædæ pudenda tuæ.* Heins. *Prædæ prædæ pudenda suæ*] Agamemnonem dicit fuisse Cassandræ prædam, quoniam ejus amore captus tenebatur.

407 *Thyestiadem*] Ægisthum dicit, Thyestis filium.

408 *Ulta virum*] Quia rem habebat cum Ægistho; vel, quia eum occidit in convivio.

409 *Si qua tamen acta patebunt*] *Si quæ* Regius et quatuor alii. Puto *si cui.* Heins.

411 *Tu neque subjectus*] Tum meliores. *Idem.*

413 *Sed lateri ne parce tuo*] *Nec parce* scripti multi cum prima editione. Pro *pax omnis in illo,* meliores *in uno.* Scribe, *Sed lateri nec parce tuo: pax omnis in uno Concubitu: prius hoc inficianda Venus.* Idem. *Pax in*

Digitized by Google

uno] Sic Andromache in Troad. Eurip. vs. 660. Καίτοι λέγουσιν, ὡς μί' εὐφρόνη χαλᾷ Τὸ δυσμενὲς γυναικὸς εἰς ἀνδρὸς λέχος. 'Oscula da flenti: Veneris da gaudia flenti. Pax erit: hoc uno solvitur ira modo.' Lib. II. 459. Art.

415 *Saturea*] Saturea herba est, quam *thymbram* Plinius nominat. Dicta est a Satyris, ut quidam putant: quod, qui ea utuntur, salaces fiant ut Satyri. Alii, a saturitate. Ejus vis est calidissimæ naturæ, et incitat Venerem. Martialis: 'Sed nihil erucæ faciunt, bulbique salaces.'

417 *Aut piper urticæ*] Piper calidum est et siccum. Scribit Plinius, urticæ semen cum semine lini lateri mederi, si addatur hysopum, et piperis aliquid.

418 *Flava pyretra*] Pyretrum herba est, ab ignea vi appellata. Calida est et sicca: ideo rebus venereis apta.

420 *Quam tenet altus Eryx*] Venerem dicit. Nam Eryx, Veneris et Butæ regis filius, super locum excelsum civitatem condidit in Sicilia, in cujus arce matri templum dicavit: quam civitatem Venus plurimum dilexit: unde ipsa *Erycina* dicta est.

421 *Candidus Alcathoë*] Quum Pandionis regis quatuor essent filii, Ægeus, Lycus, Pallas, et Nisus, et Attica regio quatuor esset in partes divisa, Niso Megara sorte obvenerunt, qui Niseam condidit, quæ alteram arcem habuit: quam Ovidius Alcathoën appellat. Hic autem Ovidius bulbos Megarici soli designat, quos maxime probat Cato: sunt enim calidissimæ naturæ. *Urbe Pelasga*] Urbe, quam permisti Pelasgi habitarent. Pelasgi oriundi ab Arcadibus. *Alcathoi qui mittitur urbe Pelasga*] *Pelasgi* Vaticanus unus cum Tomasiniano: sic Ep. Hypermn. 'Ducimur Inachides magni sub tecta Pelasgi.' Pelasgi enim proprie dicuntur a Pelasgia Argolica urbe; hinc et Juno Pelasgia. Recte ergo Danaus Argorum rex Pelasgus: recte et Alcathous, utpote qui filius Pelopis fuerit. Codices nonnulli *Alcathoë* ut Met. VIII. 'Prætentatque sui vires Mavortis in urbe Alcathoë:' ubi tamen *Alcathoi* etiam in vetusto codice inveni; et recte: nisi præferas *arce Alcathoë*, quod in duobus codicibus offendi. *Alcathoë* enim arx Megaris appellabatur teste Pausania. Trist. I. El. 9. 'Et quos Alcathoi memorant a mœnibus ortos Sedibus his profugum constituisse larem:' ubi *Alcathois*, et *Alcathoës* scripti plerique. Alcathoum autem Megaras condidisse, operam ei navante Apolline, ferunt veteres. Theognis: Φοῖβε ἄναξ, αὐτὸς μὲν ἐπύργωσας πόλιν ἄκρην Ἀλκαθόῳ Πέλοπος παιδὶ χαριζόμενος. *Heins.*

424 *Quasque tulit folio*] Nucleos pineos dicit, quos in usum Veneris adhiberi solitos, docuimus ex sententia Apitii. Et Plinius docet, nucleos nucis pineæ infirmitatem virilium roborare, renibus et vesicæ utiles esse. *Pinus acuta*] Pinus ideo acuta appellatur, quia folium habet capillamenti modo prætenue, longumque, et mucrone aculeatum, ut Plinius docet.

425 *Docta quid ad magicas Erato converteris artes*] *Diverteris* scripti plerique; nisi quod Regius *deverteris:* quomodo semper in vetustioribus libris scribi jam observavimus ad l. II. Amor. El. 6. ubi et de hoc loco: unus meus *reverteris;* proxime verum. Sed cur *magicas artes?* Lege omnino *medicas artes* cum Moreti codice. Remedio Amoris sub finem, 'Ecce cibos etiam, medicinæ fungar ut omni Munere, quos fugias, quosque sequare, dabo:' ubi de cibis ad rem veneream facientibus, ut et hoc loco. *Idem. Deverteris*] Moraris narrando.

426 *Interior curru meta terenda meo est*] *Tenda* Regius; unde scripti com-

Digitized by Google

plures *tenenda* cum prima editione: utrumque probum est. Vide Notas ad l. I. 40. *Heins. Interior meta*] Redi ad Eleg. 2. Amor. III. 12.

427 *Qui modo celabas*] Ad amantem redit. *Celabas*] Amicam. *Tua crimina*] Inhonesti amoris crimen.

431 *Threicio Borea*] Qui spirat per Thraciam, et septentrionalem plagam.

433 *Modo dat fluitantia rector*] *Det* cum scriptis melioribus et prima editione. *Heins. Fluitantia lora*] Laxas et solutas habenas. *Fluitantia lora*] Æneid. v. 'Non tam præcipites bijugi certamine campum Corripuere, ruuntque effusi carcere currus: Nec sic immissis aurigæ undantia lora Concussere jugis, pronique in verbera pendent.'

436 *Et si nulla subest æmula*] Forte *subis:* ut l. I. 'Cum tibi juranti credidit, ipse subit.' *Heins.*

440 *Summo candet in igne cinis*] Si *cinis*, quomodo *candet?* In Regio et uno Vaticano *calet* contra metrum, unde alii, *summo qui calet, sed calet, cum calet, qui latet*, et similia. Scribe, *summo canet in igne cinis.* Hinc passim apud Poëtas, 'cinis canus' et 'favilla cana' dicuntur. Noster infra l. III. 'canere' quoque dixit de violariis: 'Hos ego, qui canent, frutices violaria vidi.' *Heins.*

443 *Pigra situ*] Tarda amandi desuetudine. *Pigra situ*] Videtur Poëta respexisse ad Æneid. VII. 'Sed te victa situ, verique effeta senectus, O mater, curis nequidquam exercet.' Quanquam in dissimili ætate. Sic et Senec. Œdip. 817. 'Prima languescit senum Memoria, longo lassa sublabens situ.'

447 *O quantum et quoties numero comprendere non est, Felicem*] *O quater* Regius cum quatuor aliis; recte: dixi de hoc loco supra vs. 28. Posset et legi *Ter quater:* ut Pont. l. IV. El. 9. 'Ter quater imperii lætus honore tui.' Virgil. 'o terque quaterque beati.' Horat. 'Felices ter et amplius:' sed nil temere mutandum. *Heins.*

449 *Crimen pervenit ad aures*] Intelligit te aliam amare.

450 *Excidit*] Redi ad Art. Amat. I. 539.

458 *Inque tuo flens est accipienda sinu*] *Tuos sinus* scripti. *Heins.*

460 *Hoc uno solvitur ira modo*] Vel, *tollitur* Regius; quod et in aliis nonnullis occurrit. *Idem. Hoc uno solvitur ira modo*]* Vide supra vs. 413. 'Pax omnis in uno est.'

464 *Illo, crede mihi, gratia nata loco est*] *Juncta* tres scripti; quomodo et Arondelianus. Unde Petrus Scriverius, approbante in Observationibus Gronovio, *Illic, crede mihi, gratia juncta loco est.* Heins. *Illo gratia nata loco est*] Ubi dulce morari est. 'Carpamus dulcia.' Pers. v. Ἀφροδίτη ἡδεῖα θεός. Eurip. Phœniss. Et noster II. de Remed. 'Illo lotophagos, illo Sirenas in antro Esse puta.' Prudenter autem hic navigandum, Μὴ ὅλως ἔχειν γνῶσιν μετὰ γυναικῶν. Quanquam Pistocler. Plauti, in suppositis, a. 1. vs. 21. sibi facile ignoscit, 'et ætati licere plusculum jacturæ facere' existimat. Sic tamen flos ætatis delibatus imminuitur: ut præclare Pindar. Pyth. Od. IV. Ἀθρόαις πέντε δραπὼν Νύκτεσσιν ἔνθ' ἀμέραις Ἱερὸν εὐζωᾶς ἄωτον. Et Od. IX. ibid. Ἦ ῥὰ καὶ ἐκ λεχέων κεῖρεν μελιηδέα ποίαν.

467 *Prima fuit rerum*] Homines per Venerem primum conciliatos dicit: ut doceat, amicam iratam posse quoque reconciliari.

468 *Unaque erat facies, sidera, terra, fretum*] *Erant facies* scripti multi cum prima editione; recte: sic in Fastis l. I. 'Ignis, aquæ, tellus, unus acervus erant.' Met. I. 'Ante mare et tellus, et quod tegit omnia cælum, Unus erant toto naturæ vultus in orbe:' sic et ibi scribendum opinor. *Heins.*

469 *Mox cælum impositum terris*]

Digitized by Google

Per cœlum ignem et aërem denotat.

470 *Inane Chaos*] Chaos fuit quædam ab initio unitas hians, patensque in profundum: quam principium fuisse dicunt productionis omnium rerum.

471 *Silva feras cepit, volucres agitabilis aër*] Interpolarunt hunc locum, ex libro Metamorphoseon primo, qui posteriorem in *aër* syllabam non posse produci existimarunt. Nam scripti veteres cum primis editionibus constanter, et recte, *Silva feras, volucres aër accepit habendas.* Heins.

473 *Tum genus humanum solis errabat in agris*] Cic. quoque idem refert his verbis: 'Nam fuit quoddam tempus, quum in agris homines passim bestiarum more vagabantur, et sibi victu ferino vitam propagabant: nec ratione animi quicquam, sed pleraque viribus corporis administrabant.' *Solis errabat in agris*]. Veteres enim et rudes illi homines olim, sub Saturno, montes, rupes, et cavas arbores incolebant pro domibus, ferarum modo. Ideoque Virgil. rude illud, et indocile vocat genus hominum, truncis et robore duro natum, queis neque mos neque cultus. Quod et de Arcadib. Apoll. in Argon. IV. 265. Ἄρκαδες, οἱ καὶ πρόσθε σεληναίης ὑδέονται Ζώειν φηγὸν ἔδοντες ἐν οὔρεσιν.

474 *Hisque meræ vires*] *Idque* potiores scripti cum prima editione. *Heins.*

477 *Blanda truces animos*] Amor (inquit) reddidit homines mansuetos et placidos.

478 *Constiterant uno fœmina virque toro*] *Loco* recte cum prima editione scripti; nam in *toro* non statur: et tori usus illa tempestate haud ullus erat, nisi frondes pro toro accipis. *Heins.*

479 *Quid facerem*] Probe Arondelianus, *Quod facerent, ipsi nullo didicere magistro.* Idem.

482 *Invenit in media*] *Convenit* unus Regius: sic l. III. 'Conveniunt illas cum voluere viri.' *Idem.*

483 *Cerva parem sequitur*] Sic et in Met. IX. 'Sequitur sua fœmina cervum.' *Parem* autem, aut ejusdem generis, aut pariter copulatum. Sic in Fastis: 'Et docuit jungi cum pare quemque sua.' *Serpens serpente tenetur*] Viperæ coëunt complexu, adeo circumvolutæ sibi, ut una existimari biceps possit; auctor Plin.

485 *Salitur*] Initur.

486 *Immundum marem*] Hircum male olentem.

487 *In furias agitantur equæ*] Virgil. 'Scilicet ante omnes furor est insignis equarum.' *Spatioque remotæ*] Disjunctæ locorum intervallo. *Spatioque remoto*] *Remotæ* scripti nonnulli cum prima editione. Lego, *spatioque remota Per loca.* Heins.

491 *Succos Machaonios*] Scribit Diodorus, Æsculapium filios reliquisse Machaonem et Podalirium, qui cum Agamemnone ad Trojam navigarunt, et plurimum curandis vulneribus profuisse: unde eis immunitas rerum omnium est concessa.

493 *Manifestus Apollo*] In nimbo. Sic Virgil. IV. 'ipse Deum manifesto in lumine vidi.' Sed non omnium oculi sunt idonei ad id dijudicandum: ideoque Minerva ad Tydid. Iliad. E. 127. Ἀχλὺν δ' αὖ τοι ἀπ' ὀφθαλμῶν ἕλον, ἣ πρὶν ἐπῆεν, Ὄφρ' εὖ γινώσκῃς, ἠμὲν θεὸν, ἠδὲ καὶ ἄνδρα. Hujus meminit Socrat. in Alcibiad. II. apud Platon.

496 *Vates ille videndus adest*] Prima editio cum scriptis plerisque *adit.* Regius cum uno Patavino *abit.* Septem alii *erat.* Quatuor *ait.* Comelinianus ex melioribus *agit;* ne dubita quin vere. Statius Theb. III. 'Sed me vester amor, nimiusque arcana profari Phœbus agit.' Achilleide, 'Non patiar: meus iste, meus. Tu Diva profundi, Et me Phœbus agit.' Nota etiam illa Fast. VI. 'Est Deus in nobis; agitante calescimus illo.' Avi-

Digitized by Google

enus Arateis, 'major, Major agit mentem solito Deus.' Sic et 'agi furiis,' et similia. *Heins.*

498 *Discipulos tuos*] Quibus tradis præcepta amandi. *Ad mea templa*] Ædem Apollinis Delphici intelligit; de qua multa Justinus l. XXIV.

499 *Est ubi diversum*] *Ibi* majori ex parte scripti: nisi quod Regius et duo alii cum prima editione *tibi*. Heins. *Est ibi diversum*] Sapientissimum dictum Chilonis Lacedæmonii designat, quo jubet unumquemque se agnoscere. Juvenalis: 'E cœlo descendit γνῶθι σεαυτόν.'

505 *Taciturna silentia vitet*] *Rumpat* excerpta Jureti et quatuor ex nostris. Metam. I. 'Jupiter hoc iterum sermone silentia rupit.' Met. XI. 'nec voce silentia rumpunt Sollicitive canes, canibusve sagacior anser.' Val. Flaccus l. III. 'Ingemuit Juno, tandemque silentia rumpit.' Libro V. 'Non tulit hæc animis, quin longa silentia Pallas Rumperet irridens.' Silius l. V. 'Isque insueta tuba monstravit murmura primus Gentibus, et bellis ignava silentia rupit.' Claudianus IV. Cons. Honorii, 'Et dudum taciti rupere silentia Delphi.' Alcimus Avitus, 'Perstrepuit subitus, rumpitque silentia clamor.' *Heins. Taciturna silentia rumpat*] Adi Epist. XIV. 34.

508 *Vesanus scripta poëta legat*] *Non sanus* libri veteres cum prima editione. *Heins.*

515 *Quod lædit amantes*] *Lædat* scripti potiores. *Heins.*

517 *Quot lepores in Atho*] Athos mons est Macedoniæ, quem Xerxes rex Persarum continenti abscidit in longitudine passuum mille quingentorum, adeo sublimis, ut altior æstimetur quam unde imbres cadunt. Statius: 'Ingenti tellurem proximus umbra Vestit Athon, nemorumque obscurat imagine pontum.' *Pascuntur in Hybla*] Hybla fuit urbs Siciliæ, ab Hyblone rege dicta, ut voluit Thucydides. Hæc postea Magara appellata fuit: unde Maro apes 'Hyblæas' appellat, quæ in Sicilia mel optimum conficiebant.

520 *Multo spicula felle madent*] *Virent* unus Regius; de qua lectione diximus ad Aponum Claudiani, sub finem. Met. II. 'Pectora felle virent.' *Heins. Spicula*] Tela Cupidinis. *Multo felle*] Multo dolore.

521 *Quam tu fortasse videbis*] *Videres* Regius. Forte *tibi quam fortasse videre est*. Heins.

524 *Perfer et immunda*] *Perfer et in nuda* tres libri; etiam bene. Vide notas ad Epist. XIV. 14. Quidam *in dura*: supra tamen lib. I. 'Pallia si terræ nimium dimissa jacebunt, Collige, et immunda sedulus effer humo.' Pro *ponere* multi *ponito*; male: unus *Perfer in nuda*. Lege *perfer in immunda ponere*. Amor. III. El. 11. 'Ergo ego sustinui, foribus tam sæpe repulsis Ingenuum dura ponere corpus humo.' *Idem.*

528 *Limine pone rosas*] *In fore* scripti. Fast. II. 'custos in fore nullus erat.'

531 *Effugere hinc non est, quare tibi possit amica Dicere. Non omni tempore sensus abest*] Codices quidam *Effugere huic*: quare scribo, *Effugere hunc non est*; de qua correctione adeantur notæ nostræ supra hoc libro ad vs. 28. unde liquet a magno Scaligero pro *Dicere* frustra *Cedere* reponi. Pro *abest* prima editio cum Regio, Jureti excerptis, et scriptis plerisque, *obest*: Neapolitanus et sex alii *adest*; quod amplector. Intelligit sensum rerum amatoriarum. Noster infra, 'Tu quoque, cui sensum Veneris natura negavit.' Sed ne sic quidem locus integer satis aut perspicuus, nisi reponas pro *quare, cave ne*: *Effugere hunc non est, cave ne tibi possit amica Dicere: non omni tempore sensus adest. Cave* a verbo antiquo *cavo* ter-

Digitized by Google

tiæ conjugationis. Noster Amor. I. El. 8. 'Sed cave ne gratis hic tibi constet amor.' Pont. III. El. 1. 'Hanc cave degeneres, et sint præconia nostra Vera vide.' Sic non Cicero tantum in Arateis aut Lucretius, sed Horatius quoque et Tibullus et Propertius non uno loco. Certe libro primo supra in veterrimo Regio codice *cure* pro *cave* offendi scriptum. Propertio redde hoc verbum, lib. IV. Eleg. de Tarpeia, 'Cras, ut rumor ait, tota pugnabitur urbe: Tu cave spinosi roscida terga jugi:' ita enim scribendum esse sequentia evincunt; neque aliter exstat in nonnullis membranis: vulgati *Tu cape*. Heins.

538 *Difficilis labor*] Ut patienti animo rivalem feras; quod perquam difficile esse, ostendit Propertius dicens, 'Rivalem possum non ego ferre Jovem.'

540 *Eris magni victor in arce Jovis*] Triumphabis de amica, ut imperatores, qui triumphantes ad ædem Jovis Capitolini vehebantur triumphali curru.

541 *Quercus Pelasgas*] Pelasgi Dodoneum Jovis templum construxerunt, subjectum monti Tomaro, centum fontibus celebrato. In eo loco Probus grammaticus scribit columbas et quercus humana voce responsa dedisse. Virg. 'Atque habitæ Graiis oracula quercus.' *Quercus Pelasgas*] Redi ad Amor. III. 10. 9.

542 *Istis majus*] Ut rivalem feras patienter.

543 *Innuet*] Illa nutu significat rivali. *Scribet*] Ad rivalem. *Ne tange tabellas*] Ne resigna literas.

545 *Hoc in legitima præstant*] *Præstent* in uno Vaticano rectius: ut supra, 'Lite fugent nuptæque viros, nuptasque mariti.' *Heins. Præstant*] Ut eant quo velint.

549 *Ad partes venis*] Adi Amor. I. 8. 87.

550 *Quolibet ira ferat*] *Feret* scripti cum prima editione. *Heins.*

553 *Doctior ille est, Quo veniunt alii conciliante viri*] *Viro* Regius, excerpta Jureti, et multi alii ex melioribus; optime: 'veniunt,' uxores nimirum. Quo conciliante uxores veniunt alii viro: egimus jam de hoc loco initio hujus libri. Præterea pro *doctior* opinor esse scribendum *fortior*, quicquid obnituntur libri veteres: et id quoque jam monitum a nobis lib I. 281. *Idem.*

556 *Fassus ab ore pudor*] *Læsus* prima editio et multi ex scriptis; ut Ep. Didus, 'Exige læse pudor pœnas, violate Sichæo.' In pluribus *falsus*; forte pro *pulsus*. Neapolitanus codex probe, *Ne fugiat fasso victus ab ore pudor*. Idem.

560 *In causam damni*] *In causa* meliores. *Idem.*

561 *Fabula narratur*] Malim *narrantur*; Mars et Venus videlicet: et mox, 'Ut quamque attigeris, fabula turpis erunt.' Martial. l. XII. ad Semproniam, 'Dulcis in Elysio narraris fabula campo.' Statius Achilleide, 'Ast ego vel primæ puerilis fabula culpæ Narrabor famulis.' Horat. Epod. XI. 'Per urbem Fabula quanta fui!' Tibullus lib. II. Eleg. 3. 'Fabula nunc ille est.' Et alibi, 'Parce, puer, quæso: ne turpis fabula fiam.' Noster Amor. l. III. Eleg. 1. 'Fabula, nec sentis, tota jactaris in urbe.' Plura ad Amor. l. I. Eleg. 13. *Heins. Fabula narratur toto notissima cœlo*] 'Quid nisi Mæonides Venerem Martemque ligatos Narrat?' Adagium in Suida Ἡφαίστιος δεσμός, de re inexplicabili. Affabulationem invenies in Eustath. Odyss. Θ. qui satis honestam præfert orationem. Athenæus quoque I. 12. humaniter hoc excusat, nempe, cantorem hunc dehortari voluisse hoc exemplo Phæacas a malis moribus: item l. XII. in princip. ad mores refert corrigendos, οὐ γὰρ ἀρετῇ κακὰ ἔργα κιχάνει τοὶ βραδὺς ὠκύν. Quod præclare Homerus epiphonema huic fabulæ subjicit.

Digitized by Google

562 *Mulciberis*] Vulcani, qui a mulcendo *Mulciber* appellatur: quoniam ignis sit, et omnia mulcet. Scribit Diodorus Vulcanum ferri, æris, auri, argenti, omniumque quæ arte fabricantur, artem invenisse, cæterosque docuisse: quapropter harum rerum opifices omnes, vota sacraque huic Deo maxime facientes, ignem in æternam memoriam suscepti beneficii Vulcanum vocavere.

567 *Pedem risisse mariti*] *Pedes* scripti et prima editio. *Heins.*

569 *Marte palam simul est Vulcanum imitata decebat*] *Simulet* quinque libri; *simulat* Moreti codex. Et pro *decebat* unus Patavinus *decenter;* ut infra l. III. 'discant lacrymare decenter.' In illo Tibulli, 'Mille habet ornatus, mille decenter habet.' *Idem. Marte palam simul est*] Coram Marte. *Vulcanum imitata*] Vulcanum claudicantem.

571 *Sed bene concubitus primo*] *Primos* prima editio cum scriptis plerisque. *Heins.*

573 *Quis Solem fallere possit*] Redi ad Epist. XII. 78. *Fallere posset*] *Possit* scripti plerique. *Heins.*

579 *Fingit iter Lemnon*] Lemnos insula est in Ægæo mari ante montem Atho. In eam insulam Jupiter Vulcanum e cœlo dejecit: hinc a Poëtis Lemnius et Tardipes appellatur.

582 *Continuisse ferunt*] *Putant* scripti cum prima editione. *Heins.*

584 *Partibus obscœnis opposuisse manus*] *Apposuisse* sex scripti; recte: quatuor *imposuisse:* vide Notas ad Epist. IX. 60. *Idem.*

585 *Hic aliquis ridens*] *Hos* tres scripti; plures *Hinc:* nil mutandum. *Idem. Hos aliquis ridens*] Aliquis de Dis non tristibus: adi Homer. Odyss. Θ. 340. unde hæc translata sunt.

587 *Vix precibus, Neptune, &c.*] Venus enim dicitur nata ex spuma maris; ideo pro ea Neptunus Vulcanum exoravit, ut vincula solveret.

588 *Mars Creten occupat, illa Paphon*] *Mars Thracen* Joannes Rutgersius in Venusinis Lectionibus; quod ego optimi doctissimique avunculi scriptum aliquando luci dabo; quomodo et in ora codicis sui Scaliger: optime. Mars enim Thracius, cui nihil cum Creta est negotii. Certe Patavinus unus *Thracem.* Idem. *Illa Paphon*] Venus Paphon abiit. Est enim urbs Cypri duplex, Paphos scilicet, et Palæpaphos, id est, antiqua Paphos; utraque Veneri sacra: unde Venerem Paphiam et Palæpaphiam appellamus.

589 *Hoc tibi profecit, Vulcane*] Regius *perfecto:* cæteri plerique *profecto.* Lege *profectum;* quomodo jamdudum conjeci: quod Vaticanus unus confirmat. Hoc profecisti, inquit, Vulcane, ut liberius nunc faciant, postquam pudor abesse cœpit, quod tegebant ante. Nam et sequenti versu scribendum *ut pudor omnis abest,* non *et pudor;* quod scriptos editosque perperam occupavit præter Patavinum unum. *Heins.*

593 *Deprensa Dione*] Dionem seu Venerem dicit suo et Vulcani exemplo monere et jubere cæteros, ne mutuo sibi insidias faciant. Dione autem nympha fuit Oceani et Tethyos filia, ex qua Jupiter Venerem sustulit.

594 *Insidias illas, quas tulit ipsa, dare*] *Pati* rectius in nonnullis legitur vetustioribus; nisi mavis, *Insidiis illis, quas tulit ipsa, peti:* certe in uno Vaticano *peti* legebatur. *Heins.*

598 *Quos faciunt*] Justitiam servare, et non resignare alienas literas. *Merul. Ignis et unda viros*] Sensus Poëtæ est, literas amatorum, si intercipiendæ adeo videntur, intercipiant illi qui, adhibitis igne et aqua, justi, hoc est, legitimi mariti facti sunt, non rivales, aut similis conditionis. Solebant autem in solennibus nuptiis, quibus uxor et maritus legitime jungebantur, ignis et aqua adhiberi, quæ utrinque sponsus et nova nupta contingerent: ad significandum, quod, ut hæc ele-

Digitized by Google

menta, potissimum ac maxime necessaria, inter se in commune tangerent: ita cæteras quoque res necessarias communes essent habituri. *Micyll.*

600 *Instita nulla*] Nulla matrona. *Luditur*] Ridetur, violatur.

601 *Quis Cereris ritus audet vulgare profanus*] *Ausit vulgare profanis* recte meliores libri. Hinc illa sacrorum formula passim obvia, 'procul este profani;' et apud Græcos ἐκὰς ἐκὰς ἔστε βέβηλοι· et ἐκὰς ἐκὰς ἔστις ἀλιτρός· excludebantur enim non initiati. Orpheus apud Clementem et Tatianum, θύρας δ' ἐνιθέσθε βεβήλοις Πᾶσιν ὁμῶς. Horatius, 'Illum vetabo, qui Cereris sacrum Vulgarit arcanæ, sub isdem Sit trabibus, fragilemque mecum Solvat phaselum.' *Heins.* *Quis Cereris ritus*] Scribit Diodor. Cererem, Proserpinam quærentem, facibus in Ætna accensis: varias orbis partes peragrasse: hominesque, qui eam susceperant, frumenti usum docuisse. Primi fuerunt Siculi, deinde Athenienses, qui hanc Deam publice præ ceteris colunere, cum sacrificiis amplissimis, tum Eleusinæ mysteriis: quæ antiquitate castimoniaque apud homines sunt vulgata. Mysteria Cereris Atticæ nulla magis re quam silentio sacrata sunt. *Cereris ritus vulgare profanis*] Sic illa de suis sacris. Τοῦτο μ' ἢ καλὸν μόνον, τὰ δ' ἄλλα σιγῶ. Vide Herod. De Cereris initiatione lib. II. 'Hæc sacra Græci θεσμοφόρια vocant: absit ut eloquar,' inquit. Hic ritus a filiabus Danaës, ex Ægypto venientibus, in Græciam illatus creditur. 'Hinc fida silentia sacris.' Virgil. Nempe instituta ab hominibus callidis, ut, quid colat populus, nesciat. Lactant. v. 18. Itaque sub specie religionis pii tantum et casti admittebantur, profanis exclusis. Ut Nobiliss. Heins. Græco versiculo ex Orph. annotavit: cujus principium est: Δέξομαι ὀβς θέμις ἐστί.

602 *Magnaque Thracicia sacra reperta Samo*]. Sacra Cereris, et quæ fiebant in Samothracia, secreta fuisse, docet Diodorus in VI. his verbis: Nam cerimoniæ, quas Athenienses omnium celeberrimas in Eleusina faciunt, quæque in Samothracia, atque in Thracia, unde eas Orpheus sumpsisse traditur, fiunt, in Gneso apud Cretam prisca lege statutoque tempore celebrantur: quo palam est, ejusmodi cerimonias ab eis ad alias gentes fuisse traductas. Vide Macrob.

603 *Eximia est virtus præstare silentia rebus*] *Exigua* scripti potiores cum prima editione: et sequenti versu *At contra*, pro *Et*. Supra dixerat l. II. Am. Eleg. 2. 'Quis minor est autem quam tacuisse labor?' Curtius l. IV. 'Lingua apud Persas gravius castigatur, quam ullum probrum: nec magnam rem Magi sustineri posse credunt ab eo cui tacere grave sit, quod homini facillimum esse volnerit natura.' *Heins.*

605 *Quam bene*] *O bene* iidem veteres: et sequenti versu *Garrulus Tantalus* transpositis vocibus. Trist. I. 'O bene; quod non sum mecum descendere passus!' *Idem.*

606 *Garrulus*] Qui Deorum secreta hominibus prodidit.

609 *Cistis*] Loco tuto et secreto. Alludit autem ad Cereris sacra, quæ more Attico in cistulis recondita capitibus virginum sustinebantur: quas *Canephoras* appellabant. *Mer.* *Condita si non sunt*] Confundit hoc loco Merula cerimonias Cereris, et Canephorias. Aliud enim κανηφορεῖν Græcis fuit, aliud cistæ Cereris: κανηφορεῖν enim puellæ Græcorum solebant, vel cum in pompa Minervæ sacris, quæ *Panathenaica* dicebantur, canistra capitibus imposita gerebant, quibus ea, quæ Deæ offerenda essent, continebantur. *Cistæ* autem in sacris Cereris inter symbola habebantur, significantes clausa atque arcana omnia haberi debere, (sive in iis inclusa sacra Deæ fuerint, ut hic Merula putat, sive secus;) perinde ut in cerimoniis Bac-

Digitized by Google

chi vannus, cujus et Virgil. meminit. Quod autem silentium adhiberi sacris Cereris necesse fuerit, vulgo notum est. *Micyll.*

610 *Nec cava vesanis*] Nec inanis galeæ pulsu, tanquam ære Corybantum, aut tubæ clangore omnibus retegantur: vult enim Venus celari sua furta. Sane per 'cava æra' Poëtæ tubas designant, per 'flexum' vero 'æs' cornu intelligimus, quo in præliis utebantur majores. Ovid. 'Non tuba directi, non æris cornua flexi.' Melius tamen est, ut per 'flexum æs' buccinam intelligamus. *Ictibus æra sonent*] Amicissimus et doctissimus Hadrianus Wallius noster, *Nec cava vesanis ictibus æra sonent:* et recte. Monet sine multo strepitu peragenda esse Veneris sacra; et alludit ad sacra Isidis ac Cybeles, in quibus plurimus sistrorum ac tympanorum usus. Proximo versu videtur scribendum, *Illa quidem inter nos medio versantur in usu.* Heins.

612 *Sic tamen inter nos*] *Sed sic inter nos* libri veteres plerique cum prima editione. *Idem.*

618 *Parsque sub injecta veste*] *Superjecta veste* duo codices. De hoc loco actum a nobis Amor. I. El. 4. 48. *Idem.*

622 *Non sub Jove*] Non in luce, aut aperto.

625 *At nunc nocturnis*] Eos damnat, qui quod nocte egerunt, die proferunt. *Mer.*

627 *Scilicet excuties omnes ubi quæque puella est*] *Ubicunque puella est* prima editio cum multis scriptorum. Lege cum Comeliniano et quatuor aliis, *omnes ubicunque puellas.* Sic Amor. lib. III. El. 9. 'Te Dea munificam gentes ubicunque loquuntur.' Virgilius Æn. VII. 'torvumque repente Clamat, Io matres audite ubicunque Latinæ.' Statius Sylv. I. Soteriis, 'legesque urbesque ubicunque togatæ Certent lætitia.' Et Theb. XI. 'Conveniant ubicunque nurus matresque Pelasgæque Longævique patres.' Heins. *Scilicet excuties omnes, &c.*] Monet poëta, minime hoc esse faciendum. *Micyll.*

629 *Nec desint*] *Ne* meliores. *Heins.*

633 *Corpora si nequeunt, quæ possunt nomina tangunt*] *Tractent* unus Ambrosianus, et optimus Regius, pro, attrectant. Pont. III. El. 3. 'Qualis in aëriæ tergo solet esse columbæ, Tractantum multæ quam tetigere manus.' Gratius Cynegetico: 'illi aggeribus tentare superbis Æthera, tum matres ausi tractare Deorum:' ita locus vexatissimus scribendus, nisi *attrectare* mavis. *Idem.*

634 *Famaque non facto crimine crimen habet*] *Non tacto corpore* scripti fere omnes cum prima editione; quod omnino admittendum. Bene igitur *tractent* pro *tangunt* superiori versu reposuimus, ne bis eodem verbo odiose utatur. *Idem.*

636 *Et centum duris postibus adde seras*] *Obde* Regius cum Scaligeri excerptis et aliis nonnullis: sic et obdere pessulum foribus' apud Comicos: 'obdere forem' infra lib. III. ex antiquis codicibus: 'Obde forem: et duro dicat tibi janitor ore, Non potes: exclusum te quoque tanget amor.' Fast. I. 'Pace fores obdo, ne qua discedere possit.' Pont. II. Eleg. 2. 'Nec rigidam timidis vocibus obde forem.' Fast. I. 'Proque domo longis spelunca recessibus ingens Obdita:' ita veterrimus Vaticanus; vulgati, *Abdita.* Reddenda et ea vox Propertio lib. II. Eleg. 10. ad Cynthiam, 'Anne ego transirem tua limina clausa maritus, Respiciens udis obdita luminibus? Ah mea tum quales faceret tibi tibia somnos, Tibia funesta tristior illa tuba!' sic locus ille mendosissimus constituendus. Pro *obdita* vulgati nullo sensu *perdita;* scripti *prodita,* quod paulo ante præcesserat, 'Quam possim nuptæ prodere amore facem:' ita enim illic reponi debere recte vidit Passeratius ex illo Virgiliano, 'Nom

Digitized by Google

jam conjugium antiquum, quod prodidit, oro.' Tertio versu cum vulgati agnoscant, *caneret mea Cynthia cantus*, scripti omnes, *caneret mea tibia somnos*, repono *faceret somnos*; quod id elegans et Latinum sciam. Noster alibi, 'Et faciat somnos hæc tibi cura breves.' Paulo post apud eundem loco vexatissimo scribendum, *Quod mea si teneræ comitarent castra puellæ:* sed jam satis est. *Idem.*

637 *Ubi nominis extat adulter*] *Cum nominis* scripti. *Idem.*

640 *Mystica furta*] Clausa et secreta.

641 *Exprobrare puellis*] *Puellæ* multi ex scriptis. *Heins.*

642 *Utile quæ multis*] *Nam multis* Regius; alii *quod;* prima editio, et decem scripti, *quam.* Idem.

643 *Nec suus Andromedæ*] Andromeda fusca fuisse dicitur: placuit tamen illa Perseo, qui eam ceto liberavit, et uxorem duxit.

644 *Mobilis penna*] Talaria designat. Perseus enim, Mercurio dilectus, talaria ab eo et petasum accepit, et galeam, qua indutus ex adverso non poterat videri. Accepit et a Vulcano falcem ex adamante factam, qua Medusam Gorgona interfecit. Auctor Hyg. *Mobilis in gemino pede penna*] De talaribus dictum invenies Ep. XVI. 68.

645 *Omnibus Andromache*] Andromache filia fuit Æetionis Thebarum regis, uxorque Hectoris, grandi corpore: ea nomen accepit a virili pugna.

646 *Unus qui modicam*] Quamvis Andromache esset grandi statura, id tamen tanquam vitium illi nunquam exprobravit Hector maritus, imo eam esse modicam dicebat.

647 *Male*] Scil. moleste fers puellæ vitium.

648 *Leniet: incipiens*] Scribe cum uno Mediceo, *Lenit, at:* et sic editiones nonnullæ. Regius et multi ex scriptis, *Lenit, et.* Heins.

651 *Mox etiam ventis*] *Mox eadem* Regius pro diversa lectione et quatuor alii: bene. Met. XIV. 'Mox eadem Teucras fuerat mersura carinas.' *Idem.*

653 *Omnes de corpore mendas*] *E corpore* scripti. *Idem.*

657 *Nominibus mollire licet*] Puellæ vitia aliqua honesta appellatione poteris imminuere.

658 *Illyrica pice*] Quæ in Illyria nascitur, supra Macedoniam et Thraciam.

659 *Si pæta est, Veneri similis: si flava, Minervæ*] Locus valde affectus. Agit de vitiosis oculis Naso; atqui pæti oculi parum vitiosi sunt, quos in Venere tantopere commendatos fuisse constet ab ipso Paride, egregio illo formarum spectatore. Noster Remediis Amoris, 'Pæta sub Idæo judice Cypris erat.' Hinc φιλομειδὴς Ἀφροδίτη passim Græcis poëtis. Sed nec flavi oculi vitiosi, imo Pallade laudabantur: quare et γλαυκῶπις illa Homero aliisque frequentissime dicta. Auctor Priapeiorum, 'Minerva flavo lumine est, Venus pæto:' quod in utraque illic pulchrum ducitur. Quid ergo? τὸ *pæta* in membranis vetustioribus non comparet; pro quo *crassa* plerique, vel *grassa;* nonnulli et *læta*, sed ii recentiores: codex Regius omnium antiquissimus, *Si crasia est Veneris similis;* etiam mendose. Mihi dubium vix est Nasonem scripsisse, *Si qua straba est, Veneri similis:* subaudi *sit*, quod sequitur proximo pentametro. *Strabo* et *strabus* dicebatur Latinis, quemadmodum Græcis στραβὸς καὶ στραβών. Nonius Marcellus, 'Strabones sunt strabi, quos nunc dicimus.' Strabones cum pætis quoque conjunxit Horatius lib. I. Sat. 3: 'At, pater ut gnati, sic nos debemus amici, Si quod sit, vitium non fastidire: strabonem Appellat pætum pater:' nihil magis appositum conjecturæ nostræ adstruendæ in medium proferri poterat. Sed et pari modo

Digitized by Google

Cicero, qui locus quoque ad rem facit, libro primo de Natura Deorum: 'Nævus in articulo pueri delectat Alcæum: at est corporis macula nævus: illi tamen hoc lumen videbatur. Redeo ad Deos. Ecquos, si non tam (lege *jam*) strabones, at pætulos esse arbitramur? ecquos nævum habere?' Plinius Hist. Natural. XI. 37. 'Uni animalium homini oculi depravantur: unde cognomina Strabonum et Pætorum.' Cognata ergo vitia pætorum ac straborum oculorum, quorum tamen alterum sit gratum, ingratum alterum. Nunc de Minerva videamus. Pro *flava* prima editio cum sex septemve scriptis *parva*: *parva* etiam optimus Regius, et *flava* pro diversa lectione. Arondelianus *flamma*: secundus Ambrosianus *prava*; proxime verum: est enim *rava* legendum. Festus, 'Ravillæ a ravis oculis; quemadmodum cæsullæ a cæsiis.' Non diffiteor 'flavam' passim Palladem a poëtis appellari: sed tum capillus ejus innuitur. Est autem color *ravus*, si Festo credimus, 'inter flavum et cæsium.' Sic Horatio leones modo 'cæsii' dicuntur, modo 'ravi.' Vide quæ notamus Amor. l. I. El. 12. de hac voce. Hinc 'cæsii Palladis oculi' sæpe occurrunt apud scriptores. Cæsii igitur et flavi oculi non tam vitiosi, quam vitiosis, hoc est, ravis, proximi, ac proinde etiam nonnunquam improbati. At festivissimus Anacreon Ode XXVIII. ad pictorem de Amica sua, quam depingi volebat: Τὸ δὲ βλέμμα νῦν ἀληθῶς Ἀπὸ τοῦ πυρὸς ποίησον· Ἅμα γλαυκὸν, ὡς Ἀθήνης, Ἅμα δ' ὑγρὸν, ὡς Κυθήρης. Apud Terentium Heautontim. Act. V. Sc. 5. 'So. Gnate mi, ego pol tibi dabo illam lepidam, quam tu facile ames, Filiam Phanocratæ nostri. Cl. Rufamne illam virginem, Cæsiam, sparso ore, adunco naso? non possum, pater.' Cæterum Palladis oculos nonnunquam improbatos esse ex Nonno patet Dionysiac. libro primo, Ἀοὶ γάμον, ἢν ἐθέλῃς, δωρήσομαι ἁγνὸν Ἀθήνης· Εἰ δέ σοι οὐ γλαυκῶπις ἐπεύαδε, δέχνυσο Λητώ. Ἢ Χάριν, ἢ Κυθέρειαν, ἢ Ἄρτεμιν, ἢ γάμον Ἥβης. Propertius l. II. El. 28. de Cynthia ægrotante: 'An contempta tibi Junonis templa Pelasgæ? Palladis aut oculos ausa negare bonos?' Apud Hyginum quoque Pallas a Venere et Junone ridetur ob cæsios oculos; et apud Antonium Liberalem Fab. XV. Agron nigros sororum oculos cæsiæ Deæ gratos esse irridens negat. Apud Lucianum Dialogis Deorum Vulcanus ad Jovem de Minerva, γλαυκῶπις μὲν, ἀλλὰ κοσμεῖ καὶ τοῦτο ἡ κόρυς. Apud eundem Paridis Judicio Venus Minervæ, ἐπισείεις τὸν λόφον, καὶ τὸν δικαστὴν φοβεῖς; ἢ δέδεας μή σοι ἐλέγχηται τὸ γλαυκὸν τῶν ὀμμάτων ἄνευ τοῦ φοβεροῦ βλεπόμενον; 'Ravum' autem colorem contemptui objectum fuisse, hominesque 'ravos' pro pessimis habitos ex Festi fragmentis discimus: ubi plura de hoc colore ad rem. 'Ravam' etiam vocem dictam fuisse ex illo constat, pro qua *raucam* vocem nunc in multis scriptorum locis legi est suspicio. Confido versum mendosissimum nostra industria jam bene se habere: *Si qua straba est, Veneri similis; si rava, Minervæ.* Heins.

660 *Macie quæ male visa sua est*] *Male visa* Gulielmius legit Verisimilium l. I. c. 12. et Theodorus Marcilius ad Horatii Od. I. 5. *mala visa* Parens meus; quomodo κακόκναμοι Πάνες pro λεπτόποδες apud Theocritum; eamque lectionem in tribus codicibus inveni. Sic 'pes malus' apud Nostrum et 'dens malus' pro pravo. Vulgatam lectionem tuetur Cl. Gevartius Electorum l. III. c. 6. unus Vaticanus et unus Palatinus, *male sicca*; non inscite, ut 'male siccæ' opponatur 'succi plena.' Sed quid moramur? optimus Regius, Sarravianus, et octo aut novem alii ex melioribus cum prima editione, *male viva*; quo nihil verius: atque ita jampridem castigavit Salmasius Notis ad

Digitized by Google

Tertulliani Pallium ex Lucretii loco prorsus simili, 'Ἰσχνὸν ἐρωμένιον tum fit, cum vivere non quit Præ macie:' neque aliter Lucilius, 'vix vivum hominem ac monogrammon' dixit. Noster Met. xv. 'Nec catulus, partu quem reddidit ursa recenti, Sed male viva caro est:' quanquam sensu paulum diverso. Idemque jam ante Salmasium ab aliis occupatum monuit clarissimus Gevartius in Electis, qui addit Dousam *male nisa* castigasse, quomodo Gulielmium et Marsilium legere jam monui. Porro τὸ *male viva* marginem Mycillianæ ac Bersmannianæ editionum jam dudum insedit. Quæ cum ita sese habeant, miror exstitisse nuper admodum Tanaquillum Fabrum, virum cætera eruditum et ingeniosum, sed præ nimio sui amore caligantem haud raro; quod ferendum utcunque esset, si hæc φιλαυτία et immoderata sui ostentatio cum malignitate et contemptu alieno non conjungeretur. Hunc, inquam, Tanaquillum Fabrum miror in Epistolis nuper editis ausum affirmare, nævum in hoc ipso, de quo nunc agimus, Nasoniano loco a nemine animadversum, nedum sublatum fuisse; cum vix alius in toto Nasone locus occurrat, qui ingenia nostri temporis plura exercuerit, atque in se converterit, ut jam vidimus: nec monere id neglexit meus pater in editione sua, qua se usum esse Faber ipse non diffitetur. Istud vero magis mirandum tam secure et confidenter Salmasiana scrinia a Fabro compilari, et cum pulvisculo, quod aiunt, hoc est, cum Lucretiano loco, qui Nasoniani castigationem nunc confirmet, corradi, atque in succum et sanguinem Epistolarum suarum converti. Sed non novum in illo id esse alibi uberius ostendemus. Nunc se ultro offert Horatii locus ille ex Arte Poëtica, 'Ut ridentibus arrident, ita flentibus adsunt,' in quo *flentibus adflent* reponit. Id quod Theodorus Marcilius suis ad Horatium commentariis Lutetiæ jampridem editis, et Michaël Piccartus Periculis Criticis, diu ante illum observarant monuerantque. In tanta librorum copia atque ubertate, qua abundamus, fieri posse non nego, ut in mentem subinde ea nobis ignaris veniant, quæ ab aliis ante nos jam sint dicta. Sed humanitatis lex, et ipsæ hæ literæ, quarum præcipuum condimentum innocentia candorque ac benignitas sunt, postulant omnino, ne in altero insectemur eum errorem, qui a nobis quoque aut commissus sit, aut committi possit. Nam quod emendationes nonnullas, quæ in Nasonis mei editione jam ante decennium publice legebantur, sibi vindicavit, non sum is ego, qui hominibus literatis parum in me permittam. Hoc quoque præter morem meum est, quod nunc in hanc contentionis arenam descendo. Sed urit me, ut aperte tecum agam, Clarissime Menagi, et male habet, quod hic ipse Faber Epistola LXIX. a carpendo parente meo, viro nec male, ut scis, de litteris dum vixit merito, et nunc, quod rei caput est, e vivis sublato, procacem et contumeliosum calamum haud continuit. Non quod eruditionis laudem illi detractum ivit, (atque utinam ivisset! pateret enim ignominia, qua appetimur;) sed quod fidem ejus et ingenuitatem in discrimen vocat. Hanc tam atrocem injuriam nisi amoliar a sepulcro optimi parentis, indignus profecto sim, qui aliquo inter homines cordatos habear loco. Magno gentem mehercules vestram studio senex noster a teneris est prosecutus. Testantur tot scripta ejus, Thuanis, Janiniis, Busenvalliis, Maureriis, Scaligeris, Casaubonis, aliis, partim dicata, horum partim laudes ore pleno deprædicantia. Ejus vero tam profusi affectus fructum hunc tulit, ut identidem a vestris hominibus publice sit laceratus, vixque ullum inter adversarios suos numerarit, præter unum

Digitized by Google

Gasperem Schioppium, qui Gallus non esset. Videlicet in formis etiam elegantissimis nævi nonnunquam apparent: et sunt in humanissima gente sui quoque Thersitæ et Alastores. De Salmasio non queror, qui cum nemini suorum temporum literato pepercerit; non magis quam ille Schioppius, quem insignis maledicentia Zoilo quovis nobiliorem reddidit, nihil profecto rationis est, cur parentis mei causam potiorem ducam, quam cæterorum omnium, qui ætate nostra claruere, quorum nemo virulentum ejus dentem evasit. Nec queror de Joanne Croyo, qui non solum oblitus patriæque patrisque Latini, ac communium studiorum, sed ordinis quoque sui, homo Theologus senio confectum parentem meum nulla provocatus injuria petulantissime exagitarit. Audio enim illum a collegis suis officii admonitum, quibus facinus istud barbarum displicebat, resipuisse. Possim alios proferre, quos missos facio, ne tibi sim gravis. Atque hæc vivo patri contigisse, ac proinde invidiæ et obtrectationi exposito, minus indignor. De Claudio Sarravio et hoc ipso Fabro nondum cicatricem vulnus duxisse fateor. Sed de Sarravio alibi videbimus, qui, cum Salmasiani moris malignitatem satis haberet perspectam, ut de ea moribundus etiam sit conquestus, tam serviliter tamen ei obsecutus atque adulatus est in epistolis, ut ejus simultatibus, quas propemodum innumeras exercebat, immiscere sese, easque pro suis ducere haud sit gravatus, Heinsiumque nunc miris laudibus extollat, (levitatem, quæso, in homine togato et Senatore non ferendam vide,) nunc sugillet ac contemptissime excipiat; calumniam quoque ei non unam aspergat. Denique apud Heinsium totus sit Heinsianus, Salmasianus apud Salmasium, hoc est, Heinsii obtrectator insignis. Ignosce, quæso, mi Menagi, si delicias istas patriciarum artium nos Batavi, quæ rusticitas est nostra, non assequimur aut approbamus. Sed Sarravio pessime consultum ivere, qui epistolas istas divulgarunt, non subtatis atque erasis iis, quæ integritatis famam in illo ipso prorsus evertunt. Nam quam candide cum nobis egerit, et tu ex me olim intellexisti, et ipsum facti indignissimi ante mortem puduisse non ignorant illi, qui eo usi sunt familiariter. Decreveram hæc concoquere et dissimulare in publico, ne cum larvis luctandum mihi esset, sed quoniam per filium ejus id non licuit, dicentur ea alio loco et testimoniis suis confirmabuntur, quæ extorsisse se mihi invito fortasse nolit. Nunc de Fabro videamus. Accusat ille Heinsium in Epistolis, quod locum Horatianum ex Callimachi epigrammate expressum observarit, dissimulata Scaligeri laude, qui id ipsum observasset jam ante, idque in Epistola ad Salmasium exarata. Si consuluisset primas Horatii Heinsiani editiones Faber, jam sciret, extitisse publice eam Heinsii observationem, ante editam Scaligeri epistolam: itaque probandum accusatori fuerat, Scaligeri epistolam, cum necdum luci esset commissa, ab Heinsio perlectam fuisse: quod probabit nunquam: probandum etiam, Anthologiæ Græcæ partem ineditam, in qua Callimachi id exstet epigramma, in manus Heinsianas nunquam devenisse; ejusque notitiam Heinsio ex sola Scaligeri epistola datam. Atqui norunt populares nostri, Heinsium totis fere quinquaginta annis curam habuisse publicæ Leidensium bibliothecæ: norunt in eadem bibliotheca asservari Anthologiæ ineditæ exemplar: quem librum ab Heinsio diligenter perlectum fuisse manus ejus satis evincit, quæ in ipso codice passim apparet. Evincunt et poëmata ejus, in quibus multa passim occurrunt inserta hujus Anthologiæ a se Latinis donata versibus. Jam vero imitatio Callimachi

Digitized by Google

Horatiana adeo est aperta ac luculenta, ut qui Flaccum vel semel legerit, incideritque postea in hoc ipsum Callimachi epigramma, facillime deprehensurus sit tam manifestam imitationem. Neque dubium est, quin ante Heinsium hoc Turnebus, Lambinus, Torrentius, alii, quos jactat Faber, et qui Horatium suis commentariis illustravere viri eruditi, animadversuri fuerint, si Callimachi epigramma in illorum manus incidisset. At vero, quando severus adeo est Faber, ut Heinsium multa cum acerbitate vellicandum putet, quod ignarus in eadem cum Scaligero conspirarit observatione, de se viderit, qui Salmasianas ad Pallium Tertulliani Notas sibi perlectas esse diffiteri non possit, aut si diffiteatur, fidem se non inventurum sat sciat. Illud vero minime omnium ferendum, quod in eadem, qua Heinsium exagitat epistola, Horatiani alterius loci castigationem non solum sibi ait ausus vindicare, quam Marcilio et Piccarto deberi jam ostendi, verum etiam, quod alterum nescio quem hominem doctum furti accuset, qui eundem Horatii locum a se quoque pari modo restitutum esse affirmarit. Nonnulla sane Tanaquillus Faber feliciter in Nasone restituit, sed quorum pars major partim a me in priore editione, partim ab aliis sit occupata; in nonnullis lapsus et conjecturæ falsus est: nec propterea illum insectatus sum; sed silentio plerumque involvi, quæ reprehensionem merebantur; quæ laude digna judicabam, prædicavi ingenue. Exuat mores istos feroculos Tanaquillus vester, quos ipse in discipulis credo suis, quo est supercilio, non ferret, ferulaque ac scutica debellandos sibi proponeret. Hoc si impetrare a se potest, nos ingenio ejus et studio, quod rei literariæ augendæ dedicavit dedicabitque, favebimus inter primos atque applaudemus. Non ignorat penes me exstare epistolam suam, in qua iuclementer multa dicuntur in virum quendam doctissimum, cujus tamen amicum apud alios se ait professus: quæ si proferatur in lucem, facile appareat, non solos scriptores antiquos esse, in quibus multum emendandum restet. Me quidem amicum posthac experiatur licet, si injuriam parenti meo illatam publice agnoscat; et agnoscet, nisi omnem prorsus candorem ejuravit. Hæc copiosius præter institutum. Sed nec tute improbabis tam piæ velitationis causam, si de paterna existimatione agi memineris, Doctissime Menagi, cujus patrocinium ipsa naturæ jura unice mihi commendent. Nunc in Nasone pergamus. *Heins.*

661 *Dic agilem, quacumque brevis*] *Habilem* scripti cum prima editione: etiam bene. Amor. II. 4. 'Hæc habilis brevitate sua est.' *Idem.*

662 *Proximitate boni*] Propter virtutum et vitiorum confinia.

666 *Albentes jam ligat illa comas*] *Legit* prima editio cum Jureti ac Scaligeri excerptis et aliis quibusdam scriptis. At Regius cum potioribus *leget;* recte: alii *legat* vel *liget: legit*, evellendas scilicet. Phædrus lib. II. Fab. 33. 'Ambæ videri dum volunt illi pares, Capillos homini legere cœpere invicem:' hoc est, evellere; ut ipse mox. *Idem.*

671 *Aut mare navigiis*] *Remigiis*, et *terras*, pro *terram*, meliores scripti cum prima editione. *Idem.*

674 *Hac quoque fecit opes*] Iidem libri *quærit opes:* proprie. Sic Amor. II. 10. 'Quærat avarus opes:' et l. III. 8. 'Tam male quæsitas pulvere mutet opes.' Et paulo ante, 'Quæsitum est illi sanguine, quicquid habet;' pro 'acquisitum.' Fast. II. 'Atque ita quæsitas arte ferebat opes.' Scribe præterea *militiæ est* cum Jureti excerptis. *Idem.*

680 *Invenit plures*] Prima editio

Digitized by Google

cum tribus scriptis *Invenit et*: alii plerique *Inveniet*: unus ex meis *Inveniat*, quod amplector. *Idem.*

582 *Quod juvat, ex æquo fœmina virque ferunt*] *Juvet* et *ferant* scripti meliores, et sequenti versu *utrumque resolvunt* pro *utrinque*; nec aliter prima editio: at Regius *lubet* pro *juvat*. Idem.

687 *Quæ datur officio*] De officio habuimus Ep. VI. 17.

690 *Utque morer meme sustineamque roget*] *Memet* primo reponendum cum scriptis plerisque et prima editione. Deinde Regius et quinque alii *Atque*; unus meus *Ubique*. Puto, *Quæque morer memet sustineamque rogent*; ut ad 'voces' referatur. *Heins.*

693 *Hæc bona*] Has voluptates, quæ sunt in ea quæ caret flore.

694 *Post septem lustra*] Post trigesimum quintum annum.

696 *Consulibus priscis*] Vina enim, quot annos haberent, per consules designabant. *Condita testa*] Appositio est: id est, dolia terræ infossa; ut fieri solitum fuisse Plinius in XIV. testatur.

697 *Nec platanus nisi sera potest*] Platanus arbor est, umbræ gratia tantum ex alieno petita orbe, ut Plinius docet: fuitque in usu apud Romanos ad umbras ambulationum. *Obsistere ventis*] *Vento* plerique scripti. At Regius cum decem aliis *Phœbo*; optime. Atque ita in Observationibus doctissimus Gronovius l. I. c. 5. qui adeundus. *Heins.*

699 *Hermionem*] Filiam Helenæ et Menelai.

700 *Et melior Gorge*] Gorge filia fuit Altheæ, matris Meleagri, et Œnei regis Calydoniæ.

701 *At Venerem quicumque voles attingere seram*] *Ad Venerem* scripti meliores. Plautus Mercat. Act. I. Sc. 1. 'hoc ideo fit, quia Quæ nihil attingunt ad rem, nec sunt usui, hæc Amator profert sæpe adverso tempore.' *Heins.*

707 *Invenient digiti quid agant*] *Quod agant* cum Regio, aliis quibusdam scriptis, ac prima editione: similiter initio l. III. Fast. reponendum, 'invenies, et quod inermis agas.' *Idem.*

708 *Spicula tingit amor*] *Tangit* multi ex scriptis: sed placet cum Jureti Excerptis et quinque aliis *figit* legi. *Idem.*

710 *Non solum bellis*] *Nec solum* scripti. *Idem.*

711 *In capta Lyrneside*] In Hippodamia, ex oppido Lyrneso.

718 *Tarda perficienda mora*] Scripti fere omnes cum prima editione *projicienda*; unus Regius *prospicienda*; tres *proficienda*. Unde arduum non fuit conjectare *prolicienda*; quod unus Patavinus confirmat. Statius Theb. IV. 'non ille ad sanguinis haustus Cætera ceu pubes, aliumve accedit ad imbrem, Immortale odium spirans: seu prolicit ultro Aonius vates.' Ita scribendum, cum in veterrimis codicibus legatur *proligit*; vulgati *prosilit*. Apud Plautum Curculione merobiba anus illa de vino, 'Ejus odor cupidam huc me per tenebras prolicit foras.' Sic 'prolectare' in Fastis l. IV. 433. ex antiquis codicibus; ubi plura. Sic *allicere* et *elicere* supra, 'Dulcibus est verbis alliciendus amor.' Et mox, 'Acribus est stimulis eliciendus amor.' Et lib. III. 'Comibus est oculis alliciendus amor.' Hunc *electare* et *allectare*; quomodo et *illectare* ab *illicere*, et *pellectare* a *pellicere*. Heins.

723 *Accedant questus, accedat*] *Accedent*, *accedet* scripti meliores. *Idem.*

725 *Sed neque tu dominam velis majoribus usus Desere*] *Desine* scripti cum prima editione constanter, præter codicem Arondelianum, et tres quatuorve alios recentioris notæ. Met. III. 'Quo fugis? oro, mane: nec me, crudelis, amantem Desine, clamavit:' quomodo illic scripti. Lib. VI. 'Desine, Phœbus ait, (pœnæ mora lon-

Digitized by Google

ga) querelas:' ita et ibi ex vestigiis optimorum codicum reponendum. Lib. VII. 'Neu me morte sua sceleratum desinat oro.' Pont. lib. II. El. 7. 'Cœpta tene, quæso, nec in æquore desine navem.' Lib. IV. El. 8. 'Sed dare materiam nobis, quam carmina mavis: Nec tamen ex toto desinere illa potes.' Quomodo tribus illis locis nonnulla exemplaria probæ notæ. Virgilius, 'Desine Mænalios mecum, mea tibia, versus:' et 'Desine plura, puer.' Silius lib. XII. 'Cede Deis tandem, et Titania desine bella:' ita Ciceronem, Suetonium, Gellium quoque locutos alii jam monuerunt. Apuleius Met. V. 'Lugubres voces desinite, et diutinis lacrymis madentes genas siccate.' Val. Flaccus, 'Desinite amplexus, propiusque accedite dextræ;' sed ibi scribendum est, *Dem sinite amplexus.* Idem.

729 *Hic tibi servandus tenor est*] *Versandus* scripti potiores cum prima editione. *Idem.*

734 *Serta myrtea*] Quod res Veneris descripserim, cui myrtus dicata est, qua lyrici et elegi poëtæ coronabantur.

735 *Podalirius*] Fuit Æsculapii filius, et frater Machaonis. *Arte medendi*] Malim *arte medenti*, pro arte medica. Sic et Met. VII. scribo, 'pugnatum est arte medenti:' et lib. XV. ex veteri libro, 'Postquam mortalia cernunt Tentamenta nihil, nihil artes posse medentes:' ut 'verba medentia' apud Statium. *Heins.*

736 *Æacides dextra, pectore Nestor erat*] Hippias apud Platonem, Ὅμηρον, inquit, πεποιηκέναι ἄριστον μὲν ἄνδρα Ἀχιλλέα τῶν εἰς Τροῖαν ἀφικομένων, σοφώτατον δὲ Νέστορα, πολυτροπώτατον δ' Ὀδυσσέα. Adi et Tzetz. περὶ τοῦ φρον. Ὀδυσσ. καὶ Νέστ. *Pectore*] Eloquentia, et consilio utpote cujus ex ore dulcior melle fluebat oratio.

737 *Quantus erat Calchas extis*] Calchas Thestoris filius fuit, longe omnium ariolandi peritia, quam ab Apolline dicerat, præstantissimus.

741 *Dederat Vulcanus Achilli*] Mortuo enim Patroclo, qui ab Hectore Achillis armis spoliatus, Thetis a Vulcano petiit, ut in ejus gratiam arma filio fabricaret.

ARTIS AMATORIÆ LIB. III.

1 *Prima dedi Danais*] *Arma dedi* reponatur cum scriptis et prima editione. *Heins.* *Arma dedi Danais*] Fatetur Ovidius, se primis duobus voluminibus dedisse præcepta amatoria, et docuisse amantes, quibus modis possent puellas capere. Nunc e diverso pollicetur, se puellis quoque arma allaturum, quibus se tueri possint. *Danais*] Viris pugnantibus contra puellas: ut Danai in bello Trojano contra Amazones.

2 *Et turbæ, Penthesilea, tuæ*] *Turmæ* rectius in Regio, Scaligeri excerptis, et octo aliis. Pont. IV. El. 10. 'Et tu fœmineæ Thermodon cognite turmæ.' Propertius, 'Qualis Amazonidum nudatis bellica mammis Thermodontiaca turma lavatur aqua.' Statius Kalendis Decembribus Sylv. I. 'Cre-

Digitized by Google

das ad Tanain ferunque Phasin Thermodontiacas calere turmas.' Claudianus Rapt. Pros. lib. II. 'Qualis Amazonidum peltis exsultat aduncis Flava cohors: quoties Arcton populata virago Hippolyte niveas ducit post prælia turmas.' Theb. XII. 'Isset et Arctoas Cadmea ad mœnia ducens Hippolyte turmas.' Val. Flaccus de Amazonibus lib. IV. 'ludo volitans cum turma superbo Pulvereis exsultat equis.' 'Turma' autem pro turba sæpe poëtæ utuntur; de quo alibi plura dicentur. *Heins. Et turmæ, Penthesilea, tuæ*] Per Amazonas et catervam Penthesileæ, fœminas omnes designat. Fuit autem Penthesilea Amazonum regina. Trojanis auxilio affuit: quæ post Hectoris obitum, multis præclaris belli facinoribus editis, ab Achille interfecta est.

3 *Pares*] Utrique armati.

7 *Quid virus in angues Adjicis*] *In anguem* prima editio cum quinque scriptis. *Heins. Quid virus, &c.*] Cur venenum addis serpenti, quum id illi a natura sit datum? Ex quo innuit, mulieres, natura callidas, fore his præceptis magis insidiosas amantibus.

8 *Rapidis tradis ovile lupis*] Alii *rabidis lupis*, sed prima editio, Regius, Arondelianus, et quatuor alii, *rabidæ lupæ;* bene: de fœminis enim agitur. Avien. Fab. I. 'rabido quod foret esca lupo.' Prudentius Psychomach. 'rabidorum more luporum Crimina persultant.' Idem Cathem. 'Impavidas lupus inter oves Tristis obambulat, et rabidum Sanguinis immemor os cohibet.' Sed et 'rapax lupus' nostro Trist. IV. El. I. *Heins.*

11 *Minor Atrides*] Menelaus, ex duobus fratribus minor natu. Hoc dicit propter Helenam, quæ Paridem marito Menelao præposuit. *Helenesque sororem*] Clytæmnestram, quæ cum Ægistho adultero rem habebat.

12 *Atrides major*] Agamemnon.

13 *Si scelere, &c.*] Amphiaraum Œclei filium dicit, augurandi arte peritissimum, qui adolescens Argonautas secutus est. Sed quum postea suaderent amici Polynicis, ut ad bellum Thebanum iretur; isque prævideret, si ei bello afforet, se periturum, idque propterea recusaret; ferunt Polynicem aureum torquem a Venere Hermionæ datum, Amphiarai uxori, quo belli societatem viro persuaderet, donasse. *Talaionia Eriphyles*] Talaionis Argivorum regis filiæ.

16 *Totidem lustris*] Decem aliis annis, quibus pugnatum est contra Trojanos.

17 *Respice Phylaciden*] Respice Protesilaum, qui ad Trojam cum quadraginta navibus navigavit: quem, ex cunctis Græcis primum e navi in littus descendentem, vir Dardanus interemit: cujus mors magnum uxori, magnum desolatæ domui, magnum etiam bellatoribus sociis desiderium reliquit. Nam quum Laodamia ejus uxor, Acasti filia, maritum in bello cecidisse intellexisset, optavit ut ejus umbram videret; qua re concessa, non deserens eam, in ejus amplexibus periit: ut Servius docet. Protesilaus autem Phylacides a Phylace Phthioticæ regionis Thessaliæ urbe, quæ sub ejus fuit imperio, appellatus est: vel ab avo Phylaco, Iphicli patre. Laodamia quoque Phylacia, a poëtis appellatur. *Comes ibo marito*] Mortua enim Laodamia in amplexu viri Protesilai, cum eo comes ad inferos profecta est. Sunt qui hoc de Didone intelligant.

19 *Fata Pheretiadæ*] Admetus Pheretis filius Thessalus Alcestin Pelias filiam uxorem duxit: quæ tanto amore maritum dilexit, ut pro eo mortem non recusarit, quum ejus parentes id facere neglexissent. *Conjunx Pagasæa*] Alcestis Thessala. Pagasæ enim sunt Pherarum emporium, dictæ (ut Strabo scribit) propter vicinos fontes, id est, pagas, qui fre-

Digitized by Google

quentes aquarum ubertatem effundunt: vel quod eo in loco Pelias Argo navem compegerit, quæ Pagasæa ideo a poëtis appellata fuit, et Jason Pagasæus. *Conjux Pagasæa*] De Alcestide habes in Eurip. Fab. VI. [Alcest.] Ridet hæc Juvenal. Sat. VI. non longe a fine. 'Spectant subeuntem fata mariti Alcestin: similis si permutatio detur Morte viri, cupiant animam servare catellæ.' Claudian. in Laud. Ser. Regin. aliter hujus meminit: 'Dignius an vates alios exercuit unquam Fœmineæ virtutis opus: quod sponte redemto Casta maritali successit Thessala fato, Inque suos migrare virum non abnuit annos? Hoc Graii memorant.'

21 *Cineres miscebimus, inquit*] Scribo *miscebimur*. In obitum Drusi, 'Miscebor cinerique cinis atque ossibus ossa.' Propertius libro III. Eleg. 4. 'Victor cum victis pariter miscebitur umbris.' Anacreon, Ὀλίγη δὲ κεκόμεσθα Κόνις ὀστέων λυθέντων, In veteri Epigrammate, ἐν δ' Ἀχέροντι Ὀστέα καὶ σποδὴ πάρθενε κεκόμεθα. *Heins.*

22 *Iphias in medios desiluit rogos*] Hanc fabulam habemus in Eurip. Suppl. 8. ubi inter alia a vs. 1059. Ἐνταῦθα γὰρ δὴ καλλίνικος ἔρχομαι Νικῶσα... Πάσας γυναῖκας, ἃς δέδορκεν ἥλιος,...Ἀρετῇ· πόσα γὰρ συνθανοῦσα κείσομαι... Ἄλσους θανόντος Καυκάσου τήνδ' εἰς πυράν. De hoc barbaro τῶν ξυνθανόντων more, qui præcipue Indis fuit familiaris, hoc docet Cicero Tusculan. 5. 'Mulieres vero in India,' inquit, 'cum est cujusque earum vir mortuus, in certamen judiciumque veniunt, quam plurimum ille dilexerit, (plures enim singulis solent esse nuptæ;) quæ est victrix, ea læta, prosequentibus suis, una cum viro in rogum imponitur. Illa victa, mæsta discedit.' De interitu autem Capanei reperies in Stat. Thebaid. X. Adi nostrum de Cons. ad Liv. vs. 322.

23 *Ipsa quoque et cultu*] Virtus et nomine et habitu muliebri Romæ colitur: quod significat, in eo sexu virtutem esse.

24 *Nec mirum, populo si placet ipsa suo*] *Non* et *illa* scripti cum prima editione: et sequenti versu *Nec tamen*. Heins. *Populo suo*] Muliebri turbæ.

25 *Hæ mentes*] Virtute præditæ.

26 *Vela minora*] Mulieres minus bonæ.

28 *Fœmina præcipio*] *Præcipiam* potiores scripti. *Heins.*

29 *Excutit arcus*] *Discutit* prima editio cum plerisque membranis, etiam Regio; nisi quod ille pro diversa lectione *effugit;* quod et in multis aliis inveni. *Idem.*

30 *Parcius hæc video*] Malim *videas*. Idem.

32 *Paucaque, si quæras, crimina fraudis habent*] *Parcaque* Sarravianus. Lego, *Raraque, si quæras, crimina fraudis habet*. In Nuce, 'Raraque in hoc ævo est, quæ velit esse parens:' certe unus Palatinus, *habet*. Idem.

33 *Phasiadem matrem*] *Phasideam* Regius cum multis aliis. Sed verum est quod prima editio et tres scripti agnoscunt, *Phasida jam matrem*. Ep. Paridis, 'Phasida puppe nova vexit Pagasæus Iason.' Ep. Herus, 'Ut semel intravit Colchos Pagasæus Iason, Impositam celeri Phasida puppe tulit.' Fast. I. 'Credulus immerita Phasida fovit ope.' 'Phasides aves' apud Martialem. Regius etiam *Iaso:* dictum Amor. l. II. El. 14. *Idem. Phasiada jam matrem*] Medeam, a Phasi Colchorum fluvio dictam. Probat autem, puellas sæpius falli quam viros.

34 *Altera nupta sinus*] Vel *toros* Regius. Emenda in transcursu locum Propertii valde depravatum, l. II. El. 21. ubi de hac ipsa Creusa agit, 'Colchida sic hospes quondam decepit Iason, Ejecta est: tenuit namque Creusa domum.' Posteriorem versum quis non videt corruptum

Digitized by Google

esse? quomodo enim tenuisse domum Jasonis dici potest, quæ ipso nuptiarum die conflagrarit? Scripti plerique *tenuis domo* vel *tenui*. Scribe, *Lecta Creontea est namque Creusa domo*. Creon enim Creusæ pater. Nos in nostris ad Propertium notis eam castigationem pluribus adstruemus. *Heins. Altera nupta*] Creusa. *In Æsonios sinus*] In sinus Jasonis Æsonis filii.

35 *Quantum te Theseu*] *In te* scripti et prima editio. *Heins. Quantum in te Theseu*] Quum Theseus in Cretam navigasset, Ariadne Minois filia, ejus specie capta docuit eum, quo pacto posset Minotaurum occidere: deinde cum eo nocte clam recedens, in insulam appulit Naxum. Ibi ferunt, Dionysium Ariadnes pulchritudine captum, a Theseo virginem abstulisse, duxisseque uxorem. Ovidius tamen scribit, eam dormientem a Theseo in insula relictam.

37 *Quære novem cur isse vias dicatur*] Ita ex suis libris castigavit ad Claudianum Janus Parrhasius. Regius *cur una vices dicantur:* et emendatum postea, *cur una vices iter isset*, quomodo plurimi ex scriptis: tres, *cur una vices iterasset;* unus *cur una vices sic isset;* prima editio cum sex scriptis, *quære novem vicibus cur una feratur;* unus *cur una vices feratur;* alius, *Quære novem vices cur una ter isset:* sed solus codex Regius hic audiendus: qui nobis inter tantas fluctuationes Cynosura est. Ejus vestigiis insistens, levi mutatione genuinam, nisi fallor, lectionem habebis, si pro his, *vices dicantur*, reponas *Quære novem cur una viæ dicatur:* vel *dicantur:* cur novem viæ appellentur, quæ una est via. Remed. Amor. 'Vixisset Phyllis, si me foret usa magistro, Et per quod novies, sæpius isset, iter.' Et postea, 'Limes erat tenuis longa subnubilus umbra, Quo tulit illa suos ad mare sæpe pedes. Nona terebatur miseræ via.' Alludit ad vicum in Thracia, qui inde dictus ἐννέα δρόμοι, postea Amphipolis; cujus Geographi passim meminerunt. De origine nominis jam dixi. Coluthus, Φύλλιδος ἀντέλλοντα φιλήνορος ἔδρακε τύμβον, Καὶ δρόμον ἐννεάκυκλον ἀλήμονος εἶδε κελεύθου, et quæ sequuntur. Hyginus Fab. LIX. de Phyllide et Demophoonte: 'Qui die constituta cum non venisset, illa eo die dicitur novies ad littus cucurrisse, quod ex ea ἐννέαδος Græce appellatur:' et sic locus is etiam Hesychio appellatur, cum aliis ἐννέα ὅδοι dicatur, ut jam vidimus; atque ita tam in Hygino quam Hesychio videtur corrigendum. *Heins.*

39 *Et famam*] *At* rectius duo libri. *Idem.*

40 *Elissa*] Elissa est nomen Didonis proprium: Dido enim lingua Phœnissa virago dicitur.

43 *Nescirent*] Ignorarent puellæ amandi modum.

47 *Gemini libelli*] Duo volumina superiora.

49 *Probra Therapnææ*] Stesichorum poëtam designat, in cujus ore infantis luscinia cecinit, ut Plinius tradit, mirabili auspicio summum eum poëtam futurum præmonstrans. Hic in Helenam carmen contumeliæ plenum scripsit, quo Castor et Pollux eum luminibus privarunt: sed quum in somno monitus palinodiam cecinisset, visum recepit. *Maritæ Therapnææ*] Therapnæ oppidum fuit Laconiæ. Ibi nata est Helena: unde a poëtis *Therapnæa* appellatur.

51 *Si bene te nosti*] *Novi* scripti plerique cum prima editione. Forte, *Si bene me novi;* et pro *vivis* sequenti versu *vives*, ut versui consulatur. *Heins.*

54 *Granaque pauca*] Paucas myrti baccas.

55 *Sensimus acceptum numen quoque: purius æther Fulsit*] *Acceptis* prima editio cum scriptis plerisque; recte: post accepta folia et grana myrti.

Digitized by Google

Purior etiam *æther* idem. *Heins. Acceptis*] Donis myrti a Venere sumptis.

56 *Cessit onus*] Scribendi difficultas amota est, favente Venere.

57 *Dum facit ingenium*] Putabam *ingenio*. Dum Cytherea facit ingenio, hoc est, favet. In Tristibus, 'Cultor et antistes doctorum summe virorum, Qui facis ingenio semper amice meo.' 'Vide quæ annotamus ad Epist. II. vs. 39. *Heins.*

58 *Quas pudor, et leges, et sua jura sinunt*] *Vita sinit* Regius. Puto, *Qua pudor, et leges, et suâ vitta sinit:* ut Pont. 'Qua sinit officium militiæque labor.' Supra lib. II. 'Perque tuas fiant, qua sinet ipsa, manus:' huc refer, quod initio hujus poëmatis dixerat, 'Este procul vittæ tenues insigne pudoris.' *Idem. Quas pudor*] Nam matronas et castas rejicio.

61 *Veros etiam nunc editis annos*] Regius mendose *veros etiamnum reciditis annos:* unus meus *veros nunc editis:* metuo ut τὸ *editis* integrum sit. Pro *veros*, aliquando conjiciebam *vernos:* ut Propert. l. IV. El. 5. 'Dum vernat sanguis, dum rugis integer annus, Utere, ne quis eat liber amore dies.' Arondelianus *teneros annos.* Sed *veri anni* videntur esse juveniles, ac proinde amoribus apti: supra l. I. 'Ante oculos veniet vera puella tuos:' hoc est, quæ revera sit puella. *Heins.*

63 *Nec, quæ præteriit, rursum revocabitur unda*] *Iterum* scripti plerique cum prima editione: placet. Vide Notas ad Epist. VI. 31. *Idem.*

67 *Qui canent frutices, violaria vidi*] Id ipsum Daphnis suæ puellæ quoque occinit apud Theocr. Idyll. XXVII. 8. Δ. Μὴ κανχῶ· τάχα γάρ σε παρέρχεται, ὡς ὄναρ, ἥβη. Κ. Ἁ σταφυλὶς σταφίς ἐστι, καὶ οὐ ῥόδον οὐον ὀλεῖται. Quo etiam spectant suavissimi versiculi Idyll. 23. a vs. 28. Καὶ τὸ ῥόδον καλόν ἐστι, καὶ ὁ χρόνος αὐτὸ μαραίνει. Καὶ κάλλος καλόν ἐστι τὸ παιδικὸν ἀλλ' ὀλίγον ζῇ. *Canent*] Arent.

68 *Hæc*] De hac spina quæ aruit, et ubi ante fuerant rosæ, nil præter spinas videmus.

69 *Excludis amantes*] *Amantem* rectius quidam libri. *Heinsius.*

71 *Nec tua frangetur janua*] Sic Horat. Od. I. 25. ad Lydiam: 'Parcius junctas quatiunt fenestras Ictibus crebris juvenes protervi: Nec tibi somnos adimunt, amatque Janua limen.'

72 *Sparsa*] Nocte coronati amantes stabant ante limen amicæ, et exclusi coronas relinquebant.

75 *A virgine juras*] *Jures* scripti plerique cum prima editione. *Heins.*

76 *Spargantur subito per caput omne comæ*] *Spargentur* idem: lege etiam *subitæ comæ;* dictum Epist. XVIII. 160. *Idem.*

78 *Nec faciunt cervos*] Cornua cervi mares habent: eaque omnibus annis statuto veris tempore amittunt: et latent amissis, veluti inermes. Indicia ætatis in illis gerunt, singulis annis adjicientibus ramos usque ad sextum annum. Ab eo tempore similia reviviscunt; nec potest ætas discerni: sed dentibus, quos paucos habent aut nullos, senecta declaratur: nullique in imis cornibus rami. Vita his longa: centesimum annum excedunt.

79 *Vestra sine auxilio fugiunt bona*] *Nostra* Regius et multi alii: sic infra etiam nonnulli ex scriptis, 'damnis munera nostra carent.' *Heins.*

81 *Adde quod et partus*] Partus quoque ipse puellis adimit juventæ florem, quod antequam eveniat, utendum esse ætate docet. *Faciunt breviora juventæ Tempora*] *Seniora* Regius cum Politiani excerptis, prima editione, et quinque scriptis: nil muto. *Heins.*

83 *Latmius Endymion*] Dearum exemplis dicit Veneri indulgendum esse. Endymion autem dictus est a Luna amatus, quæ eum dormientem fovit amplexu in Latmio monte Cariæ, quoniam (ut scribit Plinius) primus ejus

Digitized by Google

cursum deprehendit.

84 *Nec Cephalus*] Auroram Cephali amore captam docet Ovid. in Metam. VI. *Deæ roseæ*] Auroræ.

85 *Ut taceam de te, quem nunc quoque luget, Adoni: Unde habet Æneas Harmonienque Venus*] Codex optimus Regius, *Ut Veneri, quem luget adhuc, ponetur, Adonis, Unde habet Æneas Harmoniamque suos?* Venuste, si *donetur Adonis* levi mutatione reponas: *donetur*, pro condonetur. Pont. II. El. 7. 'Culpa gravis precibus donatur sæpe suorum.' Sic Juno apud Horatium Od. III. 3. Quirinum 'Marti redonabo.' Statius Thebaid. VII. 'An suspectus ego? abscedo et mea vulnera dono.' Val. Flaccus libro I. 478. 'Donat et Iphiclo pelagus, juvenumque labores Æsonides;' hoc est remittit. Seneca Phœnissis Actu primo, 'Subinde et aures ingerunt, quicquid mihi Donastis oculi:' hoc est, cujus mihi gratiam fecistis; sic pulcherrime codex egregius Mediceæ bibliothecæ a me cum vulgatis libris collatus. Deprehendit quoque elegantiam ejus lectionis Gronovius noster. In vulgatis *Negastis oculi*. Heinsius.

86 *Harmonienque*] Harmonie filia fuit Veneris et Martis, quæ Cadmo nupsit.

93 *Quis vetet*] *Quid vetat* Junianus. Scribe, *Quid vetet:* dixi ad Epist. X. 88. *Heins.*

94 *Quisve cavum vastas in mare servet aquas*] *Cavo in mare* scripti potiores cum prima editione; recte: sic in Trist. lib. V. El. 1. 'Exiguum pleno de mare demat aquæ.' *Idem.*

95 *Et tamen ulla viro mulier non expedit, inquit*] Nihil sensus est in hoc carmine. Scribe, vel invitis membranis, *Det tamen ulla viro mulier, non expedit, inquis:* non expedit ut mulier ulla det viro. 'Dare' pro copiam sui facere usitatum poëtis. Noster supra, 'Quæ dant, quæque negant, gaudent tamen esse rogatæ;' et sæpe alibi. Martialis quoque, 'Casta igitur nulla est? castæ sunt mille. Quid ergo Casta facit? non dat; non tamen illa negat.' Sic idem passim alibi. Hinc etiam 'dare gaudia,' et 'dare noctem.' *Inquis*] Ut in Trist. lib. V. El. 1. 'At poteras, inquis, melius mala ferre silendo.' Sequenti versu *sumes* pro *sumis* libri veteres; quæ magnus Scaliger ad Propertium de lotio reddendo, et eum secutus Bersmannus, interpretantur. Nolim factum: 'sumere aquam' usitatum pro lavare partes obscœnas, quod post rem Veneream peractam, aut nocturnas pollutiones fiebat, aut etiam post exoneratam alvum. Noster. l. III. Amor. El. 7. de re simili, 'Neve suæ possent intactam scire ministræ, Dedecus hoc sumta dissimulavit aqua.' Et infra hoc libro, 'Scilicet obstabit custos ne scribere possis, Sumendæ detur cum tibi tempus aquæ.' Martialis lib. II. 'Quod fellas, et aquam potas, nil Lesbia peccas. Qua tibi parte opus est, Lesbia, sumis aquam.' Et in Priapeis Epigramma: 'Falce minax et parte tui majore, Priape, Ad fontem, quæso, dic mihi, qua sit iter. Vade per has vites, sed si quam carpseris uvam, Quas aliter sumas, hospes, habebis aquas:' ita scribendum. Certe cum Plautus dixit 'sumere aquam e puteo,' de lotio non intelligebat. *Idem.*

101 *Ordiar a cultu*] *Ordior* Regius. Idem. *Liber*] Vinum.

103 *Forma Dei munus*] Lege *Deum:* aliquis Christianus hoc interpolarat, puto. Sequenti etiam versu malim *carent*. Heins.

107 *Corpora si veteres*] Docet rudi majorum ætate, puellas non usas fuisse cura in cultu corporis, uti postea didicere puellæ Romanæ: quas hortatur, ut externo nitore faciem commendent.

108 *Non veteres cultus sic habuere viri*] *Nec* scripti cum prima editione. Deinde cum Regio, Neapolitano, et duobus aliis legendum *cultos viros*.

Digitized by Google

Med. Faciei, ad puellas, 'Nec tamen indignor, si vobis cura placendi, Cum comtos habeant sæcula nostra viros.' *Heins.*

109 *Valentes*] Crassas et densas, non quales tum Romæ gestabant, bombycinas et pellucidas plerasque, ut supra quoque meminit. *Micyll.*

111 *Scilicet Ajaci conjux*] Tecmessam dicit, cujus amore tenebatur Ajax. *Conjux ornata veniret*] *Venires* bene Regius et quinque alii. Sequenti etiam versu vetustiores plerique *tegimen* pro *tegmen*: *tegumen* Regius cum uno Ambrosiano; quod placet. *Heins.*

112 *Cui tegmen*] Qui habuit non ornatissimum et preciosum scutum, sed ex pellibus boum, ut rudi ætati conveniens. Homer. Iliad. VII.

113 *Nunc aurea Roma est Et magnas domiti possidet orbis opes*] Τὸ *est* in quibusdam libris non comparet. Deinde plerique veteres, *Et domiti magnas.* Lincolniensis, *edomiti.* Scribe, *nunc aurea Roma Edomiti magnas possidet orbis opes.* Sic in Fastis lib. IV. de eadem Roma, 'Crevit, et edomito sustulit orbe caput.' Priori etiam versu Comelinianus eleganter *Simplicitas rudis illa fuit*: de quo ad Epistolam XVII. 192. *Heins.* *Aurea Roma*] Vel pulchra, vel dives: vel propter Capitolium, quod auratum fuisse docet Maro eo versu: 'Atque his auratis volitans argenteus anser Porticibus.'

115 *Quæque fuerunt*] Vel sub Tarquinio, vel Romulo regnante: unde in Fastis scribit: 'Juppiter angusta vix tutus stabat in æde, Inque Jovis dextra fictile fulmen erat. Frondibus ornabant, quæ nunc Capitolia gemmis.'

116 *Alterius dices*] *Dicas* Lincolniensis; bene. *Heins.* *Alterius Jovis*] Quam hujus qui nunc in his colitur. Capitolium autem mons est Romæ, a capite hominis invento ab aperientibus fundamenta, ut Livius et Dionysius scribunt.

117 *Curia, consilio*] *Concilio* Comelinianus et quinque alii; recte: cæterum prima editio et aliæ nonnullæ, ut et tres scripti, *consilii dignissima tanti* secundo casu; quod et alibi apud nostrum in veterrimis libris offendi. Vide Notas Trist. IV. El. 3. vs. 57. Arondelianus, *consilii nunc quæ dignissima tanti*: *nunc est dignissima tanti* Regius: forte *nunc en.* Heins. *Curia consilio*] Curiam duorum generum fuisse, scribit Varro, ubi curarent sacerdotes res divinas, et ubi senatus humanas: ut curia Hostilia, quam primus ædificavit Hostilius rex. Ante hanc rostra erant, de quibus in octavo Livius scribit.

118 *De stipula*] Sic etiam Virgilius: 'Romuleoque recens horrebat regia culmo.' *Tatio regna tenente*] T. Tatio Sabino pariter cum Romulo regnante, ut Livius docet.

119 *Quæ nunc sub Phœbo*] Apollinis Palatini templum intelligit, quod in Palatio Augustus ædificavit. *Ducibusque palatia fulgent*] Per duces, imperatores designat, et Augustum potissimum, ac Tiberium: quorum alter in Palatio habitavit, alter vero illic etiam natus est. Palatium autem ideo appellatum est, quod (ut Varro docet) Palantes cum Euandro venerunt, qui etiam Palatini Aborigines ex agro Rheatino, qui appellatur Palatium, ibi consederunt. Alii a Palatia uxore Latini putaverunt.

123 *Terra subducitur aurum*] *Terræ* scripti. *Heins.*

124 *Lectaque concha venit*] Margaritas intelligit, quæ nascuntur in conchis. Earum dos omnis in candore, magnitudine, orbe, lævore, pondere. *Diverso littore*] Rubri, scilicet, et Indici maris, ubi clariores nascuntur. *Concha venit*] Tres nostri *bacca*; quod Gronovio placebat Observat. l. II. cap. 21. ex Pirckheimeriano: meliores tamen cum vulgatum amplectantur, nil ausim mutare. Nam per conchas baccæ intelliguntur, quæ in con-

Digitized by Google

chis nascuntur ut plurimum. Sic Culice Virgiliano, 'Indi conchea bacca maris.' Tibullus libro II. Eleg. 4. 'Hic dat avaritiæ causas, et Coa puellis Vestis, et e rubro lucida concha mari.' Et lib. III. Eleg. 3. 'Quidve in Erythræo legitur quæ littore concha, Tinctaque Sidonio murice lana juvat?' Propertius libro I. Eleg. 8. 'Hanc ego non auro, non Indis flectere conchis, Sed potui blandi carminis obsequio.' Libro III. El. 12. 'Et venit e rubro concha Erycina salo.' Ita et concham pro purpura ponebant. *Idem.*

126 *Nec quia cæruleæ mole fugantur aquæ*] Nec quia sumptuosissima eriguntur ædificia, ubi fuerant maria. *Aquæ fugantur mole*] Sic Horat. Od. III. 1. 'Contracta pisces æquora sentiunt, Jactis in altum molibus: huc frequens Cæmenta demittit redemtor Cum famulis, dominusque terræ Fastidiosus.'

133 *Nec sint sine lege capilli*] Scribe, *ne sint.* Scripti tamen plerique cum prima editione *non sint.* Heins.

134 *Admotæ manus*] Ad ornandum adhibitæ.

137 *Discrimina*] Divisionem capillorum. *Puri capitis*] Sine ullo velamine.

139 *Exiguum modum*] Crines in orbem redactos: quem 'cincinnum' Juvenalis, 'annulum' Martialis appellat.

143 *Succinctæ Dianæ*] Agili et expeditæ. *Religetur*] Capillos post cervicem collectos astringat, ita tamen ut defluant.

145 *Hanc decet inflatos*] *Huic* Regius et duo alii; quod cum τῷ *jacuisse* construendum: et sic mox idem codex cum plurimis aliis *Hanc placet ornari*, non *Huic.* 'Hanc' scilicet 'ornari.' *Heins.*

147 *Testudine Cyllenæa*] Reticulo curvo in modum testudinis, quo utuntur mulieres ad ornatum capitis. Testudinem autem 'Cyllenæam' appellat, quoniam Cyllenius Mercurius dicitur, a Cyllene monte Arcadiæ, qui (ut scribit Diodorus) ad formam testudinis lyram invenit.

149 *Numerabis in ilice frondes*] *Glandes* scripti plerique cum prima editione. Amor. III. El. 6. 'Ilicibus glandes cantataque vitibus uva Decidit.' Met. VII. 'veluti cum putria motis Poma cadunt ramis, agitataque ilice glandes.' Lib. X. 'Enodisque abies, curvataque glandibus ilex.' Virgilius, 'Nec de concussa tantum pluit ilice glandis.' Hinc 'glans iligna' apud Horatium aliosque occurrit. Lege præterea *numeraris:* sic et supra peccatum non semel. *Heins.*

151 *Nec mihi tot cultus numero comprendere fas est*] *Tot positus* recte libri veteres magno numero; nisi quod Regius *posito;* prima editio *positos* cum scriptis nonnullis: *positis* etiam in suis Zinzerlingus invenerat. Met. II. 'Non erat hujus opus, lanam mollire trahendo, Nec positu variare comas.' Medic. Faciei, 'Vultis adornatos positu variare capillos.' Hinc 'ponere,' 'componere,' 'disponere' comas. Noster infra, 'Quique suas ponunt in statione comas.' In Amoribus, 'Ponere compositas in statione comas.' Et, 'Ponendis in mille modos perfecta capillis.' Cæterum existimo hinc quoque exulare Græcismum Ovidio usitatum, sed ab imperitis librariis passim ejectum, quicquid veteres libri pro vulgata lectione digladientur. Scribe igitur, *Nec mihi tot positus numero comprendere nunc sit.* Vide Notas ad lib. II. 21. *Idem.*

154 *Hesternam credas*] Hinc emenda Propertium lib. XV. 'Et potes hesternos manibus componere crines:' ita diu est quod scribendum vidi: quam conjecturam confirmavit postea Neapolitanus codex satis vetustus, et alter qui penes me extat. De externis et adscititiis crinibus, quæ dici possint, scio: sed huic opprobrio hic

Digitized by Google

locus non est. Potes, inquit, singulis diebus crines componere. 'Hesternas coronas' pari modo dixit lib. II. Eleg. 34. pro heri plexis; ut recte illic restituit Lipsius: et 'hesternas lucernas' libro III. El. 7. quæ vera illic scriptura: 'hesternas rosas' noster libro III. Amor. Eleg. 7. pro heri carptis. *Idem. Illa repexu*] Paulo ante ornata, iterum pectitur.

155 *Ars casum simulet*] Capillos casu inornatos esse simulabis, quum tamen eos pexueris. *Sic capta vidit in urbe*] Hercules Iolen, Euryti filiam in Œchalia dominantis, uxorem petiit. Pater, quia Megaram uxorem ille paulo ante dimiserat, veritus ne idem filiæ eveniret, super eo se matrimonio consulturum dixit. Hercules frustratus in Ætoliam venit, et Deianiram Œnei ex Althea duxit uxorem. Deinde in Œchaliam contra Euryti liberos, quoniam Iole uxor ei negata fuerat, exercitum duxit. Urbe capta, Euryti filios Toxeum, Molionem, ac Pytium occidit: Iolen vero abduxit, quam miro amore prosecutus est: auctor Diodorus. *Sic capta ut vidit in urbe*] *Capta vidit ut urbe* Regius et duo alii; recte; cæteri fere omnes *capta vidit in urbe. Ars casus similis*, pro *casum simulet*, idem Regius. *Heins.*

156 *Sic capta vidit in urbe Alcides Iolen*] 'Hoc uaitatum est Herculi, captas amat.' Senec. Herc. in Œta, 362. et 377. 'Ubique caluit, sed levi caluit face.'

157 *Euhoe*] Vox est bacchantis.

158 *Gnossi relicta, suos*] Ariadnam significat.

160 *Damna pianda*] Quia corporis vitia celatis. *Mer. Damna pianda modis*] 'Pianda' dixit improprie, pro compensanda, et quasi dissimulanda, sive celanda. *Micyl.*

161 *Raptique ætate capilli*] Defluvium capillorum in muliere rarum, in spadonibus non visum, nec in ullo ante Veneris usum.

162 *Fœmina caniciem Germanis inficit herbis*] Ostendit fœminas ætatis etiam vitia posse celare. *Germanis herbis*] Quibus Germani utuntur ad colorandos capillos. *Caniciem*] Canos capillos.

164 *Vero*] Nativo colore.

165 *Crinibus emptis*] Fœminæ enim, defluentibus capillis, alienis utuntur. Et Martialis, 'Dentibus atque comis, nec te pudet, uteris emptis.'

167 *Nec pudor est emisse palam*] *Rubor* libri meliores cum prima editione: dixi Epistola XX. 204. *Heins.*

168 *Herculis ante oculos*] Hercules Romæ ædem habuit, foro boario proximam, ubi ejus statuam sacravit Euander, quæ triumphalis dicebatur, et per triumphos vestiebatur habitu triumphali. Hujus templum, ut Solinus docet, nec canes nec muscæ ingrediebantur. Fuit et Romæ ad portam trigeminam juxta Tyberim ædes Herculis. Fuit quoque ad Circum Flaminium ædes Herculi cum Musis communis, inde dictus Musagetes. Fuit etiam Hercules apud circum maximum in æde Pompeii Magni, opus Myronis: cujus meminit Ovid. in Fastis.

169 *Non jam segmenta requiro*] *Nec nunc* Regius et decem alii. Jureti excerpta *nec enim*: alii aliter. Comelinianus aliique novem cum prima editione *nec vos*; quo sex alii cum Neapolitano allundunt, *non vos*: sed præstat alterum, quod et Zinzerlingo placebat: *rubes* etiam Regius sequenti versu et unus Vaticanus cum prima editione. *Heins. Segmenta*] Vestes aureas, vel potius segmentatas: hinc 'segmentarii.' Sunt etiam segmenta fasciolæ quædam, quæ extremam partem vestis ambiunt, a crebris sectionibus appellata. Juvenalis, 'Segmenta et longos habitus monilia sumunt.'

172 *Census suos*] Quicquid possident. *Census corpore ferre suos*] *Suo* tres libri. *Heins.*

173 *Aëris ecce color*] Cæsius appel-

Digitized by Google

latur, a cœli colore: eum quidam 'hyacinthinum' appellant.

175 *Qui quondam Phryxon et Hellen*] Referendum ad aureum arietis Phryxi colorem: Tibi enim, inquit, similis, qui Phryxum et Hellen eripuisti ex insidiis novercæ. Phryxus, Athamantis regis Thebarum ex Nephele filius, novercæ insidias declinans, una cum sorore Helle e Græcia aufugit: quibus transfretantibus juxta quoddam Deorum oraculum ex Europa in Asiam super aureo ariete, aiunt virginem in mare delapsam, dedisse Hellesponto nomen: Phryxum a Ponto proficiscentem, delatam in Colchida: qui quum secundum oraculum arietem sacrificasset, pellem in templo Martis suspendit: auctor Diodorus.

176 *Inois dolis*] Insidiis novercæ Inus, quare conati sunt aufugere.

177 *Hic undas imitatur*] Rectius *imitatus* in uno Vaticano et Politiani excerptis. *Heins. Hic undas imitatur*] Glaucum, hoc est, viridem colorem designat, quem Hyalum quoque appellamus.

181 *Paphias myrtos*] Veneri dicatas. Unde Romæ ara vetus fuit Veneris Myrteæ, quam *Murtiam* vocabant. *Amethystos*] Amethystinus color est violaceus, ab amethysto gemma appellatus. *Purpureos amethystos*] *Purpureas* Regius et Sarravianus cum duobus aliis; probe: dixi ad Claudianum pluribus. Priscianus Periegesi, *Purpureoque amethystus inest suffusa rubore.* Heins.

182 *Threiciamve gruem*] Quam Maro *Strymoniam* appellavit. Est enim *Strymon* Macedoniæ terminus, qui eam a Thracia dividit, ad quam æstatis tempore multæ advolant grues.

183 *Nec glandes, Amarylli, tuæ*] Alludit ad illud Maronis carmen: 'Castaneasque nuces, mea quas Amaryllis amabat.' Colorem autem eum designat, quem in castaneis videmus. *Mer.*

184 *Et sua velleribus nomina, &c.*] Qui color cerinus dicitur, a quo 'Cerinarii,' qui cerina, id est, cerei coloris vestes tingunt sive inficiunt.

186 *Pigraque fugit hyems*] *Cedit* scripti multi, et prima editio. *Heins.*

187 *Plures succos*] Plures colores. *Elige certos*] Elige decentes colores.

188 *Omnibus unus erit*] *Omnis erit* meliores cum prima editione: argute. Scribonius Largus præfatione, ubi de Compositionibus, 'Quædam quibusdam magis, et non omnes omnibus conveniunt.' Propertius l. III. El. 8. 'Omnia non pariter rerum sunt omnibus apta.' Maximinianus Elegia prima, 'Diversos diversa juvant: non omnibus annis Omnia conveniunt: res prius apta nocet.' Calvus in fragmentis Orationum, 'neque ambitus magis quam omnium legum omnia judicia interierunt.' *Heins.*

189 *Pulla decet niveas*] *Decent* et *decebant* libri veteres cum prima editione. *Idem.*

190 *Cum rapta est*] Scribe *capta est:* quanquam aliter codices antiqui. Vide notas ad Epistolam III. 16. *Idem. Quum rapta est*] Vel ab Achille, diruta ejus patria: vel ab Agamemnone Achilli erepta, missis præconibus Talthybio et Eurybate, qui eam abduxere invitam, mœstam, et recusantem.

191 *Cephei*] Andromeda, filia Cephei Æthiopum regis.

192 *Pressa Seriphos erat*] Vel a te calcata et habitata, quum in eam delata es a Perseo: vel parum mari eminens. Est enim Seriphos parva insula, Cycladum una, in qua ea facta vulgantur quæ de Perseo dicuntur in fabulis.

193 *Quam sæpe admonui*] Ubi vero? certe nusquam in his libris, quod sciam. Optime Regius, *Quam pæne:* Excerpta Politiani *bene;* proxime verum. Unus Palatinus, *Quod pæne.* Negat esse monendum de axillarum fœtore, cum per se satis id caveatur a puellis non omnino stupidis. *Heins.*

Digitized by Google

Ne trux caper iret in alas] Ne male olerent alæ, in quibus hircus cubat.

195 *Sed non Caucasea*] Non doceo fœminas barbaras, et incultas, et montium incolas. Est enim *Caucasus* mons ab India usque ad Taurum porrectus.

196 *Quæque bibunt*] *Bibant* Regius et quinque alii: sequor. *Heins. Myse Caice*] Caicus fluvius est Phrygiæ, a Mysia veniens.

198 *Oraque suscepta mane laventur aqua*] Ne rubiginem contrahant: aut violetur halitus, quod fit ciborum ac dentium vitiis, maxime senio. Utile est autem, mero ante somnos colluere ora propter halitum, frigida mane. *Mer.*

199 *Candorem quærere cera*] An *creta?* quomodo apud Martialem, 'Crassior in facie vetulæ stat creta Fabullæ.' Et, 'Quam cretata timet Fabulla nimbos.' In Catalectis Petronianis, 'Dum sumit creteam faciem Sertoria, cretam Perdidit illa, simul perdidit et faciem:' ita scribendum. Sic apud Ovidium Metam. VII. ex vestigiis optimorum codicum, 'creteis regionibus applicat angues:' ut illic dicemus. Horat. Epod. 'neque illi Jam manet humida creta colorque Stercore fucatus crocodili.' *Heins.*

201 *Arte supercilii*] Fœminæ calamistro et coloribus raritatem superciliorum emendabant. Juvenal. 'Ille supercilium madida fuligine tinctum, Obliqua producit acu.'

202 *Parva aluta*] Parvum tectorium, quasi quædam pellis. Est enim 'aluta,' mollior pellis.

203 *Nec pudor est, oculos*] Cinere et croco utebantur mulieres ad venustandos oculos. Utebantur etiam stibio.

204 *Lucida Cydne, croco*] Cydnus fluvius est Ciliciæ, quem a Tauro ortum habere scribit Strabo. In Cilicia autem optimum crocum nascebatur, quo in venustandis oculis utebantur.

205 *Est mihi, quo dixi*] Libellum Ovidius composuit de medicamine faciei, quem desideramus: nam eum qui extat non Ovidii esse, quidam arbitrantur.

207 *Læsa pellitote puellæ*] *Læsæ figuræ* prima editio et quatuor scripti; probe: alibi, 'Nunc mentis vitio læsa figura tuæ est.' *Heins.*

209 *Non tamen expositas*] Comelinianus, *et positas;* forte *ut positas.* Vide de eo loquendi modo, quæ noto ad Epist. v. 83. 'positæ pyxides,' ut 'posita venena' Remed. vs. 351. *Idem.*

210 *Dissimulata juvet*] *Juvat* scripti cum prima editione. *Idem.*

213 *Œsypa quid redolent, quamvis mittantur Athenis*] Magnus Scaliger reponebat, *Œsypa quid redolent, quamvis mutantur ahenis. Œsypa* certe in Regio et uno Vaticano. Remed. Amor. 'Pyxidas invenies, et rerum mille colores, Et fluere in tepidos œsypa lapsa sinus.' Οἴσυπος καὶ Οἰσύπη καὶ Οἰσυπὶς, ὁ τῆς αἰγὸς ῥύπος· sordes ovium, vel sordes ovillæ lanæ adhærentes, aut lana succida et sordida prope nates ovium, vel etiam pinguedo quæ exprimitur ex hisce sordibus. Οἰσύπιστον, ἔριον ῥυπῶδον προβάτων· ita Hesychius. Œsypon autem neutro genere quoties dicitur, subintellige medicamentum. Οἴσυπον φάρμακον· sic Græci medici sæpe: quomodo hic apud Nasonem: erat autem fœtidi odoris Œsypon: hinc οἰσυπηρὸς et οἰσυπώδης, qui redolet œsypum. Cæterum frustra est vir maximus, qui pro 'mittantur Athenis,' *mutantur ahenis* reponit. Plinius XXVIII. 2. 'Quin ipsæ sordes pecudum, sudorque fœminum et alarum, adhærentes lanis (Œsypum vocant) innumeros prope usus habent. In Atticis ovibus genito palma:' ut jam liqueat, Athenis cur mitti dixerit Ovidius. Galenus quoque lib. XIII. Meth. laudat τὸ Ἀττικὸν οἴσυπον etsi perperam apud illum ὀσσωπον legatur, frequenti errore. Pergit Plinius. 'Fit pluribus

Digitized by Google

modis: sed probatissimum lana ab his partibus recenti concerpta, aut quibuscunque sordibus succidis primum collectis ac lento igni in æneo vase subfervefactis et refrigeratis, pinguique, quod supernatat, collecto in fictili vase, iterumque decocta priori materia: quæ pinguetudo utraque frigida aqua lavatur, et in linteo siccatur, ac sole torretur, donec candida fiat ac translucida. Tum in stannea pyxide conditur. Probato autem, ut sordium virus oleat, et manu fricante ex aqua non liquetur, sed albescat ut cerusa.' Quæ omnia fere ad verbum hausit ex Dioscoride lib. II. cap. 84. ut et suam œsypi compositionem Aëtius lib. II. Tetrabibl. cap. 120. *Idem.*

214 *Immunda vellere succus ovis*] *Immundo* scripti cum prima editione; bene: *mittatur* etiam non *mittantur* versu præcedenti codex Regius. *Idem.*

216 *Dentes perfricuisse probem*] *Defricuisse* iidem etiam probe. Sic apud Catullum, 'dens Ibera defricatus urina:' et eidem, 'Dentem atque rusam defricare gingivam:' et apud Horatium, 'quod sale multo Urbem defricuit Lucilius.' Cæterum huc allusit auctor epigrammatis in Catalectis Petronianis, venusti sane sed valde depravati. Adscribam illud, quomodo emendandum censeo, 'Semper munditias, semper, Basilissa, decores, Semper compositas arte recente comas, Et comtos semper cultus, unguentaque semper, Omnia sollicita comta videre manu, Non amo: neglectim mihi se quæ comit, amica, Et decor ornatæ simplicitate placet. Vincula nec cures capitis discussa soluti, Nec coram faciem me lavet illa suam. Fingere se semper, non est confidere amori. Quid quod sæpe decor, cum prohibetur, adest?' Versu sexto et octavo vestigiis Vossiani codicis institimus, in quo *Sedet ornate* et *coram faciem mel habet illa suam.* In vulgatis libris omnia inquinatissima sunt. *Idem.*

217 *Ista dabunt faciem*] *Curum* Regius et quinque alii: puto *formam*: supra, 'Admotæ formam dantque negantque manus.' Idem.

219 *Signa Myronis*] Myrones duos fuisse Plinius scribit, alterum Lycium, Polycleti discipulum, qui floruit Olympiade 87. alterum vero Eleutheris natum, Ageladis discipulum.

220 *Pondus inerte*] Æs sine forma.

224 *Nuda Venus*] Potes intelligere de Venere Praxitelica, nuda illa, Gnidiam antecedente, et quemcunque alium locum nobilitatura: quæ fuit in templo Bruti Callaici, apud Circum Flamineum, cujus meminit Plin. *Exprimit imbre comas*] Tanquam exiens a mari ex quo nata fertur: talem enim eam fecerat, qualem etiam Apelles pinxerat. Videtur ad Venerem alludere, quam ἀναδυομένην Græci vocant.

226 *Aptius a summa*] Aptius, inquit, aspiciere ab amante, quum extremam manum imposueris tuo cultui. *Conspiciere*] *Conspiciare* Sarravianus et unus Patavinus. *Heins.*

227 *Cur mihi nota tui*] *Tuo in ore* rectius tres scripti. *Idem.*

228 *Claude fores thalamis, quæ rude cogis opus*] *Forem* prima editio cum scriptis potioribus; sic passim noster. Puto et *Obde forem*: de quo lib. II. 636. Deinde Regius, *quid rude cogis*; at prima editio, et Sarravianus, *quid rude prodis opus?* recte: quatuor alii, *quæ prodis*; unus *quod prodis.* Forte *quo prodis?* De prodendi verbo hac significatione dictum Fast. v. 506. *Idem.*

230 *Offendit*] *Offendat* Regius et quinque alii: prima editio *Offendet* cum tribus scriptis. *Idem.*

231 *Aurea signa*] Quæ inter columnas locabantur: unde in M. Scauri theatro legimus signa ærea inter columnas fuisse numero tria millia.

232 *Quam tenuis bracteu ligna tegat*]

Digitized by Google

Tegat jam præcessit superiori pentametro: *ligat* Farnesianus. Scribo *linat*; ut alludatur ad derivationem vocis: *bractea* enim, seu βρεκτία ἀπὸ τοῦ βρέχειν deducitur, a linendo. Hinc Martialis quoque, Epigr. IX. 57. 'Et linit Hesperium bractea viva pecus.' 'Bracteam, 'sputum' idem vocat Epigr. VIII. 33. 'Hoc linitur sputo Jani Caryota calendis.' Idem lib. I. 'Nec quæ Callaico linuntur auro;' sic et 'illita porticus auro' apud Calpurnium Eclog. VII. et 'aurum vestibus illitum' Horatio Od. IV. 9. et 'vestes auro illitæ' apud Senecam Hippolyto Act. 2. Noster Met. XI. 'Neve male optato maneas circumlitus auro.' Noster Medicamine Faciei, 'Culta placent: auro sublimia tecta linuntur.' Hinc *bractearii*, πεταλουργοὶ, et *bracteatores*, πεταλοποιοὶ. Eleganter Arnobius 'bracteolis fucari,' lib. VI. 'Antiochum Cyzicenum ferunt quindecim cubitorum Jovem ex delubro aureum sustulisse, et ex ære bracteolis substituisse fucatum:' ita et 'aërius bracteolæ fucus' Ausonio Epist. 4. ad Symmachum: 'auro inbracteari' apud Ammianum lib. XIV. et 'inbracteatum auro' lib. XVII. sic et 'linere cedro.' Vide Notas ad Trist. I. 5. 7. ubi pro *ligetur* similiter *linatur* reponimus. *Heins. Tenuis bractea*] Tenuis lamina.

236 *Ut jaceant fusi per tua colla veto*] *Terga* scripti fere omnes cum prima editione. Lege *sua terga*: sic infra, 'Spectentur tergo, quis sua terga placent.' Multus in hac locutione Ovidius, ut jam alibi copiose est dictum. Mox infra, 'Arida nec vinclis crura resolve suis:' ita et illic libri veteres: *vetem* etiam recte unus ex meis. *Heins.*

237 *Morosa*] Difficilis, querula.

238 *Nec lapsus sæpe resolve comas*] *Laxas* prima editio et quinque scripti: tres *lassas*; totidem *nexas*. Puto pro *pexas*. Propertius tamen l. I. El. 3. 'Et modo gaudebam lapsos formare capillos.' *Laxas* etiam placet: supra, 'Huic decet inflatos laxe jaculsse capillos:' quibus *adstrictos* ibidem opponit, 'Illa sit adstrictis impedienda comis.' B. Hieronymus adversus Rufinum, 'Habent acus mulieres, quibus ornatorum crinium compago retinetur, ne laxius fluant.' Petronius, 'Serta placent, fractique enervi corpore gressus, Et laxi crines, et tot nova nomina vestis.' *Heins.*

239 *Tuta sit ornatrix*] Ne eam pulses.

242 *Plorat ad invisas*] *Et invisas* scripti plerique cum prima editione; sed perperam. Superiori versu puto scribendum, *Devovet, ut tangit*. Heins.

244 *In æde*] In loco minime viris pervio. *Bonæ Deæ*] Ad quam viris non erat accessus. Propert. 'Sacra Bonæ maribus non adeunda Deæ.'

246 *Perversas comas*] Capillos confusos et disturbatos.

247 *Tam fœdi pudoris*] Ut deprehendatur puella, dum ornat caput.

248 *In nurus Parthas*] In uxores Parthorum, hostes Romani nominis.

249 *Turpe pecus mutilum: turpis sine gramine campus*] *Turpe est* primus Patavinus; recte: sic infra, 'Turpe jacens mulier multo madefacta Lyæo.' Amor. I. 9. 'Turpe senex miles, turpe senilis amor.' Supra, 'Turpe vir et mulier juncti modo protinus hostes.' *Pecus mutilum* pro depilato ponit. Sic Nemesianus in Cynegetico de Sileno, 'Applauditque manu mutilum caput.' Sileni enim calvi. *Heins. Pecus mutilum*] Sine cornibus.

251 *Non mihi venistis, Semele, Ledeque, docendæ*] Non hæc scribuntur pulcherrimis, ut fuit Semele, Cadmi Thebarum regis filia, aut Leda, Helenæ mater.

252 *Sidoni, vecta bove*] Sidonis Europa dicitur, a Sidone urbe: quam a Phœnicibus conditam, a piscium ubertate, quos sidones vocant, appellatam scribit Justinus.

254 *Troice raptor*] *Troie* Johannis

Digitized by Google

Schefferi codex viri doctissimi. Dixi Notis ad Epist. I. *Heins. Troice raptor*] Paris Trojane.

256 *Pulchraque sunt semper deteriora bonis*] Scripti plerique *Pluraque:* quod verum est. In Jureti Excerptis *Plurima.* Heins.

257 *Præceptaque quærunt*] *Curant* Jureti Excerpta, Sarravianus, et duo alii cum prima editione. Amor. l. II. 19. ex veteribus libris, 'Quo mihi fortunam, quæ nunquam fallere curet.' *Idem.*

259 *Cessat*] Ab arte sua, et navigandi peritia: sic formosa mulier præceptis nostris minus utitur.

261 *Rara tamen menda facies caret*] *Mendo* Regius; bene: quomodo et Remed. Amor. 'Tunc oculis signa quodcunque in corpore mendum est.' Et sic infra scribendum puto, *carent cui pectora mendo;* ut concursus duum *a* vitetur, quem et hic vitavit. Nam alibi fœminino genere effert Noster. *Heins.*

262 *Quaque potes*] *Quamque* Comelinianus, excerpta Politiani, et Jureti, et quatuordecim alii: sic Remed. 'Quam potes, in pejus dotes deflecte puellæ.' Supra lib. I. 'Junge tuum lateri, quam potes, usque latus.' Et, 'Neve aliquis verbis odiosas offerat aures, Quam potes, ambiguis callidus abde notis.' *Idem.*

265 *Hic quoque*] Malim *Sic quoque.* Idem.

267 *Quæ nimis est gracilis*] *Nimium gracilis* ex scriptis ac prima editione reponatur: ut et *tangat viris,* pro *tingat,* sequenti versu. Infra hoc libro, 'Tuta quoque est, fallitque oculos e lacte recenti Littera: carbonis pulvere tange, leges.' Fast. IV. 'Tactaque fumanti sulphure balet ovis.' Et supra l. I. 'uncta lumina tange manu.' Plura qui desiderat, adeat Grenovii Observ. III. 18. quæ scripta limpidos Romanæ antiquitatis fontes sitientibus diligenter sunt terenda. *Idem.*

270 *Ad Pharii confuge piscis opem*] Ad medicinam crocodili. Potes etiam de stercore crocodili intelligere, quo puellæ utebantur ad cutis nitorem.

271 *Pes malus*] Turpis pes. *Aluta*] Calceo.

272 *Arida crura*] Macie tenuata. *Vinclis crura resolve tuis*] *Suis* bene Excerpta Jureti, et quinque alii: Fast. III. 293. ut et illic monui scribendum, 'adhibe sua vincula captis.' *Heins.*

273 *Conveniunt tenues scapulis ameletides altis*] Magnus Scaliger ad Varronem legit *Omaletides, ὁμαλήτριδες* quod humeros nimirum æquos et ὁμαλοὺς reddebant: sed earum nullus quod sciam meminit. Certe aliter libri meliores. Regius *analecptrides,* et in margine *analetrides.* Sarravianus *analentrides;* Jureti Excerpta *analectides.* Comelinianus et alius, *amaletides,* quod proxime conjecturam Scaligeri accedit: tres alii, *amalectides.* Neapolitanus, et alius, *analedides.* Alii quinque *analectrides:* quidam, *analectides, analetides, analetrides, analatrides, analantrides, analentrides, aneletides, anacledides, anasecrides, analemptrides, analeides, anelantides, analattides, aneclides, amaleptrides, anchiletrides, audatides:* quæ monstra lectionum sunt; et tamen apponenda duxi, ut alienæ quoque conjecturæ locus esset. Turnebus Adversar. IV. 23. *ometides,* humerales fascias legendum contendit, et reprehendit illos qui *analectides* emendant, Cælium Rhodiginum, et, qui illum sequitur, Mycillum tangens, cujus hanc conjecturam probabat tamen Gruterus. Ego ad Regii codicis, sacræ tanquam anchoræ, confugiens scripturam, τὸ *analecptrides,* geminam lectionem designare opinor, videlicet in nonnullis codicibus *analectrides* ἀπὸ τοῦ ἀναλέγειν scriptum fuisse; in nonnullis *analeptrides* ἀπὸ τοῦ ἀναλαμβάνειν colligere, restringere monens. Ego tamen

Digitized by Google

analectrides malim, quod earum etiam usus in lecto fuerit: ita et ὁμολεκτρίδες, *concubinæ*. Olim refingebam *anacleptides*, ἀπὸ τοῦ ἀνακλέπτομαι, *retrocedo*; vel, *anacletides*. Alexis Comicus apud Athenæum l. XIII. ἐν τῷ δράματι ἐπιγραφομένῳ Ἰσοστάσιον, multa ad rem habet, et inter cætera de tumore dorsi cohibendo, κοιλίαν ἁδρὰν ἔχει; Τιτθίαις ταυταισὶ τούτων, ὧν ἔχουσ' οἱ Κωμικοὶ, Ὀρθὰ προσθεῖσαι, τοιαῦτα γοῦν, αὐτῶν τῆς κοιλίας, Ὥσπερεὶ κοντοῖσι τούτοις, εἰς τὸ προσθ' ἀπήγαγον. Ubi vides etiam pectori adhibitas fuisse virgas tiliaceas. Antoninus Pius apud Capitolinum, 'fasciabatur tiliaceis tabulis in pectore positis, ut rectus incederet.' *Idem.*

274 *Angustum circum fascia pectus est*] Regius alter *Inflatum pectus*: quod verum est. Remediis Amoris, 'Durius incedit? fac ambulet: omne papillæ Pectus habent? vitium fascia nulla tegat.' Sic et 'inflatos capillos' supra dixerat: 'Hanc decet inflatos laxe jacuisse capillos.' Intelligit autem Strophium, quod 'luctantes papillas vincibat,' ut cum Catullo loquar. Nonius certe Strophium vocat 'fasciam brevem, quæ virginalem papillarum tumorem cohibet.' Martial. Apoph. 134. 'Fascia crescentes dominæ compesce papillas.' *Idem.*

275 *Exiguo signet gestu, quodcunque loquatur*] *Loquetur* Regius: unus Vaticanus *signes* et *loqueris*; duo alii *signi*. Junianus *signat*. Scribe, *Exiguo signa gestu quodcunque loqueris*. Idem.

276 *Et scaber unguis erit*] *Erunt* recte Bartholi Bartholini clarissimi et humanissimi viri. *Idem.*

283 *Sint parvæ utrimque lacunæ*] *Parvæque* scripti plerique cum prima editione, nisi quod Regius, *parieque*. Forte *pariles et utrimque lacunæ*: nam τὸ *que* geminatum offendit aures duriore sono: ea vox Ovidio in deliciis, ut dicemus Met. VII. 638. *Idem.*

286 *Fœmineumque sonent*] *Sonet* iidem libri: quod si sequamur, *contenderit etiam* superiori versu erit scribendum, vel *contendat ut*. Idem.

287 *Perverso cachinno*] Turpi risu.

288 *Cum risu læta est altera*] *Risu usa est* vel *lata*. Regius *usa*, etiam duo alii: unus *lusa*: duo alii, *risuque usa est*. Puto, *Cum risu effusa est*; vel, quod malim, *In risum effusa est altera*. Heins.

289 *Quiddam atque inamabile ridet*] Tres libri cum Jureti Excerptis, *quiddamque inamabile*. Scribe, *quiddamque inamabile stridet*. Idem.

290 *Ut rudit a scabra turpis asella mola*] *Ad scabram molam* scripti multi: probe. *Idem.*

294 *Lingua coacta sono*] Unus meus *subdola lingua*. Sic supra I. 'Fac titubet blæso subdola lingua sono.' *Idem.*

295 *Quædam male reddere verba*] *Male verba recidere quædam* unus Patavinus et Argentinensis: in Arondeliano pro diversa lectione, *quædam rescindere*. Idem.

296 *Discunt posse minus*] Discunt blæsa verba pronunciare, quod negavit illis natura.

297 *Omnibus his, quando prosunt*] Scripti cum prima editione *quoniam*; etsi alterum quoque non inelegans. Junianus, *magnam prodest impendere curam*: *magnam (prodest) impendite curam* prior Mentelianus; quæ lectio arridet præ reliquis. *Heins.*

298 *Fœmineo corpora ferre gradu*] Redi ad Amor. II. 4. 23. Sic Eurip. Med. vs. 1164. ἁβρὸν βαίνουσα παλλεύκῳ ποδί. Cui Poëta opponit Rem. Am. vs. 337. 'Durius incedit.'

300 *Allicit ignotos illa*] Legendum *ille*; de incessu agit. Deinde *Alligat* prima editio, cum multis scriptis, quos inter et Regius: fortasse rectius. Terentius Adelphis Act. V. 3. 'D. istam psaltriam Una illuc mecum hinc abstraham. M. pugnaveris. Eo pacto prorsum illi alligaris filium.'

Digitized by Google

Apposite Propertius de Cynthia l. I. El. 5. 'Illa feros animis alligat una viros.' *Heins.*

301 *Hæc movet arte latus*] Alia in incessu movet se mollius quam par sit.

302 *Excipit*] *Accipit* scripti cum prima editione. *Heins.* *Extensos pedes*] Quasi digitis pedum insistat.

303 *Illa velut conjunx*] Alia velocius incedit, ut videatur rustica, aut varicosa. *Conjux rubicunda*] Fortis uxor, nec mollis. *Umbri mariti*] Umbri populi Italiæ fortissimi fuere, quos ipsorum fœminæ in incessu imitabantur. *Umbri conjux rubicunda mariti*] *Catonis* unus Patavinus. Puto, *coloni*: ut apud Statium l. v. Sylvar. Pietate Abascantii, 'velut Appula conjux Agricolæ parci.' Sequentem versum Quintiliani illa de gestu pedum illustrant II. 3. 'Varicare supra modum et in stando deforme est, et accedente motu prope obscœnum.' *Heins.*

304 *Ingentes gradus*] Ampliores gressus. *Varica*] Quasi varica. Vari seu varici dicuntur, qui obtortis introrsum cruribus distorte ambulant. *Mer.* Sed 'varica' non hoc loco accipitur de pedum vitio; sed varicam ingentes gradus ferre dicit, quæ grandis incedit, et ingentes passus metitur; quod fieri non potest, nisi multum apertis et varicatis cruribus. *Salmas.* *Ingentes varica ferique gradus*] Magnis it passibus. 'Magno Megareia præceps Arva rapit passu.' Stat. Thebaid. x. Qualem solent concitati homines ferre gradum: unde ex incessu quoque notatur animus: quod poëta hoc loco videtur innuere. Sic Senec. in Herc. Fur. de Lyco. 329. 'Sed, ecce, sævus, ac minas vultu gerens, Et qualis animo est, talis incessu venit, Aliena dextra sceptra concutiens manu.' Μακρὰ βιβάσθων, Iliad. E. 809. de Ajace commoto. Quo respexit Lucian. in Dialog. Αἴας ὑπὲρ μεγάλα βαλ-ὼν. 'Feroci ingenio torvus, prægrandique gradu,' Pacuv. Plaut. Aulular. I. 1. 10. 'Testudineum istum tibi ego grandibo gradum.' Spissigradus, Pœnul. III. 1. 3.

305 *Sed sit, ut in multis, modus hic quoque*] Ita libri omnes. Censeo scribendum nihilominus, *Sed sit, ut in cultu, modus hic quoque.* De cultu enim fœminarum egit paulo ante. *Heins.*

307 *Pars humeri tamen ima tui*] Hic locus in mentem mihi revocat alterum Propertianum in fabula Hylæ lepidissima, sed pessime a librariis habita, quæ ingenia nostri temporis critica non minus exercuit, quam Hylas ipse antiquos olim poëtas: locus est l. I. 20. 'Tandem haurire parat demissis flumina palmis Innixus dextro plena trahens humero:' quo loco scribendum, *Nixus, et exserto plena trahens humero.* Sequens versus conjecturam confirmat, qui ad exsertum humerum referendus, 'Cujus ut accensæ Dryades candore puellæ.' 'Exerere humerum' elegans et Latinum; de quo nos pluribus aliquando ad ipsum Propertium. *Idem.*

311 *Monstra maris Sirenes erant*] Puellas admonet, ut cantare discant. Sirenes autem fuerunt Achelai, et Musæ Calliopes, vel (ut alii malunt) Terpsichores filiæ, numero tres, Parthenope, Leucosia, et Ligia: quarum una voce, alia cithara, tertia tibiis utebatur. Has aiunt cantus dulcedine naves detinere solitas, et sopitos homines mergere. Quare cum Ulysses ante eorum littora navigaret, sociorum aures cera obturavit, et illæsus evasit. Easdem scribit Euseb. meretrices fuisse, solitas navigantes decipere. *Sirenes*] Apollon. in Argon. l. IV. 891. illarum sedem in insulis ponit, αἶψα δὲ νῆσον Καλύψω, ἀνθεμόεσσαν ἐσέδρακον, ἔνθα λίγειαι Σειρῆνες σίνοντ' Ἀχελοΐδες, ἠδείῃσι Θέλγουσαι μολπῇσιν ὅτις παρὰ πεῖσμα βάλοιτο. Æneid. v. non longe a fine, in scopu-

Digitized by Google

lis et saxis maris locat: ubi consule Servium: 'Jamque adeo scopulos Sirenum advecta subibat, Difficiles quondam, multorumque ossibus albos:' Quod ex Homer. Odyss. M. 44. Ἀλλά τε Σειρῆνες λιγυρῇ θέλγουσιν ἀοιδῇ, Ἥμεναι ἐν λειμῶνι· πολὺς δ' ἀμφ' ὀστεόφιν θὶς Ἀνδρῶν πυθομένων, περὶ δὲ ῥινοὶ μινύθουσιν. Cantum illarum, quo invitabant prætereuntem Ulyssem, videbis in Homer. d. l. vs. 184. Quos versiculos Cicero Latine reddidit De Finib. v. 'O decus Argolicum quin puppim flectis, Ulysses,' et quæ seqq.

312 *Quaslibet admissas detinuere rates*] Scribe cum Regio *Quamlibet*: sic in Trist. l. I. El. 9. 'Quamlibet egressas occupat ante rates.' Vide Notas ad Epist. VI. 140. eandem vocem hoc ipso libro mox semel iterumque restituemus. *Heins.*

313 *Sisyphides*] Ulysses Sisyphi filius, qui Autolycam Laërtæ desponsatam violavit, ex eaque Ulyssem peperit. *Pœne resolvit Corpora*] Erat enim malo navis alligatus.

314 *Illita cera*] Circes consilio, ne cantus suavitate decor periret.

318 *Niliacis modis*] Canticis Ægyptiis. Cantilenæ namque Ægyptiæ et Gaditanæ ob lasciviam maxime placebant. Martial. 'Cantica qui Nili, qui Gaditana susurrat.'

321 *Rhodopeius Orpheus*] Threicius. Fuit enim Thrax genere, ut Diodor. scribit, filius Œagri et Calliopes.

323 *Saxa tuo cantu*] Jupiter in Satyri formam Antiopem Nictei filiam compressit: quæ iram paternam verita, ad Epopeum regem Sicyonum se contulit: ubi Zethum et Amphionem peperit, quos pastor educavit. Nicteo deinde mortuo ob dolorem amissæ filiæ, ejus frater Lycus, ducto exercitu, Epopeum occidit, Antiopenque abduxit: quam Dircæ uxori custodiendam tradidit. Ea quum fugisset, filios ad uiciscendam Dircen impulit. Hi eam revinctam taurorum sylvestrium caudis, laniarunt ad eum locum, qui fontis Dircæi ab ea nomen accepit: unde Ovidius Amphiona matris vindicem appellavit.

324 *Fecerunt muros*] Thebanos enim muros lyra struxisse dicitur Amphion.

327 *Genialia naulia palma Vertere*] *Verrere* eleganter Regius et Arondelianus; quomodo et Scaliger in ora sui codicis conjecerat legendum. In eodem *nubila*; sed *naulia*, *ναύλια*, probum est; quæ *νάβλα* apud Suidam: vide et Pollucem. *Heins.* *Genialia naulia palma Verrere*] Nablium, sive naulium, instrumentum est musicum. Vide Politian. Miscell. 14. 'Genialia.' delectantia.

329 *Sit tibi Callimachi*] Callimachus progenitorem habuit Battum, qui Cyrenen condidit. Poëta simul, et grammaticæ studiosus, cui primas in Elegia tribuit Quintilianus. *Coï Poëtæ*] Philetas, Poëta simul, et antiquorum scriptorum censor, ex Co insula.

330 *Teïa Musa*] Anacreon, Poëta lyricus, auctore Strabone, Teon patriam habuit, quem Plinius scribit acino uvæ passæ strangulatum.

331 *Nota sit et Sappho*] Sappho Mitylenæa cum Alcæo claruit, cui in poëtica nullam fœminam comparandam scribit Strabo: scripsit enim elegias, libros lyricos novem: carmen invenit, quod a se Sapphicum denominavit: prima etiam plectrum reperit.

332 *Cuive pater vafri*] Terentium innuit, qui in Phormione Getam inducit, Chremetem et Demiphontem senes fallentem.

334 *Sive aliquid Galli*] Cornelius Gallus Forojuliensis fuit, Euphorionem in Latinum transtulit.

335 *Dictaque Varroni*] Eusebius chronographus Varrones duos fuisse scribit: alter M. Terentius Varro appellatus, philosophus pariter et Poëta, Romanorum omnium (ut Fabius auctor est) eruditissimus, linguæ Latinæ peritissimus, et omnis antiquita-

Digitized by Google

tis. Alter fuit P. Terentius Varro Attacinus, ab Attace vico Narbonensis provinciæ, ubi natus est. De hoc nunc loquitur Ovidius.

336 *Germanæ tuæ*] Quæ ex ariete aureo decidit, cujus vellus postea in templo Martis in Colchide fixum Argonautæ abstulerunt.

342 *Partes duas*] Viros et fœminas.

343 *Deque tribus libris*] *Deve* scripti cum prima editione. Regius *Deve cerem libris titulos quo signat amorum;* quod monstrum lectionis non capio: tamen et in uno Palatino, *De veterum libris.* An *Deve trium?* Sequenti versu *quod legas* bene libri iidem. *Heins.*

347 *Ita velis*] Ut legatur et cantetur meum opus.

351 *Artifices lateris, scenæ spectacula amantur*] Malo *emuntur:* sic Trist. II. 'Quæ mimis prodest, scena est lucrosa poëtæ: Tantaque non parvo crimina Prætor emit. Inspice ludorum sumtus, Auguste, tuorum: Emta tibi magno talia multa leges.' *Heins. Artifices lateris*] Histriones latera in scena concinne moventes. Ars autem histrionica adeo olim Romæ claruit, ut Clodius Æsopus, histrio-tragicus ex eo quæstu patinam sexcentis sestertiis insignem fecerit, in qua posuit aves cantu aliquo aut sermone humano vocales: et ejus filius Clodius, relictus ab eo in amplis opibus hæres, uniones in cœna magni pretii devoravit, ut auctor est Plinius.

352 *Talorum dicere jactus*] *Discere* multi ex scriptis: *ducere* Junianus et primus Patavinus; recte: sic infra, 'Ducere consuescat multas manus una figuras.' *Heins.*

356 *Quam subeat partem*] Cui sit periculo subjecta. *Quamque vocet*] Quot puncta cupiat ad obtinendam victoriam.

357 *Latronum prælia*] Calculorum ludum.

358 *Unus cum gemino*] Caute ludendum est, quum solus latrunculus tuus cum duobus hostibus pugnam capessit, et obsidetur.

359 *Bellatorque suo prensus sine compare pugnet*] *Sua compare*, et *bellat*, prima editio cum Regio, Sarraviano, et aliis quibusdam. Plures *bellet*. Sequenti versu etiam *recurrit* legendum. Ut hæc omnia ad latrunculorum lusum referantur. 'Sua compare,' uxore. Amor. III. 5. 'Tu vir, et in vacca compare taurus eras.' *Heins. Bellatorque*] Quem equitem *regem* appellant in calculis. Sunt qui intelligi malint *equitem. Sine sua compare*] Sine eo latrunculo, quem in eo ludo reginam nominant. Alii vero equitem collusoris accipiunt.

361 *Reticuloque pilæ*] Reticulum appellat alveolum, signatum in retis formam. Pilam vero, quam peditem in calculis dicunt. *Fundantur*] Spargantur in alveolo, et ducantur semel tantum.

362 *Quam tollas*] Quam rapias adversario.

363 *Est genus, &c.*] Ludum eum designat, qui constat ex duodecim calculis. *Tenui ratione redactum Spicula*] *Scriptula* Scaliger, et Salmasius ad Historiam Augustam; qui videndus: codices quidam *reductum*. Forte, *tenui statione reductum*. Heins.

367 *Mille face esse jocos*] *Facesse* Regius et quatuor alii. Reliqui *fac esse*. Idem.

371 *Tunc sumus incauti*] Lege, *Dum sumus* cum prima editione et quatuor scriptis: et *aperimur in ipso*, pro *ab ipso*, meliores libri. *Idem.*

377 *Nulla fides tabulis, quæ non per vota petuntur*] *Tabulæ* Regius princeps et quatuor alii: tertius Regius pro diversa lectione *talis*. Scribo, *Nulla fides talis, qui non per vota petuntur:* aut, quod malo, *per vota teruntur*. Nihil sibi promittunt nec bene sperant de jactu talorum, cui vota desint. Ita nostri aleatores etiamnum, qui sine votis et jurejurando nihil moliuntur in lusu. Si *tabulæ* cum primo Regio mavis, legendum, *Nulla*

Digitized by Google

fides tabulæ: quæ non per vota petuntur? sed præstat altera scriptura. *Idem.*

383 *Sunt illis celeresque pilæ*] *Teretesque* tertius Regius pro diversa lectione; quod placet: sic 'teres malum' apud auctorem Panegyrici ad Pisonem. Ausonio, 'mundi instar habens, teres atque rotundus.' *Idem. Celeresque pilæ*] Utebantur enim pila, quam paganicam appellabant. *Jaculumque*] Jaculo etiam exercebantur Romani.

385 *Nec vos Campus habet*] Campi Martii admirabilis erat magnitudo: suppeditabat enim curules pariter cursus, et alia equestria certamina expedita. *Gelidissima virgo*] Aquam virginem intelligit: a virgine, quæ ejus fontem indicavit, ita appellata, ut Frontinus docet.

386 *Nec Tuscus placida*] Tuscum ideo Tybrim nominat, quoniam ab Apennino defluens, per Tusciam Romam defertur. *Placida devehit amnis aqua*] *Placida aqua* Tyberi non recte datur, cum sit rapidus. Scribe *placita aqua:* et adi quæ notamus ad Epistolam XIX. 208. *Heins. Placida aqua*] Sic Virgil. 'Leni fluit agmine Thybris.' Et Æneid. VIII. 'fluvio Tiberinus amœno.'

387 *Pompeias ire per umbras*] Porticus Pompeii erat in Campo Martio.

388 *Virginis æthereis*] Æstatem designat: nam Sol per Cancrum et Leonem transiens, et Virginem, æstatem efficit, ex sententia Hygini.

389 *Sacrata palatia*] Palatinum collem consecratum Apollini, cui templum in eo Augustum erexisse diximus, cujus meminit Ovid. in Fast. IV.

390 *Ille Parætonias mersit in alta rates*] *Paratonicas* optimus Regius et duo alii. Puto *Paratonidas:* vide notas supra l. I. 172. *Heins. Paratonias*] Ægyptias. Est enim Parætonium urbs Ægypti in ora maritima, et portus ingens 40. fere stadiorum. Hanc alii Parætonium, alii Ammoniam, vocant. Intelligit autem Apollinem, qui in prælio apud Actium contra M. Antonium et Cleopatram affuit Augusto.

391 *Quæque soror*] Porticum Octaviam dicit, ita appellatam ab Octavia sorore Augusti. *Conjuxque ducis*] Liviæ porticum, e Livia uxore Augusti cognominatam, accipe.

392 *Navalique gener*] Agrippam Augusti generum dicit; ejus enim filiam Juliam duxit uxorem. Illum Augustus navali corona donavit, qua donari solebat, qui primus in hostium navem armatus transiliisset. *Navali honore*] Respicit Poëta ad illud Æn. VIII. 'Parte alia, ventis et Dis Agrippa secundis Arduus, agmen agens; cui belli insigne superbum Tempora navali fulgent rostrata corona.'

393 *Visite thuriceremas*] De templo Isidis, repete quæ diximus in primo. *Vaccæ Memphitidos*] Isidis Ægyptiæ, quæ olim in vaccam mutata, apud Ægyptios colebatur.

394 *Terna theatra*] *Trina* codex unus Patavinus. *Heins. Terna theatra*] Ea in campo proximo Campo Martio fuisse, docet Strabo: unde hic 'conspicuis locis' addidit Ovid. erant enim eo in loco præclara ædificia. *Conspicuis terna theatra locis*] Adi Barth. Marlian. in epitom. antiq. Rom. topograph. VI. 12.

395 *Maculatæ sanguine arenæ*] *Maculosæ* scripti cum prima editione. Ausonius de Cæsaribus, 'Commodus insequitur maculosæ sanguine arenæ.' *Heins. Sanguine*] Gladiatorum cruore.

396 *Metaque ferventi*] Ludos Circenses dicit. *Mer.*

399 *Thamyran superes atque Orphea cantu*] *Et Amœbea* scripti potiores cum prima editione; nisi quod in nonnullis *Amebeaque:* frustra. Nihil certius: quod et sibi in membranis fuisse inventum monuit me per literas vir celeberrimus Joannes Fredericus Gronovius, ac demum in Ob-

Digitized by Google

servationibus. IV. 15. est testatus. Fuit autem Amœbeus Citharœdus Atheniensis magni nominis, cujus ex Aristeæ de Citharœdis libro meminit Athenæus lib. XIV. Zenoni coætaneum facit Plutarchus περὶ τῆς ἠθικῆς ἀρετῆς. Laudat eum a continentia Clemens Alexandrinus l. III. Strom. Ælianus Histor. Animal. VI. 1. et Variæ Historiæ III. 30. Miror interpretes, imprimis Ciofanum, cui copia fuit tot veterum librorum, hunc locum præterlisse indictum. *Heins. Tu licet et Thamyran*] Thamyras Philamonis filius, rediens ex urbe Ætolia, quum Musas habuisset obvias, scientia cantandi gloriabundus, affirmavit se eas superaturum, si secum cartare auderent. Ad quam insolentem vocem filiæ Jovis exarserunt, et modulationem, et pulsandæ citharæ peritiam, et communem homini sensum abstulerunt. Hæc Homerus in Iliad. II. Diodorus eum lyra et cantu tantum privatum scribit.

401 *Si Venerem Cous*] Apelles ex Epheso Olymp. 3. floruit: in pictura solus plura quam cæteri omnes contulit, voluminibus editis, quæ doctrinam eam continebant. Hic pinxit Venerem exeuntem e mari, quam Divus Augustus dedicavit in delubro patris Cæsaris, quæ Anadyomene vocatur. *Mer. Nunquam posuisset*] Ita scriptum in optimis membranis reperi; cum vulgo legatur, *pinxisset*: γράφειν, tam de pictoribus quam de scriptoribus dicitur: et γράμμα non solum quicquid scriptum, sed etiam quicquid pictum est. Hinc et 'ponere' de utrisque. *Salmas. Nunquam pinxisset Apelles*] *Nusquam posuisset* prima editio, cum Regio, Sarraviano, Jureti excerptis, et quinque aut sex aliis scriptis: recte. Horatius, 'Hic ære, at liquidis ille coloribus Sollers nunc hominem ponere, nunc Deum.' Atque ita Salmasius quoque ex veteri codice ad Pallium Tertulliani reposuit; recte addito hoc ipso Horatiano loco, qui Nasoniani loci restitutionem egregie confirmat; ut dubitandum non sit de Regii codicis scriptura. Neque aliter Echo apud Ausonium in Epigrammatis, 'Vane, quid affectas speciem mihi ponere pictor?' *Heins.*

404 *Hoc votum*] Ut fama vigeat.

405 *Cura Deum fuerunt*] *Deum* Regius et quatuor alii. Elegia in Obitum Tibulli noster, 'At sacri vates, et Divum cura vocamur.' Minutius Octavio, 'qui adhuc rudi sæculo in ipsius mundi natalibus, meruerunt Deos vel faciles habere, vel Reges:' sed tamen *deum cura* retineri malo. Præterea *fuerunt* legendum cum Excerptis Jureti: vide Notas ad Epist. VII. 166. Poëtas olim ducibus curæ fuisse Pausanias docet in Atticis exemplo Philoxeni et Arati. Sic Euripides Archelao Macedoniæ regi, Anacreon Polycrati Samio, Simonides, Pindarus, Bachilides Hieroni Siciliæ tyranno, idem quoque Anacreon, et Simonides Hipparcho Pisistrati filio carissimi fuere. *Heins. Cura deum fuerant olim*] Horatius quoque ostendit, Poëtas olim fuisse in precio, eo versu: 'Sic honor et nomen divinis vatibus atque Carminibus venit.'

409 *Ennius emeruit, Calabris in montibus ortus, Contiguus poni, Scipio magne, tibi*] Ita optime hunc locum restituit Janus Parrhasius et feliciter interpretatus est Commentario ad Raptum Proserpinæ Claudiani, cum in scriptis omnibus sit *hortos* vel *ortos*. Et posteriori versu *contiguos pœne tibi*, vel *tuis*. Regius *pœnis*. *Poni*, sepeliri: vide infra notas vs. 736. *Heins. Ennius emeruit*] Q. Ennius in Calabria Rudias patriam habuit. Scripsit primus apud Latinos versu heroico Annales, quibus bella Italiæ cecinit, et secundum bellum Punicum, in gratiam Scipionis, carmine minus polito: nam ingenio valuit, sed arte caruit.

410 *Contiguus poni, Scipio magne,*

Digitized by Google

tibi] Quod confirmat Cic. pro Arch. Poëta: 'Carus fuit Africano superiori noster Ennius; itaque etiam in sepulcro Scipionum putatur esse constitutus e marmore.'

413 *Sed famæ invigilare juvat*] *Vigilare* scripti potiores cum prima editione: quomodo apud Propertium 'studiis vigilare severis.' Rectius quoque *juvet* Aprosianus. Juvet vos vigilare in spem famæ. *Heins.*

415 *Clausa fuisset*] Regius *chusa:* sic passim in antiquis libris. *Idem.*

417 *Utilis est vobis formosæ cura puellæ*] *Turba* scribendum cum prima editione, codice Regio, et uno Vaticano. Et sequenti versu *ferte pedes*, non *ferre*, quicquid obstant libri veteres; qui tamen *ultra limina*, pro *extra*, constanter, et recte. *Turba* pro populo. Remed. Amor. 'Ipse face in turba, cum venit illa, locum.' Sic et eodem libro, vs. 581. 'Non tibi secretis (angent secreta furores) Est opus: auxilio turba futura tibi est:' ita enim isti versus ex fide veterrimi codicis scribendi. *Idem.*

421 *Mulier formosa*] *Speciosa* scripti cum prima editione. *Idem.*

426 *Quo minime credis*] *Credas* unus Vatic. bene: Junianus *credes*. Idem.

428 *Inque plagas*] *Plagam* scripti cum prima editione. *Idem.*

429 *Quid minus Andromede potuit sperare revincta*] *Andromedæ fuerat sperare revinctæ* lege cum prima editione et potioribus scriptis; nisi quod in nonnullis eorum *relectæ* et *revictæ:* Regius tamen *revinctæ*. Diximus de hoc loco supra Notis ad l. II. 28. Germanicus in Arateis de Cassiopia, 'Sic tendit palmas ceu sit planctura relictam Andromedam meritæ non justa piacula matris:' ubi *revinctam* similiter puto scribendum. *Idem.* *Quid minus Andromeda*] Nunquam, inquit, sperasset Andromeda auxilium Persei.

431 *Funere sæpe viri*] Sæpenumero puella mariti mortem deplorans, in ipso funere virum alium invenit. *Funere sæpe viri*] Cujus malitiæ insigne exemplum suppeditat Petronius. *Ire solutis*] *Iese* scripti magno numero. *Heins.*

437 *Femina quid faciet*] *Faciat*, et *sit vir*, pro *vir sit*, scripti plerique cum prima editione. *Idem.*

439 *Troja maneret*] Docet puellas Priami exemplo, non adolescentibus credendum esse, sed majoribus natu.

440 *Præceptis Priami si foret usa senis*] *Priame tuis* prima editio, Regius, et complures alii: sed *Priami sui* verum est, quod septem aut octo veteres agnoscunt. *Heins.* *Præceptis Priami*] Qui suadebat reddendam esse Helenam.

441 *Grassentur amoris*] *Grassentur* meliores cum prima editione: et *petant* sequenti versu. *Heins.*

442 *Perque aditus tales*] Per speciem ficti amoris. *Lucra pudenda petunt*] Simulant se vos amare: sed nihil aliud a vobis petunt, quam dedecus vestrum.

444 *Cingula pressa*] Sic et Remed. Amor. 'Et nova velocem cingula lædat equum.' Regius tamen cum aliis nonnullis *lingula* habet; alii *ligula*. Intelligit fasciam, qua cingebatur toga. Certe nimis operosa ac morosa togæ structura mollitiem prodebat; quod et in Hortensio notarunt veteres. *Heins.*

445 *Filo tenuissima*] Ex tenui lana.

451 *Has Venus e templis multo radiantibus auro Læta videt lites Appiadesque Deæ*] *Lenta* codex Regius; et recte: vide quæ notamus ad Epist. XIX. 82. et Epist. XV. 169. Hoc primum: deinde in nonnullis aliis *vides:* qui etiam *Appiadesque tuæ;* quomodo et optimus Regius. Scribe, *Lenta vides lites, Appiadesque tuæ:* ut per Appiadas meretrices intelligat. Valde illæ Deæ Appiades magnum Turnebum exercuerunt Advers. I. v. Scio 'Appiada Minervam' a Cicerone dici libro III. Familiar. Epist. I. scio

Digitized by Google

et Musarum ædem in via Appia fuisse: sed quid illæ ad has lites? Quare olim *Appiadesque viæ* legendum videbatur. Nunc libros veteres sequendos duco. In Arondeliano, *Læta videt lites Appiadesque suæ.* Extra urbem plebs submœniana et meretriculæ habitabant; maxime via Appia: quod ex hoc loco liquide apparet. Lib. I. ubi loca describit amantibus adeunda. 'Subdita qua Veneris facto de marmore templo Appias expressis aëra pulsat aquis. Illo sæpe loco capitur consultus Amori:' et quæ sequuntur. Rem. Amor. 'Turpe vir et mulier juncti modo, protinus hostes, Non illas lites Appias ipsa probet:' ubi forte legendum, *Non Venus has lites Appias ipsa probet.* Sic et lib. I. ubi de via Appia, 'Hunc Venus e templis, quæ sunt confinia, ridet.' *Heins.*

454 *Crimen amantis habent*] Quia alios decipiunt, ipsæ ab amantibus deceptæ.

455 *Discite ab alterius vestris timuisse querelis*] *Vobis timuisse* Thomasini codex, concinnius. *Heins.*

457 *Cecropides*] Athenienses puellæ, a rege Cecrope: per quas omnes designat. *Juranti Theseo*] Viro perfido, ut fuit Theseus, qui Ariadnam reliquit.

458 *Quos faciet testes, fecit et ante Deos*] Præclarum hujus et commodum habemus exemplum in Livio, Lib. 10. Decad. III. non longe a fine: ubi Pœnorum legati, ob perfidiam suspecti, cum rogarentur, per quos Deos fœdus icturi essent, cum eos, per quos ante ictum esset, fefellissent; Asdrubal quidam respondisse fertur; Per eosdem, qui tam infesti sunt fœdera violantibus. *Fecit et ante Deos*] Antea Deos adhibuit testes, et tamen fidem violavit.

461 *Si bene promittent*] *Promittant* quidam ex melioribus; alii *promittunt.* Heins.

463 *Illa potest vigiles*] Quæ alio munere promissas noctes negabit, audebit etiam violare sacra Vestæ et Isidis, et necare virum veneno. *Vigiles flammas*] Inextinctum ignem, qui in templo Vestæ servabatur. *Vigiles flammas extinguere Vestæ*] *Vigilis* rectius legas. Nam *vigilis* in uno Patavino. Pont. I. 'Ut vigil infusa Pallade Vesta solet.' *Heins.*

469 *Verba vadum tentant*] *Tentent* iidem. Pro *abiegnis tabellis* prima editio, Regius, et alii nonnulli ex melioribus, *alienis;* unde fuit cum legendum putarim *in acernis scripta tabellis:* quomodo noster Amor. I. 11. sed et *abiegnæ* probum: ita 'abies' sumitur Plauto Persa. *Idem.*

471 *Inspice, dumque leges*] *Quodque leges* meliores cum prima editione. *Idem.*

475 *Sed neque te facilem juveni promitte roganti*] Malim *permitte.* Idem.

476 *Nec tamen edure, quod petit ille, nega*] *E duro* scripti meliores cum prima editione: alii quidam *e toto:* tertius Regius et unus Vaticanus, *e duro ore;* optime: sic 'duri puer oris et audax' Metam. V. Supra, 'Postibus eduræ supplex blandire puellæ,' ut et illic scribendum monuimus; nisi *e duro* hic sumptum velis, ut ex facili, ex difficili, ex toto, et similia. Supra in Amoribus, 'Culpa nec ex facili, quamvis manifesta, probatur.' Supra, 'Quæ datur ex facili non est mihi grata voluptas.' Et 'Protinus ex facili gaudia ferre licet.' Infra, 'Quod datur ex facili, longum male nutrit amorem.' In Fastis, 'Non ex difficili causa petenda subest.' In Tristibus, 'Non tamen ex toto deserere illa potes.' *Id.*

478 *Spes magis hinc veniat*] *Spesque magis veniat* prima editio et scripti plerique. Puto *spes magis huic veniat:* vide Notas ad Epist. IV. 113. *Idem.*

479 *Munda, sed e medio*] *Blanda* unus Vaticanus: quomodo supra l. I. 'Sit tibi credibilis sermo, consuetaque verba, Blanda tamen, præsens ut

Digitized by Google

videare loqui:' nihil tamen temere mutandum. *Idem.*

481 *Dubiis scriptis exarsit amator*] *Dubius* cum prima editione, Regio, et tribus aliis. *Idem.*

483 *Quamvis vittæ careatis honore*] Quamvis sitis infames.

485 *Ancillæ puerique manus ferat arte tabellas*] *Puerive:* deinde prima editio et tres scripti *ante;* duo *apte;* Sarravianus et alius *arta;* unus, *arce.* Lege *apta* cum Argentinensi, uno Patavino, et Vaticano. Supra 'Accipiat missas apta ministra notas.' Amor. II. 7. 'Est tibi per doctas apta ministra manus.' Et ad Cypassim, 'Apta quidem dominæ, sed magis apta mihi.' Met. IX. ubi Byblis queritur de famulo cum literis misso, 'Non adiit apte, non legit idonea credo Tempora.' *Heins.*

486 *Pignora nec juveni credite vestra novo*] 'Juveni novo;' novo amanti: ut supra, 'novus viso casse resistet amans.' Sed libri omnes veteres cum prima editione *puero*, quod jam præcessit. Junianus *rudi.* Forte *vernæ rudi:* ita sæpe pro servo poëtæ: Regius, *credita nostra.* Idem. *Vestra pignora*] Vestras literas. *Juveni novo*] Novus, inquit, amator literas amicæ servat, quibus tanquam fulmine utatur in punienda amica: timet enim semper, ne iratus amator illas marito ostendat.

494 *Per quos*] Quorum causa hæc moneo.

496 *Nec teneat geminas*] *Ne* Regius cum prima editione, et quinque aliis scriptis; bene. *Heins.*

497 *Fœmina dicatur*] Fœmina in literis appellet se nomine amatoris. *Scribentis semper amator*] *Scribenti* quatuor codices. *Heins.*

499 *Si licet a parvis*] *Sed licet* scripti meliores cum priscis editionibus. Lege *Sed libet;* quomodo alter Mentelii: nam Moreti codex *Si libet.* Arondelianus *Sed placet.* Vide Notas ad Epist. XV. 144. *Idem.*

501 *Rapidos compescere mores*] Prima editio cum Regio et octo aliis *rabidos;* quod verum est. *Idem.*

504 *Gorgoneo sævius angue micant*] *Igne* scripti omnes potiores cum prima editione; hoc est, oculis Gorgoneis. Sic Met. III. 'Igne micant oculi, corpus tumet omne veneno.' Libro VIII. 'Sanguine et igne micant oculi, riget horrida cervix.' Virgilius, 'Oculis micat acribus ignis.' Pro *sævius* unus Vaticanus *fortius.* Puto, *torvius.* lib. I. 'Si fuerit torva violentior illa Medusa.' *Idem.*

505 *Non est mihi tibia tanti*] *Non es* libri meliores cum prima editione. Sic in Fastis codices vetusti, 'Ars mihi non tanti es, valeas mea tibia, dixit:' ubi legendum *Ah mihi non tanti es.* Metamorph. VI. de Marsya, 'quid me mihi detrahis? inquit; Ah piget, ah non est, clamabat, tibia tanti!' ubi pari modo *non es* reponendum videtur. Ita et tibiam alloquitur Propertius II. Eleg. 30. 'Hic locus est in quo, tibia docta, sones. Quæ non jure vado Mæandri jacta natasti, Turpia cum faceret Palladis ora tumor.' *Idem.*

509 *Nec minus in vultu damnosa superbia vestro*] *Nec tumeat vultu* prima editio et plurimi ex scriptis: sed paulo ante præcesserat 'Ora tument ira.' *Idem.*

510 *Comibus oculis*] Læto aspectu.

511 *Odimus immodicos (experto credite) fastus*] Unus meus *fatus.* Puto *flatus.* Vide notas ad l. I. 715. Argute etiam Regius cum Neapolitano et uno Vaticano *expertæ credite.* Heins.

515 *Sic ubi prælusit*] *Prolusit* cum prima editione scripti meliores. Seneca Hippol. 'Ut cepit animos, seque prætentans satis Prolusit iræ:' ita optimus Mediceus; nec dubita quin recte. Propertius Eleg. IV. 4. 'Vidit arenosis Tatium proludere campis:' sic scripti constanter; neque aliter passim codices castigatissimi apud scriptores antiquos, ut etiam testatur

Digitized by Google

ad Senecæ Herculem Furentem Gronovius noster. Apud Virgil. Georg. III. 'sparsa ad pugnam proludit arena.' Auctor Panegyrici ad Pisones, 'Tunc etiam levibus veluti prolusit in armis.' *Idem.*

517 *Tecmessam diligat Ajax*] Quia mœsta erat et severa.

518 *Nos hilarem populum*] Nos minime tristes lætam etiam fœminam volumus.

519 *Nunquam ego, te, Andromache, rogarem*] Fuit enim fidissima suo Hectori conjux: et non ἀνδρὶ μαχουμένη, ut nonnulli volunt. Quod patet ex illo Eurip. Troad. vs. 640. Ἃ γὰρ γυναιξὶ σώφρον' ἔσθ' εὑρημένα, Ταῦτ' ἐξεμόχθουν Ἕκτορος κατὰ στέγας. Et deinde vs. 668. Σὲ δ', ὦ. φίλ' Ἕκτορ, εἶχον ἄνδρ' ἀρκοῦντά μοι, Ξυνέσει, γένει, πλούτῳ τε κἀνδρείᾳ μέγαν.

520 *Amica foret*] *Fores* rectius legatur. *Heins.*

521 *Cum cogar credere partu*] *Nisi cogar credere partus* prima editio et duo scripti. Mentelianus *nisi cogar credere partu.* Lege, *Credere vix videar, nisi cogar credere partu,* vel *cogant partus.* Natus enim ex Andromacha Hectori Astyanax, ex Tecmessa Ajaci Eurysaces, a quo Eurysacidæ clarissima apud Athenienses familia. *Idem.*

525 *Quid vetat a magnis*] Exempla ducum ad res amatorias, &c. *Mycill.*

527 *Huic centum commisit jure regendos*] Optime Regius et unus Vaticanus, *vite:* quomodo Cujacius Observat. XII. 34. ex suis scriptis, de vite, quam centurio gestabat, loquitur: de qua et Martialis, 'Vare, Parætonias Latia modo vite per urbes Cognite.' Juvenalis de Mario, 'Nodosam posthac frangebat vertice vitem.' Silius de Ennio, 'Latiæque superbum Vitis adornabat dextram decus.' Nihil frequentius apud rei militaris scriptores. Neque aliter hunc locum emendavit ad Statium doctissimus Gronovius. Codex alter Regius *Marte regendos.* Heins.

529 *Quem quisque erit aptus in usum*] *Ad usum* scripti. Deinde *quisque sit* Neapolitanus et prior Ambrosianus; bene. *Idem.*

532 *Causam sæpe clientis agat*] Malim *nempe.* Idem.

534 *Nam chorus*] *Hic chorus* meliores scripti cum prima editione; unus Regius *Nos chorus.* Idem.

535 *Placitæ late præconia formæ*] Posset et *læti* legi; certe in Arondeliano *læte.* Idem.

536 *Nemesis*] Tibullus Deliam et Nemesin amavit. *Cynthia*] Propertii amica.

537 *Vesper*] Occidentalis plaga. *Lycoris*] Galli Poëtæ amica. Eam 'Cithereidam' appellatam fuisse Servius scribit.

538 *Nostra Corinna*] Corinnæ duæ fuerunt: altera Thebana, quæ scripsit epigrammata et lyrica poëmata: de qua Propertius. Altera Thespia, quæ a quibusdam 'Corinthia' dicitur. Ovid. amicam suam 'Corinnam' appellavit ab eruditione et formæ elegantia, de qua ipse alibi: 'Nomine non vero dicta Corinna mihi.'

540 *Et facit ad mores ars quoque nostra bonos*] *Suos* scripti cum prima editione; bene: sic Martialis 'mores' pro bonis moribus ponit Epigr. XI. 18. 'Mores non habet hic meus libellus.' Eleganter autem et Ovidiane *suos:* sic supra lib. II. 'Sit suus in blanda sedulitate modus.' Et 'Gloria peccati nulla petenda sui.' Et hoc ipso libro, 'pectendos coram præbere capillos, Ut jaceant fusi per sua terga, veto:' ita istis locis libri veteres. Paulo post, 'Sit sua in infida proditione fides:' ut ibi scribendum censeo. Plura hujus notæ alibi non uno loco congessimus. *Heins.*

541 *Nec amor nos urget habendi*] *Nec amor nos tangit* scripti plerique meliores cum prima editione; quod secuti sumus. Infra, 'exclusum te quoque tanget amor:' tres tamen, *nec*

Digitized by Google

amor nos urit, de quo Amor. I. 2. 2. vulgata scriptura Virgilii auctoritate se tuetur, qui in Georgicis, 'Cecropias innatus apes amor urget habendi.' *Idem.*

545 *Ingenium placida mollitur ab arte*] *Mollimur* optime Sarravianus cum quatuor aliis: usitatus Nasoni Græcismus. *Idem.*

549 *Est Deus in nobis, sunt et*] *Et sunt* scripti. Lege cum uno Vaticano, *Et Deus in nobis, et sunt commercia cœli.* Idem. *Est Deus in nobis*] Idem etiam ostendit Plato de Furore poëtico: unde non immerito Ennius sanctos poëtas appellavit.

554 *Viso casse*] Cognitis insidiis.

555 *Sed neque rector equum*] Prima editio cum Regio et multis aliis *vector;* probe: nam *rector regit equum* odiosa repetitione non placet. Pro *regit* iidem codices *reget;* sed *regat*, quod in tribus aliis est, amplector: sic Trist. I. 3. 115. *vector* pro nauta; ut illic legi in codicibus scriptis monui. *Heins. Qui nuper senuit habenas*] Qui nondum est domitus.

556 *Comparibus frænis*] Æquis habenis.

557 *Nec stabiles dimis animos*] Amoris duo genera esse docet: alterum juvenum, alterum majorum natu. Quomodo autem cum utroque agendum sit, designat elegantier Ovidius.

558 *Idem limes*] Eadem via.

562 *Cingenda est*] Munienda est. *Altis sepibus*] Ne rivalis subeat.

564 *Non bene cum sociis regna Venusque manent*] Sic et Lucanus: 'Omnisque potestas impatiens consortis erit.'

571 *Ista decent pueros*] *Animos* Bartholinianus; placet. *Heins.*

572 *Ut humida tæda*] *Fæna* Sarravianus et multi alii: Regius *fræna;* quod idem est: multi etiam *ligna:* nihil mutandum. *Idem.*

575 *Certior hic amor est*] In majoribus natu amor est certior. *Brevis et fœcundior ille*] Qui est in juvenc. *Brevis et fœcundior ille*] Prima editio, cum Regio et multis aliis scriptorum, *gravis.* Vulgatæ lectioni sequens versus videtur suffragari. Regius, *gravis et fœcundior: illa Quæ fugiunt.* Jureti excerpta, *quamvis fœcundior.* Arondelianus, *Certior huic amor est, gravis et fœcundior illi.* Heins.

576 *Carpite poma*] Fructum colligite, o puellæ, a junioribus, antequam discedant a vobis juvenes amatores.

577 *Reserabimus hosti*] *Reseravimus* editio prima et scripti meliores. Sequenti versu iidem *Et sit* vel *Et fit.* Latet aliquid. Lege, *Sit sua in infida pro ditione fides:* ut l. II. 'Sit suus in blanda sedulitate modus.' 'Sua fides,' quia promiserat omnia se traditurum puellis non minus quam viris. Forte etiam legendum, *Mœnia tradantur*, pro *omnia.* Heins.

579 *Quod datur ex facili*] Non semper intromittendum esse dicit amatorem: ne quod ex facili dederis, contemptum pariat: raritas enim conciliat rebus admirationem.

581 *Ante fores jaceant, Crudelis janua, clamet*] *Jaceat*, et *dicat* prima editio cum scriptis melioribus: et *agat* sequenti versu. *Heins.*

583 *Dulcia non ferimus*] Viri aspernantur quod facile consequuntur. *Renovemur*] Ardentiores reddimur in amando. *Succo renovamur amaro*] *Renovemur* Regius: quo alludunt tres alii in quibus, *removemur.* Heins.

584 *Ventis suis*] Nimium secundis.

587 *Claude fores: duro dicat tibi janitor ore*] Regius et tres alii, *Adde forem, et duro.* Prima editio cum Sarraviano et decem aliis, *Obde forem, et;* quod placet: ut diximus supra lib. II. 634. Quidam *Claude forem, et. Sibi* etiam pro *tibi* plerique scripti; sed frustra. Forte tamen pro *Claude forem*, vel quod in aliis est, *Adde forem* et *Abde*, scribendum, *Cede fore;* pro, abecede a foribus: ut janitoris herum increpantis hoc sit. Sic 'cedere domo' epistola Medeæ, 'Ausus Æsonia

Digitized by Google

dicere cede domo.' Scriptum nempe *Cæde* pro *Cede* fuerat; ut infra, in optimo Regio, 'Et cædat lecto quamlibet ægra suo.' Sequenti versu nihil mutandum; nisi pro *te quoque*, placet *sic quoque*, cum altero Ambrosiano et uno meo: quo plurimi ex scriptis videntur spectare, in quibus, *se quoque*. Sensus est, Obdantur tibi ipsi fores tuæ, et dicat tibi duro ore janitor, Non potes admitti; dubium non est, quin te quoque, si excludaris, uxoris tuæ amor sit tacturus, quam nunc vix amas. Arondelianus liber, *Obde forem duro dicat sub janitor ære:* ita enim in illo scribitur, non *Claude fores duro;* id quod probavit se doctissimo Gronovio Observat. III. 19. ut 'durum æs' de catenis janitoris intelligatur. *Heins.*

590 *Meis telis*] Meis his præceptis.

591 *Dum cadat*] *Cadit* meliores scripti. Puto etiam scribendum, *captus tibi nuper amator;* vel *captatus nuper amator*. Sic 'captata puella' l. I. Artis. *Idem.*

594 *Senescit amor*] *Senescet* rectius prima editio et quatuor scripti. *Idem.*

595 *Reserato carcere*] Apertis carceribus, unde equi procurrunt.

597 *Quoslibet exstinctos*] Prima editio cum scriptis plerisque *Quælibet*. Regius et Arondelianus et unus Patavinus *Quamlibet;* recte: vide notas ad Epist. VI. 140. *Suscitet* etiam Jureti Excerpta et duo alii pro *suscitat*. Heins.

599 *Ne sit manifesta doloris*] *Non sit* scripti cum prima editione. *Idem.*

606 *Signa timentis habe*] *Verba* scripti plerique cum prima editione; perperam. Remedio Amoris: 'Et nulla in vultu signa dolentis habe.' *Idem.*

609 *Sed miscenda tamen*] *Admiscenda* cum prima editione et scriptis plerisque: *timenti* etiam unus ex meis pro *timori;* argute: ut timentem seu timidam Venerem securæ opponat. *Idem.*

613 *Rata sit custodia nuptæ*] Hoc est, habeat certum custodem, a quo observetur et custodiatur, ne quis ad eam furtim veniat, &c. Quasi dicat: In nuptis hoc jus est ac licitum, ut habeant suos custodes: solutæ autem ac liberæ debebunt sine custode agere, &c. *Micyl.*

614 *Jusque pudorque*] *Duxque* prima editio, cum Regio, Sarraviano, et duobus aliis: ut Legem Juliam respiciat; sed puto *fasque* scribendum. *Heins.*

615 *Te quoque servari*] Libertinam fœminam docet posse custodes fallere. Est autem 'vindicta,' virga, qua servi libertate donabantur, a prætore Vindicio appellata, ut Liv. docet. *Mer.*

617 *Adsit modo certa voluntas*] *Voluptas* prima editio cum scriptis potioribus: non sequor. *Heins.*

621 *Conscia cum possit*] Malim *Nuncia*, quanquam et alterum probum est. *Idem.*

622 *In medio fascia lata sinu*] *In tepido sinu* scripti fere omnes cum prima editione: dixi Amor. lib. III. 6. 68. *Idem.*

623 *Solea chartas celare ligatas*] *Sura* editio prima et scripti præstantiores magno numero; recte: nisi quod malim *sura ligata:* sic 'vinctum pedem' mox dicet; fascia enim suræ obligabantur. Gratius *tegat tuus fascia suras:* sic 'suræ cothurno vinctæ' Maroni. Pro *chartas* etiam unus Regius cum prima editione *ceras;* hanc illud quoque: ita passim Noster: *ceram* unus Vaticanus. De solea sequens versus est intelligendus. *Idem.*

624 *Sub pede vincto*] Sub calceo. *Blandas notas*] Literas amatorias.

629 *Fallet et humiduli*] Docet, lini viridis succo posse amicam etiam tuto scribere ad amantem. *Acumine lini humiduli*] Acuta avena viridis lini, qua scribebant amantes: postea carbonis pulvere conspersæ literæ legebantur.

Digitized by Google

630 *Et feret*] *Ferat* multi ex scriptis. Lego, *Ut ferat*. Heins.

631 *Adfuit Acrisio*] *At fuit* duo Regii. *Idem. Servandæ puellæ*] Danaëm dicit, quam pater Acrisius in turri ænea clauserat.

632 *Quid faciet custos, cum sint tot in urbe theatra*] *Fuisset*, et *in urbe*, reponendum cum prima editione et melioribus scriptis. *Heins. Tot in urbe theatra*] Tria theatra simul et amphitheatrum scribit Strabo fuisse eo campo, qui Campo Martio adjacet: quibus in locis poterit esse puella sine custode.

634 *Junctos equos*] Hoc est, aurigationes et certamina equestria, quæ in Circo fieri solebant. *Micyl.*

635 *Quum sedeat Phariæ*] Sacra Isidis dicit, quæ ex Ægypto Romam translata fuerunt, dicente Lucano: 'Nos in templa tuam Romana accepimus Isim.' Ea autem celebrabantur a Romanis mulieribus, castimonia multorum dierum. *Sistris*] Sistrum crebra agitatione argutum erat, multis crepitaculis circumsonantibus: unde Papin. id 'multisonum' appellavit. *Phariæ sacris operata juvencæ*] *Sistris* scripti potiores cum prima editione; quam lectionem non est ut multis adstruam: cum de sistro Isidis res sit vel pueris notissima. Tibullus de sistris: 'Quid tua nunc Isis mihi, Delia? quid mihi prosunt Illa tua toties mra repulsa manu?' *Heins.*

637 *Cum fugit a templis*] *Fuget a templis* cum tribus scriptis scribendum: alii magno numero *fugat* proxime verum. Sequenti versu pro *Præterquam* scripti plerique *Præter quos*; sed frustra: Trist. IV. 6. 'Cuncta potest igitur tacito pede lapsa vetustas Præterquam curas attenuare meas.' *Idem. Cum fugit*] Cum expellat. *Oculos virorum*] Nam sacris Bonæ Deæ non licebat viris interesse. Propert. 'Sacra Bonæ maritis non adeunda Deæ.'

639 *Tunicam celante puella*] *Tunicas* prima editio et scripti. Sequenti versu pro *furtivos jocos* Sarravianus, Comeliqianus, et octo alii *viros*; probe. 'Furtivi viri' aut adulteri, aut qui eiam irrepserunt. Pont. III. 3. 'Quas lex furtivos arcet habere viros.' Excerpta Jureti, *Celent furtivos balnea tuta viros*, non *multa*; etiam bene: alludit autem simul ad *λωποδύτας* et fures balnearios, de quorum subdola rapacitate plurima apud veteres est querela. Vide Freherum Parerg. II. 12. *Heins.*

642 *Et celet lecto quemlibet ægra suo*] *Et cedat lecto quamlibet ægra suo* optimus Regius cum Scaligeri excerptis, quomodo omnino scribendum. Neque aliter Aprosianus, nisi quod in illo, *quælibet*; male: dixi de voce *quamlibet* ad Epist. VI. 140. 'Cedere lecto,' ut 'cedere domo,' supra: 'tota cedet uterque domo.' Editiones quædam cum nonnullis scriptis, *Tollat et in lectum quemlibet ægra suum*. Farnesianus, *Et credat lecto cum libet ægra suo*. Idem.

643 *Quid agatur adultera clavis*] *Quid agamus* scripti plerique cum prima editione. *Idem. Adultera clavis*] Quasi altera facta. *Nomine cum doceat, quid agamus, adultera clavis*] Hoc est: Cum ipsa clavis, quæ 'adulterina' dicitur, quam puella vel amator habet, doceat ac moneat suo nomine, quid agatur, sive in quem usum ac finem ipsa comparata sit, hoc est, adulteria exerceri. *Micyl.*

644 *Quaque petet non det janua sola vias*] *Petes* editiones vetustæ, cum Regio codice et multis aliis: alii nonnulli *petas*. Lego, *Quaque petas*, nempe amicam; vel etiam, *Quaque patens non det janua sola, vias*: quod verius est. Adultera clavis cum vias doceat, quas non sola patens janua det: hoc est, cum vias doceat quibus occlusum ostium adulterinæ clavis ope intres. Clavem adulteram pro adulterina ponit, argute ludens eo in nomine. Clavis adulterina, quæ ad

Digitized by Google

imitationem veræ clavis erat facta: sic 'signum adulterinum' dixit Cicero pro Cluentio, 'Testamentum in alias tabulas transcriptum signis adulterinis obsignavit.' *Heins.* *Janua sola*] Quia sunt et fenestræ.

646 *Illa vel Hispano lecta sit uva jugo*] Laletana provincia est Hispaniæ, quæ vinum pessimum mittebat. Potes, inquit Ovidius, multo vino vel pessimo janitori somnum inducere: aut certe optimo vino, quod etiam nascebatur in Hispania, januæ præfectum evincendum esse dicit.

650 *Longa jungitur illa mora*] *Ipsa mora* scripti cum prima editione; recte. Non male, inquit, ancilla ipsa cum custode coit, idque lente, quo is diutius detineatur: sic 'jungere Venerem,' 'jungere corpus,' de quibus ad Remedia Amoris dicetur. *Heins.*

651 *Præceptaque parva monere*] Malo *moneri*. Idem.

653 *Munera, crede mihi, capiunt*] *Captant* Farnesianus: sic Amor. I. 'Non aries placitam munere captat ovem.' Paræmia Græca apud Platonem de Rep. III. Δῶρα θεοὺς πείθει, καὶ αἰδοίους βασιλῆας. Euripides in Medea, Πείθειν δῶρα καὶ θεοὺς λόγος. Argute Petronius, 'Ipse Senatus recti bonique præceptor mille pondo auri Capitolio promittere solet, et ne quis dubitet pecuniam concupiscere, Jovem quoque peculio exorat.' *Heins.*

656 *Ipse vir accepto munere mutus erit*] Prima editio cum Regio, Sarraviano, et aliis nonnullis, *Ipse quoque*: sed vulgatum præstat. *Idem.*

657 *Longum redimendus in ævum*] *Longum in annum* Jureti Excerpta; venuste. Fast. IV. 'Hoc pater Iliades cum longum scriberet annum Vidit.' Met. I. 'longique perit labor irritus anni.' Amor. I. 3. 'Accipe per longos tibi qui deserviat annos.' *Idem.*

662 *Exagitatus erit*] *Exagitandus* rectius quidam scripti cum Jureti excerptis, nisi malis, *Et lepus ipsa aliis exagitandus eris*: nam Sarravianus, *eris*. Idem.

663 *Quæ præbet lectum studiosa locumque*] Quicquid pro vulgata stant libri veteres, scribe, *cui præbes lectum studiosa locumque*: vel *focumque*. Tangit violati hospitii sacrilegium. *Idem.*

666 *Vicem dominæ*] Quia cum illa rem habui loco dominæ.

667 *Quid aperto pectore in hostem Mittor*] *Nitor* Cavalcantianus cum duobus Vaticanis: quod arridet. Met. II. 'Nitor in adversum, nec me, qui cætera, vincit Impetus.' In Amor. 'Nitimur in vetitum.' Epist. Phædræ, 'ignotas nitor in artes:' sic ex optimo codice scribendum, ut suo loco dixi. Pont. II. 7. 'Et quot aves motis nitantur in aëra pennis.' *Heins.* *In hostem mittor*] Aperiendo consilium fœminis, quæ tanquam hostes viris insidiantur. *Aperto pectore*] Apertis consiliis.

671 *Ego cæpta fideliter edam*] *Præcepta* duo codices: sic supra, 'Quod si quid præcepta valent mea.' Et, 'Formosæ minus artis opem præceptaque curant.' Et, 'Quid juvat ambages præceptaque parva monere?' et sic sæpe his libris. *Heins.*

672 *Lemniadum gladios in mea fata dabo*] Regius *Lemnias et*: Farnesianus *Lemnios et*: quinque *Lemniades*: tres, *Lemniadis*: duo, *Lemniadi*: unus *Lemniados*. Scribe, *Lemniasi*; et vide quæ noto ad Epistolam XIII. 137. atque iis adde locum Propertii, egregie, nisi fallor, a me restitutum, qui exstat lib. IV. Elegia prima, 'Quo ruis imprudens vaga dicere facta, Properti? Non sunt ah dextra candida fila colo! Aversis Charisin cantas: aversus Apollo Poscitur invita verba pigenda lyra:' ita quippe ista censeo constituenda, quæ videamus nunc singula. Primo versu *vaga facta* non *vage*, lego, quia 'imprudens' præcesserat. Secundo legebatur *a dextra condita fila colo*; *a* pro *ah*: quomodo sæpe apud Propertium peccatur, ut alibi plurimi-

Digitized by Google

bas dicemus: posset et *tam dextra* legi. *Candida* etiam *fila* malui quam *candida*; quod Naso pari modo in Tristibus, 'Non ita sunt fati candida fila mei.' Pro *Aversis Charisin cantas*, in scriptis editisque legebatur *Accersis lacrymis cantus*, nullo sensu; nisi quod in codice magni Scaligeri, *Accersis lacrymis Charites*; quod illi arrisit, non mihi. Tò *Charites* nempe diversam lectionem τοῦ *lacrymis* designat; pro quo *charitis* antiquitus sit lectum. Versu postremo *Poscitur* reposui. Nam in uno Vossiano *Poscis et*. Vulgati *Poscis ab*. Pro *fata* apud Nasonem scripti plerique *damna*: Regius, *fama*. Nil muto. *Idem*. *Lemniades*] Quæ una nocte viros trucidarunt.

673 *Credamus amari*] *Credamur* prima editio et unus Vaticanus. *Heins.*

675 *Et suspiret ab alto*] Tò *et* non agnoscunt libri meliores, nec prima editio. *Idem.*

678 *Et laniet digitis*] Prælia puellarum cum amantibus designat Horatius: 'Nos prælia virginum Sectis in juvenes unguibus acrium.' *Mer.*

680 *Cura carpitur ipsa mei*] *Ista* ex scriptis et prima editione. *Heins.*

683 *Sed te, quæcunque est*] *Es* ex iisdem. Remed. 'At tu, quicunque es, quem nostra licentia lædit.' *Idem.*

684 *Nec sis*] *Ne* multi scripti. Lege *Neu sis* cum uno Palatino. *Idem.*

687 *Florentis Hymetti*] Vestitur enim semper floribus Hymettus mons Atticæ, melle celebratus, et effossione marmorum, ut Strabo scribit.

690 *Rosmaris et laurus*] *Ros maris et lauri* ex scriptis. *Heins.* *Ros maris*] Ros maris etiam a Plinio libanotis appellatur. *Et laurus*] Laurus (ut Diod. docet) ab Apolline inventa est, ob idque ei consecrata fertur. Triumphis dicata erat, gratissima janitrix domibus Cæsarum atque Pontificum, dicente Ovidio in Met. Vide Plin. l. xv.

691 *Nec densum foliis buxum*] *Densæ foliis buxi* quatuor codices: totidem *densus foliis buxus*. Puto, *densaque nec foliis buxus* cum uno Patavino. Sic 'multifora buxus' Met. xii. et apud Martialem, 'Multifido buxus quæ tibi dente datur.' *Heins.*

692 *Nec tenues cytisi*] Cytisus frutex est, miris laudibus celebratus ab Antinomacho Atheniensi, pabulo ovium. Non enim ex alio pabulo lactis major copia, aut melior. *Cultaque pinus abest*] *Tinus* legendum censet Salmasius ad Solinum, p. 387, Ego quemadmodum facile concesserim in Columella et Virgiliano Culice *tinum* reponi debere, ita hoc loco scripturam receptam haud mutem. Intelligit autem *pinum domesticam* seu *hortensem*: ac proinde *cultam* dixit ut a sylvestri pinu distinguat. Virgil. 'Fraxinus in sylvis pulcherrima, pinus in hortis:' ubi Pelesserius Episcopus Monpessulanus volebat reponi *pinus in oris*; quod illa oris maritimis gaudeat: sed erravit. Vegetius iv. 34. 'Ex cupresso ergo et pinu domestica sive sylvestri larice et abiete præcipue liburna contexitur.' Per 'cultam tinum' quid possit intelligi, præter laurum, non video; cum lauri jam meminerit Ovidius: atque ita bis idem dixerit. Nam quod χαμαίπιτυς intelligebatur a Scaligero, ne illud quidem admiserim, cum χαμαίπιτυς inter herbas a Plinio recenseatur, et vocetur ab eo 'abiga:' pinus nusquam appelletur. Describere autem Ovidium non frutices solummodo, sed arbores quoque, ex buxo liquet, de qua paulo ante egerat. At libro Metam. x. ubi arbores varias recenset, illo versu, 'Et bicolor myrtus, et baccis cærula ficus:' cum libri vetustiores *pinus* agnoscant, *tinum* reponi debere non est dubium: quod Salmasium non vidisse miror. Ita enim Plinius l. xv. cap. ult. de tino: 'Hanc sylvestrem laurum aliqui intelligunt, nonnulli sui generis arborem: differt color; est

Digitized by Google

enim cærulea bacca.' Junius Philargyrus ad illum versum quarto Georg. 'Ipse thymum pinosque ferens. Legitur et tinos. Est autem laurus sylvestris cærulea bacca.' Recte ergo Ovidius 'baccis cærulam tinum' dixit. *Heins.*

694 *Herbaque summa tremit*] *Tremunt* bene alter Regius et Lincolniensis. *Idem.*

697 *Quæque meos relevet æstus*] *Quoque* reponendum cum duobus Vaticanis. *Idem.*

699 *Conjugis*] Procridis.

700 *Auditos sonos*] Auditam vocem, quæ auram vocabat.

701 *Quasi pellicis, Auræ*] Credidit enim, auram vocatam non ventum, sed pellicem.

702 *Mota dolore fuit*] *Muta* scripti potiores cum prima editione; recte: sic 'muta metu Iphianassa' apud Lucretium. Virgilius, 'Stat pecus omne metu mutum:' ita quoque apud Senecam Medea Act. II. ex optimo Mediceo reponendum: 'Sile, obsecro questusque secreto abditos Manda dolori: gravia quisquis vulnera Patiente et æquo mutus animo pertulit, Referre potuit:' vulgo *immotus.* Rem. Amor. 'lectica prodeat, inquit. Prodierat: visa conjuge mutus erat.' Supra, 'Ipse vir accepto munere mutus erit.' Prudentius l. II. contra Symmachum, 'Quæ regio gradibus vacuis jejunia dira Sustinet? aut quæ Janiculi mola muta quiescit?' sic scribo; vulgati et scripti male *mota* vel *nota:* strepitum enim inter versandum molæ edebant, unde 'crepaces' dixit Mæcenas apud Senecam. Sic idem Prudentius Passione Hippolyti 'muta marmora' vocat sepulcra, quæ inscriptionem non habent, 'Sunt et muta tamen tacitas claudentia tumbas Marmora.' *Heins.*

703 *Pallnit, ut seræ, lectis de vite racemis*] *Sera lectus de vite racemus,* aut *lectis racemis* scripti plerique: alii *sectis racemis: sera lectis de vite racemis* prima editio et septem scripti. Vulgata lectio non est sollicitanda, quam et Regius codex tuetur. Remedio Amoris, 'maturam rusticus uvam Deligit.' Fast. III. 'Dum legit in ramo pictas temerarius uvas, Decidit.' Priapeiorum auctor Epigr. II. 'Uvæque quales flava legit Arete.' 'Vinum legere' dixit Varro l. v. R. R. Varro l. v. L. L. 'Nam Flamen Dialis auspicatur vindemiam, et ut jussit vinum legere, agna Jovi facit: inter cujus exta cæsa et porrecta Flamen prorsus vinum legit.' Martial. Epigr. VI. 49. 'Nam si vel minimos manu rapaci Hæc de palmite legeris racemos:' sic omnino scribendum, non *laseris:* quod tamen editos ac manu exaratos, quos vidi, codices omnes occupavit. Sic et 'poma legere' passim apud auctores, et 'lecta apyrina' apud Martialem Xeniis Epigr. 43. De ficu Fast. II. 'Stabat adhuc ficus duris densissima pomis, Tentat eam rostro; non erat apta legi.' 'Seræ frondes' ut Virgil. 'seras posuit cum vinea frondes.' Fast. VI. 'Quid faceret, color oris erat, qui frondibus olim Esse solet seris, quas nova læsit hyems.' *Heins.*

704 *Nova hyems*] Autumnus: Ut nova æstas pro vere. Æneid. I. 'Qualis apes æstate nova per florea rura Exercet sub sole labor.' Sic etiam æstas adulta, Autumnus adultus, pro præcipite et inclinante. Redi ad Epist. XVIII. 55. 'Transit in ætatem, post Ver, robustior annus, Fitque valens juvenis.' Metam. XV. 206. ubi eleganter quatuor anni partes cum ætate hominis comparantur.

706 *Non satis apta*] Nondum matura.

707 *Utque animus rediit*] Epistola VI. 31. monui ex melioribus libris legendum esse, *Ut rediit animus:* ita certe prima editio, Regius, Sarravinnus, excerpta Jureti, atque alii complures: vide quæ illic notamus. *Heins.*

711 *Ut prope pervenium est, comites in valle reliquit*] Regius *relinquit,* nec

Digitized by Google

ob est agnoscit; atque ita quinque aut sex. *Idem.*

713 *Quid tibi mentis erat*] *Erit* unus; alius *eras:* certe 'erat' sequitur. Scribe, *Quid tibi mentis, io?* sic paulo post ex antiquis libris, 'Labor io, chara lumina conde manu.' Met. III. 'Io geminæ, clamavit, adeste sorores:' sic et ibi veteres libri. Epistola Hypermnestræ, 'quid io freta longa pererras?' *Idem.*

719 *Locus est*] Quo veniebat Cephalus. *Et nomen*] Auræ. *Et index*] Accusator Cephali et Auræ.

720 *Et quia mens semper quod timet, esse putet*] *Putat* scripti plerique cum prima editione. *Et quæ mens* tres scripti cum Arondeliano. *Et quod amans.* Lege *Et quia amans:* sic Epist. I. 'Res est solliciti plena timoris amor.' In Tristibus, 'Datque tuus casti signa timoris amor.' *Idem.*

721 *Vidit ut oppressam vestigia corporis herbam*] *Vidit et oppressa herba* scripti cum prima editione plerique; frustra: est enim elegans appositio. *Idem.*

722 *Pulsantur trepidi corde micante sinus*] Redi ad v. 37. Epist. Ænon. Plaut. Cistellar. II. 3. 9. 'Horret corpus, cor salit.' Et Aulul. IV. 3. 'Cor mihi cœpit in pectus emicare.'

725 *Ecce redit Cephalus proles Cyllenia*] Cephalus in Metamorph. ab Ovid. Æoli, a Strabone Dionei, filius fertur: qui ex Athenis profugus, ab Amphitryone Dulichium accepit, ab eoque postea insula Cephalenia est appellata. Cur autem ab Ovidio 'proles Cyllenia' dicatur, docet Strabo l. X. *Mer.* *Proles Cyllenia*] Credimus prolem Cylleniam a Poëta dici Cephalum, eo quod a quibusdam Mercurii, quem vulgo Cyllenium vocant Poëtæ, filius habitus fuerit. Cujus rei testem Hyginum habemus, c. 241. *Micyll.* *Proles Cyllenia silvis*] *Sylvis Cyllenia proles*, Scaliger et Leopardus Miscell. VII. 28. Hellenia, ab Hellene Æoli patre; qui Cephali proavus fuerit. Sed vulgatam lectionem non esse sollicitandam pluribus ad Met. VII. 673. monui. Mercurii enim filius Cephalus a nonnullis est creditus. *Heins.*

726 *Fervida spargit aqua*] Scripti plerique cum prima editione *pulsat:* quod et Zinzerlingus in Promulside Critica est amplexus. Nec ignoro sic alibi Ovidium locutum. Sed præcessit paulo antè, 'Pulsantur trepidi corde micante sinus.' Noster Fast. V. 'Spargit aquis aditus.' Et ibidem, 'Virgaque rorantes laurea spargit aquas.' Duo codices *lavit aqua*, ut Remedio Amoris, 'Arida nec sitiens ora lavabis aqua.' *Idem.*

730 *Et mens, et rediit*] *Ut mens et rediit* duo libri: duo alii, *Ut mens, ut rediit*, dixi ad Epist. XII. 33. *Idem.*

731 *Oppositas frondes*] *Appositas* Sarravianus; bene: quod et in suis Nangerius invenerat. Vide notas Epist. VII. 100. *Idem.*

733 *Ille ferum sonuisse ratus*] *Vidisse* Regius et sex alii. Scribo, *movisse:* scriptum fuit *Ille ferum ovisse*, omisso altero *m*, qui frequens error in libris antiquis. Ibidem, 'juveniliter arcum Corripit.' *Arcus* scripti plerique cum prima editione: deinde *Arripit* tres scripti: ut Met. V. 'arcum Arripit, et, Mecum tibi sunt certamina dixit.' Met. XIII. 'arripit ensem, Et mens hic certe est.' *Idem.*

738 *Hic locus*] Pectus meum. *A Cephalo vulnera semper habet*] Prius enim sollicita eram, ne captus esses Auræ amore; nunc vero jaculo me fixisti.

740 *Hoc faciet positam te mihi terra levem*] Codex Regius mendose, *Hoc face et posita ex et mihi terra livet.* Sed scribendum est *positæ te mihi:* et sic Aprosianus, quod et e suis annotavit Nangerius. 'Positi' vel 'compositi' mortui. Ovid. Fast. III. ut bene veteres libri, 'Compositusque cinis, tumulique in marmore carmen Hoc breve, quod moriens ipsa reliquit,

Digitized by Google

erat.' Horat. I. Sat. 9. 28. 'Omnes composui: felices.' Fast. v. 'Compositique nepos busta piabat avi.' Et mox, 'Illa, qua positis justa feruntur avis.' Statius Theb. VIII. 'positusque beata Morte pater.' Lib. XII. 'Hei mihi, quod positos humus alma diesque resolvit.' Et mox, 'Dum funus putat omne suum, visuque sagaci Rimatur positos.' In veteri Epicedio Inscript. apud Gruterum, 'Heu positæ natæ miseri posuere parentes.' Noster Epist. Ariad. 'Nec positos artus unget amica manus.' Sic intelligendum et supra, quod dicit, 'Ennius emeruit Calabris in montibus ortus Contiguus poni, Scipio magne, tibi.' Trist. III. 3. de ossibus suis, 'Inque suburbano mortua pone solo.' Sic et sæpe Epicedio Drusi. *Heins.*

741 *Suspectam auram*] *Suspectas auras* scripti et prima editio. *Idem.*

742 *Jam morior: cara lumina conde manu*] *Labor jam* quatuor libri: duo *Labor et o.* Recte autem prima editio, Regius, et duo Vaticani, *Labor io.* Diximus paulo ante. *Labi* pro *mori:* sic Met. X. 'Laberis Œbalide prima frandate juventa.' Parthenopæus moriens apud Statium Theb. IX. 'Labimur: i miseram, Dorceu, solare parentem.' Et de Creonte moribundo Theb. XII. 'ille oculis extremo errore solutis Labitur.' Apud eundem in Silvis Priscilla moriens, 'Hæc dicit labens, sociosque amplectitur artus.' Camilla apud Virgilium, 'Labitur exsanguis, labuntur frigida letho Lumina.' Val. Flaccus V. 'Argolicus morbis fatisque rapacibus Idmon Labitur.' *Idem. Chara lumina conde manu*] Scribit Plinius morientibus oculos operire, rursusque in rogo patefacere, Quiritium magno ritu sacratum fuisse. Solebant autem propinquiores mortuorum oculos claudere.

743 *Dixit, et incauto*] Scripti cum primis editionibus huic disticho sequens præponunt, *Ille sinu dominæ;* et recte. Modo pro *Dixit*, rescribas *Exit*, ut sit repetitio verborum Procridis. Nam τὸ *dixit* hic locum non habet, etsi in omnibus antiquis libris legitur: quod cum viderent correctores, ordinem versuum inverterunt. *Heins.*

747 *Sed repetamus iter: nudis mihi rebus agendum est*] Scripti plerique cum prima editione, 'Sed repetamus opus: mihi nudis rebus eundum est.' Frustra. Rutilius Itinerario, 'Carmine proposito jam repetamus iter.' *Heins. Sed repetamus iter*] A diverticulo ad rem redeamus.

749 *Scilicet expectas, ut te in convivia ducam*] *Sollicite expectes, dum te* scripti plerique cum prima editione: et *quæras* nonnulli libri sequenti versu. *Heins. In convivia ducam*] Ut doceam quomodo cœnandum sit apud amatorem.

752 *Grata mora venies*] *Veniens* Regius et quatuor alii: unus *Grata mora est Veneris;* unus Vaticanus cum prima editione *Grata mora Venus est:* non male. Sed rectius Neapolitanus cum Cavalcantiano, *Grata mora est Veneri.* Heins.

753 *Et si turpis eris*] Lege *Etsi.* Idem.

755 *Est quidam gestus edendi*] Dia est quod vidi *quiddam* reponi debere, quod prima editio confirmat, et unus Vatic. Ex Pont. II. El. 1. 'Quod precor eveniet: sunt quædam oracula vatum:' scribe *sunt quiddam.* Propert. lib. IV. 'Sunt aliquid manes:' sic 'Est aliquid' et 'sunt aliquid:' in Amoribus lib. II. 'Omina sunt aliquid.' Remed. Amor. 'Est aliquid valida sceptra tenere manu.' Met. XII. 'Est aliquid non esse satum Nereide; sed qui Nereaque et natas et totum temperat æquor.' *Idem.*

757 *Neve domi præsume dapes; sed desine citra Quam cupias, paulo quam potes esse minus*] Locus perplexissimus. Vetustæ editiones *Neve diu.* Sarravianus et septem alii, *Neve minis.*

Digitized by Google

Sed pro vulgata stant vetustiores libri; et recte omnia constabunt, si pro *sed desine, et desine* reponas: et sequenti versu pro *cupias, capies*, ut in Regio est et aliis quatuor. Multi *cupies* proxime verum. 'Præsumere,' quomodo apud Plin. XXXVI. 'Theophrastus auctor est, potores in certamine bibendi præsumere farinam ejus.' Tangit et damnat morem puellarum quarundam, quæ domi præsumebant dapes, ut in convivio a cibis abstinerent; quod et nunc apud multas in usu est. Tres *capias, capere*, ut apud Horatium Sat. I. 1. 'Non tuus hoc capiet venter plus quam meus.' Noster Metam. VII. 'Riusque capit, quo plura suam demittit in alvum;' ita censeo scribendum. Lucret. lib. IV. 'Nec refert quicquam, quo victu corpus alatur. Dummodo quod capias, concoctum didere possis.' 'Est' pro edit apud Virgilium et Gratium: 'esses' pro edisses apud Val. Maxim. IV. 3. sub finem: 'esset' pro ederet Hygin. Fab. 139. 'Estur' pro editur dixit noster Pont. I. El. 1. 'Estur ut occulta vitiata teredine navis.' Sensus est, desine priusquam capies paulo minus, quam potes edere. Vir doctus in Epistolis nuper editis, 'paulo quam potes esque minus,' pro *ede*. Sed proferat exemplum velim vel unicum, quo liqueat veteres 'es' pro ede dixisse. Perperam etiam Merula lectionem *Neve nimis præsume dapes* approbat. Saltem *nimis dapis*, vel *Neu nimium præsume dapis* refinxisset. *Idem.*

760 *Oderit, et dicet*] *Dicat* Regius et tres alii ex melioribus: rectius. *Idem.*

762 *Non male, Bacche, facis*] Hoc est, non inutiliter aut inconvenienter jungeris cum amore. *Micyll.*

763 *Hoc quoque vide*] Qua patiens caput est: id est, quatenus caput tuum potationes et crapulam ferre potest, &c.

764 *Nec quæ sint singula, bina vide*] Smyrn. I. Καὶ ὕδρακε διπλόα πάντα. Quod est, οὐχ ὁρῶν, ἀλλὰ παροῤῥῶν, ἐκτρεπόμενον καὶ παρακινοῦντα τοῖς λογισμοῖς. Emota mente circumferri. Plutarch. de Pentheo advers. Stoicos. Sic Cyclops ebrius, Eurip. ὄμμά μου νοσεῖ. Juven. Sat. VI. 'Cum jam vertigine tectum Ambulat, et geminis exsurgit mensa lucernis.' Senec. æmulatur Virgil. Agam. 728. 'Sed ecce gemino sole præfulget dies, Geminumque duplices Argos attollit domos.' Aliam hujus rei Lactantius affert rationem quam Farnab. h. l. De opific. Dei cap. 9. Quia visus oculorum intentione animi constat: qui, una cum lumine mentis vitiatus, caligat et distorquetur. Huc alludere videtur Plaut. Mil. II. 4. 16. 'Oculi, qui plus vident, quam quod vident.'

767 *Nec somno tutum est posita*] Lege cum castigatioribus, 'Nec somnis posita tutum succumbere mensa:' et sic prima quoque editio. *Heins.*

771 *Nota sibi sit quæque*] *Sint* Regius et unus Vaticanus: vide Notas ad Amor. II. 11. 21. *Idem.*

774 *Spectetur tergo, cui sua tergo placent*] *Spectentur, quis sua* Regius et sex alii: et superiori versu *eris* pro *erit* bene multi veteres. *Idem.*

775 *Melanion humeris Atalantæ crura ferebat*] *Milanion* meliores: alii, *Minalion* aut *Mimalion;* dixi Art. II. 188. *Atalantes* quoque scribendum cum Regio et quatuor aliis. Multi *Atalantis.* Sequenti versu *hoc sunt accipienda modo* non *aspicienda* Comelinianus, Neapolitanus, et septem alii: bene; nam 'conspicienda' mox sequitur. Amor. III. El. 2. 'Talia Milanion Atalantes crura fugacis Optavit manibus sustinuisse suis.' *Idem.*

781 *Carent quoque cætera menda*] *Quoque pectora* scripti meliores; *cui* etiam prior Mentelianus. Lege, *carent cui pectora mundo:* ut concursus vitetur duum *a:* vide supra hoc libro Notas 261. *Quoi* scriptum erat; hinc *quoque* factum. *Idem.*

Digitized by Google

782 *Semper in obliquo fusa sit illa toro*] Optime prima editio et scripti meliores, *Stet vir, in obliquo fusa sit ipsa toro.* Idem.

783 *Ut Phylleia mater*] *Ut Phylaceia* Bersmannus; sed frustra. Vide Notas ad Epist. XIII. 35. *Idem. Ut Phylleia mater*] Tanquam quæ Bacchi sacra celebrans, demittit capillos per colla. A Phylla autem Magnesiæ oppido, Baccham Phylleiam appellavit.

784 *Et effusis colla reflecte comis*] *Renecte* prior Mentelii. Aprosianus, *reflente*. Lege, *colla replere:* sive passivum sit, Græcismo usitato, sive infinitivum. *Reflecte* quem hic locum habeat non video. *Heins.*

787 *Mille modi Veneris*] *Joci* Regius et Scaligeri Excerpta, cum aliis nonnullis: sed nil mutandum. Noster Am. III. El. 7. de concubitu, 'Quos ego non fixi disposuique modos?' de re Venerea: et alibi, 'Inque modos Venerem mille figuret amor.' Martial. Epigr. IX. 69. 'Lassus mille modis illud puerile poposci.' 'Joces' paulo post vocabit. *Idem.*

789 *Sed neque Phœbei tripodes*] Tripodes erant mensæ in templo Apollinis Delphici, ex quibus Phœbades vaticinabantur. *Nec corniger Hammon*] Hammonem dicit, qui in Cyrenaica regione colebatur, et dabat responsa. 'Corniger' autem ideo appellatur, quoniam Ammon galea in bello usus est, cujus insigne fuit arietis caput. Sunt qui ipsum asserant natura parvula habuisse cornua, propterea ejus filium Dionysium eodem fuisse aspectu: posteriseque traditum, Deum cornua gestasse.

790 *Quam mea Musa canet*] *Canent* rectius quatuor libri: unus *canat*. Puto *canant*. Heins.

794 *Res juvet ista duos*] *Illa* meliores: quidam *una* cum Jureti excerptis et codice Sarraviano. *Idem.*

799 *Ille, puella*] *Puellæ* Regius: sex alii cum prima editione, *puella est*; sed bene Sarravianus, *puella es*. Idem.

801 *Tantum cum fingeo*] *Cum simulas* Jureti excerpta. Lege, *dum simulas*. Nonnulli ex melioribus, *Dum nimium simulas:* duo *Tuto cum simulas*. Forte, *At tu dum simulas*. Idem.

803 *Quod juvat*] *Juvet* quidam. *Idem.*

805 *Quæ poscit nunus amantem*] *Poscet* prima editio et Regius; qui et *amantes*. Idem.

806 *Illa suas nolit*] *Nollet* Regius et multi alii: plures *nolet;* quod sequor. *Idem.*

809 *Lasus*] Opus meum. *Cygnis discedere tempus*] Non immerito poëta, qui est in tutela Apollinis, et cecinit res Veneris, ab avibus utrique numini dicatis vectum se fuisse dicit. Sed currum Veneris non modo aves ducunt, sed etiam columbæ. *Cygnis discedere tempus*] *Discendere* Regius: alii multi *descendere*, pro descendere curru, quem olores traxerunt: bene. *Heins.*

812 *Spoliis*] Exuviis amantum. *Micyl.*

Digitized by Google

REMEDIA AMORIS.

De Remedio Amoris Liber Primus] Codex Regius et alii nonnulli librum unum faciunt ex duobus, et recte. Noster enim ipse 'libellum' vocat hujus poëmatis initio. Deinde idem Regius *Remediorum Amoris librum* inscribit: et hoc quoque recte. P. Ovidii Nasonis Artis Amatoriæ Lib. III. Expl. Incipit Ejusdem Remediorum Liber I. Unus quoque Vaticanus *De Remediis Amoris* inscribit. *Heins.*

1 *Legerat hujus Amor titulum nomenque libelli*] Scripturus de remedio amoris Ovidius, primo se excusat Cupidini: ostenditque, non eum adversari velle suis præceptis, sed his se opem ferre paratum esse, qui adeo impatienter amant, ut quandoque necesse sit præ nimio amore, aut laqueo, aut ferro, aut alia via vitam finire: quod quidem alienum esse dicit a Cupidinis regnis, qui amantum lachrymis tantummodo contentus, citra mortem jocari solet.

5 *Non ego Tydides*] Non soleo ego pugnare contra te, aut matrem Venerem, ut olim Diomedes, ut in Iliad. E. scribit Homerus. *A quo tua saucia mater*] Id quod ipsa acerbe queritur apud Virgil. Æn. x. 'Atque iterum in Teucros Ætolis surgit ab Arpis Tydides: equidem, credo, mea vulnera restant; Et, tua progenies, mortalia demoror arma.' Et auctor ipse, iratam expertus, deinde factum damnat, Æneid. xi. 'Hæc adeo ex illo mihi tum speranda fuerunt Tempore, cum ferro cælestia corpora, demens, Appetii, et Veneris violavi vulnere dextram.' Noster hoc sæpiuscule in usus suos convertit. Fast. iv. Ex Pont. ii. 2. et alibi. Sed huic amorum matri non congruebat grave Martis opus: Iliad. E. 428. Οὔ τοι, τέκνον ἐμὸν, δέδοται πολεμήϊα ἔργα· Ἀλλὰ σύ γ' ἱμερόεντα μετέρχεο ἔργα γάμοιο.

6 *Martis equis*] Verba Veneris, Martis currum sibi orantis, hæc sunt. Iliad. E. 359. Φίλε κασίγνητ', ἐκκόμισαί τέ με, δὸς δέ μοι ἵππους, Ὄφρ' ἐς Ὄλυμπον ἵκωμαι, ἵν' ἀθανάτων ἕδος ἐστί· Λίην ἄχθομαι ἕλκος, ὅ με βροτὸς οὔτασεν ἀνὴρ Τυδείδης, ὃς νῦν γε καὶ ἂν Διὶ πατρὶ μάχοιτο.

9 *Qua posses arte parari*] *Possis* rectius quidam scripti, et sequenti versu, *quod nunc ratio est*, non *quæ*. Heins. *Qua possis arte parari*] Quo posses conciliari amantibus. Designat autem libros Artis amatoriæ.

11 *Nec prodimus*] Nec tanquam proditores oppugnamus. *Nostras artes*] Nostra amatoria præcepta.

12 *Nec nova præteritum Musa retexit opus*] *Prætextum* prior Mentelianus. Sic Pont. i. 4. 'Quod tua texuerunt scripta retexit opus:' quomodo vetus codex. Matius apud Ciceronem Lib. xi. Ep. 28. 'An quod adolescens præstiti, id nunc ætate præcipitata commutem, ac me ipse retexam.' Sic et alibi idem. *Heins.*

13 *Feliciter ardet*] *Ardens Naviget*, Puteaneus optimus: et recte. *Idem.*

14 *Et vento naviget ille suo*] Et amare pergat.

16 *Ne pereat*] Ne conficiatur amore. *Nostræ artis*] Nostrorum præceptorum.

17 *Cur aliquis collum laqueo nodatus amator*] *Collo laqueum nodatus ab alto* Puteaneus præstantissimus et duo alii. Scribo, *laqueo ab arto*: et sequenti versu *Et trabe sublimi*, non *A.*

Digitized by Google

Nam *amator* ex Glossa irrepsit, et ea vox paulo post denuo sequitur. *Pendere e trabe*, quomodo 'pendere e collo' et similia. Senec. Theb. 'Ferrum negabis? noxias lapso vias Cludes? et arctis colla laqueis inseri Prohibebis? herbas, quæ ferant, lethum auferes? Ubique mors est.' Sic ibi scribo, non *ferunt*: sic 'innodatum guttur laquei nexibus' dixit Ammianus lib. XXXIX. *Heins.*

18 *Triste pependit onus*] Ideoque Homero appellatur *μὴ καθαρὸς θάνατος*. Eurip. Helen. vs. 306. *Ἀσχήμονες μὲν ἀγχόναι μετάρσιοι Κἀν τοῖσι δούλοις δυσπρεπὲς νομίζεται.*

19 *Cur aliquis rigido fodiat sua pectora ferro*] *Viscera* rectius Jureti Excerpta cum Puteaneo: *fodit* etiam scribendum cum quatuor scriptis superiora evincunt. *Heins.*

25 *Nudis sagittis*] Vel expromptis e pharetra, vel non occulto sed aperto Marte.

26 *Mortifero vulnere tela carent*] Scripti omnes meliores *sanguine*: prima editio cum uno Farnesiano *lethifero sanguine*; ut Fast. I. 'Sanguine lethifero totus miscebitur orbis.' Amor. II. 12. 'In qua quæcunque est sanguine præda caret.' *Heins.*

27 *Vitricus et gladiis*] Martem designat, quem Diodorus scribit primum fabricatis armis armasse milites, pugnandique ac certandi morem induxisse.

29 *Maternas artes*] Jocos Veneris matris. *Tuto quibus utimur*] Quibus nos amantes utimur sine mortis periculo.

34 *Verbaque dent cauto qualibet arte viro*] Non damno hanc lectionem. Opinor tamen scribendum, *quamlibet apta*. In Amoribus, 'huic operi quamlibet aptus eram.' Sic 'apta verba joco' Epistola Sapphus, Artis lib. II. et in Fastis. *Arte* pro *apta* perperam etiam alibi scriptum offendas. Vide Notas lib. Artis III. 485. potest et *quamlibet* cum *cauto* conjungi. *Heins.*

35 *Et modo blanditias*] Sic Tibullus januam execrando inquit: 'Janua difficilis dominæ te verberet imber.' Et paulo post blanditiis utitur, quum inquit: 'Et mala si qua tibi dixit dementia nostra, Ignoscas, capiti sint precor illa meo.'

40 *Propositum opus*] Libros de remedio amoris.

44 *Vulnus opemque feret*] 'Vulnus' intelligit præcepta amatoria; 'opem' vero remedium amoris.

45 *Terra salutiferas herbas*] *Salutares* est in libris melioribus: pro *nocentes* unus Puteaneus *nocivas*. Sic 'nocivum periculum' dixit Phædrus I. Fab. 30. Noster Trist. V. Eleg. 10. 'tela nociva,' ut in veteri codice legitur, non *noxia*; eamque vocem Arte Amatoria Scaliger restitutam cupiebat, ut monuimus Artis II. 436. *Heins.*

47 *Vulnus Achilleo quæ quondam fecerat hosti*] Regius cum optimo Puteaneo et Hafniensi probe, *Vulnus in Herculeo quæ quondam fecerat hoste*. Telephus enim Herculis ex Auge filius. *Idem. Vulnus in Herculeo*] Telephus (ut in quinto scribit Diodorus) filius fuit Herculis et Auges, filiæ Alei regis Arcadiæ: qui inter virgulta inventus, quod a cerva nutritus esset, Telephi nomen accepit. Hic donatus a pastoribus Coryto, Thessaliæ regi, a quo ut filius educatus, vir factus, matrem investigans, Delphos venit: responsoque accepto, ut in Mysiam navigaret ad Teuthrantem regem, inventa matre cognitoque cujus esset filius, magno in honore est habitus. Teuthras virili stirpe carens, Argiopen filiam Telepho despondit, eumque reliquit regni successorem. Græci deinde ignorantes iter ad Trojam, in Mysiam per errorem pervenerunt. Contra quos Telephus in pugnam descendens, insequensque Ulyssem cecidit: ibique ab Achille, qui imminebat, vulneratur. Et quum respondisset oraculum,

Digitized by Google

Telephi vulnus sanari non posse, nisi iterum ab Achille eodem in loco vulneraretur, in Græciam navigavit, quo ex Mysia Græci redierant: promisitque Achilli in præmium sanati vulneris, se ducem futurum ad littus Trojanum: ac ita sanatus est, dicente Ovidio in Metam.

51 *Ad vestros usus*] Quia multa dicet agenda a viris, quæ non decent puellas.

52 *Attamen exemplo*] Exemplo præceptorum, quæ viris dabuntur, poterunt et fœminæ quid agendum sit intelligere.

53 *Sævas extinguere flammas*] Unus Puteaneus *distinguere:* alius ex meis *astringere.* Puto, *restinguere:* infra, 'Nutritur vento, vento restinguitur ignis.' *Heins. Sævas flammas*] Amorem intolerabilem.

54 *Nec servum vitiis pectus habere tuum*] Scripti plerique *suum* rectius: duo *vitii suum;* quinque *vitii tuum.* Regius *vitii tui.* Lege *vitii sui:* atque ita alter Regius. Sic 'servi pœnæ' apud Jurisconsultos. Vide Notas ad Amor. I. 6. sub finem.' 'Sui vitii;' quomodo 'suus amor' supra vs. 42. 'sua vindicta' infra vs. 74. 'sua retia' vs. 202. 'sua aura' vs. 264. qualia nos plurimis locis Nasoni restituimus. *Heins.*

56 *Novies*] Phyllis enim ad littus sola profecta est, ut prospiceret an Demophoon veniret.

58 *Dardanias rates*] *Dardanidas* tres scripti: rectius. Vide Notas Artis I. 172. *Heins.*

60 *Socii sanguinis*] Communium liberorum: δι' ἐκμιξίας.

62 *Per facinus*] Per vim Philomelæ illatam. *Fieri avis*] Non meruisset mutari in upupam.

63 *Pasiphaën*] Metam. IX. 740.

64 *Da Phædram*] Quæ privigni Hippolyti amore exarsit.

65 *Redde Parin nobis*] Ita libri veteres; cum Nasonem scripsisse censeam, *Crede Parin nobis:* sic infra, 'qui fueras dominæ male credituus uni.' *Heins.*

66 *Nec manibus Danaum Pergama victa cadent*] *Manibus Danais* Regius et Puteaneus optimi, et Arondelianus, quomodo Epistola tertia 'Danaas opes,' et VIII. 'Danaum ignem' ac 'Danaum militem,' et 'rem Danaam' Met. XIII. veteres libri. Deinde pro *cadent* plerique veteres *ferent*, nisi fallor, pro *ruent:* 'ruit alto a culmine Troja:' et 'Urbs antiqua ruit:' de eadem Propertius II. Eleg. 8. ut scribendum similiter puto, 'Et Thebæ steterunt, altaque Troja ruit;' quanquam et vulgata proba est, in Nasone, quam liber Regius tuetur. *Heins.*

67 *Scylla*] Metam. VIII.

69 *Damnosas curas*] Damnum et mortem afferentes.

70 *Rectaque cum sociis me duce navis eat*] Sic in Art. I. se Typhin appellavit.

72 *Vitiis suppressa levabo Pectora*] Quantivis pretii est, quod in Regio, Puteaneo, Lincolniensi, et Scaligeri excerptis legebatur *dominis suppressa.* Scribe, *Dominis oppressa Pectora.* Jureti Excerpta et duo alii proxime verum *dominis suppressa:* supra, 'vitii servum pectus' dixerat. Sallustius egregie in fragmentis: 'Porro ii, quibus bis die ventrem onerare, nullam noctem sine scorto quiescere mos est; ubi animum, quem dominari decebat, servitio oppressere, nequaquam eo postea hebeti atque clando pro exercito uti volunt.' Lucretius Lib. II. 'natura videtur Libera continuo, et dominis privata superbis.' Monosticha de moribus in Catalectis Pithœi, 'Tu, si animo regeris, rex es; si corpore, servus.' Cicero de Republ. l. VI. apud Nonium in *Expleri:* 'Graves enim dominæ cogitationum libidines, infinita quædam cogunt atque imperant,' &c. Idem adeatur sub finem Somnii Scipionis: et Lactant. VII. 1. Plura

Digitized by Google

hac congerere possemus ex Philosophorum placitis, sed commentarios non scribimus. Vide ad hanc rem divinam Horatii Sat. II. apud quem frugi ille Davus super tota hac re egregie philosophatur. *Heins.*

74 *Vindictæ suæ*] Libertati: a virga, qua servi a prætore libertate donabantur.

75 *Te precor incipiens*] Alii codices, *o vates*. Sed Jureti Excerpta, *arcitenens:* optime. Apollinem sic passim dici, Dianam quoque, qui nescit, valde is oportet peregrinus ac hospes sit in scriptis poëtarum veterum. Noster Met. VI. 'motus erat, cum jam revocabile telum Non fuit, Arcitenens.' Sic et in fabula Daphnes Metamorph. I. Qua voce Apollinem a Nævio lib. II. belli Punici, Hostio lib. II. belli Histrici, ac Lucretio designatum monet Macrobius Saturnal. VI. 5. Quod Virgilius, Statius, alii, postea sunt imitati. Idem 'Arcipotens' Valerio Flacco dictus lib. V. Sic et 'anguitenens,' signum cæleste, et 'thyrsitenens' Bacchus dictus a veteri poëta in Catalectis Pithœi, judicio Coci et Pistoris, 'Thyrsitenens satyros facio et saturo ego plures.' Ita enim versus mendosissimus videtur scribendus. *Heins.*

76 *Carminis repertor*] Sic Tibull. 'Nec prosunt elegi, nec carminis autor Apollo.' Versum enim heroicum Pythio oraculo debemus. *Et medicæ opis*] Quam Apollo invenit. Ovid. 'Inventum medicina meum est, opifexque per orbem Dicor, et herbarum subjecta potentia nobis.'

77 *Medenti*] Remedia amantibus afferenti.

78 *Utraque cura*] Et poëticæ et medicinæ.

79 *Dum licet*] Nondum amori obnoxius. *Et modici motus*] Moderatus amor. *Tangunt præcordia*] Sollicitant mentem. Quid autem sint 'præcordia,' docet Plinius. Exta homini ab inferiore viscerum parte separantur membranis, quæ præcordia appellant, quia cordi prætenduntur.

80 *Siste pedem*] *Gradum* duo scripti, ut Virgilius: 'Siste gradum, teque aspectu ne subtrahe nostro.' *Heins.* *Si piget*] Te amare. *In primo limine*] In primo aditu amoris. *Siste*] Ne ulterius procedas.

81 *Mala semina*] Mala principia.

83 *Teneras mora percoquit uvas*] *Decoquit* scripti nonnulli, etiam ex melioribus, cum prima editione: nil muta tamen. Germanicus Cæsar in fragmento prognosticorum inedito, 'Libra tumescentes musto bene percoquit uvas.' Proprie autem 'coqui' de vindemia. Virgilius, 'Mitis in apricis coquitur vindemia saxis.' Hinc 'coctura' dicebatur ea cœli temperies, quæ uvas maturas reddebat. Vide Plin. XIV. 4. et 6. Martialis, 'Cæcuba saccentur, quæque annus coxit Opimi.' Et, 'Cæcuba Fundanis generosa coquuntur Amyclis.' Nam aliud est 'decoquere olus' apud Horatium, et 'humorem musti Vulcano decoquere' apud Virgilium. *Heins.*

84 *Quæ fuit herba*] Scripti plerique *quod:* et recte. *Idem.*

90 *Læsuro jugo*] Servituti amoris nocituræ.

93 *Nec te venturas differ in horas*] *Profer* Puteaneus optimus: eleganter. Hinc *res prolatæ:* sic et infra vs. 642. meliores libri, 'Nec si scire volos, quid agat tamen illa, rogabis. Profer: erit lucro lingua retenta suo.' *Heins.*

95 *Verba dat omnis amans*] Amantes omnes se ipsos fallunt, differendo amoris remedia.

97 *Flumina pauca vides magnis, &c.*] Quod est: Flumina non statim ab ortu suo magna sunt, sed plerumque augentur in cursu, aquis undecumque affluentibus.

100 *Tegeres vultus cortice, Myrrha*] Metam. X. 498. 'mersitque suos in cortice vultus.'

103 *Venerio decerpere flores*] *Præ-*

Digitized by Google

tum prima editio cum Puteaneo, Regio, et quatuor aliis: multi, *fructus* vel *florem*; parum refert. Puto *præcorpore* esse scribendum: nimirum antequam desinamus amare. *Heins.*

104 *Cras quoque fiet idem*] Sic Græci: Δός μοι τὴν σήμερον, καὶ λαβέ σοι τὴν αὔριον.

108 *In capto pectore sedit amor*] *In cauto* septem libri. Puto *incauto pectore*. Art. III. 'incauto paulatim pectore lapsus Excipitur miseri spiritus ore viri.' Infra, 'Affluit incautis insidiosus amor.' Vulgatæ tamen scripturæ controversia haud movenda temere. *Heins.*

109 *Majus opus superest*] Major est difficultas ferendæ opis.

111 *Qua læsus fuerat partem*] *Quam* veterrimus Regius, ut sit Græcismus, in quibus elegantiis est multus noster. Supra, 'collum nodatus laqueo: teneram cuspide læsa manum' Fast. IV. atque ita alibi infinitis propemodum locis. *Heins.* *Pœantius heros*] Philoctetes, Pœantis filius, a quo Hercules, ut Servius scribit, in Œta, hominem exuens, petivit, ne alicui sui corporis reliquias indicaret, jurareque coëgit; et suas sagittas, Hydræ felle tinctas, dedit. Et cum responsum fuisset, Herculis sagittis opus esse ad expugnandam Trojam, inventus est Philoctetes: et de Hercule interrogatus, negavit se scire: deinde quum cogeretur, confessus est mortuum; sepulchrumque, ne jusjurandum falleret, non voce, sed pede ostendit. Post hæc quum duceretur ad bellum, casu in eum pedem, quo sepulchrum ostendit, sagitta cecidit: vulnereque immedicabili confectus est: cujus fœtor quum a Græcis sustineri non posset, in Lemno relictus est. Vide Ovid. Met. XIII. *Pœantius heros*] Adi Sophocl. fab. 7. [Philoctetes] Hæc fabula a multis celebrata est. Noster quoque pluribus in locis. Homer. Il. B. 721. in catalogo Heroum, Ἀλλ' ὁ μὲν ἐν νήσῳ κεῖτο κρατερ' ἄλγεα πάσχων, Λήμνῳ ἐν ἠγαθέῃ, ὅθι μιν λίπον υἷες Ἀχαιῶν, Ἕλκεϊ μοχθίζοντα κακῷ ὀλοόφρονος ὕδρου. Ἔνθ' ὅγε κεῖτ' ἀχέων· τάχα δὲ μνήσεσθαι ἔμελλον Ἀργεῖοι παρὰ νηυσὶ Φιλοκτήταο ἄνακτος. Omnem rem, velut in compendium missam, hic videmus. Pausan. in Arcadicis etiam hujus meminit, et a dracone morsum asserit. Dio Prus. Orat. 59. Attius: 'Cui viperino morsu venæ viscerum ...Veneno imbutæ tetros cruciatus cient.' Et Noster Tristium v. 4. 12. 'Quidve Philoctetes ictus ab angue gemat.' Item Eleg. 2. 13. 'Pæne decem totis aluit Pæantius annis Pestiferum tumido vulnus ab angue datum.' Alii sagittas veneno imbutas malunt.

112 *Debuerat celeri præsecuisse manu*] *Certa debuerat* Puteani et Jureti codex: neque aliter Regius, nisi quod in eo mendose, *Cætera debuerat*. Amor. III. 3. 'Viderat Iasium Cretæa diva sub Ida Figentem certa terga ferina manu.' Martial. lib. VI. de Othone, 'Damnavit multo staturum sanguine Martem, Et fodit certa pectora nuda manu.' Martialis spectaculis, 'O quam certa fuit librato dextera telo!' Sic 'certa sagitta' Met. I. fabula Daphnes: 'certa securis' Pont. IV. Eleg. 4. 'certi venatus' apud Claudianum, ubi nonnihil dictum est. *Heins.*

113 *Post multos annos*] 'Contempla hanc sedem, in qua ego novem hyemes, saxo stratus, pertuli.' Attius. Adeundus etiam Calab. Smyrn. lib. V. ubi Ajax Ulyssi exprobrat πανουργοτάτῳ.

114 *Supremam bellis imposuisse manum*] Ultimum finem: nam post excidium Trojanum præ pudore noluit in patriam redire; sed in Calabriam venit, ubi Petiliam condidit. *Supremam bellis imposuisse manum*] Sic Met. XIII. 403. 'Imposita est sero tandem manus ultima bello.' Quod fatale fuisse affirmant. Ideoque vs. 54. eodem Metam. 'debita Trojanis spicula fatis.' Alii duplex, alii fuisse triplex Trojæ fatum volunt. Pausan. in Eliac.

Digitized by Google

duo dicit fata: Ἡρακλέους τόξα, καὶ δοτοῦν Πέλοπος. Adi etiam Cassand. Lycophr.

115 *Nascentes properabam pellere morbos*] Amorem surgentem.

116 *Admoveo tardam nunc quoque lentus opem*] *Nunc tibi* meliores libri: recte. *Heins.*

119 *Dum furor*] *Cum* prima editio et meliores scripti. *Idem.*

121 *Qui cum discedere possit*] *Descendere* iidem: probe. Malo etiam *Pugnet* sequenti versu, quam *Pugnat*. Id.

123 *Impatiens animus, &c.*] Amatoris animus in medio amoris cursu constitutus.

129 *Animumque expleverit ægrum. Impleverit* scripti cum prima editione. *Heins.*

131 *Temporibus medicina valet*] Veterrimus Regius, *Temporis ars medicina fere est:* eleganter mehercule; hoc est, ars quæ se ad temporis oportunitatem componit. Sic 'Temporis arma' dixit Trist. IV. El. ult. 'Insolita cepi temporis arma manu:' arma ad quæ capienda temporis necessitate compellebar: ubi frustra vir maximus *tum prius* reponit. *Idem.*

135 *Nostra medicabilis arte*] *Nostræ arti* Regius, Puteaneus, et tres alii: probe. *Idem.*

137 *Hæc quod fecere tuentur*] *Ut fecere* iidem: hoc est, ubi, postquam fecere, aut quemadmodum fecere, ita et tuentur. Multi alii, *quæ fecere.* Idem.

138 *Jucundi causa mali*] Otium: σχολὴ τερπνὸν κακόν. Eurip.

141 *Quam platanus rivo gaudet*] *Limo* tres scripti: sed Regius et Scaligeri Excerpta optime *vino*. Atque ita jam restituit exactissimus Gronovius, qui videndus Observationum I. 5. Neque aliter Dousa divinarat, in ora codicis sui. Hinc 'platanum genialem' Noster dicit Met. X. *Heins.*

143 *Qui finem quæris amoris*] *Amori* rectius duo libri: sic infra, 'hinc odiis semina quære tuis,' quomodo et illic videtur scribendum. Et mox ex antiquis libris, 'Tu quoque qui causam finito quæris amori.' *Idem.*

144 *Cedit amor rebus*] Quia aliquid agendo amor tollitur.

145 *Vindice*] Qui te cogat e stratis surgere.

146 *Multo tempora quassa mero*] Percussum tempora Baccho. Tib. I. 2. 3. Qui οἰνοπλήξ. Redi ad Epist. Her. XIV. 29.

147 *Animo sine vulnere vires*] *Nervos* scripti meliores: *animis* etiam recte quidam. *Heins.*

150 *Vacuæ menti*] Animo ocioso.

152 *Urbanæ splendida castra togæ*] *Candida castra* venuste Jureti codex: age candidatum, inquit, atque in ambitu honorum mentem distrahe. *Heins.*

155 *Ecce fugax Parthus*] Bellum Parthicum designat, quod Caius, vel Tiberius, sumpsit Augusti auspiciis. 'Fugacem' autem Parthum appellat, quoniam Parthi in fuga solent a tergo sagittas emittere, adeo ut fugientes non minores hostibus afferant calamitates, quam consistentes.

158 *Bina tropæa*] 'Tropæa' autem apud Græcos fuere arbores amputatæ, eo in loco, ubi hostes vicissent, atque in fugam vertissent: amputabant enim ramos arborum, ac deinde armis spoliisque hosti detractis ornabant, ut esset posteris monumentum victoriæ partæ in eo loco. Dicta autem sunt tropæa a τροπῇ, quod qui hostem in fugam vertisset tropæum mereretur. *Tropæa*] Virgil. XI. 5. hæc omnia exequitur: 'Ingentem quercum, decisis undique ramis, Constituunt,' et seqq.

159 *Ætola cuspide*] Telo Diomedis, regis Ætoliæ.

160 *Mandat amatori bella gerenda suo*] Hoc est: Ipsa quidem abstinet bellis, gerenda autem eadem committit amatori suo, id est, Marti, a quo amabatur. *Micyll.*

161 *Quæritur Ægisthus*] *Quæritis*

Digitized by Google

Scaligeri excerpta: 'probe. Fast. v. 'Quæritis unde putem Maio data nomina mensi?' Et eodem libro, 'Nunc ubi sunt quæritis? urna tegit.' Lib. iv. 'Cur igitur Veneris festum Vinalia dicant Quæritis?' Propertius l. ii. Eleg. 1. 'Quæritis, unde mihi toties scribantur amores?' Noster infra, 'Quæris, ubi invenias? Artes, i, perlege nostras.' Medea, 'Dos ubi sit quæris?' Et sic alibi quoque. *Heins. Quæritur, Ægisthus*] Ex Pelope, a quo Peleponesus cognominata est, natus est Thyestes, qui concubuit cum Ærope uxore fratris Atrei, et cum filia Pelopeia incestum perpetravit: cujus filius Ægisthus rem habebat cum Clytemnestra, et ambo Agamemnonem occiderunt.

164 *Quo tulerat vires Græcia tota suas*] Scripti omnes cum prima editione, *Transtulerat*. Sic Fast. i. 'Transtulit Evander silvestria numina secum.' Lib. vi. 'Imperium secum transferet illa loci.' Met. xiii. 'Permanet Aoniis Nereus violentus in undis, Velaque non transfert.' Claudian. bello Gild. 'socia comitentur classe Sycambri. Pallida translatum jam sentiat Africa Rhenum.' Cæterum Regius veterrimus, *Transtulerant Græcia*; quod non est de nihilo. Fast. lib. i. 'Festa corymbiferi celebrabant Græcia Bacchi:' quomodo et illic liber unus ex melioribus. Et mox, 'Juraque ab hac terra cætera terra petent:' ita vetustissimus Zulichemius. Fast. ii. 'Græcia principium moris dedit: illa nocentes Impia lustratos ponere facta putant:' Sic ibi optimus Mazarinianus et duo alii. Fast. i. 'Curia pauperibus clausa est: dant census honores, Census amicitias:' ita optimus codex Arondelianus. Sic 'vicinia spernebant:' de quo Fast. iii. 189. et Met. ii. 688. et apud Silium lib. iii. codex itidem egregius exhibebat, 'Vos quoque desertis in castra mapalibus itis, Misceri gregibus Gætulia sueta ferarum.' Plures invenies hujusmodi loquendi modos in commentario Gronoviano de pecunia veteri, c. 3. *Heins.*

167 *Quod potuit, fecit; ne nil ageretur, amavit*] Regius cum Puteano et Scaligeri excerptis rectius, 'Quod potuit, ne nil illic ageretur, amavit.' *Idem. Quod potuit, fecit*] Cum Ægistho nihil relinqueretur agendum, amori, quod solum poterat facere, indulsit.

169 *Rura quoque oblectant*] *Oblectent* malim. *Heins.*

171 *Colla jube domitos*] *Indomitos* quidam ex melioribus. *Idem.*

173 *Cerealia semina*] Farnesianus *munera*. Pont. iii. Eleg. 8. 'Fœmina pro lana Cerealia munera frangit.' Medicamine Faciei, 'Cultus humum sterilem Cerealia pendere jussit Munera:' quibus locis tamen nonnulli codices *semina*. Avienus descriptione Orbis, 'Hi quanquam steriles decurrant semper arenas, Munera nec carpant Cerealia.' Sic et 'munus Cereale' apud Ausonium Epig. 126. Priscianus Periegesi, 'Non Bacchi donum, Cereris nec munera norunt.' Epigramma in Catalectis Pithœi de mensibus, 'Quintilis messis Cereali germine gaudens:' sic scribe, non *mensis*. 'Cerealia dona' Noster Fast. i. 'Neve graves cultis Cerealia dona cavete Agmine læsuro depopulentur aves.' Nemesianus Cynegetico, 'Tunc rursus miscere sero Cerealia dona Conveniet.' Avienus Ora Maritima, 'Qua dona flavæ Cereris educat solum.' At Amor. iii. Eleg. 6. 'Nunc opto currum de quo Cerealia primum Semina venerunt in rude missa solum:' ita ibi constanter codices; ut et Met. i. 'Semina tum primum longis Cerealia sulcis Obruta sunt.' *Idem.*

177 *Aspice labentes*] *Liquaces* pro diversa lectione optimus Puteaneus: eleganter, a *liquando*. Sic noster in Fastis, 'expressis mella liquata favis.' Id inverterunt, qui primam syl-

Digitized by Google

isbam non posse produci crediderunt. Met. VIII. 'flagrantem mater ab igne Eripuit ramum, sparsitque liquacibus undis.' Ita illic etiam vetus codex. Met. III. 'Quæ simul aspexit liquaci surgus in unda:' ita censeo scribendum, vel *liquenti*. Nam vulgatum *liquefacta unda* omnino ineptum est. Etiam apud Prudentium Cathemer. Hymno v. parum abest quin reponendum censeam, 'Cui jejuna heremi saxa liquacibus Exundant scatebris, et latices novos Fundit scissa silex:' quamquam non ignoro 'loquaces' etiam 'scatebras' dici posse; sed sane quod in nonnullis exemplaribus illic legitur 'madentibus scatebris' glossema est τοῦ *liquacibus*. De ejusmodi vocibus nonnihil dixi Amorum II. 6. 23. *Idem.*

180 *Jam referunt*] *Ut referant* multi ex scriptis; sed Regius et sex alii, *Jam referent:* bene. *Idem.*

181 *Modulatur arundine carmen*] *Moderatur* Jureti Excerpta, et multi alii: *meditatur* unus Mediceus, quod placet, ut initio Tityri Virgiliani. *Idem.*

185 *Quid cum suppositos fugiunt examina fumos*] *Suppositos taxos* Jureti Excerpta; *compositas taxos* Puteaneus; Regius, *compositos fumos*. Lego *suppositas taxos:* nisi mavis *combustas taxos*. Virgilius Georg. IV. de apibus, 'Nec propius tectis taxum sine, neve rubentes Ure foco cancros.' Et Ecloga IX. quæ noster respexit, 'Sic tua Cyrnæas fugiant examina taxos.' De fumo apibus noxio cæteroquin res minime ignota. Scholiastes Apollonii l. II. ad illa de Apibus, Καπνῷ τοφέμεναι πύκρας ἐκὰς ἀθανοωσιν: conyzæ fumo apes fugari asserit: ἐλάθουσι δὲ καπνίζει κόνυζαν· δριμὺς γὰρ μάλιστα ὁ τούτης καπνός. *Idem.*

186 *Demti vimina curva favi*] *Vimina torta* optimus Puteaneus: quomodo 'fumos torti,' 'capilli torti,' et alia. 'Retia torta' apud Tibullum l. IV. *Idem.* *Vimina torta*] Alvearia ex viminibus contexta.

189 *Maturus rusticus uvas Colligit*] *Maturam uvam* scripti meliores: pro *Colligit* Puteaneus et duo alii *deligit*. Sic Epist. Phædræ, 'deligere rosam' dixit: hinc 'delectus.' Supra sub finem Art. III. simpliciter dixit, 'lecti de vite racemi.' Apud Propertium, 'Celsaque mortali deligere mitra manu.' *Heins.*

191 *Desectas alligat herbas*] *Colligit* prima editio cum scriptis nonnullis: codex Moreti pro diversa lectione *aggregat*. Forte *aggerat*, ut de fœno intelligat, quod convertitur et in cumulos coacervatur, quos 'metam fœni' et 'fœnistriam' Rei Rusticæ scriptores appellant. Hinc 'fœnum in metam exstruere' apud Columellam: cui tamen II. 18. de fœno 'desectam herbam religare,' idem est, quod 'alligare' Nasoni. Per 'desectam' igitur 'herbam' fœnum intelligit: hinc Severus in Ætna, 'Plenaque desecto surgant fœnilia campo.' *Idem.*

192 *Raro pectine*] Rastro.

193 *Plantas deponere in hortis*] *Plantam* scripti: deinde nonnulli *dedicare* vel *defigere*. Sed nil mutandum. Virgil. Georg. II. 'Hic plantas tenero abscindens de corpore matrum Deposuit sulcis.' Auctor Moreti, 'varias disponere plantas Norat, et occultæ committere semina terræ.' *Heins.*

195 *Venerit insitio*] Cum aderit vernum inserendi tempus. De insitione autem plura legito apud Plinium in XVII. *Fac vanum vanus adoptet*] Tangit duos illos modos inserendi, quos Maro posuit.

196 *Peregrinis comis*] Foliis alienæ arboris: nam cerasus in salice, platanus in lauro, laurus in cerasso nascuntur. *Stet arbor comis*] Frondibus. Redi ad Amor. II. 16. vs. 36.

197 *Voluptas*] Agriculturæ.

200 *A Phœbi servere*] A Diana, venationis Dea.

Digitized by Google

202 *Nunc tua frondosis retia tende jugis*] Puto *nunc sua*; ut sæpe Noster: supra, 'Ut sua, quod peperit, vix ferat arbor onus.' Superiori versu *catulo sequaci* pro *sagaci* codex Jureti: sed nil muta; est enim 'sagax' perpetuum canum epitheton. Noster, 'canibusque sagacior anser.' Halieut. de canibus, 'Venandique sagax virtus.' Seneca Thyeste, 'Sic cum feras vestigat, et longo sagax Loro tenetur Umber.' Idem Hippolyto de canibus, 'Nunc demissi nare sagaci captent auras.' Vide Festum in 'sagaces.' Servius de Anubide Æn. VIII. 'quidam hunc Mercurium volunt, quia nihil est cane sagacius.' Sic Ennius quoque et Gratius de canibus, aliique passim. *Heins.*

206 *Pingui membra quiete levat*] Sic Regius cum Scaligeri excerptis, et Puteaneus pro diversa lectione. Reliqui fere, *dulci quiete;* perperam: dictum Notis ad Epist. XII. 170. *Idem.*

208 *Aut lino*] Aut retibus. *Aut calamis*] Aut sagittis. Aut calamum aucupatorium intelligit, quo viscato aves capiuntur.

210 *Æra recurva*] Hamos.

213 *Tu tantum quamvis firmis retinebere vinclis, I procul, et longas carpere perge vias*] Ita Regius cum vulgatis: cæteri majori ex parte cum prima editione, *Tu tamen et:* duo, *Tu tamen infirmis quamvis:* quartus Puteaneus, *Tu tamen hic quamvis:* Jureti codex, *Tu tandem firmis quamvis*, et tres alii. Scribe, *Tu tamen i, quamvis firmis retinebere vinclis, I procul:* dixi Amor. III. El. 3. nisi mavis, *Tu tamen hinc i procul.* Deinde *finge moras* duo; unus, *posce vias;* alius *perge moras. Rumpere perge moras* unus Vaticanus, ut apud Virgilium, 'Eia age rumpe moras.' Certe τὸ *vias* cum mox sequatur, hoc loco alienum videtur. *Heins.*

215 *Flebis et occurret*] *Ut occurret* omnino legendum, quicquid obnitunt libri veteres. Fast. II. 'Flent tamen, ut geminas in loca jussa ferunt:' sic et ibi scribendum. *Idem.*

217 *Sed quando minus*] *Quanto* cum scriptis. *Idem.*

219 *Nec pluvias opta*] Quæ moram tibi abituro injiciant: at prima editio *vites* cum duobus Farnesianis: lege *vita.* Sic apud Gratium, 'et pluvias et Cauri frigora vitent.' Et contra 'vitare æstum,' Amor. III. El. 5. Et 'vitare solem' Nuce. *Idem.* *Nec te peregrina morentur Sabbata*] Sabbati enim diem aliquo profecturi, tanquam atrum et perniciosum, propter frigidum et nocens Saturni sidus, maxime verentur, et infelicem existimant. 'Peregrinam' autem ideo appellat, quia peregrini Judæi eum diem in primis observant.

220 *Nec damnis Allia nota suis*] Poëta hic loquitur de diebus ætris et inauspicatis, quale tum sabbatum habitum fuit, propter Judæos: item Alliensis dies, quo Romani a Gallis ad Alliam flumen superati ac cæsi sunt: de qua re supra quoque dictum. *Micyll.* *Damnis Allia nota suis*] *Alea* scripti perperam: deinde *nata* tres scripti cum prima editione; forsan recte. Propertius I. Eleg. 6. 'Non ego sum laudi, non natus idoneus armis.' Et apud eundem I. III. 8. 'Hic natus ad pacem, hic castrensibus utilis armis.' Et, 'O nimis exitio nata theatra meo.' Eodem libro El. 9. 'Non tu natus equo, non fortibus utilis armis.' Paris Sabini, 'Tyndaris heu flammis nata puella meis.' Pont. III. Eleg. 1. cum optimis libris, 'Telegonique parens vertendis nata figuris.' Eleg. 2. 'Fœmina sacra facit tædæ non nata jugali:' sic et illic puto scribendum. Trist. IV. Eleg. ult. 'Fortia verbosi natus ad arma fori.' 'Natus lædere' Elegia de Nuce, 'At rubus et sentes tantummodo lædere natæ.' Epistola Paridis, 'O facies oculos nata tenere meos.' *Heins.*

222 *Nec, maneas ut prope, finge mo-*

Digitized by Google

vas] Quod est: Ne ipse tibi fingas moras, quo causam manendi ac cessandi habeas, &c. *Micyl.*

229 *Ferrum patiaris et igneo*] *Patieris* scripti: idque sequens versus requirit, ubi pro *lavabis* prima editio et scripti *levabis*, ut Epist. IV. 'arentem quæ levet unda sitim.' *Heins.*

233 *Artis tristissima janua nostræ*] *Strictissima* decem scripti; quod verum est: hinc *adstringere limen*; de quo dixi Notis ad Amor. III. El. 1. vs. 50. sic 'janua laxa;' de quo ad Fast. II. 456. *Idem.*

235 *Aspicis ut pressos urant juga*] Hanc lectionem tuetur ad Statium Gronovius cap. 9. et Elencho Antidiatribes; qui videatur: alii codices *pressos*. Idem. *Pressos juvencos*] Aratro subditos.

240 *Prætendes culpæ splendida verba tuæ*] *Prætendens* primo cum prima editione et scriptis legendum plerisque. Deinde *culpæ facta suæ* cum Sarraviano; *facta tuæ* quatuor alii, ut apud Horatium l. II. Ep. 1. 'Scriptores carmine fœdo Splendida facta linunt.' *Heinsius. Prætendens culpæ splendida verba*] Verisimilia, speciosa. Redi ad Epist. Her. v. 130. et 131. 'culpam nomine veles.'

243 *Nec satis esse putes*] Multi *puta* rectius. *Heins. Lentus abesto*] Diu absis ab urbe.

244 *Cinis*] Amoris æstus refrixerit. An hinc referri possit illud Planti? in Mil. IV. 2. vs. 10. 'Meam laudat speciem: edepol hujus sermo nos, haud cineres quæritat.' Lepida enim et nitida nimis fœmina quærit illum, qui nondum ex amœnis rebus exaruerit. Est hic ludus poëticus. Viri celeberrimi ad hunc locum rationes firmæ stant, quas non attingo.

247 *Quicquid eras fueris, sitiens avidusque redibis*] *Quisquis es affueris*, unus: *Quisquis et* duo: *Quicquid eris fueras* alius: unus Vaticanus *Quid quod et affueris*, proxime verum. Reliqui cum prima editione *Quicquid et abfueris*. Regius *Quicquid et afueris*. Scribe, *Quid quod, ut abfueris, avidus sitiensque redibis?* nam posteriores voces eo legunt ordine scripti omnes meliores; de quo dixi Epist. VII. 53. malim et *domuo suo* sequenti versu: sic infra, 642. 'Erit lucro lingua retenta suo,' ex veteri codice. *Heins.*

249 *Viderit Hæmoniæ*] Hæc vera lectio est, licet *Fallitur* sit in plerisque scriptis: atque ita loquitur Artis l. II. 'Fallitur Hæmonias si quis decurrit ad artes.' Adeantur Notæ Pont. I. Eleg. 2. *Idem. Mala pabula*] Herbas nocentes. *Æmoniæ terræ*] Terræ Thessaliæ, ubi ars magica olim florruit.

254 *Non anus*] Non saga, et venefica mulier. *Carmine*] Incantatione. *Rumpet humum*] Terram findet. Tibul. 'Hæc cantu finditque solum, manesque sepulcris Elicit.'

255 *Non seges ex aliis*] Docet Cicero, et Seneca, messes in agros traduci posse magicis præstigiis: unde in XII. Tabulis cautum erat, ne quis alienam segetem pelliceret. Virgil. 'Atque satas alio vidi traducere messes.'

256 *Nec subito Phœbi*] Non inficietur sol, me duce, quod a Magis fieri solet.

257 *Ut solet æquoreas*] Tybris cursu solito in mare descendet: non autem retro, quod magi efficiebant. *Tybris* autem pro quocunque posuit flumine.

258 *In niveis luna vehetur equis*] Per me etiam luna non deducetur e cœlo magico carmine.

259 *Recantatas curas*] Amores magicis carminibus repressos.

260 *Vivo sulphure*] Id sacrum intelligit, quo adhibito sulphure, ovo, et teda lustrabantur amantes.

261 *Quid te Phasiacæ*] *Pasiphe* Regius et duo alii; tres *Phasideæ*; unus *Phasiadæ*; alius *Perseidos*. Lege *Phasiados terræ*: dixi Epist. XIV. 164. Sic *Phasias* passim pro Medea. *Heins. Terræ Phasiacæ*] Colchon insulam de-

Digitized by Google

signat, a flumine *Phasis* dictam. Medeam autem dicit, quæ, relicta patria, Jasonem sequuta est.

263 *Quid tibi profuerunt Perseides herbæ*] Herbæ veneficæ, sic dictæ a Persa nympha Oceani filia, ex qua Sol genuit Circen. Vel a Perse; nam Sol ex Persa duos filios habuit, Æëtam et Persen. Ex Perse nata est Hecate, quæ quum patrem venenô absumsisset, nupsit Aëtæ patruo, tresque liberos sustulit, Circen, Medeam, et Ægialeum: auctor Diodor.

264 *Cum tibi Neritius abstulit hora rates*] *Cum sua* optime Regius et alii decem. Ita et scribo Amor. I. El. 7. vs. 54. 'Ut sua populeas ventilat aura comas.' Pro *hora* etiam *aura* ex prima editione et scriptis præstantioribus reponendum. Deinde *Neritius*, quod sæpius apud nostrum occurret, perperam in *Naricius* scripti libri plerique mutant. 'Narycius' enim est Locrensis: 'Neritius' seu 'Nericius,' Ithacensis aut Epirota. Sic libro VIII. Met. 'Naryciusque Lelex:' quomodo scribendum. Recte *Narycius*, ut hunc Locrensem a Lelege autochthone primo Laconum rege distinguat. Homerus Iliad. B. 631. Αὐτὰρ Ὀδυσσεὺς ἦγε Κεφαλλῆνας μεγαθύμους, Οἳ β' Ἰθάκην εἶχον καὶ Νήριτον εἰνοσίφυλλον· et quæ sequuntur ubi Eustathius, Νήριτον τὸ ὄρος διὰ τοῦ τ' τὸ γὰρ διὰ τοῦ κ' Νήρικον πόλις Ἠπείρου ὅς δεδήλωται. Hinc Ἰθάκην Νηρικίην dixit Periegetes: quare non penitus est damnandum illud *Naricius* ἀπὸ τοῦ Νηρίκου, seu Ναρίκου Dorico: quanquam Naso Homerum in plerisque sequitur auctorem. Met. XIV. 'Neritius Macareus comes experientis Ulyssi.' Et eodem libro, 'Neritiæque ratis viderunt fragmina lætis Vultibus.' Et Fastorum IV. 'Dux quoque Neritius' de Ulysse: sic enim meliores. Et Trist. I. Eleg. 4. bis: et Met. XIII. 'Neritiasque domos regnum fallacis Ulyssi.' Noster Trist. I. El. 4. 'Nec mihi Dulichium domus est Ithaceve Sameve:' ubi plerique veteres *Samosve*. Idem. Eustathius Neriti montis nomen deducit ἀπὸ Νηρίτου υἱοῦ Πτερελάου ad Odyss. P. Nerici oppidi ipse quoque Homerus meminit Oydss. Ω. sed *Neriti* sæpius. Noster lib. XIII. 'Et jam Dulichios portus, Ithacamque Samonque, Neritiasque domos regnum fallacis Ulyssi, Præter erant vecti:' ubi nihil necesse contra auctoritatem veterum librorum *Samenque* reponi, cum Homerus quoque Iliad. B. ubi apparatum classis Ulysseæ describit, loco jam supra adducto inter alia, Οἵ τε Ζακύνθον ἔχον, ἠδ' οἱ Σάμον ἀμφενέμοντο· ubi Eustathius, λέγεται δὲ καὶ Σάμη· ἧς ὁ πολίτης, Σαμαῖος. Οἱ δὲ φασὶ καὶ ὅτι ἡ μὲν νῆσος Σάμος λέγεται μόνον, ἡ δὲ πόλις, καὶ Σάμος καὶ Σάμη· atque ita quoque alibi Homerus. In Odyssea tamen Σάμην vocat frequentius; ut libro A. 246. Δουλιχίῳ τε, Σάμῃ τε, καὶ ὑλήεντι Ζακύνθῳ· quod Virgilius expressit Æn. lib. III. 'apparet fluctu nemorosa Zacynthos, Dulichiumque, Sameque, et Neritos ardua saxis:' ubi Servius: 'Same Cephallenise civitas: nam Samos in Asia est:' qui non meminerat præter hanc nostram, tertiam quoque esse in Thracia, Samothracem dictam. Trist. I. 4. 'Nec mihi Dulichium domus est, Ithaceve, Samosve:' sic ibi constanter veteres; vulgati *Sameve*. Certe Samon Nostro fuisse dictam, apparet ex Epistola prima, ubi habes 'Dulichios, Samiosque.' Samius enim Sami incola dicitur, quemadmodum *Samæus* Sames. Eustathius in A. Odyss. Σάμη νῆσος περὶ Κεφαλληνίαν, λεγομένη καὶ Σάμος· καὶ ὁ πολίτης αὐτῆς, Σαμαῖος, ὁ μὲν τοι τῆς ἀόας Σάμου πολίτης Σάμιος λέγεται. Ausonius quoque in Periocha Odysseæ IV. 'Circa Asteriam ergo insulam, quæ Ithacam Samumque interjacet, delitescentes occasionem fraudis expectant.' Atque hæc de Nerito et Nerico Epiri. Nunc de Naryce aut Narycio videamus. Stephanus Byzantinus: Νάρυξ

Digitized by Google

πόλις Λοκρίδος, θηλυκῶς λεγομένη. Τινὲς δὲ Ναρύκιον τὴν πόλιν φασὶν, ἐξ ἧς Αἴας ὁ πολίτης Ναρύκιος, καὶ Ναρυκία δὲ οὐδετέρως· λέγεται καὶ Ναρύκη καὶ Ναρυκαῖος θηλυκῶς, καὶ οὐδετέρως· quæ fere totidem verbis habes apud Suidam in Νάρυξ. Hinc 'Narycios Locros' dixit Virgilius de colonia Locrensium in Calabria, quam et noster Metam. xv. 'Narycinm' vocat: ita enim scribo; cum non Stephano tantum ac Suidæ, sed Plinio quoque 'Narycium' non 'Narycia' dicatur: atque inde quoque 'Naryciæ picis lucos' idem Virgilius in Georgicis dixit: et Columella, 'sobolem dabit illa capacem Naryciæ picis, aut Actæi mellis Hymetti:' sed Virgilianus locus de pice Brutia intelligendus, quam commendat Plinius; Locri enim in Brutiis: ea est vera lectio apud Virgilium; neque aliter vetustissimi codices, etsi Probus et Servius 'Mariciæque' illic agnoscunt: mendose. Alter etiam de pice Locride non Brutia perperam interpretatur; sed in duobus Servii vetustis codicibus Leidensis bibliothecæ, 'Naryciæ picis, a loco, in quo abundant piceæ:' male vulgo, *abundant pices*. Hæc scripseram, cum obtulit se mihi Scholiastes Virgilii ineditus, qui meam de pice Brutia interpretationem confirmat: eum audi; 'Naryciæ, Brutiæ, quæ in similitudinem picis arborum corticibus fluunt. Item, Naryciæ, Brutiæ, quæ in silva (lego quæ ea in silva) fiunt.' 'Hic et Narycii posuerunt mœnia Locri.' Interpretes ex hoc Virgilii loco non satis se expediunt, cujus nec mentem videtur assecutus Plinius; nam cum libro XIV. 20. picem Brutiam jam commendasset, subjungit paulo post, Naryciam a Virgilio laudari. Hæc copiosius præter institutum. *Heins.* *Neritias rates*] Naves Ulyssis.

268 *Longus et invito pectore sedit amor*] Lege *at invito* cum priscis editionibus et duobus scriptis: alii nonnulli *in invito*. Pro *sedit* frustra Puteaneus et nonnulli alii *mansit*. Noster supra, 'Et vetus in capto pectore sedit amor.' Epist. II. 'Sedit in ingenio Cressa relicta tuo.' Epist. IV. 'Sarcinaque hæc animo non sedet apta meo.' Amor. I. 2. 'Nec in lecto pallia nostra sedent.' Trist. III. 9. ex veteribus libris, 'Pallor in attonitæ virginis ore sedet.' Met. II. 'Pallor in ore sedet, macies in pectore toto.' Plura ex Martiali Gronovius noster collegit Observ. lib. II. c. 3. *Heins.*

269 *Vertere quæ poteras*] Scripti cum prima editione *tu poteras*: mihi tamen vulgatum magis arridet. *Idem.* *Homines in mille figuras*] Circe enim deformabat homines in mille figuras animalium, ut docet Virgilius.

270 *Animi jura tui*] Potestatem tuæ mentis, quæ erat amori obnoxia.

272 *Dulichium ducem*] Ulyssem, sic appellatum a Dulichio insula, una ex Echinadibus.

280 *Utilior ventus*] *Utilius tempus* quatuor libri; ut Epist. Laodamiæ, 'Illud erat sævis utile tempus aquis.' *Heins.*

281 *Nova Troja resurgit*] Sic Luc. IX. 'grata vice mœnia reddent. Ausonidæ Phrygibus, Romanaque Pergama surgent.' Propert. IV. Eleg. I. 'Dicam, Troja cades, et Troia Roma resurges.' Ennius. Annal. I. 'In Roma Troja revixit.' His addemus mutuam Iliensium ac Romanorum gratulationem: 'Iliensibus Æneam, cæterosque cum eo duces a se profectos; Romanis, se ab his procreatos referentibus. Optabilem Trojæ ruinam fuisse, ut tam feliciter renasceretur.' Hæc erat illa 'Trojæ renascens fortuna.' Hor. Od. III. 3. Consule Celeberrimum Gronovium, Sen. Troad. 472. 'Recidiva ponas Pergama.' Virgilius sæpe utitur hac voce.

282 *Non aliquis socios rursus ad arma vocat*] Hæc non sunt nauci: optimus Puteaneus *Rhesus*, ut et Argentinensis vere, nisi quod scribo, *alius Rhesus*

Digitized by Google

ad arma vocat. Victoriam de Rheso passim jactat et ostentat Ulysses. Ita in Responsione Sabiniana ad Ovidianam Penelopen; ita Met. XIII. in oratione adversus Ajacem; ita Artis II. ubi cum Calypso colloquens inducitur: bene etiam unus Farnesianus *in arma.* Vide notas ad Epist. III. 136. *Heins.*

283 *Hic amor, hic pax est*] *Et pax* meliores, præter Excerpta Jureti. Sequens versus aut spurius est, aut aliquid hic excidit. *Idem. Male vulnerer*] Nimio amore angor.

286 *Irrita cum velis verba*] *Cum votis* Puteaneus: forte *cum velis vota;* sed supra in Epistola Sapphus, 'Qui mea verba ferunt, vellem tua vela referrent.' Et, 'Demophoon, ventis et verba et vela dedisti.' *Heins.*

287 *Assuetas ad artes*] Ad artes magicas.

289 *Ergo quisquis opem*] In uno Regio, *Ergo age quisquis opem;* ut Art. I. 'Ergo age ne dubita cunctas superare puellas.' Et II. 'Ergo age et iratæ medicamina fortia præbe.' *Heins.*

291 *Domina ratinebit in urbe*] Sic bene Regius. Reliqui fere *dominæ in urbe;* male. Martialis III. 'Plus sane placeat, domina qui natus in urbe est.' Lib. IX. 'Octavum domina marmor ab urbe legis.' Nemesianus Eclog. I. 'Non sic dulce sonas, ut te placatus Apollo Provehat, et felix dominam perducat ad urbem.' Eclog. II. 'Tityrus e silvis dominam pervenit ad urbem.' Et Calpurnius Eclog. IV. 'Tu mihi talis eris, qualis, qui dulce sonantem Tityron e silvis dominam perduxit ad urbem.' Sic et 'dominam Romam' Martial. lib. X. et 'dominas arces' Rutilius: sic et Græci frequenter βασιλεύουσαν πόλιν. *Idem.*

293 *Optimus vindex*] Optimus defensor et liberator. *Qui rupit*] Qui potuit solvere. *Lædentia pectus Vincula*] Amorem, amatoris mentem torquentem.

294 *Dedoluitque semel*] Semel amoris impatientiam et dolorem abjecit.

295 *Sed cui*] Malo *Si cui* cum duobus scriptis. *Heins.*

299 *Sceleratæ facta puellæ*] Alii *verba* aut *dicta.* Sarravianus *regna:* eleganter mehercules. Sic de regno amatorio supra, 'At si quis male fert indignæ regna puellæ.' Horat. Od. IV. 1. 'Non sum qualis eram bonæ sub regno Cynaræ.' Propertii Cynthia III. 10. 'Inque meum semper stent tua regna caput.' Et. II. 10. 'Et subito felix nunc mea regna tenet.' Lib. IV. 7. 'Longa mea in libris regna fuere tuis.' Et mox, 'Et quererer lecti frigida regna mei.' *Idem.*

301 *Nec ea contenta rapina est*] Puteaneus et quinque alii *contenta rapina.* Scribe, *nec ea contenta rapina. Sub titulum nostros misit avara lares.* Frustra scripti *sub titulo.* Tibullus, 'si jusserit illa, Ite sub imperium sub titulumque lares.' *Idem.*

304 *Ante suas fores*] *Suam forem* unus meus: bene. *Idem.*

307 *Per totos marcescant omnia sensus*] Unus *vanescant,* alius *manescant:* prior Mentelianus *acescant.* Regius cum duobus aliis *inacescant:* vere; atque ita, quem nihil præterit, perspicacissimus Gronovius Observ. lib. II. c. 21. Is plura de eo verbo collegit. *Non cessent* codex Jureti frustra: *inacescere* Scribonius Largus Compositione CIV. et Marcellus Empiricus quoque dixerunt. Sic 'inamarescere' Horat. II. Sat. 7. 'Nempe inamarescunt epulæ sine fine petitæ.' *Idem.*

308 *Odii semina quære tui*] Malo *tuis odiis,* dixi supra ad v. 143. Sequenti versu *possis* pro *posses* meliores. *Idem.*

314 *Æger*] Amore captus.

315 *Profuit assidue*] *Assidua amica*

Digitized by Google

Regius: eleganter. Sic in Ibide libri veteres, 'Visceraque assiduæ dedita præbet avi.' *Heins.*

318 *Ut verum confiteamur*] *Vere* tam hic quam sequenti pentametro libri meliores, et recte. Infra, 'Sic facies vere, quod meditatus eris.' *Idem.*

320 *Nec tamen*] *Et tamen* scribe cum Puteaneo et Argentinensi: aliter sensus non constabit; et sequenti versu, *Quam brevis est! nec erat*, cum eodem Puteaneo et duobus aliis: vulgati insulse, *et erat*. Idem.

322 *Hinc odio*] *Hæc* scripti plerique. *Idem.*

323 *Et mala sunt vicina bonis*] Lego, *Ut mala sunt vicina bonis*: hoc est, quemadmodum. *Idem.*

325 *Quam potes*] Regius, Puteaneus, et plures alii, *Qua potes;* nil muta: dictum alibi. Sic infra libri quidam veteres, 'Et modo, quam poterat, latum spectabat in æquor.' Trist. I. El. 8. 'Quam potes excusa, nec amici desere causam.' Sic libri quidam veteres: ut et III. El. 3. 'Quam potes, extenua forti mala corde ferendo.' Et Eleg. IV. 'Et quam quisque potest, oro, mala nostra levate.' El. 7. 'Effuge venturos, quam potes, usque rogos.' Lib. IV. Eleg. 8. 'Sed qui, quam potuit, dat maxima, gratus abunde est.' Met. III. vs. 300. ex antiquis itidem libris, 'Quam tamen usque potest, vires sibi demere tentat.' Et lib. VIII. 'Quam potuit precibus deus annuit.' Val. Maximus IV. 1. 'Fabius Maximus cum a se quinquies, et a patre, avo, proavo, majoribusque suis sæpenumero consulatum gestum animadverteret; comitiis, quibus filius ejus summo consensu consul creabatur, quam potuit, constanter cum populo egit, ut vacationem aliquando hujus honoris Fabiæ genti daret.' *Idem.*

326 *Brevi limite*] Brevi via: transeundo de virtute ad vitium.

329 *Et poterit dici petulans*] Inverecunda poterit appellari. *Quæ rustica non est*] Quæ est urbana. Fabius 'urbanitatem' appellat, in qua nihil absonum, nihil agreste, nihil inconditum, nihil peregrinum neque sensu, neque verbis, neque ore, gestuve possit deprehendi.

331 *Caret tua dote puella*] *Tua femina dote* scripti fere omnes cum prima editione; bene: ita sæpe pro amica Noster: nam 'puella' mox sequitur. *Heins.*

332 *Blandis sonis*] Blandis verbis.

333 *Exige quod cantet*] *Ut cantet* Regius et Puteaneus cum alio Regio: *uti cantet* Scaligeri Excerpta et Jureti cum uno Puteaneo. Lege, *exigito cantet:* sæpe sic peccatum. *Pro si qua est*, unus ex meis *si qua sint*. Forte, *si cui sine voce puella est*. Heins.

334 *Fac audiat, nescit si qua movere pedem*] *Movere manum* Regius, et pro diversa lectione Puteaneus cum Lincolniensi: optime. *Movere manum*, χειρονομεῖν: sic et lego Met. XIV. 'In numerum motis manibus duxere choreas.' 'Jactare in numerum brachia' Lucretio, et 'mollia mobiliter brachia mittere' l. IV. Gestus enim manuum et brachiorum in saltatione puellarum plus commendabatur, quam pedum motus. Noster sic passim Fast. III. 'Illic et cantant quicquid didicere theatris, Et jactant faciles ad sua verba manus.' Art. Am. III. 'Quis dubitet, quin scire velim saltare puellam, Ut moveat posito brachia docta mero?' ubi forte *brachia ducta* reponendum. Amor. II. 4. 'Illa placet gestu, numerosaque brachia ducit, Et tenerum molli torquet ab arte latus.' Et Ponticorum l. IV. 2. 'Sive quod in tenebris numerosos ponere gestus, Quodque legat nemo scribere carmen, idem est:' ubi perperam *gressus* in multis codicibus exstat. Noster infra, 'Enervant animos loti, citharæque lyræque, Et vox, et numeris brachia mota suis.' Lib. II. 'Brachia saltantis, vocem mirare canentis, Et quod desierit, verba que-

Digitized by Google

rentis habe.' Ita Juvenalis cum dixit, 'Chironomon Lædam molli saltante Bathyllo,' designat gesticulatione manuum saltationem potissimum fuisse confectam. Propertius II. Eleg. 22. 'Sive aliquis molli deducit candida gestu Brachia: seu varios incinit ore modos.' Statius Sylvarum l. III. ad Uxorem, 'Candida seu molli deducit brachia motu,' hoc est, saltat: male *diducit* legitur. L. III. Artis, 'Cui vox est, canta, cui mollia brachia, salta; Et quacunque potes dote placere, place.' 'Ducere' igitur et 'deducere brachia,' in saltatione idem quod movere. Sed et 'jactare' dicebant. Propertius IV. Eleg. 9. 'Nanus et ipse suos breviter concretus in artus Jactabat truncas ad cava buxa manus.' Noster Fast. III. 'Illic et cantant quicquid didicere theatris, Et jactant faciles ad sua verba manus.' Sed et de natatione Epistola Leandri, 'Jactabam liquido brachia lenta mari.' Quare parum abest, quin apud Propertium IV. Eleg. 5. illis versibus, 'In mores te verte viri: si cantica jactat, I comes; et voces ebria junge tuas,' *si brachia jactat* censeam reponendum. *Idem.*

335 *Barbara sermone est*] *Sermonem est* Patavinus: ut sit Græcismus, cujus notæ multi occurrunt apud Nasonem nostrum. *Idem.*

337 *Durius incedit, face ut ambulet*] Scripti plerique *fac ambulat*. Regius, *fac inambulet*. Excerpta Scaligeri *face inambulet;* recte: *face* pro fac usitatissimum nostro. 'Inambulandi' verbo frequenter usus est Cicero: hinc et 'inambulatio' apud Catullum. *Idem.*

337 *Omne papillæ Pectus habent: vitium fascia nulla tegat*] *Pectus habent tumidæ*, priscæ editiones et Sarravianus cum quatuor aliis codicibus: quod præ vulgata lectione placet. Malim etiam *fascia nulla liget*, quam *tegat*. Sic Martialis, 'Fascia luctantes dominæ compesce papillas.' *Idem.*

339 *Narra quod rideat illa*] Multi *ipsa;* unus *ipsam;* Regius *illi:* distingue, *narra, quod rideat, illi;* nisi malis forte, *quo rideat*, et *quo fleat*. Idem.

340 *Mollibus est oculis*] Si habet oculos ad flendum faciles.

341 *Cum se non finxerit ulli*] Cum nondum se fucaverit, aut gemmis ornaverit, ut alicui placeat.

346 *Hac ægide*] Ægis est munimentum pectoris æreum, habens in medio Gorgonis caput: quod munimentum si in pectore numinis fuerit, ægis vocatur; si in pectore hominis, sicut in antiquis imperatorum statuis videmus, lorica dicitur. Hic autem gemmas, quibus teguntur fœminæ, ægida appellat Ovidius, quod illæ defendant deformitatem his ornamentis, ut ægis pectus tuetur.

347 *Improvisus ades*] Puellam improviso adeas, antequam ornetur. *Inermem*] Inornatam.

348 *Vitiis excidet ipse suis*] Scripti *illa:* sic et alibi noster, ut Art. l. I. 'Excidit illa metu, rupitque novissima verba.' Lib. II. 'Quæ, simul invisas crimen pervenit ad aures, Excidit, et miseræ voxque colorque fugit.' Lib. III. 'Procris ut accepit nomen, quasi pellicis Auræ, Excidit, et subito muta dolore fuit.' Trist. I. Eleg. 1. 'Ingenium tantis excidet omne malis.' Eleg. 5. 'Si quid et in nobis vivi fuit Ante vigoris, Extinctum longis excidit omne malis.' Eleg. 4. 'Quam subeant animo meritorum oblivia nostro, Et longa pietas excidat ista die.' 'Excidere sibi' dixit Seneca Hippol. 'Quis me dolori reddit, atque æstus graves Reponit animo? quam bene excideram mihi!' Phædra, deliquium animi passa. 'Linqui' dixit noster Epist. Phyllidis: 'Linquor, et ancillis excipienda cado.' Fastorum V. 'Excidit, et lævo fixa sagitta pede est.' *Excidet*] Animo tuo. *Suis vitiis*] Sua turpitudine.

Digitized by Google

349 *Non tamen*] *Nec* prima editio et scripti nonnulli. *Heins.*

350 *Fallit enim multas*] *Multos* Regius; et bene. *Idem.*

351 *Tum quoque compositis sua cum linit ora venenis*] *Compositis cum linit* Regius corrupte; forte pro *liverit:* ita enim dicebant quoque veteres, non *leverit* tantummodo: vel, *cum positis sua leverit ora venenis. Cum positis sua collinet* Puteaneus cum quinque aliis; recte: unus *colliget;* quod proximum vero. Sic apud Horatium, 'crines pulvere collines.' *Compositis cum liniet ora venenis* prima editio et ex scriptis multi; non male, a *liniendo*, si lex metri id ferret. 'Posita venena,' nempe, in mensa. Art. Am. III. 'Nec tamen ut positas mensa deprendat amator Pyxidas:' ubi dixi de hoc loco. Sic 'posita lucerna' Epist. Herus; et 'positæ dapes' sæpe alibi; et 'positus Bacchus;' de quo Artis l. I. Unus codex Regius *deliuit*, alius *delinet;* quo verbo usus est Accius. *Idem. Compositis venenis*] Fucum intelligit, quo mulieres faciem fingunt.

355 *Illa tuas redolent, Phineu*] Phineus rex fuit Arcadiæ, qui filios occæcavit: in cujus vindictam, illum quoque Dii oculis privarunt. Dapibus non poterat vesci: nam admotæ Harpyiæ mensis, eas ventris proluvie fœdabant. Fabulam habes Metam. VII. 3. et Diod.

356 *Nausea facta meo est*] Malim *nata;* sed libri obstant. *Heins.*

357 *Medio Veneris præstemus in usu*] *Medios in usus* Puteaneus et quatuor alii; *præstamus* idem cum Jureti libro; sed Farnesianus unus *præstentur*, quod sequor. *Idem.*

364 *Quam volet impugnent*] *Impugnet* plerique scripti. Pro *Quam volet*, *Qui* prima editio et exarati calamo quatuordecim: *Quod volet* Regius et Puteaneus et multi alii: duo *Quamlibet;* de quo ad Epist. VI. 140. unus *Quolibet;* unus item, *Qua valet:* Excerpta Puteani *Quo volet*. Latet aliquid. Jureti excerpta *Quum volet*. Idem.

365 *Ingenium magni livor*] Tangit Ovidius historiam quam Vitruvius lib. VII. de Architectura refert. Ea talis est: Quum Zoilus libros in Homerum composuisset, Alexandriæ eos recitavit Ptolemæo regi: cui nullum ille dedit responsum, quod tantum poëtam immerito culpari videret. Is postea ad egestatem compulsus, regem adiit, rogans ut sibi aliquid dari juberet. Tum rex respondit: Homerus, qui ante annos mille decessit, ævo perpetuo tot millia hominum pascit. Quare tu quoque debes, qui meliori ingenio te profiteris, non modo unum, sed etiam plures alere posse. Accusatus deinde Zoilus parricidii, cruci affixus est. Hic ergo cum esset Homeri obtrectator adoptavit sibi hoc cognomen, ut Homeromastix vocaretur.

366 *Quisquis es*] Recte. Non enim constabat, quis aut cujas fuisset Zoilus. *Heins.*

367 *Et tua sacrilegæ*] Maronem dicit, qui cecinit adventum Æneæ in Italiam, &c. Et tamen clarissimus poëta non caruit obtrectatore.

369 *Summa petit livor*] Distichon hoc superfluum est, cum de livore jam egerit. *Heins.*

372 *Exige quæque*] Sarravianus *quodque:* Regius, *quidque;* bene. *Idem.*

373 *Mæonio pede*] Versu heroico, quali usus est Homerus.

376 *Versibus e mediis*] *Usibus e mediis* Regius. Lego *Lusibus:* sic Pont. IV. Eleg. ult. 'Et tua cum socco Musa, Melisse, levi:' scripserat enim ludicra et jocos Melissus, ut illic dicemus. *Versibus e modicis* Puteaneus. Reliqui plerique majori ex parte *Versibus in mediis*. Heinsius. *Versibus e mediis*] E mediocri dicendi genere, et rebus ac personis conveniente. Est enim Comœdia, privatæ civilisque fortunæ, sine periculo vitæ, comprehensio. *Soccus habendus*

Digitized by Google

erit] *Soccum* pro comico stylo posuit, ut supra *cothurnum* pro tragico.

377 *Liber in adversos hostes*] Iambicum carmen est maledicum, a iambo pede sic appellatum. Hujus carminis præcipui scriptores fuere apud Græcos Archilochus et Hipponax: apud Romanos vero Lucilius, Catullus, Horatius.

378 *Extremum seu trahat ille pedem*] Duplicem iambicum versum designat: scilicet, rectum iambicum, et choriambum, vel scazonta, hoc est, claudicantem. Ambo autem versus trimetri appellantur: constat enim sex pedibus, suntque utrique ad maledicentiam facti. Per 'celerem' ergo 'pedem,' rectum iambicum: per 'extremum' vero, claudicantem et scazonta intelligito.

379 *Blanda elegeia*] 'Versibus impariter junctis querimonia primum; Post etiam inclusa est voti sententia compos.'

380 *Et levis arbitrio ludat amica suo*] *Laudat* Regius, et *cantat* superiori versu: *laudat* etiam quinque alii; plures, *plaudat;* unus, *laudet*. Forte scribendum, *Et levis arbitrio plaudat amica tuo:* hoc est, tuis desideriis applaudat æqua.

381 *Callimachi numeris*] Versibus elegis, in quibus scribendis Callimachus primas obtinuit. *Achilles*] Fortium gesta.

382 *Cydippe*] Cujus nominis poëma scripserat Callimachus, ex quo fragmenta ab antiquis Grammaticis citantur. *Heins. Cydippe*] Amica Acontii: hoc est, materia mollis et lasciva. *Oris tui*] Tui carminis et cantus. Homerus enim virorum fortium facta cecinit, non autem amatoria. *Non est oris, Homere, tui*] Redi ad Amor. II. 1. 12.

383 *Quis feret*] Rectius alii *ferat:* et tum sequenti versu *Peccet* quoque sit scribendum. *Si quis agat* etiam recte prima editio cum Puteaneo et multis aliis. *Heins. Quis ferat Andromaches peragentem Thaida partes*] Redi ad Art. III. 519. 'Nunquam ego te, Andromache, nec te, Tecmessa, rogarem.' Fuit enim gravissima fœmina. Quod graviter exprimit Virg. Æneid. III. 'Heu! quis te casus dejectam conjuge tanto Excipit? aut quæ digna satis fortuna revisit? Hectoris Andromache.'

388 *Vincimus*] *Vicimus* Regius aliique complures. *Heins. Vicimus*] Superavimus invidos. *Acta rea est*] Agere reum, est reum accusare; peragere vero reum, est condemnare.

391 *Sed nimium properas*] Invide.

392 *Et capient anni carmina multa mei*] Scripti non pauci *capient animi carmina plura: plura* quoque codex Jureti: *capiunt* Regius. Politiani liber *capient animi carmina magna mei;* quod placet: modo *capiunt* cum Regio admittas: hinc 'capax animus.' Legebam aliquando pro *carmina multa, culta:* ut de Horatio in Tristibus, 'Dum ferit Ausonia carmina culta lyra.' *Heins.*

393 *Studium famæ mihi crescit honore*] Lege *famæ honoræ:* ut apud Statium Theb. II. 'Vos quoque Thespiadæ non inficiatus honora Arcuerim fama:' quo respicit unus codex Patavinus, in quo *honesta;* editio prima et scripti nonnulli *amore*. Sed cum Regius et Puteaneus a manu prima agnoscant, *mihi crevit honori*, alii sex *crescit honori*, forte legas rectius *famæ studium mihi cessit honori*, vel, *cedit;* nam in uno Vaticano est *credit*. Sic 'bene cedere' in Fastis l. II. vs. 380. 'Et memorem famam, quis bene cessit, habent:' ita locus mendosissimus ex vestigiis veterum librorum est scribendus; ubi plura. *Idem.*

394 *Principio clivi*] In aditu et primordio famæ comparandæ nonnulla est mihi difficultas. *Noctes anhelat equus*] *Vester* Regius et tres alii; melius: ut ad livorem referatur. *Heins.*

396 *Quantum Virgilio nobile debet opus*] *Epos* legebat Muretus apud Cio-

Digitized by Google

fanum: quod si hoc loco admittimus, etiam Statio erit reddendum, ubi de Heroo carmine Sylv. I. Epithalamio Stellæ,' 'cat enthea vittis, Atque hederis redimita cohors, ut pollet ovanti Quisque lyra: sed præcipue qui nobile gressu Extremo fraudatis epos:' ita enim scribo. Martialis, 'Scribebamus epos; cœpisti et scribere: cessi.' 'Forte epos' dixit Horatius, ubi agit de Vario. Hoc tamen Nasonis loco, vulgatam lectionem non temere sollicitem, præsertim cum scripti codices nostri omnes pro ea stent. Nam per *nobile opus* quid intelligat, satis apparet, cum de Virgilio loquatur. Sic idem Statius Sylv. IV. 'Jam diu lato spatiata campo Fortis heroos Erato labores Differ, atque ingens opus in minores Contrahe gyros.' Propertius Eleg. III. 2. 'quis te Carminis heroi tangere jussit opus?' *Idem.*

398 *Gyro curre tuo*] Tuam materiam et opus exequere.

399 *Petetur*] Lege *petentur:* versus enim exigit ut τὸ *concubitus* sit pluralis numeri. *Heins.*

401 *Pleno si corpore sumas*] *Pectore* Puteaneus et Jureti excerpta cum aliis nonnullis. *Idem.*

403 *Tua prima voluptas*] *Tibi* rectius duo libri. *Idem.*

405 *Frigore soles*] Concinnius Sarravianus et quinque alii, *frigora sole:* alii totidem *frigora soles*, proxime verum. *Idem.*

407 *Veneris quoque junge figuram*] *Venerem junge figura* Regius et Puteaneus pro diversa lectione, bene; quomodo et duo alii: et sequenti versu pro *quamque decere putes, quaque* libri meliores; *putas* Regius et multi alii. Scribe, *quaque decere potest:* alioquin sensum vix commodum elicias: alter Regius, *Venerem finge figura;* sed Jureti codex et Puteani, *Veneri quoque junge figuram, Quam minime jungi quamque decere putes.* 'Jungere Venerem' elegantius est. Art. lib. II. 'Utque velis, Venerem jungunt per mille figuras.' Martialis Epigr. II. 53. 'Quod plebeia Venus gemino tibi jungitur asse:' ita scribe; cum nullo sensu in vulgatis legatur *vincitur.* In antiquis codicibus, maxime Bilbilitani poëtæ, *c* et *g* promiscue confunduntur. Noster in Ibide, 'Quæque sui Venerem junxit cum fratre mariti Locris.' Tibullus Eleg. I. 9. 'hunc ego credam Cum trucibus Venerem jungere posse feris.' Et Eleg. IV. 13. 'Hoc primum juncta est fœdere nostra Venus.' Auctor Argumentorum Virgilii lib. IV. de Ænea et Didone, 'Veneris clam fœdera jungunt.' Sic 'jungere membra' Noster lib. II. Fast. 'vitat Vestra soror summo jungere membra Deo:' ut et alibi non semel. 'Jungere' quoque 'gaudia' et 'amplexus,' et 'corpora:' 'jungere concubitus' Avienus descriptione orbis: sic 'committere Venerem' Propertius Eleg. II. 15. ut quidam codices, 'Non juvat in cæco Venerem committere motu.' Et Eleg. IV. 7. 'Sæpe Venus trivio commissa, et pectore misto Fecerunt tepidas pallia nostra vias:' ita et illo loco ex vetustis libris legendum. Cæterum figuram Veneris alibi quoque dixit Trist. II. 'Sic quæ concubitus varios Venerisque figuras Exprimat, est aliquo picta tabella loco.' Eodem libro 'Veneris stantes ad genus omne' dixerat. Auctor etiam obscœni carminis, 'Quo tot figuras, quot Philænis enarrat, Non admovente, pruriosa discedit:' ita ex vestigiis libri vetusti legendum, qui habebat *admonetis;* nam *pruriginosa* lex carminis non admittit: versus isti mendosissimi erant. *Idem.*

409 *Raro tibi vera fatentur*] *Raræ* Puteaneus et editiones nonnullæ. Regius *rara est ibi vera.* Lego *raræ sibi vera;* et sic alter Regius. Blandiuntur, inquit, sibi et verba dant. Vulgata lectio quid sibi velit non video. *Idem.*

Digitized by Google

412 *Tunc etiam jubes*] *Jubens* alter Regius. Lego *jubeam*. Idem.

415 *Dum piget, et nullam malles tetigisse puellam*] *Malis* Regius, Puteaneus, et duo alii: forte, *ut nullam malis*. Sæpe sic peccatum. *Idem.*

417 *Quæcunque in corpore menda est*] *Quodcunque mendum* Regius et Puteaneus cum tribus aliis. Lego, *quodcunque mendi:* dixi supra. Septem alii *quodcunque mendæ est;* etiam bene. *Idem.*

423 *Tu tantum numero pugna*] Duo libri, *Tu tamen et:* unus, *Tu tamen in:* alius *Tu tantum in.* Lege *Tu tantum, i, numero pugna:* vide quæ notavi Amor. III. 4. 1. *Præceptaque in usum* Puteaneus, non *usum*. Idem.

424 *Grandis acervus*] *Magnus* quidam ex melioribus. *Idem.*

435 *Attrahat ille*] *Attrahet* scripti meliores. *Idem.*

438 *Et vidit quæ mox*] *Mox* libri meliores, sed male. *Idem.*

440 *Expedienda tamen*] *Experienda* Puteaneus et multi alii ex scriptis cum prima editione: sic infra vice versa scribendum est, 'Spe citius monitis expediere meis;' ubi *experiere* legebatur.

446 *Secataque subducto stipite flamma periit*] Ita Jureti codex: quod ferri non potest, cum mox præcesserit. Prima editio et major scriptorum pars *Magnaque:* octo codices, *Lataque:* quinque *Altaque:* tres *Lentaque:* duo, *Multaque:* unus, *Cunctaque:* alius, *Totaque:* vetustissima editio, et quinque scripti, *Lævaque:* Politiani *Lætaque:* Regius *Hæsaque* vel *Cassaque;* quod postremum amplector. Vide Notas Fast. VI. 406. Puteaneus *Totaque* et *Lataque* vel *Lævaque* pro diversa lectione. Præterea pro *subducto* Regius optimus et septem alii *seducto:* etiam bene. Nec male *diducto* Puteaneus cum alio ex nostris. *Heins.*

447 *Ceratas puppes*] Naves vel pice vel cera illitas.

448 *Nec satis*] *Non satis* scripti majori ex parte. *Heins.*

449 *Quæ sibi jam pridem solutis bina parasti*] 'Commodius esse opinor duplici spe nitier.' Ter. Phorm. IV. 2. Cui respondet illud Plauti in Trucul. IV. 4. 15. 'Sed tamen Cogitato, mus pusillus quam sit sapiens bestia, Ætatem qui uni cubili nunquam committit suam. Quia si unum ostium obsideatur, aliud perfugium gerit.'

451 *At tibi qui fuerus*] Docet ab eo qui uni tantum puellæ addictus fuerat, alteram quoque inveniendam esse, quo prior amor ab altero vincatur. *Fueras dominæ*] *Fueris* Regius, Puteaneus, et septem alii. *Heins.*

453 *In Progniide perdidit ignes*] Variant hic denuo codices. Naugerius notat *Phroniide* ex suis; qui de hac fabula nihil sibi esse compertum fatetur. Puteaneus *Procride:* Regius, *Prognaide:* alter, *Prognide: Progride* Patavinus. Lego *Procride.* Procridis enim amore captus Minos, cum eam Cephalo elapsam et fugitivam excepisset in Creta, cane donasse velocissimo fertur, de quo ad lib. VII. Met. nobis erit agendum. Ejus rei meminit Scholiastes Germanici inter alios: sed præ ceteris Antoninus Liberalis cap. 41. Metam. Palæphatus etiam, et Pollux. Cæterum pro *perdidit ignes* optime Puteaneus, *prodidit;* ut et duo aut tres alii. 'Prodere' Donatus ad Terentium pro deserere, projicere exponit frequenter: sic Dido de Ænea, 'Non jam conjugium antiquum, quod prodidit, oro.' Propertius Eleg. II. 7. 'Nam citius paterer caput hoc discedere collo, Quam possem nuptæ prodere amore faces.' *Idem. Procride*] Procris enim, Cephali uxor, Minoa laborantem sanavit, ut scribit Hyginus.

455 *Amphilochi frater ne Phegida semper amaret*] *Amarit* rectius legatur. Cæterum totus hic versus valde est turbatus in libris scriptis: ita ta-

Digitized by Google

men ut ad vulgatam ii lectionem alludant, cui controversia non est movenda. Historiam hanc tangit noster etiam in Metamorph. IX. sed paucis verbis. Agitur autem hic de Alcmæone, qui Alphesibœæ Phegei filiæ Callirrhoën Acheloi filiam superduxit: rem narrant cum alii, tum Pausanias in Arcadicis, et Apollodorus. Alcmæon et Amphilochus Amphiarai filii: male ergo *Antiochi frater* in multis codicibus. Apud Lucianum quoque in Pseudomanti hic Amphiarai filius perperam 'Αντιλόχος appellatur, pro 'Αμφιλόχος. *Heins. Amphilochi frater*] Fabula talis est: Alcmæon filius vatis Amphiarai quærebat purgari ob interfectam matrem Eriphylen, venitque ad Phegeum patrem Alphesibœæ, cui dedit monile maternum preciosum, cujus et maritus factus est. Profectus deinde ad Acheloum, filiam ejus adamavit, nomine Calirrhoën: quæ quum et ipsa monile illud poseeret, rediit ad Alphesibœam: sed illic a Temeno et Axione Alphesibœæ fratribus interfectus est. Alphesibœa autem fratres in ultionem necati mariti interfecit. Ovid. in Met. VIII. fabulam breviter tangit.

457 *Et Paris Œnonen summos tenuisset in annos*] Rectius Regius, *Paris Œnone*. Idem *ad annos* cum aliis plerisque. *Heins.*

458 *Œbalia pellice*] Helena ex Lacedæmonia.

459 *Odrysio tyranno*] Tereo regi Daulidis, oriundo a Thracibus.

460 *Clausæ sororis*] Philomelæ, a Tereo ductæ in stabula, ibique inclusæ.

461 *Turba fatigat*] Malim *fatiget*. Heins.

463 *Parcius e multis mater desiderat unam*] Regius præstantissimus *Foritus*. Lege *Fortius;* et vide quæ notavi vs. 281. libri primi Artis. 'Fortis,' quæ dolori moderatur, et adfectibus: idque ex placito Stoicorum, apud quos fortitudo in robore animi consistit potius, quam in corporis viribus. Statius Theb. v. 'At non magnanimo pietas ignava Lycurgo. Fortior ille malis, lacrymasque insana resorbet Ira patris.' Et Sylv. lib. II. consolatione ad Ursum, 'O quam divitiis censuque exutus opimo Fortior, Urse, fores!' *Idem.*

464 *Quam quæ flens clamat*] Regius mendose, *Quem quoque flens*. Sarravianus, *qui flens*. Lege, *Quam cui flens clamat*. Idem.

465 *Et ne forte putes*] Prima editio et duo libri scripti *Ac;* alius, *Sed*. Scribo *At*. Pro *condere jura* Arondelianus *prodere*. Idem.

469 *Amabat*] Unus Puteaneus *amarat*. Idem.

471 *Bene contigit illi*] Prima editio cum scriptis fere omnibus *bene convenit illi*, præter optimos Regium et Puteaneum, in quibus *convenit illis;* vere. Martial. Epigr. VIII. 35. 'Miror non bene convenire vobis.' Fast. IV. 'Contrahere agrestes, et mœnia ponere utrique Convenit.' Pont. III. 2. 'Extitit hoc unum, quo non convenerit illis.' Pro *tuo* mox multi *tuam*. Idem.

473 *Calchas ope tutus Achillis*] Cum Agamemnon raptam Chryseida nollet patri reddere, Apollo per novem dies totidemque noctes sagittas emittens, primum jumenta, deinde homines percussit. Quam rem quum Achilles ad senatum retulisset, placuit Calchantem augurem consuli. Qui cum timeret divinationem proloqui propter Agamemnonem, juravit ei Achilles, se vivo neminem passurum ipsi injuriosas manus afferre, ne ipsum quidem Agamemnonem. Quibus verbis tutus Calchas, pestilentiam docuit posse sedari, si Chryseis patri redderetur. Quo facto, Agamemnon Briseida Achilli eripuit, ut in primo Iliad. cecinit Homerus. *Ope tutus Achillis*] *Achilli* Farnesianus, recte omnino: ita Virgilius sæpe; sic et 'Ulyssi' Noster in Metam. passim

Digitized by Google

secundo casu: monui ad librum Artis v. 743. *Heins.*

475 *Atrides ait, Est illius proxima forma*] Numeri duriores, quam ut Nasoniani videantur. Nec constant sibi libri veteres: quorum nonnulli, *Est, ait Atrides;* concinnius. Sed Jureti et Puteani codex, *Atrides ait, jam illius est proxima forma:* duo alii, *Atrides ait, illius est proxima:* duo alii, *Hæc, ait Atrides, illius proxima forma est.* Lego, *Est, ait Atrides, illi quam proxima forma:* in quo nihil mihi permisi, nisi quod pro *illius jam* veteri lectione reposui *illi quam.* Idem.

476 *Et si prima sinat littera*] *Syllaba* Regius cum Lincolniensi et uno meo recte. Nam inter Briseidem et Chryseidem tota prima syllaba differt: de sola prima littera manifeste falsum est. Sic lib. II. Fast. 'prima sed illi Dicta bis antiquum syllaba nomen erat.' *Idem. Et si prima sinat syllaba*] Si Briseis, non Chryseis diceretur.

478 *Sin minus*] Scripti tam hic quam aliis locis semper *Si minus.* Heins. *Imperium sentiet ille meum*] Iliad. A. vs. 80. Calchas ipse Achilli: Κρείσσων γὰρ βασιλεύς, ὅτε χώσεται ἀνδρὶ χέρηϊ. Et Nestor ibidem, 278. ἔνθ' οὔποθ' ὁμοίης ἔμμορε τιμῆς Σκηπτοῦχος βασιλεύς, ᾧ τε Ζεὺς κῦδος ἔδωκεν. Silius II. 'armat Majestas æterna ducem.' Ideoque sceptrum Agamemnoni a Jove permissum atque datum esse per ordinem successionis non temere confingit Homerus B. Iliad. a vs. 101. Eadem ratione Æschyl. Χοηφόρ. præcipit οὐρανοῦχον ἀρχὰν σέβειν. Alexander, Amyntæ filius, ad Athenienses de Xerxe, καὶ γὰρ δύναμις ὑπὲρ ἀνθρωπον ἡ βασιλήος ἐστι, καὶ χεὶρ ὑπερμήκης. Herod. 8. 'sunt longæ regibus manus.' Et Pindar. Olymp. od. I. in fine: ἐπ' ἄλλοισι δ' ἄλλοι μεγάλοι, τὸ δ' ἔσχατον κορυφοῦται βασιλεῦσι.

479 *Accusat*] *Incusat* prima editio et ex scriptis satis multi. *Heins.*

481 *Nam si Rex ego sum*] Scribo *sim;* ita postulat τὸ *dormiat*, quod sequitur: nisi mavis *sum* et *dormiet.* Sequenti versu pro *eat* liber Vaticanus *eas.* Puto, *In mea, Thersite, regna licebit, eas.* Idem.

483 *Hanc habuit solatia magna prioris*] *Solatia bina* meus et Vossianus: placet. Supra, 'Qui sibi jam pridem solatia bina paravit.' *Idem.*

484 *Prior cura*] Prior Chryseidis amor. *Nova*] Novo amore Briseidis.

486 *In bivio detineatur amor*] *Distineatur* Regius, et Scaligeri Excerpta; recte: Sarravianus *destituatur.* Dixi Epistola VIII. 69. Horatius libro IV. Od. 5. 'Ut mater juvenem, quem Notus invido Flatu Carpathii trans maris æquora Cunctantem spatio longius annuo Dulci distinet a domo:' ita meliores codices; non *detinet.* Idem. *In bivio*] In duabus puellis.

487 *Artes tu perlege nostras*] *En perlege* duo libri: totidem cum prima editione, *jam perlege.* Sed vere Regius, *i, perlege.* Vide Notas ad Amor. III. 3. *Heins.*

488 *Jam tibi navis erit*] *Eat* repone cum Politiani Excerptis et duodecim ad minimum nostris. Sic supra, 'Rectaque cum sociis me duce navis eat:' et infra, 'Quaque vocant fluctus, hac tibi remus eat:' vel *navis eat;* ut illic est in nonnullis scriptis. Fast. IV. 'Dum licet, et spirant flamina, navis eat.' Trist. V. Eleg. 5. 'Quod superest, tutum per mare navis eat.' Et Eleg. ult. 'Vela damus, quamvis remige navis eat.' Alibi in Tristibus, 'Sed non per placidas it mea navis aquas.' *Idem.*

490 *Edocet ore meo*] *Perdocet* scripti cum prima editione. *Idem.*

491 *Media Ætna*] Maximo æstu amoris.

492 *Frigidior dominæ fac videare tuæ*] Videtur scribendum *domina tua.* Nisi quod unus Puteaneus et unus Leidensis, *Frigidior glacie;* quod arridet. Sic Epist. I. 'Frigidius glacie pectus amantis erat:' et Ariadna, 'Frigidior

Digitized by Google

glacie semanimisque sui:' *tua*, pro amicæ tuæ. Tibull. lib. IV. Eleg. 7. 'Dicetur si quis non habuisse suam:' ita enim legendum videtur; nisi *sua* malis. Noster infra ex veteri codice, 'Jamque face e multis una sit illa tuis.' Horatius Od. I. 15. 'Non hoc pollicitus tuæ:' Helenæ, subaudi: nam ad Paridem est sermo. Propert. Eleg. I. 9. 'Et nihil iratæ posse negare tuæ.' Eleg. III. 7. 'Me doceat livor mecum habuisse meam.' Noster lib. I. Artis de Pasiphaë, 'Atque ait, exta tenens, Ite placete meo.' Hinc illa apud nostrum passim obvia, 'Clamabo, Meus est.' 'Dicam, Meus es.' 'Exclamat, Meus es.' Artis lib. II. 'Quo magis, o Juvenes, deprendere parcite vestras.' Fast. II. 'Est locus: antiqui Capream dixere paludem, Forte tuis illic, Romule, jura dabas.' 'Tuis,' nempe civibus. Frustra *viris* reponunt. *Heins.*

493 *Nec si*] *Ne si* scripti cum prima editione. *Idem.*

495 *Medias abrumpere flammas*] *Curas* prima editio cum scriptis melioribus; omnino bene: 'cura' enim pro amoribus. Sic Dido apud Virgilium, 'gravi jamdudum saucia cura.' Met. VI. ex antiquo codice, 'nec capiunt inclusas pectora curas.' Sic Noster, sic Tibullus ac Propertius, sic alii passim. Sequenti versu pro *imperii fera jussa*, rectius Puteaneus et duo alii ex melioribus, *jura*. Vide Notas sub finem Epist. III. *Idem. Medias abrumpere curas*] Medium amorem, non quamprimum, sed paulatim solvere.

497 *Quod non est, simula*] *Non es* lege cum melioribus. *Heins. Positos furores*] Depositum amorem vehementem.

501 *Simularat amare*] *Simulabat* scripti et prima editio. *Heins.*

507 *Nec dic convitia posti*] *Nec fac* prima editio et scripti meliores magno numero. Amor. I. 7. 'At taciti fecere tamen convitia vultus.' Lib. III. 3. 'Quid queror, et toti faclo convitia emlo.' Et apposite ad hunc locum Met. XIV. 'posuitque in limine dure Molle latus, tristique seræ convitia fecit.' Epist. Leandri, 'Nec faciam surdis convitia fluctibus ulla.' Cydippe, 'Quam sæpe, ut tardis, feci convitia, remis!' Propertius Eleg. I. 6. 'Ut mihi deducta faciat convitia puppi Cynthia.' Jureti codex et sex ex nostris, *fer convitia. Fac incendia posti* pro diversa lectione Puteaneus. Sic Artis lib. III. 'Ille vetus miles sensim et sapienter amabit, Multaque tironi non patienda feret. Nec franget postes, nec sævis ignibus uret.' Amor. I. 6. ad janitorem, 'Aut ego jam ferroque ignique paratior omni, Quem face sustineo, tecta superba petam.' *Idem.*

512 *Feras*] *Feres* scripti cum prima editione. *Idem.*

513 *Te quoque fallet amor, dum sit tibi finis amandi*] *Tunc quoque fallit amor, ne sit tibi* Puteaneus. Pro *fallit* multi *fallat*. Pro *dum sit*, Sarravianus *dum fit*: tres *nisi sit*: alii *nec, ne, ni*: unus *ut sit*. Regius, *Te quoque falle tamen, nec sit tibi finis amandi*; quod secuti sumus. *Falle tamen* etiam in excerptis Politiani et uno ex nostris. Non satis est, inquit, ut fallas dominam, atque illi persuadeas te non amare, sed tibi quoque ipsi persuadeas velim, non eo fine hæc a te agi, ut amare desinas. *Idem.*

517 *Nec tibi tam placeat ut te contemnere possit*] Puteaneus *sibi* pro diversa lectione: quod et Patavinus agnoscebat. Regius, *Nec sibi tam placeat, nec te.* Scripti plerique *quod te* cum prima editione: unus meus pro diversa lectione *quo*: recte. *Idem.*

521 *Tibi ni patientia desit*] Alii, *si non*: unus Vaticanus, *nisi patientia.* Lege *nisi si*; et vide Notas ad Epist. IV. 111. *sapientia* etiam in nonnullis. Regius, *Posse pati facile est, ubi sapientia desit.* Puto, *nisi si sapientia desit.* Sic supra, 'Artis erunt cauto mollia jussa meæ.' *Idem.*

Digitized by Google

522 *Protinus ex facili gaudia ferre licet*] Lego *Pronius:* ut supra, 'Prona venit cupidis in sua vota fides:' et, 'Prona tibi vinci cupientem vincere palma est.' Sed Puteaneus a manu prima *Promtius*, quod sequor. *Idem.*

525 *Variabimus artes*] *Variamus et* bene Puteaneus, nisi *variemus* mavis. *Idem.*

528 *Auxilium multis succus et herba fuit*] Male quidam codices *tulit*, vel *dedit*. *Auxilio fuit* non male duo codices. Sic infra vs. 581. 'auxilio turba futura tibi est:' ut quidem legendum. Met. XII. 'nec onus cava parma sinistræ Auxilio mihi sunt.' Nihil tamen hic mutem: vide Notas Fast. II. 408. *Idem.*

529 *Nec abire potes*] Nec potes longius discedere ab amica.

531 *Desine luctari*] Cessa pugnare cum amore. *Referant tua carbasa*] Redeas ad amicam. *Referant tua carbasa venti*] *Referent* libri meliores cum prima editione: scribendum est *referant sine;* nam 'tua' paulo ante præcessit: nisi mavis, *sua carbasa*. Et mox, *Quoque vocant* pro *Quaque* Puteaneus. *Heins.*

535 *Præcordia poscunt*] Poscant malo.

537 *Utere et usque tua*] Regius et Puteaneus cum quatuor aliis et prima editione *Et fruere:* alter Regius *infruere:* duo *sic fruere*. Scribe *I fruere;* et vide Notas ad Amor. III. 3. Codex tamen Scaligeri et unus Vaticanus *Perfruere:* sic Epist. Herm. 'Perfruor infelix liberiore malo.' *Idem.*

539 *Tædia quære mali: faciunt et tædia finem*] *Faciunt quoque* octo: tres, *quia:* unus *nam*. Scribe, *Tædia quære: malis faciunt et tædia finem*. Idem.

540 *Jam quoque cum credes posse carere mane*] *Credas* multi ex melioribus. Lege, *Tum quoque, cum credes posse carere, mane*. Idem. *Mane*] Persevera in amore.

541 *Dum bene te cumulas, et copia tollit amorem*] *Cumules* et *tollet* scripti cum prima editione. Sequenti versu pro *libet esse* veteres plerique *juvet* vel *juvat;* sed meliores *juvet*. Scaligeri codex et unus Vaticanus *Infastidita*. Lego, minima mutatione, *Dum bene te cumules, et copia tollat amorem E fastidita non juvet isse domo:* pro *Et* reposuimus *E;* pro *esse, isse;* in quibus frequentissime peccant libri veteres. Cætera auctoritate codicum scriptorum nituntur. Avienus Fab. XXXVII. 'Nec custodita fas sit abire domo.' Apud Valerium Flaccum similis error commissus lib. III. 'quod si jam bella manebant, Et placitum hoc superis: nonne hic mea justius issent Funera? neque tuus melius nunc plangeret error?' *non hæc mea justius essent* nunc legitur. Propertius, 'Issent Phlegræo melius tibi funera campo.' *Heins.* *Dum bene te cumules*] Dum bene te expleas amore.

544 *Hunc si tu quæris*] *Tu si quæres* meliores. *Heins.*

545 *Qui timet ut sua sit, ne quis sibi subtrahat illam*] *Detrahat* prima editio et plerique scripti: sic Met. VI. 'Quid me mihi detrahis? inquit.' Præterea legendum, 'Qui timet, ut sua sit; neu quis sibi detrahat illam.' *Idem.*

546 *Vix ope sanus erit*] Alii libri *tutus:* unus *salvus*. Sed nil muta. Patavinus *sanus erat*. Lego *sanus eat*. Vide Notas in Elegiam de morte Drusi sub finem. *Idem.*

547 *Plus amat e natis*] Timorem probat amorem augere. Ordo est: Mater plerumque e duobus natis plus amat illum pro cujus reditu timet, quod gerit arma, hoc est, quia militat.

549 *Est prope Collinam*] Porta Collina etiam *Salaria* dicebatur, qua in collem Quirinalem ibatur. Illi propinquum fuit templum Veneris Erycinæ.

550 *Imposuit nomina*] Quia cognominatum est templum Veneris Erycinæ, ab Eryce colle Siciliæ.

551 *Letheus Amor*] Cupido, oblivionem amoris inducens amantibus.

Digitized by Google

558 *Oblivia*] Amoris.

556 *Sed puto somnus erat*] Scribo *nec puto*. Infra, 'Destituit somnum: si modo somnus erat.' Fast. III. 'Utile sit faustumque precor, quod imagine somni Vidimus: an somno clarius illud erat?' Superiori versu pro *Hic* meliores libri *Is*. Heins.

558 *Hæc quoque*] *Hoc quoque* meliores. *Idem*.

560 *Omnibus illa Deus*] *Ille* scripti plerique cum prima editione; sed male: refer ad mala. *Idem*.

561 *Qui Puteal*] Enumerat res Poëta, ad quas animum referendum esse dixit. Erat autem Puteal locus Romæ, ad quem conveniebant fœneratores. Porphyrius vero dicit, sedem fuisse prætorum prope Circum Fabianum: quod Libonis dicebatur, quia a Libone illud primum tribunal et subsellia collocata sunt. *Janumque timet*] Vel mensem Januarium, quo in jus trahebantur debitores a creditoribus: vel forum judiciale intelligit, quod erat propinquum templo Jani. *Celeresque Kalendas*] Celeres appellat Kalendas, quod debitori tempus solvendi videbatur celerius advenisse quam vellet. Horat. 'Quod nisi cum tristes misero venere Kalendæ, Mercedem, aut nummos, unde unde extricat.'

563 *Cui durus pater est, ut voto cætera cedant*] Concinnius quatuor scripti, *Cui pater est durus, ut votis cætera cedant;* nisi quod transpositis vocibus lego, *votis ut*. Heins.

565 *Cum conjuge vivit*] *Dormit* Politiani codex et Cantabrigensis: ut Epist. Helenæ, 'et tu sine conjuge dormis.' *Idem*.

566 *Uxorem fato credat obesse suo*] *Facto adesse* vel *abesse* scripti plerique. Nil muto. *Idem*.

569 *Ille habet in reditu navem*] *Navim* Regius: sic idem cum aliis melioribus paulo post, 'media navim Palinurus in unda Deserit.' *Idem*.

570 *Damno littora sæva suo*] *Littora fœda* prima editio et scripti omnes meliores. Quid si *fœta* legas? sic noster Metam. XIV. 'Littora Cumarum, loca fœta palustribus ulvis.' Æneid. I. 'Nimborum in patriam, loca fœta furentibus austris, Æoliam venit.' *Idem*.

571 *Hunc filia nubilis angat*] *Te filia* iidem libri; et hoc bene: *angunt* etiam Puteaneus. *Idem*.

573 *Ut posses odisse*] *Possis* iidem. *Idem*. *Et posses odisse tuam, Pari*] Paris quoque odisset Helenam, si fratrum pericula considerasset.

574 *Substituisse tuis*] *Sustinuisse* scripti plerique cum Jureti et Scaligeri excerptis. Excerpta Politiani et sex alii codices, *Præposuisse*. Lego *proposuisse*. Supra, 'Proponent animo multa ferenda suo.' Sic paulo ante, 'Propositis frenis sæpe repugnat equus:' ubi scripti fere omnes, *præpositis*. Vulgatam tamen lectionem non damno; quomodo et alios locutos memini, sed loca non succurrunt. *Heins*.

575 *Plura loquebatur: placidum puerilis imago Destituit somnum*] Scripti nonnulli *placide* et *Destituit somnus* cum prima editione; vel etiam *Destituor somno:* perperam. 'Plura loquebatur,' hoc est, postquam plura esset locuta, destituit somnum. *Idem*.

577 *Media navem Palinurus in unda*] *Navim* Regius et Puteaneus cum uno Vaticano, ut jam dixi. Deinde *medias undas* Puteaneus. *Idem*. *Palinurus*] Letheus Cupido, optimus magister remedii amoris, ut Palinurus fuit optimus navis Æneæ gubernator. *Deserit navem*] Deserit materiam hanc meam.

581 *Nam tibi secretos, augent secreta furores, Est opus auxilio, turba futura tibi est*] Hæc inquinatissima sunt. Pro *secretos* alter Regius *secretis*. Pro *Nam* Puteaneus *Non*. Et sequenti versu pro *auxilio, in populo:* alii *Nunc* vel *Jam*. Codex Regius optime, *Non tibi secretis (augent secreta furores) Est*

Digitized by Google

opus: auxilio turba futura tibi est: cui scripturæ nihil de nostro addidimus, præter nudas distinctiones. 'Turbam' pro populi confluxu ponit hic, ut et libro de Art. Am. III. 417. ubi vide notas nostras. *Heins.*

587 *Nec sit tua janua clausa*] *Sit tibi* meliores. *Idem.*

588 *Nec tenebris luctus flebilis adde tuos*] *Vultus flebilis abde* cum prima editione et iisdem scriptis reponendum; *abde tuis* prima editio et Regius. Lego *abde suis:* nam 'oculos tuos' paulo ante præcesserat. *Idem.*

589 *Semper habe Pyladen aliquem, qui curet Orestem*] *Pyladen, qui te procuret* Mentelianus; alius, *Pyladen te cum qui curet;* duo, *socium qui curet;* tres, *qui te consoletur:* malim *qui te soletur.* Latet aliquid mendi. *Idem.*

593 *Edono*] *Edonio* scripti, vel *Aonio*: quod posterius Naugerius in Notis suis et Alexander Paganinus apud Ciofanum amplectuntur; quia scilicet noster Art. lib. I. 'Fertur ut Aonio concita Baccha Deo,' et l. II. 'Aonii cornibus icta Dei, dixerit.' Sed de Bacchis Thraciis, et cultu Bacchi in Thracia res est notissima. Noster Met. VI. 'Tempus erat quo sacra solent trieterica Bacchi Sithoniæ celebrare nurus.' Et alibi, 'Ismariæ celebrant repetita triennia Bacchæ.' *Celebrans trieterica* Sarravianus: vide Trist. IV. 1. 42. *Idem. Trieterica*] Triennalia sacra. Liberi enim sacra (ut docet Servius) tertio quoque anno novabantur.

595 *Et modo, qua poterat, latum spectabat in æquor*] *Longum æquor* scripti omnes meliores cum primis editionibus. Am. II. 11. 'O utinam, ne quis remo freta longa moveret, Argo funestas pressa bibisset aquas!' Epist. Hypermnestræ, 'quid, Io, freta longa pererras?' Epist. Parid. 'Longa Phereclæa per freta puppe vias.' Fast. III. 'Ille vehit per freta longa duos.' Horatius, 'Dum longus inter sæviat Ilion Trojamque pontus.' Pro *qua poterat*, quatuor quod, totidem quam: vide Notas supra vs. 325. *Heins.*

596 *In arenosa humo*] In littore.

598 *Ruptaque singultu verba loquentis*] *Raptaque* Regius et Puteaneus: non probo. Idem Regius *dolentis* pro diversa lectione, quomodo septem alii; recte: sed *querentis* puto scribendum, quo verbo noster impense gaudet. Sic infra vs. 644. 'Deque tua domina multa querenda refers:' ubi libri veteres similiter, *dolenda.* Heins. *Ruptaque singultu verba loquentis erant*] Quod Virgilius illustrat, Æn. III. 'vix pauca furenti Subjicio, et raris turbatus vocibus hisco.' Mox deinde: 'Et multum lacrimas verba inter singula fundit.' Hor. Satyr. I. 6. 'Ut veni coram, singultim pauca locutus:' item Od. IV. 1. 'Manat rara meas lacrima per genas? Cur facunda parum decoro Inter verba cadit lingua silentio?' ἀρυὰ δ' ἴκετο φωνά. Theocrit. Idyll. XIII. vs. 59. Quæ dicuntur Apuleio lib. V. 'verba dimidiata,' 'tertiata,' 'quartata;' quod est, singultu crebro verba interficere.

600 *Qua tulit ipsa*] *Quo tulit illa* meliores cum primis editionibus. *Heins.*

601 *Viderit, inquit*] Optimus Patavinus *videris;* ut se ipsam alloquatur: quomodo sæpe alias. Vide Notas ad Epist. X. 75. De Elegantia verbi 'videris' dixit Pont. I. 2. *Idem. Videris*] Demophoon aspexeris.

603 *Aspicit et ramos, dubitat, refugitque quod audet, Et timet, et digitos ad sua colla refert*] Rectius puto scribendum, *Aspicit et ramos dubitans fugiensque quod audet, Et timide digitos ad sua colla refert: timide* ut infra, 'Tu timide flammæ perfida verba dabis?' *Idem.*

604 *Et digitos ad sua colla refert*] Zonam collo innectit.

605 *Sithoni*] O Phyllis ex Thracia, quæ prius Sithonia dicebatur.

606 *Non flesset*] *Flesses* Jureti co-

Digitized by Google

dex et septem alii cum altero Regio: duo mei et duo alii *fleres;* ut τὸ *Sithoni* in superiori versu cum *sylva* construatur. *Non sola* in superiori versu scripti, pro *ne*. Heins.

607 *Nimium secreta cavete*] *Timete* scripti et prima editio. *Idem.*

611 *Decidit*] Duo *Accidit*. Regius *Recoidit*, pro *Recidit:* ut fere semper scribitur in vetustissimis libris, quando prima syllaba producitur: recte. *Recidit* etiam est in excerptis Scaligeri. Vide Epist. XIV. 46. *Idem. Recidit*] Redit ad ingenium et pristinum morbum amoris.

612 *Et quæ deciderant tela*] *Conciderant* plerique veteres; unus *ceciderant;* alius *reciderant:* sed Sarravianus, alter Regius; et unus Vaticanus *condiderat;* probe: in pharetra videlicet. Sic in Fast. lib. II. 'Conditaque in pharetra tela minora sua.' Propertius II. Eleg. 16. 'Illa, qua vicit, condidit arma manu.' Horatius Carmine Sæc. 'Condito mitis placidusque telo.' Et Epod. VII. 'Cur dexteris Aptantur enses conditi?' Auctor Panegyrici ad Pisonem, 'Ignea quin etiam superum pater arma recondit.' *Heins.*

613 *Si quis amas, nec vis*] Illud *nec vis* non est nauci; cum satis superque initio operis inculcarit Ovidius, se iis, qui cupiant ab amore liberari, medicinam facturum. Scripserat, ni fallor, Noster, *Si quis amas, urbis facito contagia vites;* vel *turbæ contagia:* de qua voce paulo ante. *Idem. Nec vis*] Amare. *Contagia*] Contagia appellant amantum consortia. Juvenal. 'Dedit hanc contagio labem, Et dabit in plures,' &c.

619 *Manat amor tectus*] Furtim amor redit, et illabitur pectori. *Ab amante*] Ab amantum consuetudine.

623 *Vulnus in antiquum*] In pristinum dolorem. *Cicatrix*] Amor antea sanatus. *Male firma cicatrix*] *Male sana* quidam libri; non male: sed *sanus* præcessit. *Heins.*

625 *Proximus a tectis*] *E tectis* Puteaneus et Vaticanus. *Idem.*

628 *Officium neve colatur idem*] Nec cætera facias, quæ, dum puellam conciliares, faciebas.

630 *Alter orbis*] Alia regio.

632 *Et multum saliens incitat unda sitim*] Lege *multam sitim* cum prima editione et Bartholiniano; neque aliter pro diversa lectione Puteaneus. Sic libro III. Fastor. 'multæ sedulitatis anus;' et ibid. 'Consilium multæ calliditatis:' et lib. I. 'Multam præterito tempore nacta fidem;' ut scribendum censeo; ubi nunc legitur *Multaque præterea:* 'multa vetustas' Fast. V. 182. ex antiquis libris: infra, 'Multa sit ut placeas alienæ cura puellæ:' ubi *Nulla* perperam nunc legitur. *Heins.*

635 *Littora*] Finem amandi.

638 *Et quisquis dominæ*] *Quicquid* bene quinque libri. *Heins. Pars erit ulla*] Amicus.

640 *Suppliciter*] *Fictum* et *suppliciter* duo adverbia dure concurrunt. Puto legendum, *nec flens ancillula fictum Supplicet, et dominæ nomine dicat Ave.* Heins.

642 *Perfer*] Prima editio cum Puteaneo et tribus aliis, *Profer;* eleganter denuo: monui supra vs. 93. Pro *lucro tuo* Regius etiam bene *suo:* dixi supra vs. 248. *Idem. Lingua retenta*] Sermo non habitus de amica.

643 *Qui causam finito reddis amori*] Sic pro diversa lectione Puteaneus: qui tamen cum Regio, Scaligeri Excerptis, et tribus aliis, *finiti reddis amoris;* quod verum est. Tu, inquit, cum reddes causam sodalibus tuis, quare desieris amare. Alii magno numero *finiti quæris amoris* cum Excerptis Jureti: 'finem vesani quærere amoris' apud Propertium II. El. 15. Primæ editiones cum duobus scriptis, *fugitivi quæris amoris:* apud Horatium Od. I. 19. 'finitis animum reddere amoribus.' *Heins.*

645 *Melius sit te ulciscere tacendo*] *Sic ulciscere* meliores scripti cum primis editionibus; recte: ut τὸ *et* sub-

Digitized by Google

intelligatur. Pro *tacendo* Cantabrig. *querendo:* forte *premendo;* hoc est, tegendo et occulendo injuriam: *tacendo* minus placet, ne bis idem dicat; nam sequitur, 'Et malim taceas.' *Heins.*

646 *Ut desideriis*] *Dum desideriis* meliores. *Idem. Dum effluat illa*] Donec illa tibi elabatur.

651 *Torrens solet altius ire*] *Acrius* bene quinque scripti: sic Claudianus, 'Acrior et tacitas rapidus prætermeat ingens Danubius ripas.' *Altior* Regius. *Heins.*

653 *Fallat*] Amor paulatim ita evanescat, ut non sentiatur. *Per molles gradus*] Per facilem viam, hoc est, sensim. *Evanidus exeat auras*] *Radicitus* nonnulli ex scriptis: sed nihil muto. Met. v. 'Pectoraque in tenues abeunt evanida rivos.' *Idem.*

654 *Perque gradus molles amoveatur amor*] Quod et Cicero præcipit (sed in causa honestiore) ad Pompon. Atticum de Amicit. 'Tales igitur,' inquit, 'amicitiæ sunt remissione usus levandæ, et (ut Catonem dicere audivi) dissuendæ magis, quam discindendæ sunt.' *Emoriatur amor*] *Emolliatur* Vossianus; *emoderatur* Mentelianus; *emoveatur* quatuor. Nil muta. *Heins.*

656 *Exitus iste*] Iste amoris finis. *Ingeniis feris*] Duræ et immitis naturæ.

657 *Nec curandus adest*] Regius et pro diversa lectione Puteaneus, *Non curare sat est;* neque aliter Scaligeri Excerpta: duo *Non curandus abest: Non curasse sat est* prima editio. Sequenti versu pro *amat* et *desinit* scripti plerique *amet* et *desinat:* Regius *amat* et *desinet;* recte. *Heins.*

658 *Aut ægre desinit esse miser*] Difficile sanatu.

660 *Appias ipsa*] Ipsa Venus genitrix, cujus templum erat in foro C. Cæsaris, ab aqua Appia, quæ illic erat, cognominata.

662 *Liber oberrat amor*] *Aberrat* Regius, et sex alii; bene: hoc est, abit. *Heins.*

663 *Forte aderat juvenis*] Imo *aderam juveni* cum Regio, Puteaneo, uno ex meis, et prima editione: 'aderam,' advocationem præstabam; ita illud quoque intelligendum lib. III. Artis, 'Munera det dives, jus qui profitebitur, adsit.' Et Art. Am. II. 'Jussus adesse foro, jussa maturius hora Fac semper venias.' Huc spectat locus quoque ille apud Gellium lib. I. cap. 22. ubi prætor ad imperitum patronum, qui se 'causæ superesse' dixisset, 'Tu plane, inquit, superes, non ades.' Pro *lectica tenebat* Vaticanus unus *tenebas;* non inelegante. *Idem.*

665 *Lectica prodeat*] Exeat amica de lectica.

666 *Mutus erat*] Erat sine voce, visa amica.

667 *Duplices tabellæ*] Codicillos dicit, in quibus jura continebantur.

669 *Tutius est aptumque magis*] Nemo mihi persuaserit hoc distichon Nasonianæ venæ fœtum esse. *Heins.*

670 *A thalamis*] A lecto et amore. *Mer.*

671 *Munera quæ dederas*] *Dederis* Puteaneus et tres alii: vide Notas ad Epist. VII. 51. et Art. I. vs. 447. *Habeat sine lege* Puteaneus. *Heins. Munera quæ dederis, &c.*] Verba artis sunt: sic enim solebat dicere, qui divortium faciebat: 'Abeas, valeas, tuas res tibi habeas.' *Micyll.*

672 *Magno bono*] Liberando te ab amicæ amore.

673 *Conducat in unum*] Libri meliores *conducet* vel *conducit;* sic supra, 'Quod si quid præcepta valent mea.' *Heins. Casus conducat in unum*] Scil. locum. Sic et Græci: *εἰς ἕνα χῶρον.* Theocr. Idyll. VI. 1. *συνελθεῖν εἰς ἕνα χῶρον* Halicar. II. Eurip. simpliciter, *εἰς ἓν συνελθεῖν* Phœniss. 465. Noster ad Æneid. VIII. 'Si visurus eum vivo, et venturus in unum.'

674 *Arma*] Præcepta, consilia.

675 *Hic opus est armis: hic, o fortissime, pugna*] *Nunc opus est* Regius, Puteaneus, et plures alii. Pro *hic o* idem

Digitized by Google

Puteaneus, Jureti codex, aliique multi, *nunc o:* unus, *his o:* alii duo, *hic hic fortissime:* unus Leidensis, *His opus est armis, his o.* Puto scribendum, *Hic opus his armis: his hic, fortissime, pugna:* vel, *Nunc opus his armis: his nunc, fortissime, pugna.* Heins.

676 *Penthesilea*] Amica tua.

677 *Nunc durum limen amicæ*] *Amanti* rectius Regius et duo alii: sex, *amantis.* Heins.

678 *Mediis Deis*] Qui, quasi ad partes vocati intervenerunt medii, jurejurando inter duos dato. Sic Virgil. sed in causa dispari: 'Quos inter medius venit furor.' Etiam de inopinato interventu, Æn. I. 'Ne qua scire dolos, mediusque occurrere possit.'

679 *Nec compone comas, cum sis venturus ad illam*] *Comam* Puteaneus, et tres alii (sed paulo durius) *et illam.* Deinde *quia sis venturus* meliores omnes: quinque alii minoris notæ, *si sis.* Heins.

680 *Nec toga sit laxo*] Molles et libidinosi ad pedes togam demittebant. Nam alias toga in signum collecta subcingebatur.

682 *Jam face ut et multis una sit illa tibi*] *Jam facito e multis* Regius; quidam alii *Jam face e multis,* vel *Jam fac: face* pro *fac* cum in deliciis sit Ovidio, scribam libenter, *Jamque face e multis.* Ep. II. 'Phylli face expectes Demophoonta tuum:' et sic passim alibi. Supra, 'Durius incedit; face inambulet.' Sed et superiori versu pro *Nulla cura* omnino *Multa* legendum, ut paulo ante monui; quicquid libri veteres dissentiunt. *Multa sit ut placeas alienæ cura puellæ, Jamque face e multis illa sit una tibi:* Eo, inquit, curam converte, ut alii puellæ placeas: utque tuam illam non nisi inter multas ames; ne sola sensus tuos occupet. *E multis una sit illa tibi*] *Sit illa* unus ex meis: vide Notas supra vs. 492. *Heins.*

683 *Quid præcipue vestris conatibus obstet*] *Obstat* scripti: vel, *quod obstat. Nostris* etiam *conatibus* Puteaneus et multi alii cum prima editione; quod sequentia confirmant. Sic infra, 'Æmulus est nostri maxima causa mali.' *Idem.*

686 *Dum sibi quisque placet*] Malo *placent:* vide Notas Amor. II. 11. 21. *Idem.*

695 *Nec peccata refer: ne diluat ipsa caveto*] *Nec diluat ipsa caveto* plerique scripti: quidam etiam *illa* vel *ipse caveto:* alter Regius, *Nec peccata refer, nec cui favet ipsa favebis:* alius, *illa favebis:* sed recte ille omnium optimus et venuste, *Nec peccata refer; ne diluat: ipsa favebis.* Sic Amor. II. 2. 'Tu contra objicies, quod tuto diluat illa.' *Idem.*

697 *Qui silet*] Qui non dicit probra puellæ.

699 *Non ego Dulichias furiali more sagittas*] Andreas Nangerius tersissimi vir ingenii, et omnium optime de Nasone meritus, valde æstuat in hoc loco, nec scire se negat, quænam sint *Dulichiæ* istæ *sagittæ;* et jure sane: sunt enim nullæ. Scaligeri excerpta et optimus Regius, *Dulichio furiali;* quod et in altero ejusdem Bibliothecæ codice pro diversa lectione erat notatum. Scribe, *Non ego Dulichio furiales more sagittas:* et sequenti versu pro *raptas faces* lege *rapidas* cum Lincolniensi libro: unus Farnesianus *rabidas:* 'rapidæ faces,' quomodo 'rapidi ignes:' per 'furiales sagittas,' Cupidinis sagittas intelligit. 'Dulichio more,' more Ulyssis, quia amores suos cum Calypso et Circe, de quibus supra, nimis præceps abrupit. Omnia jam plana et perspicua sunt. *Heins.*

701 *Nec nos purpureas*] Nec amantes retinebimus invitos, quo minus evolent ad quam velint puellam.

703 *Consilium est quodcunque canes*] Scribe *Concilium:* atque ita in uno codice Gallicano scriptum offendi. Hoc est nimirum quod supra dixerat, 'Et quisquam præcepta potest mea dura vocare, Ea etiam partes conci-

Digitized by Google

liantis ago.' Concilium pro conciliatione, aut conciliatu, ut Lucretius loqui amat: qui et 'concilii' voce hac qua Noster significatione est usus. Met. II. 'Hoc mihi concilium tecum dixisse manebit.' Ita ibi est scribendum ex auctoritate optimorum codicum. Diximus nonnihil de hac voce ad Claudianum, lib. I. in Eutrop. vs. 368. 'Corporalia concilia' pro coitu dixit Arnobius. *Heins.*

708 *Murice cum Tyrio*] Cum Tyria purpura, quæ omnium laudatissima habebatur, præsertim si dibapha erat.

711 *Utraque*] Et Juno et Pallas.

712 *Sed sibi collatam vincis*] *Vicit* libri meliores cum prima editione: alia tamen editio ex primis et duo scripti, *tibi collatam vincis;* etiam bene. *Heins.*

713 *Confer et artes*] *Artem* meliores. *Idem.*

714 *Tantum judicio*] Vide ne præ amore plus placeat amica quam par sit. *Ne tuus obsit amor*] Alii *obstet:* nos meliores sequimur. *Suus amor* est in Sarraviano; probe: quod jam sæpius supra inculcatum. *Heins.*

715 *Exiguum est, quod deinde canam*] Quidam τὸ *est* non agnoscunt. Forte, *Exiguum quid.* Heins.

719 *Omnia pone feros*] Omnia scripta cremato.

720 *Ardoris sit rogus iste mei*] Iste sit finis mei amoris.

721 *Thestias absentem*] Œneus in magna frumenti copia, quum cæteris Diis, sola Diana neglecta, sacrificasset, irata Dea, Calydonium aprum ingenti magnitudine ad vastandam late patriam propinquam immisit. Ad hunc tollendum Meleager, ætate viribusque integer, pluribus assumptis secum sociis, aprum jaculatus, occisæ bestiæ præmium (id erat feræ pellis) omnium consensu tulit. Cum in venatione Atalanta, Schœnei filia, adesset, ejus amore captus, pellem occisæ feræ ipsi concessit. Quod factum, qui una venati fuerant Thestii filii ægre ferentes, Atalantæ per insidias, cum Arcadiam rediret, pellem abstulere. Meleager puellæ auxilium ferens, Altheæ matris fratres necavit. Illa Meleagrum execrata filio mortem imprecata est. Fabulam narrat Ovidius in Metamorph. *Thestias*] Althea, Thestii filia.

722 *Tu timide flammis perfida verba dabis*] *Flammæ* meliores. *Heins.*

723 *Ceras*] Imagines cereas.

724 *Carperis*] Delectaris hoc modo, quia Protesilai mariti ceream imaginem Laodamia finxerat, in Epistola: 'Dum tamen arma geris diverso miles in orbe, Quæ referat vultus, est mihi cera, tuos.'

725 *Et loco sæpe nocent*] *Multa* Regius. *Heins.*

726 *Causas illa doloris habent*] Legendum *causas mille;* atque ita Leidensis unus et Cantabrigensis: supra Arte amat. 'Et quis non causas mille doloris habet?' *Idem.*

729 *Admonitu recreatur amor*] Alii *renovatur* et *revocatur.* 'Recreare' dixit, quomodo Horatius, 'Arbor æstiva recreatur aura.' Non dubita tamen præferre Regii codicis lectionem, in quo, *refricatur:* sic 'refricare obductam reipublicæ cicatricem.' Pro *vulnus novatum* alter Regius *vulnus coactum*, quod sit conductum; quomodo 'cogere rugas' et similia: potest et *coaltum* legi pro *coalitum.* Plinius IX. 51. 'A partu coalescit vulnus, quod et in cæcis serpentibus tradunt.' Arte Am. 'Dum novus in viridi coalescit cortice ramus.' Mentelianus, *creatum*, sed vide Notas Pont. IV. 11. *Idem. Recreatur admonitu*] Fovetur recordatione. *Vulnusque novatum*] Amor recrudescens.

730 *Scinditur*] Aperitur. *Culpa pusilla*] Rectius multi ex scriptis *causa.* *Heins.*

732 *Et ex minimo*] *Et e minimo* cum libris veteribus. *Idem.*

733 *Revocabit amorem*] *Renovabit*

Digitized by Google

potiores libri: malim tamen *renovarit*. Idem.

734 *Flamma redardescet*] Sic Regius: Puteaneus et Farnes. *retardescet:* reliqui plerique cum prima editione, *recandescet;* ut alibi, 'totoque recanduit ore;' et sæpe alibi, præsertim in Metamorph. Nonnulli *recalescet*, vel *recalescit*. Forte *recaldescit;* quomodo 'recalfacere' dixit Met. VIII. 'calidumque priori Cæde recalfecit consorti sanguine ferrum.' 'Redardescere,' ut in 'redamare,' 'redarguere,' 'redambulare,' et 'redauspicare' apud Plautum et multos alios. *Idem. Flamma recandescet*] Renovabitur amor.

735 *Argolicæ cuperent*] *Argolides* meliores: monui Art. Am. lib. I. 172. *Argolicæ cuperent*] Docet a simili, loca quæ nocent amanti vitanda esse. Nauplius Palamedis pater, ut ulciscetur filii necem, elevata facula, signum dedit ex Caphareo, Euboiæ promontorio, Græcis naufragio laborantibus: qui credentes eos ignes indicare portum tutissimum, inter asperrimos scopulos naufragium fecerunt.

736 *Teque, senex*] Nauplium Palamedis patrem dicit.

737 *Præterita cautus Niseide*] Strabo in nono scribit, juxta petras Scironides Minoam rupem prorumpere in pelagus, Niseæ effici autem portum. Fuit autem Nisea Megarensium emporium, quod etiam Minoa vocabatur: a qua Poëta procellosum mare, et oram illam Niseida appellavit. *Niseide*] Perperam major scriptorum pars *Ripheide:* dixi ad Epist. I. Sabini, vs. 33. *Heins.*

739 *Hæc Acroceraunia vita*] Effuge hæc loca, tanquam nautæ fugiunt Ceraunia. Horat. 'Qui vidit mare turbidum, Et infames scopulos, Acroceraunia.'

740 *Hic movit*] Malo *vomat:* putetur vomere. *Heins. Hic vomit epotas*] Charybdis fœmina fuit voracissima, ut docet Servius: quæ quia Herculis boves rapuit, a Jove dicitur fulminata, et in mare præcipitata: unde naturam pristinam servat, nam sorbet universa.

741 *Quæ non possunt*] *Possint* lege. *Heins.*

742 *Juvare solent*] *Levare* Regius et duo alii cum prima editione. *Idem.*

743 *Perdat opes Phædra*] Si Phædra sit sine divitiis. *Parces, Neptune, nepoti*] Non capietur privigni Hippolyti amore, nec ille interficietur a Neptuno, immisso tauro. Fabulam elegantissime narrat Ovid. in ultimo Metamorph.

747 *Cur nemo est Hecalen, nulla est quæ ceperit Irun*] *Iron* Regius et decem alii cum nonnullis editionibus: malo, *Cur Hecalen nullus, nulla est quæ ceperit Iron. Hecale*] Anus paupercula, quæ Theseum excepisse hospitio dicitur. Qua de re Apuleius.

751 *Non indulgere theatris*] Non frequentare theatra, in quibus lasciva agitari solent. Propertius: 'O nimis exitio nata theatra meo.'

753 *Enervant animos citharæ cantusque lyræque*] *Citharæque jocique* Excerpta Politiani et multi alii: unus *citharæ jocique;* quomodo et a Vincentio Belluacensi memini citatum. Regius, *citharæ lutosque lyræque;* optime pro *lotos:* quomodo Scaligeri quoque Excerpta: atque ita jam ad Solinum Salmasius ex suis codicibus. Repone eandem vocem Met. IV. ex vestigiis veterum codicum, 'Sertaque dependent tectis: lotique, lyræque Tibiaque et cantus animi felicia læti Argumenta sonant:' vulgo *et ubique.* Heins.

754 *Et vox*] Verba lasciva cantantium in theatris. *Numeris brachia mota suis*] Concinnis gesticulationibus manuum, brachiisque in numerum jactatis, ex disciplina saltatoria. Cicer. III. de Finib. 'Motus certus datus saltatori.' Qui motus, pro gentium ingenio, diversus erat. Horat. Od. III.

Digitized by Google

6. 'Motus doceri gaudet Ionicos Matura virgo.' 'Illa placet gestu, numerosaque brachia ducit.' Amor. II. 4. 29. Etiam ad pedum jactationem. Lucret. II. 'Ludunt, in numerumque exultant sanguine læti.'

755 *Illic assidue ficti saltantur amantes*] Alii codices, *cantantur amantes* vel *amores* et similia. Sed nil mutandum. Vide Notas Art. vs. 501. *Heins.*

756 *Quid caveas actor, quid juvet arte docet*] Locus mendosus. Scripti plerique *auctor*, et *juvat*. Regius *qua juvet*. Lego *Quos caveas actor, qua juvet arte, docet:* 'caveas' dixit pro spectatoribus in cavea sedentibus. *Idem.* *Quid caveas*] Quid vites tanquam damnosum: nam comœdia est vitæ speculum.

757 *Poëtas*] Elegos et molles dicit.

758 *Dotes meas*] Meos libros.

759 *Callimachum fugito*] Callimachus in elegia princeps habetur, Fabii judicio. Fuit Cyrenæus a Batto oriundus. *Non est inimicus amori*] Quia res amatorias et lascivas scripsit versu elegiaco: nam Lyden amavit, de qua elegias scripsit.

760 *Tu quoque, Coë, noces*] Philetas etiam ex Coo insula in mari Carpathio elegiam scripsit, et in eo scribendi genere secundas tulit, ut Fabius docet.

761 *Me certe Sappho*] Sapphus opera erant lasciva: unde et in Arte Amandi ita scripsit: 'Nota sit et Sappho, quid enim lascivius illa?'

762 *Teia Musa*] Anacreon Poëta, patria Teius.

764 *Cujus opus Cynthia sola fuit*] Propertium quoque non tuto legi posse docet.

766 *Carmina tale sonant*] *Dulce* Jureti codex cum reliquis majori ex parte: ut Trist. v. 1. 'Invenies toto carmine dulce nihil.' *Heins.*

768 *Nostri maxima causa mali*] *Vestri* Vaticanus; sed nil opus: vide supra, vs. 683. *Idem.*

772 *Alterius viri*] Pyrrhi, Achillis filii.

674 *Nupta lætus abesse tua*] *Lentus* lege cum prima editione et scriptis plerisque. Sic sæpe: Ep. I. 'Quas habitas terras, aut ubi lentus abes.' Ep. II. 'At tu lentus abes, nec te jurata reducunt Numina.' Vide Notas Epistol. XV. 169. *Heins.*

775 *Tum demum uxore carere*] *Nunc demum* prima editio cum Regio et duobus aliis. *Idem.*

778 *Viro Plisthenio*] Agamemnoni Plisthenis filio. *Mer.* Tres fuerunt Pelopis filii, Atreus, Thyestes, et Plisthenes: quorum ultimus hic, cum juvenis diem obiisset, relictis Agamemnone et Menelao filiis, horum curam Atreus in se suscepit, eosque educavit. *Atridas* vocet, nulla Plisthenis facta mentione. *Micyll.* *Plisthenio gaudia ferre viro*] Regius et unus Vaticanus *toro;* bene: consule quæ notamus Ep. XIX. 100. *Heins.* *Plisthenio*] Per contemtum Agamemnona et Menelaon vocatos fuisse Plisthenios a militibus, et ignobiles Atridas, propter iniquum armorum judicium, affirmat D. Cretens. l. v.

779 *Fecit Atrides*] Agamemnon rem habuit cum Briseide.

783 *Nam sibi quod nunquam, &c.*] Agamemnon in Iliad. IX. cum maximis muneribus pollicetur, se etiam Briseida, quam Achilli eripuerat, remissurum, eamque integerrimam; magnumque jusjurandum interponit. *Nunquam tactam Briseida*] Iliad. T. 261. Μὴ μὲν ἐγὼ κούρῃ Βρισηΐδι χεῖρ' ἐπενείκα, Οὔτ' εὐνῆς πρόφασιν κεχρημένος, οὔτε τεῦ ἄλλου· Ἀλλ' ἔμεν' ἀπροτίμαστος ἐνὶ κλισίῃσιν ἐμῇσιν. Agamemnona vero jurasse per sceptrum, non reperio.

784 *Sceptrum non putat esse Deos*] Quia, credit, aliud esse jurare per sceptrum, aliud per Deos.

789 *Illo Lotophagos*] Lotophagi fuere populi Africæ, incolentes Me-

Digitized by Google

nyngen insulam, ut scribit Strabo: sic appellati, quoniam comedunt loton, quæ est arbor ferens fructum suavissimum, et tam dulcem cibum, ut (auctore Plinio libro XIV.) nomen etiam genti terræque dederit, nimis hospitali advenarum, oblivione patriæ. Nam Ulysses in Africam delatus, socios excitatum misit: qui gustata loto, nunquam renunciare, aut redire curabant: cibi enim suavitate suorum obliti erant, quos Ulysses inultos ad navem reduxit. *In illo antro*] In amicæ aditu.

790 *Remis adjice vela tuis*] Hic denuo *tuis* legendum. *Heins.* *Adjice vela*] Ocyssime transi.

793 *Aut certe*] *At certe* libri meliores cum prima editione: sic Met. XI. 'At certe vellem, quoniam fugitivus abibas, Me quoque duxisses.' *Heins.*

795 *Ecce cibos etiam*] Cibos quoque libidinem incitantes, vitandos esse dicit.

797 *Daunius bulbus*] Bulbus ex Apulia, quem post Africanos laudat Plinius l. XIX.

798 *An veniat Megaris*] Megara urbs fuit Atticæ, de qua Pausanias lib. I.

801 *Utilius sumas acuentes lumina rutas*] Ruta sculptores et pictores usos fuisse scribit, oculorum causa, Plinius XX. Eadem generationes impedit.

804 *Monitus experiere meos*] *Monitis meis* scripti plerique cum prima editione. Lege, *Spe brevius monitis expediere meis.* Vide notas supra vs. 440. ubi jam id monui: sic in Fast. l. III. 'Expedit hærentem nemori gratissima conjux.' Certe Vaticanus unus, *excipiare:* Hafniensis non male, *erudiere;* in Fast. 'Erudit infirmas ut sua mater aves.' *Heins.*

805 *Vina parant animos*] *Animum* libri plerique veteres cum prima editione. *Idem.*

806 *Ut stupeant*] Iidem *Et stupeant.* Idem.

807 *Nutritur vento*] *Ignem ventus alit*, Jureti excerpta, codex Puteanens, et sex alii. Mox *flammam* prima editio cum tribus scriptis, non *flammas.* Idem.

810 *Si qua est inter utrumque nocet*] *Inter utrumque* bene scripti quatuor. *Idem.*

811 *Hoc opus exegi*] *Ecce opus* malim. *Idem.*

813 *Postmodo reddatis*] Scripti fere omnes cum vetustis editionibus *reddetis.* Forte, *Eos modo reddatis.* Idem.

Digitized by Google

MEDICAMINA FACIEI.

Integrum hunc libellum fuisse ex ipso Ovidio colligimus, qui in Arte Amatoria, 'Est mihi, quo dixi vestræ Medicamina formæ, Parvus, sed cura grande libellus, opus.' De inscriptione non satis constat: quæ vulgo circumfertur, ex hoc Ovidii versu videtur conflata. Scripti, quos vidi, nullam agnoscunt, præter unum Vaticanum, qui *De Ornatu faciei* inscribit: prima tamen editio *Medicatum faciem* vocat. Quid si *Artem Medicandæ faciei* inscribamus? *Heins.*

1 *Discite quæ faciem commendet cura puellæ*] Traditurus Naso puellis præcepta de medicamentis et cultu faciei, primum docet, in omnibus utilem esse cultum, cultaque omnia maxime placere. Deinde puellarum ambitionem circa cultum et curam placendi ostendit: easque docet, inanem esse curam circa philtra et magicas arteis; potiorem esse morum probitatem: cum forma sit bonum fragile. Tum, quo modo, et ex quibus rebus fiat illud faciei medicamen, demonstrat. *Commendet*] Decoret, pulchriorem reddat.

2 *Forma tuenda*] *Cura tuenda* veteres omnes nostri. Marius Niger ex suis alterum profert et Ciofanus ex uno Maffeiano. Forte, *Et quo sint vobis ora tuenda modo.* Heins.

3 *Cultus humum quondam*] *Humum sterilem* prima editio cum scriptis plerisque; recte: quod et in duobus suis Ciofanus invenerat. *Idem. Cultus humum*] Sic in Artibus: 'Ordiar a cultu, cultis bene Liber ab avis Provenit,' &c. *Jussit*] Qui agrum colit, 'jubere' dicitur: ager autem, qui colitur, colenti parere: Sic Virg. in Georg. 'Exercetque frequens tellurem, atque imperat arvis.'

4 *Interiere*] Priorem illum efferum et silvestrem victum inventa agricultura sublatum esse dicit. *Rubi*] Rubus est genus fruticis spinosum, et mora ferens: dictum, quod ejus virgulta rubeant. Plin. l. XXIV.

5 *Succos emendat*] Scilicet, per insitionem, ut inferius apertius docet. *Acerbos*] Amaros.

6 *Fissaque*] Ostendit, quo pacto fiat insitio; de qua Plinius l. XVII. Natur. hist. *Adoptivas*] Suaviter, quod proprium est hominis, ad arbores transfert. *Adoptivas opes*] Adoptio enim imitatur naturam.

8 *Nigra*] Proprium est terræ epitheton a colore.

9 *Vellera*] Lanæ, vestes. *Sæpe eadem*] Iterantur enim, ut magis colorentur. Fortasse dibapham purpuram dicit, quam preciosissimam fuisse constat: de qua Flaccus: 'Te bis Afro murice tinctæ Vestiunt lanæ.' *Tyrio*] Tyria enim purpura apud antiquos laudatissima existimabatur. Plin. l. v. *Medicantur*] Inficiuntur. *Aheno*] Labro, vase ex ære conflato.

10 *Sectile*] Secatur enim ebur ad varia ornamenta, et maxime ad laquearia tectorum. Horat. 'Non ebur, neque aureum Mea renidet in domo lacunar.' Maro in Georg. 'India mittit ebur.'

11 *Forsitan*] Priscæ, inquit, illæ Romanæ mulieres corporis cultum negligebant, malebantque agros quam se coli: at vobis longe aliud est ingenium, et animi mollities.

12 *Quam se*] 'Simplicitas rudis

Digitized by Google

ante fuit, nunc aurea Roma est.'

13 *Cum*] Quando. *Matrona*] Materfamilias. *Altum sedile*] Intelligit sedilia quæ in hortis constituebantur. *Rubicunda*] Non arte, sed sanguine et colore nativo. Per quod robustiorem rusticanamque mulierem ostendit. *Matrona rubicunda*] Quæ nulla mala re muliebri expolita. Cui 'verus color, corpus solidum, et succi plenum:' ubi ὁ χυμὸς ὁμαλῶς πανταχοῦ συνίσταται. Damoxen. lib. II. Contra redditur juncea curatura: καλάμινα σκέλη φέρουσα· Plato Comic. IX.

14 *Assiduo durum pollice nebat opus*] Lanificio enim Romanæ priscæ exercebantur.

15 *Ipsa*] Non ancilla aliqua. *Claudebat*] Septis et ovilibus includebat. *Filia pavera*] Hanc priscorum Romanorum severitatem ostendit et Flaccus Od. III. 6. inquiens: 'Sed rusticorum mascula militum Proles, Sabellis docta ligonibus Versare glebas, et severæ Matris ad arbitrium recisos Portare fustes,' &c.

17 *Teneras puellas*] Reprehendit hanc morum corruptelam Horat. Od. III. 6. 'Fingitur artibus Jam nunc, et incestos amores De tenero meditatur ungui.'

19 *Odoratos*] Unguentis delibutos. *Positu*] Ornatu.

21 *Oriente petitos*] *Paratos* Neapolitanus et Mentelianus; hoc est, emtos: libro tamen VII. Metamorph. 'Addidit extremo lapides Oriente petitos.' *Heins.*

22 *Et quantos onus est*] *Quanto bonus* duo libri: totidem, *et quantus honor est.* 'Lege, *Et quantos oneri est.* Met. X. 'Ipsa sibi est oneri cervix.' Seneca Hercule Œtæo, 'Nec gemmiferas detrahit aures Lapis Eoa lectus in unda.' *Idem. Et quantos*] Subaudi tantos, id est, tam magnos, ut oneri sit tulisse duos aure. *Aure*] Plin. Natur. hist. II. Idem l. IX. de margaritis. Cleopatra quoque auribus gerebat unionem illum, singulare et vere unicum naturæ opus: quem, spectante Antonio, liquefactum aceto absorbuit. *Mer.*

23 *Nec tamen indignum, si vobis cura placendi*] *Sit vobis* scripti plerique: sed alterum ex suis Marius Niger recte præfert. *Non tamen* iidem nostri. *Heins.*

24 *Comptos*] Cultos, ornatos. Nam 'Fine coli modico forma virilis amat.' *Secula nostra*] Sic in Arte: 'Corpora si veteres non sic coluere puellæ, Nec veteres cultus sic habuere viri.'

25 *Fœminea vestri potiuntur lege mariti*] Ita scripti. Sed legendum *poliuntur*: sic 'mores frugalitatis lege polire' dixit Petronius: 'Artis severæ si quis hamat effectus, Mentemque magnis applicat, prius mores Frugalitatis lege poliat exacta.' Quomodo mendosissimos versus esse restituendos censeo. *Heins. Fœminea lege*] Quia muliebriter se ornant.

26 *Et vix*] Omnes, inquit, muliebres cultus sibi vindicarunt viri: quo fit, ut nihil ab illis relictum sit, quod uxor sibi addere possit.

27 *Per se quæque paret, et quos venetur amores Refert munditia crimina nulla merens*] Hæc fœdissime sunt inquinata. *Pro se quæque parat*, sex libri; *quos et veneretur*, nonnulli alii, cum prima editione: *venerentur* duo. Pro *Refert* unus *Præfert*. Non video quid commodius extricari possit, quam si legas, *Proin se quæque paret; nec quo venetur amores Refert: mundicie crimina nulla merent*, vel *mundicies meret;* ut in Amorib. 'Facta merent odium.' *Proin* una syllaba, ut apud Maronem, 'Proinde tona eloquio:' sic et *dein* monosyllabum. 'Parare' pro ornare; unde 'paratus' pro cultus. Propertius libro II. El. 24. 'Et se plus uni si qua parare potest.' De 'venatu amoris' alibi dictum. Viderint acutiores; ego enim hic mihi vix satisfacio. Posset et legi, *Se sibi quæque parent, nec quo venentur amores Refert: munditie cri-*

Digitized by Google

mina nulla ferunt. Heins. Per se quoque parent, &c.] Non, inquit, refert, ut se exornet et excolat mulier: quæ enim munditiis studet, laudanda potius quam improbanda videtur. Illud potius refert, quos amores ipsa sibi paret et venetur. Nam cultus non cogit puellas peccare: nec, licet ornatissimæ sint, omnibusque placeant, idque sibi gratissimum contingat, idcirco impudicæ fiunt. Legimus enim, Claudiam illam Romanam pudicissimam, cultus studiosissimam fuisse, aliasque complures. Bonæ enim puellæ non ipsæ per se amores quærunt, sed relinquunt hoc negocium parentibus, qui maritum legitimum, quem semper ament, inveniant. *Venetur amores*] Inhonestæ puellæ non manent auspices, ultro eunt nuptum: *Ἴδιοισιν ὑμεναίοισι. παρθένοι ἀλφεσίβοιαι. Λυδῶ δήμου αἱ θυγατέρες πορεύονται πᾶσαι, συλλέγουσαι σφίσι φερνάς· ἐς ὃ ἂν συνοικήσουσι τοῦτο ποιέουσαι. Ἐκδιδόασι δὲ αὐταὶ ἑωυτάς.* Herod. l. 1.

30 *Athos*] Athos mons est inter Thraciam et Macedoniam, tam arduus, ut usque ad Lemnum insulam per 86. millia passuum ejus umbra protendatur: unde Virgil. Æneid. XII. inquit: 'Quantus Eryx, aut quantus Athos.'

31 *Quacunque voluptas*] *Quotacunque* malim cum Mycillo: vide Epist. XIII. 60. ubi dictum. *Cuicunque* malit Niger. *Heins.* *Quotacunque*] Est etiam quotacunque, hoc est, aliqua voluptas, placuisse sibi, &c. *Mycill.*

32 *Grataque forma sua est*] Delectant etiam castas præconia formæ.

33 *Laudatas*] Pavo (ut Plin. l. x. scribit) laudatus expandit colores, adverso maxime sole, quia sic fulgentius radiat.

34 *Et forma muta superbit avis*] Scio *muta* animalia dici: sed libri plerique *multa*; puto pro *culta*: unus Palatinus *læta*; unus Patavinus *cauda*. Forte, *cauda superbit avis*. Ciofanus ex uno suo *canta* profert: an *lauta avis?* nam et 'lauti,' splendide vestiti. Mycillus, qui *stulta* legit, aliud agebat. *Heins.*

35 *Sic potius nos tanget amor*] Scripti cum prima editione, *urget*: unus Ambrosianus, *vos uret*. Lege, *Hinc potius nos urat Amor*: vide notas Amor. I. Eleg. 2. 11. *Idem.* *Sic potius, &c.*] Si se mulier adornaverit munditiisque excoluerit. *Nos tanget amor*] Facilius nos viros in amorem vestrum trahetis cultu corporis, quam magicis artibus.

38 *Tentate*] Experiamini. *Nocens*] In furorem enim vertit. *Virus amantis equæ*] Hippomanes dicit: de quo diximus in Amoribus I. 8. *Virus amantis equæ*] Adi Amor. I. 8. 8. Virgil. Georgic. III. 'Hinc demum, Hippomanes vero quod nomine dicunt Pastores, lentum destillat ab inguine virus.' Et Juvenal. Satyr. VI. vocat 'Frontem pulli tremuli.'

39 *Nec*] Vanam dicit esse magicam artem, asserens neque angues incantatione rumpi, neque flumina in suos fontes redire, neque lunam cœlo deduci posse. *Marsis cantibus*] Marsi populi fuerant Italiæ, qui a Circes filio originem trahebant, et ideo serpentium domitores extiterunt. Plin. lib. Natur. hist. XXI. *Finduntur cantibus angues*] Tres libri *fundantur*; duo *findantur*; et sic citat Charisius: neque aliter sensus requirit. Quare sequenti versu, pro *Nec redit*, scribendum, *Nec ruat in fontes unda supina suos*; vel *repetat fontes*. Deinde et *excutiatur*: ita hisce omnibus sensus suus constabit. *Heins.*

40 *Supina*] Quæ supina videretur, si in contrarium verteret cursum. *Dom.*

41 *Temesæa æra*] Temese in Italia Brutiorum oppidum fuit, a Latinis Templa dictum, ut Plinius l. III. docet. Ibi erant aurifodinæ: quas tamen suo tempore defecisse Strabo scribit. *Removerit*] Ut enim in su-

Digitized by Google

perioribus diximus, credebant stulti mortales, e cœlo Lunam extrahi posse incantatorum carminibus, nisi æris tinnitu obstrepentes laboranti succurrerent. Inquit igitur Poëta nunc: licet nullus tympanis æris strepitus fiat, omniaque æra removeantur, non tamen lunam e cœlo deduci.

44 *Ingenio facile conciliante placet*] *Facies placet* bene prima editio cum duobus scriptis; tres alii *facies placent:* unde Mycillus, *puellæ Ingenio faciem conciliante placent:* quod tantundem est. *Idem.*

45 *Certus*] Hinc in Catilina Sallustius: 'Divitiarum et formæ gloria fluxa atque fragilis est; virtus clara æternaque habetur.'

46 *Aratus*] Quibusdam veluti sulcis turpatus. Sic in Artibus: 'Jam venient rugæ, quæ tibi corpus arent.'

50 *Perque suos annos hinc bene pendet amor*] Hæc nihili sunt; nec juvant libri veteres. Scribe nihilominus, *longum probitas perdurat in ærum, Fertque suos annos: hinc bene pendet amor.* Quintilianus II. 4. 'Quare mihi ne maturitas quidem ipsa festinet, nec musta in lacu statim austera sint: sic et annos ferent.' Ita et 'ætatem ferre.' Simile mendum insedit codices Valerii Flacci I. vs. 767. ubi pro *Talia fert lacrymans*, perperam *per lacrymas* nunc legitur. *Heins.*

51 *Dic age*] Lege *Disce age* cum Menteliano; nam 'jube' paulo post sequitur: prima editio et septem scripti, *Discite*, ut initio operis; quod et Marius Niger agnoscit. Mycillus malit *Ergo age.* Lege etiam *dimiserit* cum iisdem scriptis et prima editione: postquam somnus te destituit. *Idem.*

54 *Exue*] Nuda, extrahe. *De palea*] Palea proprie est folliculus ipse granulorum, dicta a pala, ut Varroni placet: pala enim ventilatur, ut frumentum purgetur. *Tegminibus*] Corticibus. Exponit quod dixerat. Decorticatum hordeum Græci ψιλόν vocant.

55 *Ervi*] Ervum, quod et Græci ἔρυβον dicunt, genus est leguminis. Ervi farina (ut Varro ait) maculas corporis emendat.

56 *Sed cumulent libras*] Forte *Et cumulent libras.* Heins. *Nuda*] Tegminibus et paleis exuta.

59 *Et quæ prima cadent*] Cervi soli animalium (ut lib. VIII. scribit Plin.) omnibus annis, statuto veris tempore, cornua amittunt. Ergo dixit Poëta, 'prima:' quia quotannis cornua cervis decidunt, et ipse de cervo loquitur cui tunc primum cornua deciderint. *Prima cadent*] *Cadunt* scripti quinque et prima editio. *Heins.*

60 *Contere in hæc solida sexta face assis eat*] Hæc mendosa sunt: *in hoc solida* tres libri; *in hac solida* duo; unus, *et hoc solido.* Moreti codex, *in hoc solida texta fac agis eat: texta* etiam in aliis. Legendum, *et huc solidi sexta face assis eat: in hæc* lectio est Nigri. Infra, 'Huc novies tanto plus tibi mellis eat;' *sexta*, subintellige pars: sic 'sextula,' sexta pars unciæ apud Rhemnium de ponderibus: 'solidus as' vel 'assis,' idem qui et 'solida libra' antiquis. *Idem.*

61 *Namque ubi*] *Jamque* prima editio et scripti: quomodo Marius quoque Niger et Naugerius ex suis annotarunt. *Idem.* *Pulvereæ*] Quæ est instar pulveris. *Fuerint confusa*] Id est, mista: scilicet cornua illa cervi. *Farinæ*] Quæ confecta fuerit ex hordeo, et ervo, atque ovis.

62 *Protinus in mundis omnia cerne cavis*] Ita legit Domitius Marius Niger ex suis libris, vel *innumeris;* quod et alii secuti sunt: *in numeris cavis* scripti nostri cum prima editione præter duos, qui *in numeris suis: in numeris conde cavis*, Neapolitanus. Lego, *In cribris omnia cerne cavis:* ita medici passim loquuntur. Noster infra, 'per densa foramina cerne.' Hinc 'succernere cribris' apud Plinium, et 'cribris incernere' apud

Digitized by Google

Columellam. *Heins.* *Cerne*] Secerne farinam a furfure. *Dom.* Mycill. censet legendum, *Protinus innumeris.* Intelligit enim cribrum, cujus cava, hoc est, foramina, infinita sunt. *Mycill.*

63 *Bulbos*] 'Bulbus' est, quem Græci βολβὸν dicunt, cepæ instar Ascaloniæ. Plura sunt bulborum genera, ut docet Plinius XIX. et XX. Bulbi omnes calidi et viscidi sunt: comesti excitant Venerem, linguam et fauces exasperant, succum corpori addunt, stomachum inflant.

65 *Sextantemque trahat*] *Terat* scripti plerique. Neapolitanus *sextantesque trahat;* alii duo *sextantem trahere:* sic et mox vs. 80. lego *trahant;* bulbi nempe: vide quæ noto mox vs. 92.

67 *Quæcunque adficiet*] Malim *inficiet.* Heins.

69 *Nec tu pallentes*] Aut ad colorem ipsorum refer, aut ab effectu dictos pallentes accipe: quod, qui gustaverint, palleant. Est leguminis genus, ab omnibus animalibus amaritudine sua tutum. De hoc Plinius plura libro XVIII. 14.

70 *Et simul instantis corpora fruge serat*] *Frugiferæ* scripti potiores; quomodo et ex suis Ciofanus notat: unus ex nostris *frigefere.* Ciofani unus, *fige fece.* Ipse Nigri emendationem probat, legentis *inflantis corpora frange fabæ;* quod et Mycillus amplectitur, et Muretus. Ego diu est quod insistens propius vestigiis depravatæ lectionis emendabam, *Et simul inflantes corpora frige fabas:* nam *instantes* habebat codex unus Patavinus: 'inflantes corpora' recte 'fabas' dixit, quod nihil sit flatulentius iis. Est autem 'frigere,' idem quod torrere. Plin. XVIII. 7. 'Græci perfusum aqua hordeum siccant nocte una, ac postero die frigunt, deinde molis frangunt.' Hinc 'frictum cicer' apud Plautum, 'frictum triticum,' 'frictum sal,' 'fricta ova' apud alios passim. Produci autem primam syllabam inde liquet, quod Nonius Marcellus observet, 'Frigit, quando significat erigit, corripere primam syllabam:' quod non addidisset, si in 'frigit' pro torret eundem usum obtinere opinatus esset. Diomedes l. I. 'Sunt quædam perfecta a diversis instantibus derivata; ut *frigeo, friges, frixi:* et *frigo, frigis, frixi.* Idem notat Phocas Grammaticus. Apud Festum, *Frigere* et *frictum* a Græco venit φρυκεῶν. Lege, φρυγεῶν. Nam vetustus codex Vossianus *frigin.* Glossæ Stephani: '*Frigit,* φρύγει, τηγανίζει,' bene. Fuit cum *pinse fabas* legendum putarem; ut auctor Panegyrici apud Pisonem, 'Humida callosa cum pinseret hordea dextra.' Superiori versu pro *nudare lupinos,* quod Marii Nigri commentum est, (nam in scriptis *nudare* nusquam comparet,) quicquid ille de suis id adfirmet, probetque Ciofanus, prima editio et tres scripti *præbere.* Moreti codex *pallere* et sex alii. Ambrosianus *torrere:* 'Torrida farra' Fast. II. initio de februis: non male unus Patavinus S. Antonii *terere.* Palatinus *ferrere.* Scribo, *frendere lupinos.* Seren. Sammon. 'Copia farris uti frendentibus edita saxis.' Festus: '*Frendere* est frangere: unde et faba *fressa:* inde et dentibus dicimus *frendere.* Pacuvius apud Nonium Antiopa: 'Fruge frendo solas ac sic probere. Accius Troadibus, Saxo fruges frendas.' Nihil his inquinatius. Lege, *Fruges frende molà ac saxis probe.* Papias: '*Fressa, fracta, dirisa, molita,* a *frendeo* dicta.' Hinc 'fressa faba' apud Martialem, Columellam, alios: et 'cicera fressa' apud eundem Columellam. Varro de Re Rust. 'Amisso nomine lactentis dicuntur nefrendes ab eo, quod nondum fabam frendere possint.' 'Pallentes lupinos' dixit, ut 'pallentem fabam' Martialis. *Heins.*

71 *Æquo discrimine*] Æqua differentia, ut singula habeant ternas fibras.

Digitized by Google

72 *Utraque da nigris comminuenda molis*] *Libris molis* Patavinus: alius *det nigris*. Puto, *scabris molis*, ut supra, 'Lenta jube scabra frangat asella mola:' ubi Moreti codex *scribra*: posset et legi, *Utraque puniceis sunt minuenda molis*; vel *da minuenda*: sed hoc a vulgata lectione longius abit. Pro *Utraque* vetustæ editiones et duo scripti *Lectaque*: unus *Letaque*. Forte *Frictaque*.

73 *Cerusa*] Cerussam, Græci ψιμμύθιον appellant (ut l. XXXIV. Plin. scribit) plumbariæ dant officinæ, laudatissima in Rhodo. Fit autem ramentis plumbi tenuissimis super vas aceti asperrimi impositis, atque ita destillantibus: quod ex eo cecidit in acetum, arefactum mollitur et cribratur: iterumque aceto mistum in pastillos dividitur, et in sole siccatur æstate. De hoc lege Dioscoridem l. v. et VI. *Nitri*] Nitrum species est salis: de quo Plin. l. XXXI. Proxima ætas medicorum Aphronitrum, id est, spumam nitri tradidit in Asia colligi, in speluncis mollibus destillans. De nitro ac spuma nitri Dioscorides l. v. *Spuma*] Aphronitrum dicit.

74 *Et Illyrica quæ venit iris humo*] Iris herba est (ut l. XXI. scribit Plin.) gratissimi odoris, cujus radix maxime commendatur ad unguenta. Caulem habet cubitalem et rectum: floret diversi coloris specie, sicut arcus cœlestis: unde etiam nomen traxit. Laudatissima provenit in Illyrico.

76 *Sed justum tritis*] *Et* unus. Lege *Quis justum tritis*. Heins. *Justum*] Conveniens: nec plus nec minus una uncia.

77 *Addita da querulo*] *Addita de* quatuor libri: *Additaque* duo: *Addita quod* unus: alius *Addita que*. Lego, *Adjice et è querulo*. Marius Niger *Addito*, quod Mycillus probat. Ciofanus *Addita de*. 'Querulos' etiam nidos dixit Seneca Hercule Furente, 'Pennasque novo credere soli Gestit querulos inter nidos Thracia pellex.' De Halcyoneis medicamentis Plinius l. XXXII. 8. *Heins. Volucrum*] Halcyones dicit, quæ (ut l. X. scribit Plin.) aves sunt paulo ampliores passeribus, colore cyano ex parte majore tantum purpureis et candidis admistis pennis, collo gracili ac procero. Halcyonem videre rarissimum est, nec nisi Vergiliarum occasu, et circa solstitia brumamve. *Nido*] Hi Halcyonum nidi (ut ait Plin.) admirationem habent, pilæ figura paulum eminenti, ore perquam angusto, grandium spongiarum similitudine.

78 *Ore fugant maculas*] Plinius de Halcyoneis medicamentis lib. XXXII. loquens, sic ait: 'Lepras, lichenas, lentiginès tollunt cum lupino et salphuris duobus obolis.' *Ore*] Ab ore et facie. *Fugant*] Removent, tollunt. *Maculas*] Lepras, lichenas, lentigines, et id genus alia vitia, quæ faciem infestant.

80 *Quod trahit in partes uncia sexta duas*] *Quos trahit* duo libri: unus, *Quo*. Per 'unciam sextam' Marius Niger selibram intelligit. Scribe *uncia secta*. Heins. *Trahit in partes uncia sexta duas*] Selibram dicit.

81 *Coëant*] Cohæreant. *Dom. Apteque lini*] Illini et inungi. *Mic.*

85 *Thus ubi miscueris radenti corpora nitro*] Male multi ex scriptis *radianti*: illud vero recte, quod quinque exhibent, *radenti tubera nitro*. Met. VIII. 'immodico prodibant tubere tali.' 'Tubera' hic posuit pro furunculis, papulis, pustulisque. De hac nitri vi vide Plinium XXXI. 10. viderat ex suis libris veram lectionem Marius Niger; sed in contraria itum est inscite a Ciofano. 'Radere,' pro eradere; ut monui Amor. l. III. El. ult. 'radere tubera' etiam Juvenalis dixit, sed de terræ tuberibus, Satyra v. 'Anseris ante ipsum magni jecur, anseribus par Altilis, et flavi dignus ferro Meleagri Fumat aper: post hunc raduntur tubera, si ver Tunc erit, et faciens optata tonitrua cœnas

Digitized by Google

Majores:' ita veterrimi codices locum illum exhibent. Perperam vulgo *Spumat aper* et *trahuntur tubera.* Idem Juvenalis Satyr. XIV. 'Nec melius de se cuiquam sperare propinquo Concedet juvenis, qui radere tubera terræ, Boletum condire, et eodem jure natantes Mergere ficedulas didicit, nebulone parente,' &c. Cæterum in superiori Juvenalis loco pro et *flavi Meleagri* epitheto otioso libens reposuerim, *validi dignus ferro Meleagri Fumat Aper: et vali dignus* scriptum fuerat antiquitus, cum τὸ *di* geminare librarius neglexisset: hinc *flavi* postea factum. Si quis malit *navi* seu *gnavi Meleagri*, nam utrumque dicebatur, nil repugnem. Sic apud Valerium Flaccum l. II. 'mihi dextera ferro Navet opus.' *Heins. Radenti*] Complananti ac polienti.

86 *Ponderibus justis fac sit utrumque trahens*] Jam Ciofanus monuit *triens* ex libris esse scribendum; quomodo et duo ex nostris cum prima editione. Sed lege insuper *utrimque.* Heins.

87 *Direptum cortice gummi*] Lege *dereptum:* et vide quæ noto Amor. l. I. Eleg. v. 13. *Idem.*

88 *Et modicum e myrrhis pinguibus adde cibum*] *Cubum* Ciofanus ex suis libris; quomodo et duo ex nostris. Sed Palatinus *medium cubum.* 'Cubus' pro Amphora ponitur apud Rhemnium, qui priorem producit. Amphora facit duas urnas. Hui! tantum myrrhæ! minus certe liberalis codex Palatinus, qui dimidiam cubo aufert partem. At Ciofanus pro tessera quadrata interpretatur. Ne illud quidem placet: ut dicat Ovidius myrrham addendam esse ad mensuram modicæ tesseræ. Sed quare myrrhæ hic meminit, cum paulo post myrrhæ fiat mentio? codex Neapolitanus ante quingentos annos scriptus *modicum amiriris pigribus:* Patavinus *e mutis:* prima editio *modicum meritis pigibus.* Bartholini liber τὸ *e* non agnoscit, ut nec quatuor alii. Vaticanus *mirtis:* pro *cibum* etiam *thymum* Patavinus. Scribo, *Et modicum mistis pic ibus adde thymum:* nisi malis *pistis picribus*, hoc est, in pilo tunsis: *thymus* certe huic rei non inepta videtur. De Picribus Plinius XXII. 22. 'Picris ab insigni amaritudine cognominatur, ut diximus: rotundo folio. Tollit eximie verrucas.' Potest et legi, *modicum misti thymi.* Idem.

89 *Hæc ubi contrieris, per densa foramina cerne*] *Contriveris* prima editio et plerique scripti: *contereris* Moreti codex. *Contrieris* pro *contriveris.* Nam Charisius notat ex Apuleio, *Tero, teril* et *trivi:* dicebant et *conterui;* de quo nonnihil jam dictum ad Epist. XIX. 17. Ut hæc cohæreant cum sequentibus, castigandum forte, *His, ubi contrieris, per densa foramina cretis, Pulvis ab infuso melle premendus erit.* Idem.

91 *Profuit et marathos*] *Marathros* legit Micyllus: ut fœniculus intelligatur. Marathus certe nihili vox est. *Idem.*

92 *Quinque parent*] *Parant* scripti plerique cum prima editione. Unde Muretus, teste Ciofano, *Quinque trahant:* ut supra, 'Sextantemque trahat gummi cum semine Thusco:' et, 'Quod trahit in partes uncia secta duas.' Pro *novem* quidam libri *decem.* Idem. *Quinque scrupula*] Hoc est, duas drachmas minus uno scrupulo. Nam tria scrupula conficiunt unam drachmam. *Dom. Et Marathos*] Arbitror legendum *Marathros*, ut fœniculum significet. Neque repugnat genus, cum pleraque ejusmodi nomina in *us* et in *um* declinata reperiantur: ut hyssopus et hyssopum, crocus et crocum, et id genus alia. *Micyll.*

94 *Ammoniaco*] Plinius l. XII. tradit in Africa Æthiopiæ subjecta arborem esse, non procul ab Ammonis oraculo, quam *Metopion* vocant: inde emanare Ammoniaci lachrymam resinæ modo. *Sale*] Hodie quoque, pau-

Digitized by Google

lulum immutatis literis, vulgo *Sale Armoniaco* vocitant, quem triremes nostræ ex Alexandria frequenter afferre solent. *Mascula thura*] Plinius l. XXII. de thure loquens, ait: Quod ex eo rotunditate guttæ pependit, masculum vocamus.

95 *Hordea*] Itali quidem (ut Plin. lib. XVIII. ait) maxime oriza gaudent: ex qua ptisanam conficiunt. *Cremorem*] Cremor id fortasse est, quod Dioscorides κρίμνον appellat. Cornelius Celsus 'cremorem ptisanæ' pro succo fere accipit, ut hic Naso. *Illis infunde cremorem*] Rectius tres libri *adfunde*. Heins.

96 *Æquent expensas*] Idem, inquit, sit pondus in thure et Ammoniaco sale, quod in rosis, quas una manus prehenderit. *Expensas*] Expensas, ad libram scilicet: id est, ponderatas. *Micyll.*

97 *Tempore sit parvo*] Etsi, inquit, non diu hoc medicamine fœmina sibi vultum illeverit, omneis tamen maculas ex ore fugabit. *Mulier licet illita vultum*] *Molli vultu* quinque scripti: *mollis vultu* prima editio et sex alii: *molli vultus* duo. Lego, *Tempore sis parvo molles licet illita vultus*; non *sit*. Supra, 'Nec tu pallentes dubita torrere lupinos:' et, 'Nec cerusa tibi nec nitri spuma rubentis Desit.' *Heins.*

98 *Nullus in ore color*] *Multus* quinque libri; bene: quod et Ciofanus observavit. *Idem.*

HALIEUTICON.

Hoc poëmatium cum Ovidianum esse testetur Plinius, non est quod de auctore dubitemus: sed lacerum ad nos pervenit, nec id in fine tantum, cum ipsum quoque initium desideretur. Reliqua etiam valde luxata ac turbata sunt. Nam nisi justum hoc fuit poëma, inoportune admodum (dicendum enim) inseritur digressio illa de quadrupedibus, nisi et illa ex alio opere huc irrepsit, aut post Nasonis mortem, quæ in scriniis ejus inventa erant, aliquis turbato ordine vulgavit. Cæterum Hieronymus Columna Commentariis ad Ennii Phagetica hoc Halieuticon Ovidii longe auctius in lucem profert, descriptum ex veterrimo, ut ait, codice a Sertorio Quadrimano, cui id acceptum refert. Sed nollem vir cætera naris emunctæ passus esset sibi fucum hic fieri. Esse enim ab homine mediocris ingenii conficta liquido apparet, nec linguæ Latinæ satis perito. Cæterum quicquid in recensione hujus fragmenti castigavimus, id codici Thuaneo ante septingentos annos scripto debetur: ne in singulis, præsertim levioribus, diu sit hærendum cum tædio lectoris. Idem vetus codex, INCIPIT OVIDII VERSUS DE PISCIBUS ET FERIS. Codex chartaceus Ambrosianus inscribit HALIEUTICON cum vulgatis. *Heins.*

Si hoc poëma, quod Halieuticon inscripsit Ovidius, ad nos integrum pervenisset, nemo sane esset ex omnibus honestarum artium professoribus, quin ex eo summos fructus summa cum voluptate perciperet. Sed quando neque spes ulla est, fore, ut reperiatur, neque ullus hodie, quod equidem sciam, extat liber scriptus, cujus ope, quæ maxima ac turpissima

Digitized by Google

si inflicta sunt vulnera, sanari possint; dandam esse operam censui, ut, si quid auxilii, quod perexiguum plane est, industria mea adferre possit, experirer. *Hercules Ciofan.*

1 *Dedit arma per omnes*] Nescio an satis Latine; deinde de omnibus falsum est. Lego, *Dedit arma, fere et omnes Admonuitque sui.* Heins.

2 *Vitulus sic nunque minaci*] Thuan. *vitulus quæ nunque minatur*: Ambrosian. *vitulus nunque minatur*; quare *minatur* reposuimus. *Idem.*

8 *Præsidiumque datum sentire*] Potentis nempe naturæ: quod et Horatius attingit eleganter Sat. II. 1. 'si quis se judice certet, Ut, quo quisque valet, suspectos terreat, utque Imperet hoc natura potens, sic collige mecum: Dente lupus, cornu taurus ferit; unde nisi intus Monstratum?' Id quod ad Philosophiam accommodatum pulchre explicat Arrian. Epict. I. 1. c. 2. ἐπόθετό τις, πόθεν οὖν αἰσθησόμεθα τοῦ κατὰ πρόσωπον ἕκαστος, πόθεν δ' ὁ ταῦρος, ἔφη, λέοντος ἐπελθόντος, μόνος αἰσθάνεται τῆς αὐτοῦ παρασκευῆς, καὶ προβέβληκεν ἑαυτὸν ὑπὲρ τῆς ἀγέλης; ἢ δῆλον, ὅτι εὐθὺς, ἅμα τῷ τὴν παρασκευὴν ἔχειν, ἀπαντᾷ καὶ συναλύθησις αὐτῆς· καὶ ἡμῶν τοίνυν ὅς τις ἂν ἔχῃ τοιαύτην παρασκευὴν, οὐκ ἀγνοήσει αὐτὴν ἔφνω δὲ ταῦρος οὐ γίνεται, οὐδὲ γεωναῖος ἄνθρωπος· ἀλλὰ δεῖ χειμασκήσαι, παρασκευάσασθαι· καὶ μὴ εἰκῇ προσιηδῷν ἐπὶ τὰ μηδὲν προσήκοντα.

9 *Sic et Scarus arte sub undis*] Plinii hæc verba sunt l. XXX. c. 2. Scaurum inclusum nassis non fronte erumpere, nec infestis viminibus caput inserere, sed aversum caudæ ictibus crebris laxare fores, atque ita retrorsum erumpere. Quam luctam ejus si forte alius Scaurus extrinsecus videat, apprehensa mordicus cauda adjuvat. Quo loco, quem nullis propemodum immutatis verbis ab Ovidio mutuatus est Plinius, amici hominis conjectura nititur. Scarus autem marinus et saxatilis est, dictus ἀπὸ τοῦ σκαίρειν, quod salire est; vel, ut alii, pascere: quamvis in eo significatu vix reperiatur: dentes serratos non habet, pectinatimque coëuntes, ut ceteri pisces, sed planos et latos, solusque inter pisces ruminat, ut infra dicturus est Ovidius: alga, herbisque vescitur: Coriandro delectatur, ut Aristoteles lib. II. de hist. 13. ait. Hunc autem piscem ob eximiam saporis gratiam ac suavitatem Ennius Jovis pæne cerebrum vocat. De Scaro etiam Ælianus cum alibi tum lib. I. 5.

10 *Decidit*] Ante hunc versum legebatur *sim*: cætera hiatu unius versus relicto; quod ex diversa lectione *τοῦ Decidit* natum puto; cui aliquis superscripserit *In*; hoc est, vel, *Incidit*. 'Incidere escam,' ut 'Incidere terras.' Met. VII. 'Incidit exosa dictas a pellice terras.' Virgil. Æn. IX. 'Bellatorque animos Deus incidit:' ita vetustissimus Mediceus. Gesneri editio hic uno versu est locupletior aliis; sed nescio qua nitatur auctoritate. *Heins.*

12 *Aversus crebro veniens sub*] Pro *veniens* cod. Thuan. et Ambrosian. *vimen*. Pro *sub* margo editionis Gesneri *sed*. Lego, *Aversæ crebro vimen sed verbere caudæ Laxans subsequitur*: 'vimen,' nassam ex viminibus textam vocat. *Idem.*

14 *Si forte aliquis damptus nataret*] *Aliquis dum pronata retro* Thuan. Ambrosian. *dum pro nata rete*. Scribe, *si forte alius, dum prænatat, arto*: 'arto' sc. vimine, quod sequitur. 'Prænatat' pro præternatat; nisi malis, *prope, dum natat*: posset et *dum pone nataret* cum Pantagatho et Gesnero. *Idem.*

16 *Aversi caudam*] *Aversum* uterque codex. Lege *Aversam*. *Ita* addidi ex utroque veteri libro. *Idem.*

17 *Nato quem texitque resultet*] *Uber servato quem texit inresultet* Thuan. Ambrosian. *Uberet nato quem texit quem resultat*. Puto, *atque ita tandem Victor servato, quem texit, cive resultat*:

Digitized by Google

vel, *quem traxit*. Idem.

18 *Sepia tarda fugæ*] Sepia e mollium est genere: marina est et litoralis, sepium habet, quod cum spinis proportionem obtinet, sicut Lolligo, Gladiolum. Mollia omnia proprium atramentum habent, eo tamen plurimum abundant Sepiæ quod litoralem agant vitam, et nihil præterea illis Natura dederit, quo aut sese tueri, aut piscantium manus evadere possint; præsertim cum earum motus tardissimus sit. Hæc de Sepia Gulielmus Giscaferius. Vide et Ælium l. I. c. 35.

20 *Nigrum vomit illa cruorem*] Lege *vomit ore*: nam 'illa' præcesserat: atque ita Pantagathus. *Heins.*

21 *Avertitque vices*] *Vias* scripti. *Idem.*

22 *Clausus rete Lupus*] Gulielmus Giscaferius, Lupus, Latine; λάβραξ, Græce; *Spigola*, Italice. E mari flumina ingreditur, in aquis dulcibus non nascitur: a parvis squillis interficitur, Mugiles insequitur, inter quos perpetua est inimicitia. *Quamvis immanis*] *Immitis*, Thuan. *Heins.*

23 *Et acer Dimotis cauda submissus cedet armis*] Pantagathus legebat *sidit arenis. Submissus sedet armis in austri*] Thuan. et Ambr. *ridet arenis in auras*. Lege, *sidit arenis: in auras* sequentis versus duæ ultimæ sunto voces. Met. lib. I. ex antiquis libris, 'Quæsitisque diu terris ubi sidere detur:' cum *sistere* illic legeretur in vulgatis. Possit et scribi *se dat arenis*. Idem.

25 *Dolos saltu deludit inultus*] Lege *inultos*. Met. II. 'Nil poterit Juno nisi inultos flere dolores.' *Idem.*

26 *Et Muræna*] Μύραινα, Græce: *Morena*, Italice. Muræna litoralis est, et marina: rabies ei velut canino generi accidit. *Giscaferius.* Hunc locum adumbravit Plinius lib. XXXII. 2. ubi ita: Muræna maculas appetere ipsas, consciam teretis ac lubrici tergi, tum multiplici flexu se laxare, donec evadat.

30 *At contra scopulis, &c.*] Idem tradit Ælianus l. VII. c. 11. et Plin. l. IX. c. 29. l. XXXII. c. 2.

32 *Et sub lege loci*] Ovidiana locutio Artis I. 'Hæc ex lege loci commoda circus habet.' Amor. III. 2. 'Qua tibi tangenda est lege puella loci.' *Heins.*

33 *Atque ubi prædam, &c.*] Pantagathus legendum putavit, *setis*, non *retis*, vere. Equinis enim, ut nunc quoque fit, setis albis ad suspendendos hamos captandis piscibus usos priscos, docet Plutarchus in libello de industria animalium. Ejusque rei rationem adfert Oppianus lib. III. Eundem morem ostendit et Ovidius Metam. III.

34 *Pendentem retis*] *Setis* bene Thuan. et Ambr. *Heins.*

37 *At Mugil*] De Mugili Plinius, eodem lib. c. 17. et 42. et alibi.

38 *Lupus acri concitus ira*] De Lupo, deque ejus cum Mugili inimicitia: eodem lib. cap. 62. De Lupo etiam Ælianus lib. I. cap. 31.

42 *Muræna nocendi*] De Muræna idem Ælianus lib. I. cap. 3. et lib. X. cap. ult. Plinius multis in locis.

43 *Auxilioque sibi*] Lege *sui* ex Thuan. et deinde *cominus* pro *eo minus* ex utroque scripto. Sequenti versu, *hamos ponat captura minaces* Thuan. *Heins.*

45 *Anthias his tergo, &c.*] De hoc pisce idem Plinius lib. IX. 59. Est autem a Græcis vocatus ἱερὸς ἰχθύς, ut ait Aristoteles de hist. anim. lib. 9. 37. quod in eo loco sit ubi nulla reperiatur bellua. De eodem etiam pisce Ælianus lib. I. 3. et lib. VIII. 27. Plutarchus in libro, cui titulum fecit, An terrenæ bestiæ aquatilibus sint prudentiores. *Tergo quæ non videt*] *Vidit* Thuan. *quem non vidit* Ambros. Lege, *quæ concutit*, vel *quæ continet*. Met. I. 'Sanguineaque manu crepitantia concutit arma.' Met. XII. 'Armaque concussit, certumque equi-

Digitized by Google

tavit in orbem:' sic et sæpe alibi. *Heins.*

47 *Corpore lina secat fixumque, &c.*] His carminibus, quæ post hunc versum sequuntur, usque ad illud, *Nec tamen in medias*, et reliqua, quidvis aliud, quam quod ad piscationem pertineat, continetur; iis enim omnibus carminibus de venatione sermonem esse perspicue cognoscitur. Unde facile crediderim fragmentum hoc jam deploratum totum esse perturbatum, et ex duobus non sanis corporibus unum non integrum ac vegetum effectum.

48 *Cætera quæ densas*] *Et cætera* Thuan. *Æthera* Ambros. Puto, '*At fera quæ densas habitant animalia silvas.* Multa hic deerant in Ambrosiano, videlicet de quadrupedibus agentia: et adscriptum, 'Multa hic desunt.' *Heins.*

51 *Ipsa sequi natura, &c.*] Hic versus est infra. Unde hæc omnia e suis locis convulsa, et turpissimo mendo deformata, vel etiam adulterina esse, qui judicio pollet nullo negotio animadvertet. Post hunc versum reponendum putat, qui legitur sextus ab hoc, 'Fœdus,' &c. Aldus Manutius, Panli F. Aldi N.

52 *Impiger et telo*] Scribe cum Thuaneo, *ecce Leo:* et sic Ciofanus. *Sternere pergit*] Putabam *fervet*, vel quid simile. Sed et Valerius Flaccus l. I. 'Ergo anteire metus, juvenemque extinguere pergit Æsonium,' de Pelia. *Heins.*

55 *Concussitque toros et viribus addidit iram*] *Addidit iram* Thuan. et *prodedit* pro prodidit. Lego, *Concussatque toroi, et viribus adjicit iram, Prodigus.* Τὸ *Prodigus* a viro clarissimo mihique conjunctissimo Jano Vlitio jam occupatum video. *Idem.*

58 *Ferocia mentis*] *Menti* reponit Aldus.

60 *Et ruit*] *Se ruit* Thuan. Forte, *iram dum nunciat* (vel *concitat*) *hirtis, Se ruit.* Eleganter: sic 'omnia ruere' Germanicus fragmento Prognosticorum, 'Scorpios at raris ne quis cava terra gravetur Horrebit pluviis: ac diris omnia nimbis Continuisque ruet:' ita ex vestigiis codicis Puteanei est scribendum. *Heins.*

63 *Et fulvo tergore*] *Ut* Thuan. *Idem.*

64 *Et capto fugiens Cervus sine fine timore*] Reposui *cauto timore*; quod passim in vetustissimis Ovidii codicibus pro *cauto capto* scribi animadverterim. Trist. III. 4. 'Sed timor officium cautas compescit.' Sequens versus ex quinquagesimo primo hujus poëmatii repetitus perperam videtur. *Idem.*

66 *Hic generosus*] Puto legendum *Hinc;* et pro *Nam* sequenti versu *Jam.* Idem.

68 *Seu septem spaciis Circo*] Hinc emenda Gratium sub finem Cunegetici, ubi legendum, 'ille vigebit Septem actus spatiis,' de Numida equo. Cum nunc scribatur *Centum spatiis.* In Catalectis Pithœi pag. 75. epigrammate de Circo, 'Septem etiam gyris claudunt certamina palmæ. Quod cœlum stringunt cingula sorte pari:' ita vetustissimus codex, ubi vulgati, *Sæpe etiam gyris condunt certamina planæ.* Seneca Epist. XXX. 'Quomodo manifestior notari solet agitatorum lætitia, cum septimo spatio palmæ appropinquant.' Lactantius libro VII. Divinar. institut. cap. 27. 'Quoniam decursis propositi operis septem spatiis ad metam provecti sumus.' Suetonius Domitiano, 'singulos missus a septenis spatiis ad quinos corripuit.' 'Septimam orbitam' et 'septimam rotam' dixit Propertius, septem circi spatia respiciens; 'septem gyros' Arnobius: sic et alios locutos recordor. *Idem.*

72 *Quantoque venit spectabilis actu*] Malim *quanto veniat:* vel, *quanto ut veniat.* Idem.

73 *Compescatque solum*] *Compiscatque solimi* Thuan. Forte, *concutiatque solum.* Idem.

Digitized by Google

75 *Quæ laus prima Canum*] *Qui* Thuan. lego, *Dein*, vel *Quid*. Idem.

80 *Quem si collatis effugit armis*] Locus mendosus: forte *quæ*, ut ad feram referatur. *Idem*.

85 *Loci melius moderabere funem*] *Finem* Thuan. et *quoci* pro *loci*. Idem.

86 *Lentos calamos*] Redi ad Epist. Leand. XVIII. 58. 'Brachia lenta.' Ubi etiam de lento arcu, et remo lentando.

87 *Purum littus*] Liberum, apertum, nulla saxorum asperitate præpeditum: Nullis 'montibus obstipeis obstantibus.' Ennius Annal. XVI. Quod imitari videtur Statius Thebaid. VII. 'Nulli aliis a montibus obstant Despectus.' Sic dicitur 'pura humus' Tacit. Annal. II. Et Liv. III. 4. 'Signis collatis dimicare puro ac patenti campo.' Purum itaque, sive patens, cum ex terra nihil eminet. Cicer. I. de divinat. Sic et Græci, κελεύθῳ ἐν καθαρῷ, Olymp. VI. ἐν φανερὰν ὁδόν, ibid. Pindar.

91 *Oblectetque moras*] Scribe omnino *Objectetque*. Heins.

92 *Descripsit sedes varias*] *Varie* Thuan. ut supra: 'Nam varie quidam fugiuntque petuntque.' An *Dissepsit?* ut in Metamorph. lib. I. sed nihil temere muta. *Idem*.

94 *Scombrique*] Idem. Scombrus, Latine: σκόμβρος, Græce: *Macarello*, Italice. Marinus, in arenosis litoribus est. *Bovesque*] De Bobus Ælianus lib. I. 20.

95 *Hippuri celeres*] Hippurus a caudæ equinæ similitudine nomen accepit, pinna scilicet a capite ad caudam deducta, quæ caudæ equinæ simillima est: hieme latitat, æstate tantum capitur: carnivorus est: nostris litoribus ignotus: Hispanis cognitus, a quibus vocatur Lampurga. *Giscaf*.

96 *Et pretiosus Elops, &c.*] Quod, ut scribit Columella, in mari Pamphylio tantum capitur. Idem tradidit Ælianus l. VIII. 26. qui quidem piscis æquatus ad os versus haberi dicitur. *Elops*] Et ex Plinio, et infra ex hoc nostro perspicue constat, Elopen ab Accipensere diversum esse: qua in re nonnulli eruditi erraverunt. *Pretiosus*] Præclarus dicitur a Lucilio: 'Quem præclarus Elops, quem Ægypto Sargus movebit.' *Elops* autem per simplex E metri causa hic scribendum.

97 *At durus*] *Ac* bene scripti. *Heins.* *Xiphias*] Plinio IX. 49. Trigon vocatur. De quo Ælianus IX. 40. et XIV. 22. Oppianus II. Latine, Gladius: Italice, *Pesce spada*. Giscaf. Marinus est, et Thunni et Gladii agitantur circiter Canis exortum: habent enim utrique per id tempus sub pinna ceu vermiculum, effigie Scorpionis, magnitudine Aranei: ad Cetaceam magnitudinem pervenit: rostro est acuto, utramque maxillam rostratam habet; inferiorem tamen brevem, et triangularem: superiorem magis osseam, duriorem, longissimam, ensiformem.

98 *Thunni*] Thunnus, Latine: θύνος, Græce: *Tonno*, Italice. Ubi primum natus est, Latinis *Cordila*; ubi ad sex menses pervenit, *Pelamis*; ubi ad annum, *Thunnus* dicitur. A verbo Græco θύειν, quod est cum impetu promoveri: ubi major factus est θρυνος: in immensum auctus, κήτος. *Giscaf*.

99 *Parva Echineis adest mirum*] Puto *Parva Echineis, at et (mirum) mera puppibus ingens*. Heins. *Parva Echeneis adest*] Plin. IX. 25. Parvo admodum pisce, Echeneide carinis adhærente, naves tardius ire creduntur: inde nomine imposito, quem piscem Latini *Remorum* vocant: sed qui sit, et quæ ejus notæ, diversa inter se tradiderunt Oppianus, Ælianus, et Aristoteles.

100 *Tuque comes ratium, tractique*] De Pompyli natura Ælianus II. 15. et XV. 33. Plin. IX. 15. et alibi. Hic autem piscis Neptuno sacer est,

Digitized by Google

quod navigia ad portum usque sequatur.

103 *Cantharus*] De hoc pisce Ælianus I. 27. *Tum concolor illis Orphas*] *Orpham Cernuam* vocat Gaza Latine: adeo ὀψίμορος est, ut etiam dissectus diu vivat, ut ait Aristoteles: cito adolescit, cum biennium vita non superest. *Giscaf.*

104 *Erythinus*] Plinius IX. 16. et alibi. Giscaf. Latinis, Rubellio: Italis, *Fravolino*, dicitur. Marinus est Aristoteli: Oppiano vero littoralis: in mari tantum reperitur: omnes feminæ sunt, eo quod omnes gravidæ capiantur, sicut et Hiatulæ: hoc autem non toto anni tempore, sed ineunte æstate intelligendum est.

105 *Insignis Sargus*] Festus: 'Sargus piscis genus, qui in Ægyptio mari fere nascitur.' De Sargo Plinius quinque in locis, et Ælianus I. 24. Giscafer. Σάργος, Græce: Sargus, Latine: *Sargo*, Italice: littoralis, marinus, Auratis, et Sparis fere similis, latior, rotundior tamen est: bis parit, Vere et Autumnò: plures habet uxores, et pro iis certamen init: caprarum est amantissimus: mulli lutarii reliquias sequitur.

106 *Sparulus*] Sparus Auratæ simillimus est, adeo ut etiam piscatoribus frequenter imponat. Verum rotundiore, minore, et magis compresso est corpore. *Giscaferius.*

107 *Et rutilus Pagur*] Pagur, Græce πάγρος, seu φάγρος, quod voracissimus sit, ab Erythino diversus est, ut notat Rondeletius: distinguitur magnitudine corporis, et latitudine, et rostri figura. Fallitur Jovius, qui Pagrum eum esse existimat, qui vulgo Romanis Fravolino, et Gallis Narbonensibus Fragellus vocatur, cum is potius Erythinus sit. *Et fulvi Synodontes*] Σινόδους συνάγρις χαρὰξ, et Latinis *Dentix*, eundem piscem significant: nomen enim ab extantibus, et prominentibus dentibus impositum est. Romanis *Dentale*. Giscaf. De eodem pisce Ælianus I. 49.

108 *Et ex se Concipiens Chane, &c.*] Idem tradit Plin. IX. 16. et XXXII. cap. ult.

110 *Et rarus Faber*] Faber is est, qui χαλκεὺς Græcis, vel τεύς. Plinio *Faber* dicitur: Romanis *pesce S. Pietro*: Gallis *Doree*. Captus grunnit suum more: Romæ in foro piscario frequens est. *Et pictæ Mormyres*] Mormures Gazæ dicuntur: Græcis μόρμυροι, vel μόρμυλοι, quod etiam nomen hodie Romani imitari videntur, a quibus *Mormilli* vocantur. Lyncis pullis in lateribus, parallelis insignis est, unde ab Ovidio pictæ dicuntur. *Giscaf.*

111 *Chrysophrus*] Aurata, Latine: *Orata*, Italice: Litoralis, marinus, et in marinis stagnis capitur, æstate mediis fervoribus, diebus circiter sexaginta, ut Glaucus et Asellus, latet: hieme etiam laborat, solum carne vescitur; timidissimus est. *Giscaf. Umbræ*] Idem Giscaf. σκίαινα, Græce: *Umbra*, Latine: *Ombrina*, Italice, quod suo natatu oculos effugiens piscis umbra potius, quam verus piscis, intuentibus appareat. Ausonius: 'Effugiens oculos celeri levis Umbra natatu.' Marinus piscis est, loca saxosa et herbis virentia incolens, carnivorus est, et solivagus.

112 *Percæque*] Plin. IX. 16. et Auson. in Mosel. ubi ita scribit: 'Nec te delicias mensarum, Perca, silebo, Amnigenos inter pisces dignande.'

113 *Quin laude insignis, &c.*] Aliter videtur tradere Ælianus I. 43.

114 *Merulæque virentes*] Idem eodem lib. cap. 19. ejus mentio est apud Plinium.

115 *Conger*] Idem Plin. IX. 20. Giscafer. Κόγγρος, Græce: *Groncho*, Italice. Marinus est, et littoralis, albicans, nigrans, ambigue.

116 *Et capitis duro nociturus Scorpius ictu*] Ciacconus legit, *Et captus*

Digitized by Google

duro, &c. probabilis admodum conjectura: Scorpii autem non semel mentio est apud Ælianum, et apud Plinium IX. 51. Giscaf. de eo ita: Littoralis, in saxosis, et arenosis littoribus maris, Oppiano teste, aut in alto agit, Ovidio teste: bis in anno parit, et alga et carne vescitur: cujus ictus venenatus est: solivagus est. Græce σκορπίος: Latine, Scorpius: Italice, *Strofano:* Gallice, Scorpeno. *Scorpius*] Libri veteres *Scorpios.* Heins.

117 *Glaucus*] De Glauco Ælianus I. 17. sed ne verbum quidem de hoc, quod hic ait Ovidius. *Æstivo sidere*] Exorto Cane, id est, quo in cœlo Canis conspicitur.

119 *Ut scarus, epastas, &c.*] Idem auctor II. 53. ubi, quod poëta noster hic adfirmat, se ab aliis accepisse testatur: idem fere Plinius IX. 15. et alibi.

120 *Fecundumque genus, &c.*] Depravatus locus, ita ab Octavio Pantagatho restitutus est, *Mænæ, Lamirosque, &c. Mænæ*] *Menule* vulgo Romæ dicuntur. *Smarisque*] De hoc pisce Plin. lib. XXXII. cap. ult. *Smyrusque,* alii legebant. *Meryxque* alius. *Menelamirosque Smarisque*] Lege *Mæna Lamyrosque:* de Lamyro Plinius XXXII. 11. de Mæna egimus Fast. II. 578. *Heins.*

121 *Chromis*] Plinius IX. 15. et alibi. De Chromi sic Bossuetus: 'Æstate excellit, doleat cum tempore bruma, Nam duros lapides in capite ille gerit. Majorem ergo χρόμιν sumes sed tempore messis, Namque χρόμις tum fit pinguior et melior,' &c. *Salpa*] Idem auctor non uno loco. Giscaf. Σάλπη, Græce: *Salpa,* Italice. Marinus piscis est, et in marinis lacubus vivit: et herbosa arena laxatur: autumno tantum parit, sicut et Sargus, clarissime audit: erro non est, stercore et alga vescitur.

122 *Atque avium dulces nidos imitata*] Ingeniosissimus Vlitius noster notis ad Halieuticon suis ex Plinio emendat feliciter, *Atque avium Phicis nidos imitata:* qui videatur tam hoc quam aliis hujus poëmatii locis egregie a se illustratis. *Heins. Atque avium dulces, &c.*] Phycidi uni id tribuit Aristoteles, Plutarchus, et Plinius. Hæc Pantagathus, qui versum deesse suspicabatur.

123 *Et Squalus tenui suffusus sanguine Mullus*] Assentior Aldo Aldi M. qui legit, *Et squamas tenui, &c.* Est autem usitata figura: ut, 'Oculos suffusa nitenteis.' Ausonius in Mosella eodem sensu vocat Mullos Puniceos: ubi ita legitur: 'Marinus Solus puniceis facilis contendere Mullis.' *Mullus*] Hujus piscis apud utrumque, quibus potissimum utor auctoribus, frequens mentio est. Giscaf. Græce, τρίγλα: Italice, *Triglia.* Marinus est. Galeno: Aristoteli vero litoralis: Oppiano saxatilis dicitur: parit ter in anno. Diauæ sacrificabatur. Oceanus Septentrionalis et Occidentalis hunc gignit. Carne, alga, concha, et cœno vescitur. Leporem marinum insequitur: homini noxius, et eo vescitur.

124 *Soleæ*] Hujus item piscis creberrima apud eundem Plinium mentio.

125 *Passer*] Idem IX. 20. *Rhombus*] Idem auctor.

127 *Extremi pass.*] *Pareus* Thuan. *Pareus* Ambros. *Heins.*

128 *Gobius*] Giscaf. γωβιὸς, Græce, *Govion,* Gallice. Fluviatilis est, calvariis cadaverum in aquam projectis maxime delectatur: qua industria Galli piscatores equorum, et boum capitibus plurimos una capiunt. Sunt etiam Gobii marini, et litorales, in arenosis aut scopulis degentes, quorum tres sunt differentiæ, albicantium, nigrorum, et flavescentium; ejusdem tamen speciei: luto, alga,

Digitized by Google

et musco vescitur: gregalis est, nobilis et suavissimus.

130 *Lolligo*] Plinius multis in locis: Ælianus IX. 52. Giscaf. *τεῦθις*, Græce: *Calamaro*, Italice: *Lolligo*, Latine. Marinus est, ex mollium genere, sicut Polypus et Sepia: vivendi spatium tam Sepiæ quam Lolligni breve est. Nam, paucis exceptis, biennium non explent: numquam illi deest copia atramenti. *Sinuosaque Cess.*] Præclare, ut omnia, hoc vulnus sanavit Pantagathus; legit enim, *Cestra*. Est autem Cestra, piscis, quæ in capite habet duos aculeos, quibus Thunnum vel maxime infestat, ac persequitur. Aldus Aldi M. reponebat, *Thessa*, quo de pisce Plin. XXXII. 2. *Sinuosaque cess.*] *Caris* libri scripti. Sed hæc omnia accuratius perpendemus in uberioribus notis secundæ curæ. *Heins.*

131 *Et tam deformi: non, &c.*] Ingeniose dictum. *Asellus*] Ælianus V. 20. et VI. 29. Giscaf. *ὄνος*, Græce: *Asellus*, Latine: *Merluccio*, Italice. Duo Asellorum genera, primum, *ὄνος*; Plinio *Bacchus* vocatur, hi in alto mari capiuntur: alterum genus, *Gallarius* dicitur: litoralis est; latet plurimo tempore.

132 *Tuque peregrinis, Accipenser*] De Accipensere Plin. IX. 17. et alibi. Italice, *Storione*. De Accipensere, varia est inter scriptores sententia, quisnam sit, et quo apud nos vocetur nomine. Paulus Jovius *Silurum* esse nostrum arbitratur. Hoc animadvertendum existimo, mirum videri Accipenserem ab Ovidio *peregrinum* vocari, si noster Sturio sit, cum non procul a mœnibus Urbis in Tiberi Vere et Æstate Sturiones laudatissimi frequenter capiantur. Hoc autem argumento facile credi posse alium esse Accipenserem, qui e remotis maribus Romam vehi solitus esset. Hæc Giscaferius. Ego vero in ea sententia maneo, ab Ovidio significari arbitror Accipenserem esse nobiliorem ac præstantiorem in peregrino mari quam in nostro, et propterea dici, 'Tuque peregrinis, Accipenser, nobilis undis.' Hujus tam fœde ac misere corrupti ac mutilati operis bis mentio est apud Plinium: semel XXXII. 2. his verbis: 'Mihi videntur mira, quæ Ovidius prodit piscium ingenia in eo volumine, quod Halieuticon inscribitur.'

CONSOLATIO AD LIVIAM AUGUSTAM.

Poëmatium hoc quantivis pretii, et dignum Genio ac majestate sæculi Nasoniani, qui primus eruit e tenebris, nec ille insignem thesaurum usibus publicis est largitus! Pedonem Albinovanum ejus auctorem Scaliger aliique constituunt. Ego, etsi nihil temere adfirmo, videor tamen mihi non omnino falli, qui Nasoni hunc fœtum haud esse adscribendum arbitrer. Inscriptionem ejus, quam primæ editiones et scripti codices constanter agnoscunt, admittendam duxi, nisi quod in iis ad Ovidium auctorem hæc elegia refertur, cum ad alium potius quemvis illorum temporum poëtam debuerit. Est quidem carmen longe præstantissimum in-

Digitized by Google

dignis modis acceptum per librariorum oscitantiam, nobis tamen vel sic curæ erit, ut aliquanto emendatius imposterum legatur: quanquam in libris vetustis minimum præsidii fuit; quorum unum Romæ apud amicum vidi, secundum Florentiæ in Medicea bibliotheca. Tertius et quartus penes me extant, quorum altero heredes Combiani Venetiis me donarunt, altero vir amicissimus Lucas Langermannus Neapoli advecto. Omnes post inventam jam artem typographicam exarati, et per omnia propemodum primis editionibus respondentes, quas etiam religiose consuluimus. Interim, dum subsidia majoris momenti circumspiciuntur, videamus, si quid conferri a nobis possit ad detergendos nævos, qui scripto pulcherrimo non pauci etiamnum adhærent. In iis autem indagandis quemadmodum non omnino infeliciter versati sumus, ita conjecturæ interdum nobis sunt subnatæ, quas Scaligero, Lipsio, Rutgersio, aliis in mentem ante nos venisse serius cum essemus edocti, viros tamen præstantissimos sua laude non fraudavimus, id quod suis locis, ni fallor, apparebit. *Heins.*

2 *Dimidium nominis*] Altero nempe filiorum, Druso, morte absumto. Quod repetitur vs. 4.

3 *Jam legis in Drusum miserabile, Livia, &c.*] Expolitio propositionis est, qua superiora latius explicat et declarat. Nam et Drusum ipsum jam nominat, et miserabile carmen, hoc est, elegiam in illum, sive illius mortem, se edere indicat.

5 *Nec tua te pietas distendit*] Malim *se distendit*. Heins. *Nec tua pietas*] Amor maternus, φιλοστοργία, quæ erga liberos pietas est, jam se plane transfert ad unum, antea inter duos dividebatur; adeoque nec quidquam materni affectus superstiti Tiberio decedit.

7 *Et quisquam leges audet*] Modum ac finem, quatenus doleas.

8 *Lachrymas temperat ore tuas*] Hoc est, consolando et dicendo moderatur ac lenit. Estque hæc conclusio expolitionis, a qua ad narrationem, sive querelam transit Poëta.

9 *Quamvis hoc contigit, omnes Alterius luctu*] Scribe, *Hei mihi! quam facile est (quamvis hic contigit omnes) Alterius luctu fortia verba loqui!* quamvis hic luctus omnes contingit. Viderunt ex parte veram lectionem in Variis Rutgersius et Behotius in Apophoretis. *Heins.* *Quamvis hic contigit omnes*] Ut sit sensus: Facile est, in alterius luctu fortia verba loqui, quamvis hic luctus non alterius, hoc est, privati alicujus sit, sed æque ad omnes pertineat.

10 *Alterius luctu*] Notum est illud Terent. Andr. II. 1. 'Facile omnes, cum valemus,' &c. Quod ex Plaut. Epid. I. 2. 43. 'Facile tu istuc sine periculo et cura, corde libero Fabulare. Novi ego nostros: mihi dolet, quem ego vapulo.' Similiter et Græci: Eurip. Hercul. Fur. vs. 1249. Ξυγ' ἐκτὸς ὤν γε συμφορᾶς, με νουθετεῖς. Et in Alcest. Ῥᾷον παραινεῖν ἢ παθόντα καρτερεῖν. His addimus Joseph. Scaligeri annotat. in hunc locum: Hanc sententiam prius extulerat Æschylus Prometh. Ἐλαφρὸν, ὅστις πημάτων ἔξω πόδα Ἔχει, παραινεῖν, νουθετεῖν τε τοὺς κακῶς Πράσσοντας. Dio historicus. Ὅτι ῥᾷον παραινέσαι ἑτέρους ἐστὶν, ἢ αὐτὸν παθόντα καρτερῆσαι, πάνυ καλῶς εἴρηται. *Fortia verba*] Quæ jubeant, animo forti ac firmo esse dolentem.

11 *Scilicet exiguo percussa*] Quasi dicat: Haud quaquam ita parvum ac contemnendam cladem accepisti, ut dolori resistere, ac forti animo esse possis: nam occidit juvenis ille, qui exemplum morum ac vitæ cæteris esse poterat, &c.

13 *Exemplum venerabile morum*] Sic et Paterculus: 'Morum certe dulcedo ac suavitas, et adversus amicos æqua ac par sui æstimatio, inimitabilis fuisse dicitur.'

Digitized by Google

14 *Maximus ille armis, maximus ille toga*] Hoc est, bello ac pace inclytus.

15 *Ille modo eripuit latebrosas*] Bello Rhetico scilicet, de quo Paterculus, 'Reversum inde Nerouem,' inquit, 'Cæsar haud mediocris belli molem experiri statuit, adjutore operis dato fratre ipsius Druso Claudio.'

16 *Et titulum belli dux duce fratre tulit*] Hoc est, dux Rhetici belli appellatus fuit, quanquam fratrem haberet ducem. Additus enim in partem operis Tiberio fratri fuit.

17 *Ille genus Suevos acre*] Suevi Germaniæ populus, qui illo tamen tempore ad Albim habitavit, ea loca tenens quæ hodie Marchiæ et Pomeraniæ nomine vocantur. *Indomitosque Sicambros*] Hi olim ad Rhenum habitarunt, iis locis quæ hodie Geldri tenent. Postea Augustus eos in deditionem acceptos in Galliam traduxit; ut Suetonius auctor est.

19 *Ignotumque tibi meruit, Romane, triumphum*] Hoc est, de gentibus hactenus tibi ignotis.

20 *Protulit in terras imperiumque novas*] Hoc est, Romanum imperium propagavit, terrasque novas, id est, hactenus ignotas Romanis, eidem subjecit. Quanquam, ut Florus lib. IV. ait, difficilius est provincias obtinere, quam facere: viribus parantur, jure retinentur.

22 *Armiferæ Deæ*] Palladi.

23 *Gradivumque patrem*] Qui Marspiter, Mars pater dicitur: Homero ἀλλοπρόσαλλος.

24 *Et quoscumque coli est*] Tollendum *est* ex fide priscarum editionum. *Heins. Et quoscumque coli jusque piumque Deos*] Hoc est, ceterosque Deos legitimos ac patrios.

25 *Maternaque agitabas mente triumphos*] Id est, affectu materno præcipiebas animo triumphos filii.

27 *Funera ducenda*] Pro producenda. Æneid. IX. 'nec te, tua funera, mater Produxi.'

28 *Jovis arce*] Capitolio. Quod Cicero illustrat Catilin. I. in peroratione: 'Tum tu, Jupiter, qui iisdem, quibus hæc urbs, auspiciis a Romulo es constitutus; quem Statorem hujus urbis atque imperii vere nominamus,' &c. et alibi.

31 *Gratantem*] Id est, gratulantem. Alias idem verbum significat Diis agere gratias, et supplicare. *Gratantem*] Gratulari et gratari promiscue usurpatum reperimus. Liv. 'Templum gratantes ovantesque adiere.' Cic. ad Brutum Epist. XI. 18. 'Sed tamen recenti gratulatione, quam tuo nomine ad omnia Deorum templa fecimus.'

34 *Collaque et os oculosque*] Libri scripti cum priscis editionibus partim *osque oculosque*, partim *os oculos*; ut fortassis legendum sit, *hos oculos*, vel, *hoc oculos illius ore premam*: hoc meo ore premam illius oculos. *Heins.*

35 *Talis erit: sic occurret, &c.*] Πάθος ab effictione gestuum reducis filii. Sunt autem verba matris, secum spe et gaudio ita loquentis.

37 *Gaudia magna foves*] *Vana* omnino legendum quod notat ex libris Bersmannus; nec aliter postrema Aldi. *Heins. Gaudia vana foves*] Ex persona Poëtæ, qui monet Liviam ne nimium spe falsa ducatur: quando Drusus, quem ipsa tantopere expectat, rediturus non sit. *Gaudia vana foves*] Redi ad Epist. IV. 15.

39 *Cæsaris illud opus*] Hoc est, Drusus, qui Cæsaris opera ad id fastigium venerat, ut esset veluti altera quædam pars familiæ Cæsaris ac Liviæ. Nam et adoptatus a Cæsare fuit, et successor ipsi destinatus, ut Suetonius ait. *Veluti pars altera vestri*] Lege, *voti pars altera vestri*. Ovidius Fast. l. V. 'En ego dimidium vestri parsque altera voti.' Sic idem Drusus, 'duplicis pars altera partus,' non semel infra vocabitur. *Heins.*

42 *Viro*] Scilicet, Augusto.

43 *Quidque pudicitia tantum inviolata bonorum*] Locus contaminatissimus,

Digitized by Google

cui utcunque consuletur, si *meruisse* pro *inviolata* reponas, quod ex veteri libro Bersmannus notat. Sed cum nostri omnes pro vulgata lectione stent, Bersmanno nihil temere hic deferam. Muretus notarat in libro suo corrigendum, *Cumque pudicitia*. Sed ne sic quidem sensus constabit. Cogitabam aliquando, *Quidque pudicitia tantum cumulare bonorum*: certe tale quid voluit auctor. *Heins. Quidque pudicitia tantum*] Locus dubius, et, ut nunc legitur, non ita facile explicandus. Nam sive nominativo casu accipias nomen *pudicitia* (cui tamen repugnat quantitas) sive ablativo positum, sententia atque ordo verborum non satis constabunt. Proinde dubito, an pro voce *inviolata* verbum aliquod infinitivum, quale fuerit *meruisse*, quæsisse, cumulasse aut simile reponi debeat; ut sit sensus: Quid tibi nunc prodest, tot ac tantos honores per pudicitiam quæsivisse, ut si illi cum hac conferantur, hæc, quanquam alias præcipuam ac primam laudem meretur, inter illos tamen ultima videri queat?

45 *Contra sua secula rectum*] Contra mores ejus seculi corruptos ac pravos. Neque enim ullum sceleris genus est quod illo seculo non fuerit perpetratum, quando omne in præcipiti vitium stetit, ut Juvenalis ait.

46 *Altius et vitiis exeruisse*] Epexegesis: idem enim dicit, illam scilicet superiorem vitiis fuisse, hoc est, a vitiis invictam, eaque velut ex alto despexisse.

47 *Fortunam habuisse nocendi*] Hoc est, facultatem. Et hoc ad amplificationem virtutis attinet: multis enim voluntas lædendi non deest; sed quia facultatem non habent, abstinent.

48 *Nec quemquam nervos*] *Nervos*, vires dicit, sive potentiam. Laudat clementiam illius: ut quæ in magna potentia ita se gesserit, ut potentiam ejus nemo metuerit.

49 *Nec vires errasse tuas*] 'Bella viri pacemque gerant, queis bella gerenda.' Virgil. VII. Quod ex Homer. Iliad. v. πόλεμος δ' ἄνδρεσσι μελήσει. Quod et noster in Metam. XII. 'Bella relinque viris.' Sophocl. fab. 2. [Electra.] Μέλει γὰρ ἀνδρὶ, μὴ γυνῇ βουλευέτω. Sic et Telemachus matri, Odyss. Φ. vs. 351. ἀμφιπόλοισι κέλευε Ἔργον ἐπεύχεσθαι· τόξον δ' ἄνδρεσσι μελήσει Πᾶσι, μάλιστα δ' ἐμοί· τοῦ γὰρ κράτος ἐστ' ἐν οἴκῳ. Eosdem vers. etiam invenies Odyss. A. 356. Et Apollon. in Argonaut. I. 303. Ἀλλὰ σὺ μὲν νῦν αὖθι μετ' ἀμφιπόλοισιν ἕκηλος Μίμνε δόμοις, 'Femina quippe venit rebus minus apta gerendis: Nec talem spectat vir generosus opem.' *Nec vires errasse tuas campoque*] Neque pro potentia tua suffragia in comitiis, quæ in campo Martio fiebant, corrupisse, neque in foro judicia.

50 *Quamque libet citra constituisse domum*] Puto *continuisse* legendum: continuisse te vires tuas citra quamcunque domum. *Heins.*

51 *Nempe per hos etiam*] Nam et per mulieres, inquit, exercet fortuna vim suam aliquando, multosque sæpe injuste evertit: quod postea sub Claudio et Nerone factum, quorum alterius uxor Messalina cognitionibus principis adesse solebat, multosque interventu suo indigne pervertit; alterius autem mater Agrippina, etiam ipsa Claudii uxor, suggestum conscendebat, legationesque audiebat. Mox totam filii vitam et imperium gubernabat: id quod ex Taciti libris, XI. et XII. patet.

52 *Et incerta est hic quoque mixta rota*] Etiam hic instabilis et inconstans esse solet, instar rotæ volubilis.

53 *Hic quoque sentitur*] Scilicet fortuna. *Ne quid non improba carpat*] Id est, ut quovis loco, et per omnem sexum vim ac potestatem suam exerceat. *Improba*] Insatiabilis. *Carpat*] Deripiat, invadat, vel lædat. *Ne quid non improba carpat*] Puto *non quid*. Heins.

Digitized by Google

54 *Et injustum jus sibi ubique facit*] Expostulat cum Fortuna non tam in omnes quam in Liviam sæviente. Quare refinxerim libens, *iniqua facit*. Similis error infra quoque commissus vs. 371. *Idem.*

57 *Quid si non habitu sic se gessisset*] Argumentum κατ' ὑπόθεσιν, ut Fabius vocat. Tale est et quarto Æneidos illud: 'Quid si non arva aliena, domosque Ignotas peteres?' *Habitu*] Moribus, ac tota vita.

60 *Debuit humanis altior esse malis*] Et hoc propter majestatem Cæsaris, quem tanti fecere Romani, ut divinos honores etiam vivo decernerent.

61 *Sacer ille locatus in arce*] *Sacer ipse* priscæ editiones cum membranis constanter. *Heins.*

65 *Vidimus erepta*] Ἀντίθεσις superiorum, cum enumeratione earum, cladium, quæ Cæsari in hoc genere ante mortem Drusi accidere. Quamquam enim, inquit, Cæsar expers omnis luctus esse debebat, vidimus tamen mœrentem illum, quando scilicet sororis ipsius filius Marcellus fato ereptus fuit: qui luctus non minus magnus ac publicus fuit, quam hic ob Drusi mortem susceptus. Fuit autem Marcellus Octaviæ sororis Augusti filius, ex C. Marcello priore marito: nam postea eadem etiam M. Antonio nupsit. De hoc et Virg. meminit, Æneid. VI.

67 *Condidit Agrippam*] Hic gener Augusti fuit ex Julia, ob virtutem ab illo ascitus: nam et dux navali bello contra Sextum Pompeium, et mox apud Actium contra Antonium fuit: ubi ita bene rem gessit, ut corona navali ab eodem Augusto donaretur: cujus rei et Virgil. meminit libro octavo Æneid. 'Parte alia ventis et Diis Agrippa secundis Arduus,' &c. Decessit autem, superstite Augusto, relictis filiis ex Julia, Caio, Lucio, et Agrippa; filiabus autem Julia et Agrippina.

68 *Et cepit generos jam locus illa duos*] Marcellum et Agrippam: utrique enim Julia nupta fuit; ut Suetonius in Augusto. Qui Juliam primum, inquit, Marcello Octaviæ sororis suæ filio, tantumque pueritiam egresso: dein ut is obiit, M. Agrippæ nuptui dedit, exorata sorore, ut sibi generum cederet.

69 *Vix posito Agrippa tumuli*] Hoc est: Vix dum mortuus sepultusque fuerat Agrippa, et ecce tertius luctus, tertiumque funus accessit, Octaviæ sororis scilicet: hæc enim non ita longe post Agrippam decessit, cum Drusus jam in Germania bellum gereret: 'Agrippa posito,' hoc est, sepulto. *Tumuli janua*] Sic enim veterum monumenta et sepulchra ædificabantur, ut haberent januam, tectum, et interiorem cellam, ubi corpora, aut etiam cineres deponebantur.

70 *Perficit officium*] *Percipit* Lipsius ad Consolationem Senecæ ad Marciam. *Heins.* *Officium funeris*] Redi ad Epist. VI. 17.

71 *Ecce ter ante datis*] Scilicet, lachrymis: primo Marcello, mox Agrippæ, ultimo sorori Octaviæ. *Jactura novissima Drusus*] Drusus, cujus jactura, sive mors, post tres superiores ultimo loco secuta est.

74 *Domus ista*] Sepulchrum, monumentum Cæsaris.

75 *Cedis, et incussum tua nomina, Druse*] Hoc est: Moreris, neque tibi quicquam prosunt magnifica tua nomina et tituli.

76 *Ultima sit fati hæc summa*] Ἐπιτατικῶς, pro, Atque utinam hæc querela, licet alias summa atque gravissima, de fato, sive morte tua, ultima sit, neque amplius conqueramur.

79 *Nec tu tot verba bonorum*] Optime avunculus meus Joannes Rutgersius in Variis Lectionibus, *nec cui tot turba bonorum;* atque ita tres scripti, cum veterrima editione: minus bene Scaliger, *nam cui tot turba bonorum.* Heins.

Digitized by Google

81 *Nec genitrice tua*] Livia.

82 *Partus duos*] Te Drusum, et fratrem Tiberium.

85 *Neronem*] Tiberium. Cognomento enim Nero dicebatur, a patre Nerone, cui Livia nupta fuit, antequam ab Augusto duceretur.

86 *Pallida promissa*] Malim *Squallida ora:* et sequenti versu *profitente colorem*, vel *prodente*. Noster infra, 'At comitum squallent immissis ora capillis.' Pont. l. III. 4. 'Squallidus immittat fracta sub arundine crimes Rhenus.' Trist. I. 3. 'Squallidus immissis hirta per ora comis.' Libro IV. Eleg. 2. 'Squallida promissis qui tegit ora comis.' Fastorum III. 'Squallenti Dido sanguinolenta coma.' *Heins. Promissa coma*] Id enim lugentium erat, promittere barbam ac comam, ac sordidatos incedere et squalidos.

87 *Dissimilem sui*] Squalidum ac tristem, cum ipse alias formosus ac pulcher videri soleret.

88 *Quum toto luctus in orbe fuit*] *In ore* omnino scribendum cum Rutgersio. *Heins.*

91 *Adfigique*] Malim *Adfligique;* quia 'fixa lumina' sequitur. *Idem.*

92 *Et tenuit vultu lumina fixa tuo*] Te aspexit coram immoto vultu. *Tenuit lumina fixa*] Æneid. II. 'intentique ora tenebant.' Ubi Servius, 'immobiles vultus habebant:' ut, 'Tenuitque inhians tria Cerberus ora.' Enn. in Incert. 'Ora tenent rebus.'

93 *Lumina cærulea*] Cœruleam mortem, pro nigra dixit. *Natantia lumina*] Fluitantia et moribunda. *Natantia lumina morte*] Errantia; ut Æneid. IV. Item 'oculi graves.' Quod Noster in Metam. IV. 144. quoque exprimit: 'oculos jam morte gravatos Pyramus erexit.' 'Oculos semineces,' infra vs. 498.

94 *Fraternas jam subitura manus*] Id est, jam claudenda fratris manibus. Solebant enim hoc officium præstare morientibus propinquiores.

95 *Suprema neque oscula fixit*] *Fregit* duæ editiones ex vetustioribus. Forte *legit:* ut de Hecuba Met. XIII, 'Osculaque ore legit, consuetaque pectora plangit:' sic enim veteres nonnulli libri exaratum illic exhibent: *sumpsit* tamen hic codex unus: alii tres, *figit:* an *fingit?* ut Met. IV. de Thisbe, 'gelidis in vultibus oscula fingens:' sed 'figere oscula' usitatum; nec loco movendum. *Heins.*

96 *Frigida nec movit membra tremente sinu*] Ne dubita *fovit* reponere, vel contra libros; quod et Lipsio in Epistolicis Quæstionibus probabatur. Tibullus libro I. Eleg. 8. 'Ut foveat molli frigida membra sinu.' et apud Maronem Æn. IV. de Anna, 'Semanimemque sinu germanam amplexa fovebat.' *Idem.*

97 *Apposito hiatu*] Hoc est, ore. Nam et hoc solebant matres excipere spiritum morientis ore, atque inspirare denuo, ad prorogandam scilicet vitam. *Excepit animam fugientem*] Sic Anna. Æneid. IV. 'extremus si quis super halitus errat, Ore legam.' Item infra vs. 158.

98 *Nec traxit cæcas per tua membra comas*] *Sectas comas* corrige: atque ita idem Lipsius. Ovidius Met. III. 'Naides et sectos fratri imposuere capillos.' Statius Theb. VI. 'Mæstarumque super libamina secta comarum:' ita scribe, cum vetus liber Tiliobrigæ *serta* exhibeat. Idem Statius lib. XII. 'Cæsariem ferro minuit, sectisque jacentis Obnubit tenuis ora comis.' Martialis lib. II. Ep. 66. 'Hoc facinus Lalage speculo, quo viderat, ulta est, Cæditur et sectis icta, Plecusa comis:' sic emendo. *Et cecidit sectis* inconcinne illic nunc legitur. Propertii enim illa cogitabat, libro IV. Eleg. 7. 'Cæditur et Lalage tortis suspensa capillis.' Val. Flaccus lib. II. 'Huic Dea cum lacrymis et nota veste Neæræ, Secta genus: Utinam non hic tibi nuncius esses O

soror!' sic corrige. Vulgo perperam *Icta genas*. Unde *Picta* et *Ficta* faciunt. Epist. Œnones, 'Et secui madidas ungue rigente genas.' Hoc tamen loco fortasse *cæsas comas* legi sit satius, ut Mediceus liber agnoscit. *Heins.* *Cæsas comas*] Redi ad Epist. II. 116. Quibus addimus ex Eurip. Alcest. vs. 425. Πᾶσιν δὲ Θεσσαλοῖσιν, ἂν ἐγὼ κρατῶ, Πένθος γυναικὸς τῆσδε κοινοῦσθαι λέγω, Κουρᾷ ξυρήκει, καὶ μελαμπέπλῳ στολῇ. Et deinde, μονάμπυκας Πέλους σιδήρῳ τέμνετ' αὐχένων φόβην.

99 *Dum te fera bella morantur*] Retinent, in Germania videlicet.

100 *Utilior patriæ*] Dum pro imperio propagando bellum geris, teque ipsum interea et salutem tuam negligis.

101 *Liquitur*] Scilicet, mater: id est, mœrore ac luctu resolvitur. *Solibus ictæ*] Solaribus radiis percussæ et liquefactæ. *Liquitur ut nives*] Contabescit: καταφθινεῖν Eurip. Alcest. vs. 622. Redi ad Amor. I. 7. 58.

103 *Irrisaque tales*] Hæc etiam fœde corrupta sunt. Combianus liber, quod interpolatricem manum sapit, *Te queritur, casusque etiam derisa malignos.*

106 *Daulius ales*] Nota autem est fabula de Tereo et Philomela, quomodo hæc ab illo vi compressa fuerit, lingua etiam abscissa, ne facinus hoc eloqui posset: et rursum quo pacto sorores Philomela et Progne se ultæ fuerint, occiso Ity filio, Tereoque patri epularum vice apposito. Lusciniam igitur querulo suo cantu adhuc lugere fatum Ityos fingunt poëtæ, quem hic Threicium vocat, quia Tereus Thrax fuit. Dauliaden autem Philomelam, sive quis Prognen intelligere maluerit, ab eo dicit, quod Daulide habitavit Tereus. *Mitis nunc denique*] Quasi quæ tum immitis fuerit, cum Ityum interfecere mater et matertera. Aut si per 'Daulida' intelligas Prognen, quæ sit in hirundinem versa, 'mitis' dicetur, quia nunc cum hominibus conversetur, et sub tectis iisdem habitet.

107 *Halcyonum tales*] Halcyone et Ceyx conjuges fuere, quorum cum alter naufragio periisset, altera quoque in mare se præcipitavit. Quorum Dii miserti, ambos in aves convertere, quas halcyones Græci vocant, Latini alcedines. Hæc circa brumam fœtificant in mari, per quos dies ipsum mare tranquillissimum esse solet: unde iidem etiam *Alcedonia* vocantur. Metam. XI. 410.

109 *Sic plumosa novis*] Diomedeas aves intelligit, in quas socii Diomedis conversi dicuntur, cum ille in insula, quæ ab eodem *Diomedea* appellata est, subito disparuisset. Hæ nusquam alibi quam in sola hac insula cernuntur, circa sepulchrum et delubrum Diomedis, fulicarum similes. Advenas barbaros infestant: Græcis tantum adulantur miro sensu, veluti generi Diomedis hoc tribuentes.

110 *Œniden*] Diomedem, filium Tydei, Œnei nepotem. Fuit enim Tydeus, Œnei filius, frater Meleagri.

111 *Sic et Clymeneides altæ*] *Alto* Rutgersius: *alte* libri scripti. Distingue, *sic et Clymeneides, alte Cum juvenis patriis excidit ictus equis.* Martialis lib. XII. Epigr. 29. 'Casuras alte sic rapit Iris aquas.' Seneca Hercule Furente Act. primo ex veteri codice, 'Alte virtus animosa cadit:' nam *Alto* nunc vulgatur. Hercule Œtæo, 'Alte illa cecidit, quæ viro caret Hercule.' Noster infra, ut est in antiquis libris, 'Imposuit te alte Fortuna:' et postea, 'Nata quod es alte.' *Heins.* *Sic flevit Clymene*] Mater Phaëthontis, ob casum filii scilicet, cum fulmine a Jove prostratus in Eridanum decidisset. *Sic et Clymeneides*] Sorores Phaëthontis, quæ cum fratrem diutius et gravius lugerent, tandem in arbores conversæ sunt, quas alii populos velunt esse, alii alnos.

Digitized by Google

112 *Cum juvenis patriis excidit ictus equis*] Hoc est, curru solis, quem regendum sibi sumpserat.

114 *Suspensasque oculis fortior ictus agit*] Lege, *Suspensasque oculus fortior ictus agit.* Vidit ex parte veram lectionem Rutgersius. *Heins.*

117 *In vires abiit flendi mora*] Hoc est: Quo diutius opprimuntur lachrymæ; eo copiosiores mox erumpunt, quasi per moram collectis viribus. *Plenior unda Defluit, &c.*] Ut aqua, inquit, quæ retinetur aut obturatur, majore mox impetu defluit: ita et lachrymæ per tempus retentæ.

122 *Gloria confectæ, nate, parentis*] *Confectæ*, scilicet mœrore: at veteres editiones *conspectæ*. Heins.

125 *Tumulo portaris et igni*] Hoc est ad tumulum et rogum.

126 *Hæc dona*] Rogus et tumulus.

133 *Artus amplector inanes*] Vita carentes, mortuos.

134 *Et vorat hos ipsos flamma rogusque suus*] *Evocat* libri veteres. Combianus præterea *sinus* pro *suus*. Rutgersius *suos*. Parvo negotio corrigendum, *Et vorat hos ipsos flamma rogusque sinus.* Prudentius περὶ στεφάν. Passione Sancti Hippolyti, 'Sit pyra quæ multos devoret una reos:' et Passione Sancti Romani, 'Ignis parandus jam tibi tristis rogi, Qui fine digno corpus istud devoret.' Sic 'edere flamma' dicebatur pro urere. Vide notas ad Eleg. ult. lib. I. Amor. vs. 41. *Heins.*

136 *Ungere, nate, manus*] Solebant enim corpora defunctorum, antequam cremarentur, lavari et ungi.

138 *Affigoque manus*] Recte veteres editiones *Effingoque*, ut jam monuimus ad Epist. XX. 134. *Heins.*

141 *Quo primum vidi fasces*] *Quos* probe Combianus liber et vetus editio, ut et Pithœus. *Quam* Rutgersius. *Idem. Quo primum vidi fasces*] Hoc est, insignia consulatus tui, quo significat, absentem nominatum esse consulem.

142 *Et vidi eversos*] *Inversos* Lipsius et ad Catalecta Lindenbrogius: sed temere mutem. Ovidius in mortem Tibulli, 'Ecce puer Veneris fert eversamque pharetram.' *Heins.* *Et vidi eversos*] Solebant enim insignia atque arma defunctorum in funere inverti. *Indiciumque mali*] Quæ insignia eversa significabant malum, hoc est, mortem tuam. *Eversos*] Sic Ter. Heaut. 22. 'Eversas cervices.' Virgil. simplici utitur, Æneid. XI. 'et versis Arcades armis.'

143 *Lux hæc carissima venit*] Contrarium vult poëta. Quare *mœstissima* legendum cum postrema Aldi. *Heins.*

146 *Materni celeber nomine Drusus avi*] Nam et maternum genus ex Drusorum familia traxit, primusque pater Liviæ insertus est Liviorum familiæ, ut Suetonius auctor est in Tiberio. Atque hinc ipsa quoque Livia cognomento Drusilla, a patre scilicet, appellata fuit.

149 *Nec cum victorem referatur*] *Referetur* veteres. *Heins.*

150 *Dicere jam potero, Major, an alter, adest*] Hoc est, Tiberius an Drusus. Fuit enim Tiberius major natu quam Drusus. Victores autem ambo redierant ex Rhætis: alter, Drusus scilicet, etiam ex Germanis.

151 *Ultima contigimus*] Ad extremum pervenimus. *Jus matris habemus ab uno*] Quod matris nomine vocet, id ab uno tantum habeo, Tiberio scilicet.

161 *Quod licet, hoc certe*] *O certe* scribendum videri monuimus ad Epist. Penelopes. *Heins.*

167 *Quin etiam corpus matri vix vixque remissum*] Parum enim abfuit, inquit, quin omnino ne corpus quidem filii defuncti visura mater fuerim, exercitu contendente, scil. ut illud in Germania sepeliretur.

168 *Exequiis caruit, Livia, pene suis*] *Tuis* olim legebam; quod Barthio quoque in Adversariis est probatum:

Digitized by Google

sed nil necesse: ut 'suis' sit sibi debitis exequiis. *Heins.*

170 *Inter quæque ruit*] *Inter quæ periit* vere legebat Rutgersius. Infra, 'Ille meus periit, periit arma inter et enses.' Barthius in Adversariis, *meruit*. *Inter quæque ruens* veteres nonnulli, quod Naugerius secutus. *Idem.*

171 *Frater*] Tiberius: qui nuncio valetudinis evocatus, raptim occurrerat, corpusque fratris (ut Suetonius addit) pedibus toto itinere prægrediens, Romam usque pervexit.

172 *Et Drusum prunæ*] *Primæ* plerique veteres; nisi quod Combianus cum duabus vetustis editionibus *patriæ* eleganter: quomodo Andreas quoque Naugerius nitidissimi vir ingenii, et ad Senecam Lipsius. *Heins.* *Quod licuitque*] Neque enim Drusum, sed cadaver illius reddidit.

177 *Consuluit fractis*] *Consul init* veteres nonnulli probe. Id quod jam ab aliis est deprehensum. *Heinsius.* *Consuluit fractis mærentem*] Versus haud dubie corruptus. Lego igitur pro *Consuluit*, *Consul init fractis*, &c. ut sit sensus: Is qui tum consul erat, ingreditur urbem consul ac victor, fractis fascibus, et eversis insignibus quibus scilicet casus illius significetur; qualis ergo ingressurus, et qua specie, esset, si non victor, sed victus fuisset?

182 *Gentibus adversis*] Sic lugeant; quod futurum erat, devictis ipsis, et urbibus eorum direptis.

183 *Incerti clauduntque domos*] Hoc est, promiscue omnes. Claudi etiam solent domus, et tabernæ civitatum, in publico luctu: hominesque passim cursitare, et de rebus, quæ et quales acciderint, percontari.

185 *Jura silent*] Justitium indicitur, quod item in publica clade ac luctu fieri solebat. *Sine vindice*] Sine judice.

186 *Aspicitur toto purpura nulla foro*] Ipsi etiam magistratus, qui alias prætextati incedere solebant, mutant vestem.

189 *Obscuros delubra tenent*] Latent obscuri, neque audent attollere oculos ad preces colentium, conscii invidiæ quam meruerunt clade hac Drusi.

193 *Quid ego jam credulus, inquit*] Lege cum vetustis libris, *Quid ego autem credulus:* alii, *quod ego aut*; mendose; sed verum proxime. *Heins.*

197 *Vota insuscepta reliquit*] Hoc est: Quæ suscipere, sive vovere constituerat, ea intermisit.

202 *Funeris exequiis adsumus omnis Eques*] Totus ordo equestris prosequitur funus illius. Prima autem persona utitur, ut se quoque eodem numero complectatur.

205 *Auctorisque sui*] Drusi, qui illam peperierat. *Imagine mæsta*] Specie lugubri ac funebri.

206 *Quæ victrix templis debita, &c.*] Nam triumphantes lauream in Capitolio dedicare et suspendere solebant. Meruerat autem jam ante ornamenta triumphalia, et jus ovandi, ut Suetonius tradit.

207 *Certat onus luctu*] Imo *lecti* cum uno veteri libro et Naugerio. *Heins.*

208 *Officio sedula colla dare*] Officio supremo et exequiali.

209 *Et voce et lachrymis laudasti, Cæsar, alumnum*] Apostrophe ad Augustum, ut qui ipse quoque supremos honores defuncto persolverit, ita pro concione illum laudando, ut Deos precaretur, quo similes ei Cæsares suos facerent, sibique tam honestum quandoque exitum darent, quam illi dedissent, ut ait Suetonius.

210 *Tristia cum medius rumperet ora dolor*] Cum lachrymæ intervenientes sermonem cœptum interrumperent.

211 *Tu lethum optasti, Dis aversantibus, omen, Par tibi*] Legendum et distinguendum aliquando videbatur hoc modo: *Tu lethum optasti, Dis aversantibus omen Par sibi, si sinerent ta tua fata mori.* Agit hoc loco, ut pas-

Digitized by Google

sim, poëta de Augusto, tanquam de Deo. Optasti, inquit, mori, jure Dis omen aversantibus, quod et ipsis par foret ac conveniret morituris, si fata te mori sinerent. Vulgata tamen scriptura defendi potest. *Heins.*

213 *Sed tibi debetur*] Sed tu mortalis non es, verum immortalis, et cum reliquis cœlitibus jungendus. Et hoc Poëta in adulationem Augusti addit; cui mox divinos honores Romani decrevere.

215 *Quid petiit? vult ille tibi ut*] *Quod petiit* libri veteres. Corrigendum itaque, *Quod petiit, tulit ille, tibi ut sua facta placerent:* et sic cum Naugerio codex unus antiquus. *Quod petii, tulit ille* Lipsius Epistolicis Quæstionibus; minus bene. *Heins. Quid petiit*] Scilicet, Drusus.

216 *Magnaque laudatus præmia mortis habet*] Hoc est, mortis casum compensat tua laudatione.

217 *Armatæque rogum celebrant*] Suetonius in Claudio: Cæterum inquiens, exercitus honorarium ei tumulum excitavit, circa quem deinceps statuto die quotannis miles decurreret, Galliarumque civitates publice supplicarent. *Armatæque rogum cohortes celebrant, ter clamore vocant*] Virg. Æn. XI. 'Ter circum accensos, cincti fulgentibus armis, Decurrere rogos: ter mœstum funeris ignem Lustravere in equis, ululatusque ore dedere.' Apollon. Argonautic. IV. 1534. νέκυν ἐλεεινὰ παθόντα Μυρόμενοι· τρὶς δ' ἀμφὶ σὺν ἔντεσι δινηθέντες Εὖ πτερέων ἴσχοντα, χυτὴν ἐπὶ γαῖαν ἔθεντο. Et l. I. vs. 1059. Τρὶς περὶ χαλκείοις δίχα τεύχεσι δινηθέντες Τύμβῳ ἐνεκτερέϊξαν, ἐπειρήσαντό τ' ἀέθλων Ἦ θέμις, ἀμπεδίον λειμώνιον. Quod et alii sunt imitati ex Homer. Iliad. Ψ. in funere Patrocli.

218 *Et pedes exequias*] Libri veteres *Ast*, præter Combianum, in quo *At*. Heins.

221 *Adhorruit undis*] Tres libri *abhorruit:* unus *inhorruit*, quod Naugerio arridebat. *Idem.*

222 *Sustulit e medio*] *Et medio* priscæ editiones cum Naugerio: *Et tulit e medio* Combianus. Lege *Extulit et medio*. Idem.

223 *Muscoque et arundine crinem*] Æneid. VIII. 'eum tenuis glauco velabat amictu Carbasus, et crineis umbrosa tegebat arundo.'

224 *Cæruleum magna legit ab ore manu*] *Cæruleo* margo editionis Gryphianæ. Lego, *Cæruleo magna tergit ab ore manu.* Sic Cydippes Epist. 'Spissaque de nitidis tergit amoma comis.' *Heins.*

227 *Fluminis ictu*] *Auctu* Rutgersius. Ego nil tentem temere, quanquam poteram *actu*. Idem. *Fluminis ictu*] Immisso flumine. Nam juxta Tyberim cremabatur, in campo Martio.

229 *Cursusque inhibebat equorum*] Quid cum equis Tyberino? Unus vetus liber *aquarum*, quod ex suis arripuit Naugerius: sed hoc jam præcessit. Locus mendo inquinatus. *Heins.*

231 *Sed Mavors templo vicinus*] Mars Gradivus scilicet, cujus templum non longe a Tyberi distabat.

233 *Quamquam amnes decet ira*] Alludit ad id, quod amnes, cum crescunt et exundant, maxime fremere et iratis similes videri solent.

234 *Non tibi, non ullis*] *Nullis* veteres libri. Forte, *aliis*, vel *ulli*. Heins.

235 *Iste meus periit*] Quia in bello, et apud exercitum. *Periitque arma inter et enses*] *Periit arma inter*, bene, veteres: producitur enim ultima syllaba, ut jam alibi non semel monuimus. *Heins.*

236 *Et dux pro patria: funere causa latet*] Hæc corrupta sunt haud dubie. Scaliger, *Et lux proh patriæ funere clausa latet.* Veteres omnes *funera.* Unus etiam *patriæ.* Cogitabam aliquando, *Et lux proh patriæ lumine cassa latet*, vel *jacet.* Sed hoc agit hic Mavors, ut Drusum sibi vin-

Digitized by Google

licet. Quare aliud quid exculpendum. *Idem.*

238 *Auctor abit operis*] Victæ scilicet Germaniæ, quantum ejus inter Rhenum et Albim est. *Sed tamen extat opus*] Victoria scilicet, et res gestæ.

240 *Pollice quæ certo pensa severa trahunt*] Sappho, 'Et data sunt vitæ fila severa meæ.' Perperam igitur vetustæ editiones, in quibus, *Impia quæ certo pollice pensa trahunt:* nisi *Invida pensa* reponas. *Heins. Pollice certo*] Immutabili. *Pensa severa*] Quæ non possunt exorari, ut vel breviora vel longiora ducantur. *Pensa severa*] Redi ad Epist. xv. 82.

241 *Remus Iliades*] Filius Iliæ, quæ et Rhea Sylvia dicta fuit, ex qua Mars Romulum et Remum procreasse dicitur. *Et frater conditor urbis*] Romæ scilicet, quæ a Romulo condita et appellata est. *Conditor urbis*] Ennius Ann. I. 'Certabant urbem Romamne Remamne vocarent.'

242 *Stagna profunda*] Hoc est, mortem, quoniam mortui ad inferos et stagna Acherontis descendere credebantur.

243 *De tribus*] Scilicet, Parcis. *Partem accipe muneris*] Hoc est, dimidium.

244 *Alter erit*] Scilicet, Romulus.

245 *Hic tibi*] Scilicet, conceditur: sive donatur, ut inter Deos referatur. *Cæsar promissus uterque*] Julius et Augustus: nam et ii inter Deos habiti cultique a Romanis fuere.

247 *Nec tu, Tyberine, repugna Irrita*] *Irrite* legendum, ut ex suis jam notavit Naugerius. *Heins.*

249 *Nec juvenis positi*] Drusi in rogo jam collocati.

250 *Admissis aquis*] *Immissis* veteres omnes; nec damno: atque ita ex suis Naugerius. *Heins.*

254 *Erravit*] Vagata est circa vel infra torum, ita ut ipsum non accenderet. *Lenta sub usque toro*] Veteres *sibi usque.* Lege *subitque* cum Lipsio Epistolicis Quæstionibus, *Flamma diu vanctata caput contingere vanctum Erravit, posito lenta subitque toro:* nisi malis *lenta subisse.* Sic 'lentus sedere' Tibullo I. I. El. 10. quod perperam mutant. *Heins.*

255 *Sylvas*] Materiam, sive ea quæ superimposita erant: ὕλη enim Græcis materiam significat, et sylvam. *Alimentaque sumsit*] Æneid. I. 'Suscepitque ignem foliis, atque arida circum Nutrimenta dedit, rapuitque in fomite flammam.'

256 *Æthera subjectis lambit et astra comis*] Hyperbole: pro, In altum ascendit, supra ipsum rogum.

260 *Et facilis vultus*] *Faciles* vetustæ editiones. *Heins.*

268 *Seque opus ingeniis, &c.*] Hoc est: Materiam et argumentum etiam poëtis dabit, ubi ingenia sua exerceant.

269 *Stabis et in rostris*] Hoc est: Statua tibi collocabitur pro rostris, aut in foro, cum specioso et honorifico titulo rerum gestarum; id quod olim bene meritis de republica fieri solebat.

270 *Causaque dicemur nos tibi, Druse, necis*] Quia bellum gerendo nostramque causam agendo interiisti.

273 *Aspiciam regum*] Quando scilicet in triumpho ducentur.

278 *Carnifici in mæsto carcere dandus erit*] Solebant enim triumphati hostes in carcerem conjici, et ibi a carnifice jugulari: postea cadavera eorum in publicum trahi, et vulgi oculis spectanda objici.

279 *Lætisque oculis lætusque videbo*] Ne bis idem dicat, videtur scribendum, *lentisque oculis lætisque videbo.* Sic 'lentum risum' dixit Horatius Od. II. 16. eleganter, 'Lætus in præsens animus, quod ultra est Oderit curare: et amara lento Temperet risu:' ita codices plerique; perperam *lætum risum* Muretus reposuit, cum 'Lætus' paulo ante præcesserit.

Digitized by Google

Heins. Lentis oculis] Ad satietatem spectantibus.

283 *Adjice Ledæos concordia sidera fratres*] Redit ad superiora Poëta, et ut illic facta, et rerum bellicarum titulos; ita hic quæ domi instituerit, prædicat. Ex quibus præcipuum, de quo hic meminit, templum Castori et Polluci ædificatum in foro Romano, quod postea a fratre utriusque nomine dedicatum fuit. Item Pollucis et Castoris ædem dedicavit suo fratrisque nomine de manubiis. *Ledæos fratres*] Ex Leda genitos. *Concordia sidera*] Ex iis enim Geminorum sidus constitutum antiqui crediderunt.

285 *Quam parvo numeros implevit principis ævo*] Quam brevi vitæ spacio implevit numeros, sive officium principis, bella scilicet maxima conficiendo, et urbem publicis ædificiis exornando. *Numeros implevit*] Redi ad Amor. II. 6. 40.

286 *In patriam meritis occubuitque senex*] Hoc est: Et quantum ad meritorum magnitudinem attinet, videri jam senex et multorum annorum poterat: quod res tot ac tantæ gestæ longum tempus longamque ætatem desiderabant.

287 *Nec sua conspiciet munera*] Templum suo nomine instauratum et dedicatum.

288 *Nec sua præ templi*] *Pro templi* unus ex nostris, quod Naugerio placebat. Noster Pont. II. 'Victima pro templo cur cadat icta Jovis?' *Heins. Nec sua præ templi nomina fronte leget*] Nomina, et titulos suos, in primo ingressu templi scriptos.

289 *Sæpe Nero in lacrymas*] *Illacrymans* cum eodem Naugerio, ex veteri libro. *Heins.*

290 *Cur adeo fratres heu sine fratre Deos*] Scaliger, *Cur adeo frater heu sine fratre tuo es?* Sed vulgata lectio optime habet: 'adire Deos' usitatus loquendi modus; hinc Amor. I. III. 6. Naso, 'A tenera surgit sic quisquam mane puella, Protinus ut sanctos possit adire Deos.' Propertius I. II. Eleg. ult. 'Solum te nostros lætor adire Deos.' Et I. III. El. 23. 'Cogor et undisonos cum prece adire Deos.' Tibullus I. I. El. 2. 'Num feror incestus sedes adiisse Deorum?' In obsceno carmine similiter Ep. 13. Lex. XII. tabb. apud Ciceronem I. II. de Legibus: AD DIVOS ADEUNTO CASTE. Fratres autem Dei Castores dicebantur, aut fratres κατ' ἐξοχὴν, quomodo eosdem τῷ θεῷ Græci, Lacones τῷ σιῷ dixerunt. Naso Pont. II. El. 2. 'Fratribus assimilis quos proxima templa tenentes Divus ab excelsa Julius æde videt.' Fast. I. I. 'Fratribus illa Deis fratres de gente Deorum Circa Juturnæ composuere lacus.' Suetonius Caligula: 'Æde Castoris et Pollucis in vestibulum transfigurata consistens, sæpe inter fratres Deos medium adorandum se adeuntibus exhibebat.' Quare et gratificaturi Tiberio postmodum, affectum ejus erga Drusum cum affectu Castorum componebant. Valerius Maximus I. V. 5. postquam Tiberii pietatem in Drusum multis commendarat: 'His scio equidem nullum aliud quam Castoris et Pollucis specimen consanguineæ caritatis convenienter adjici posse.' *Idem. Cur adeo fratres heu*] Cur ego fratrum Deorum templum dedico, Castoris et Pollucis scilicet, fratre ipse meo spoliatus, &c.

292 *Hæc te debuerant tempora*] Hæc tempora te nobis referre sive restituere debebant. *Victor erus*] Devictis scilicet jam Germanis.

293 *Consule nos*] Caremus scilicet. Erat enim eo anno consul, quo periit.

294 *Invenit tota*] *Invenit et* Mediceus. Reliqui omnes *Invenit in tota.* Puto, *Invenit en tota.* Heins. *Invenit en tota maror in urbe locum*] Ita quidem vulgo legitur. Puto autem legendum esse, *Invenit hic tota maror in urbe locum.* Est autem translatio;

Digitized by Google

quasi dicat: Neque hic mœror ad tuos tantum pertinet, sed et ad omnes qui in tota urbe sunt pervenit.

295 *At comitum squalent*] Squalore luctum præ se ferunt. *Immissis capillis*] Pro promissis: ut mos lugentium erat.

296 *Infœlix turba*] Propter amissum ducem.

299 *Quid referam de te*] Nova querelæ amplificatio, a persona conjugis Drusi. Fuit autem hæc Antonia, M. Antonii ex Octavia sorore Augusti filia, ex qua Drusus Germanicum et Claudium Cæsarem genuit.

300 *Atque eadem Drusi digna parente nurus*] Livia. Hujus enim nurus fuit Antonia.

302 *Altera jam forti*] Lege *tam forti*. Heins.

303 *Tu filia Cæsaris illi*] Distingue cum priscis libris, *tu filia Cæsaris: illi Nec minor es magni conjuge visa Jovis*. Idem. *Tu filia Cæsaris*] Eodem te loco ille habuit, ac si filia Cæsaris fuisses. Neque enim filia, sed neptis Augusti fuit.

306 *Et mota in nomen frigida lingua tuum*] Hoc est: Etiam jam moriens, et frigescere incipiens, tui meminit.

309 *Infœlix recipis, non quem promiserat ipse*] Heu te infœlicem ac miseram, quæ alium illum recipis quam ipse se rediturum promiserat: nam victorem se rediturum promiserat.

312 *Ensibus et Suevos terga dedisse suis*] Fuerunt tum Suevi qui ad Albim habitabant. Et notum est, Drusum ad Albim usque arma protulisse.

314 *Et si quid miri vidit in orbe novo*] Hoc est, Germania, quæ hactenus Romanis, tanquam alius orbis, incognita fuerat. Neque enim Julius Cæsar nisi extremam illius partem viderat, transgressus in alteram ripam Rheni, ponte circa Agrippinam Coloniam facto.

315 *Frigidus*] Mortuus. Virgil. VI. de Miseno: 'corpusque lavant frigentis et ungunt.'

316 *Quæque premat, sine*] Torus funebris scilicet, qui rogo imponebatur, cui mortui corpus impositum, una cremari solebat.

319 *Religatus ad axem*] Redi ad Epist. I. 86.

321 *Hoc fuit Evadne*] Evadne uxor Capanei fuit, unius ex septem ducibus qui contra Thebas profecti fuerunt. Hæc igitur, interfecto fulmine marito, eo quod jactaret temere, se invito Jove Thebas capturum esse, in tantos luctus et dolores exarsit, ut rogo quo mariti corpus cremabatur, se ultro immiserit, atque una cum illo vitam finierit. *Ferienda coruscis*] *Furibunda* prima editio. Puto, *feriunda*; sic 'potiunda' et similia apud Ovidium. *Heins.*

322 *Capaneus*] Eurip. Suppl. 640. Ὃν Ζεὺς κεραυνῷ πυρπόλῳ καταβαλοῖ. Quod Statius Thebaid. X. magnifice: 'Talia jactantem toto Jove fulmen adactum Corripuit: primæ fugere in nubila cristæ: Et clypei niger umbo cadit. Jamque omnia lucent Membra viri,' &c.

323 *Amplexaque natos*] Germanicum scilicet et Claudium, quæ pignora sola, tu relicta, sive vidua, de Druso reliqua habes. Habuit autem et filiam Livillam nomine, ut Suetonius in Claudio affirmat.

329 *Ille pio in arvo*] Hoc est, campo Elysio, ubi gentium opinio fœlices umbras conquiescere post hanc vitam credidit.

331 *Magnaque maternis majoribus gloria*] Magna gloria existens avis, sive majoribus maternis, a quibus Livia genus suum traxit, a Claudiis scilicet et Liviis. *Æqua paternis*] Neronibus scilicet et Claudiis. Nam ex Claudiorum stirpe utrumque genus traxit, paternum a Tiberio Nerone, maternum ab Appio Pulchro.

332 *Quadrijugis aureus ibit equis*] Hoc est, triumphum ducet. Et alludit ad id Poëta, quod veteres credidere, quæ quisque studia apud supe-

Digitized by Google

ros tractarit, iisdem et post mortem exerceri solere.

333 *Regalique habitu*] Qualis triumphantium esse solebat. *Curruque eburno*] Triumphali, in quo solia eburnea ponebatur.

334 *Tempora vinctus*] Coronatus. *Fronde triumphali*] Laurea. Ea enim triumphantium erat.

336 *Consulis imperio conspicuum decus*] Et præterea fascea, aliaque consulum insignia. Per quod Poëta illud quoque indicare voluit, quod eo anno, quo mortuus est Drusus, idem consul quoque fuerit designatus.

337 *Gaudebuntque suæ merito cognomine gentis*] Gaudebunt ad nomen suæ gentis, hoc est, Neronum et Drusorum, etiam Germanici titulum accessisse.

338 *Quod solum demito*] Scribe *solus* cum veteri libro. Primo enim Druso inter Romanos Germanici nomen est delatum. *Heins.*

339 *Cepisse tot annos*] Intra tam paucos annos confici potuisse.

340 *Magna viri latum quærere facta locum*] Pro factis illius amplis, etiam ampliorem illi ac digniorem locum assignandum esse: aut, magna atque egregia facta, etiam magnum spacium sive tempus gerendi postulare; ut 'locus' pro temporis spacio accipiatur.

341 *Hæc ipsum sublime ferent*] Pro, in sublime, adverbialiter: hoc est, extollent, et Diis parem facient.

343 *Fœmina digna illis, quos aurea condidit ætas*] Quæ aureo seculo illo vixere; hoc est, digna quæ cum heroum uxoribus, quas antiquitas celebravit, compareris.

344 *Principibus natis*] Tiberio et Druso. *Principe digna viro*] Cæsare Augusto.

346 *Quo surgas aspice*] Hoc est, Cui ejus nupta, ex cujus thalamo, prodeas mane: Cæsaris scilicet, et summi principis.

347 *Non eadem vulgusque*] Non eadem vulgo et principibus conveniunt: illi leviores et vulgares affectus conveniunt; principibus et præstantibus viris convenit virtus ac fortitudo.

348 *Ista domus*] Cæsarum. Secura videtur esse: Præcipue autem præstare domus Cæsarum hoc debet, ut videat quid se deceat, ne vulgare quid aut molle in se admittat.

349 *Imposuit te alto Fortuna, locumque tueri*] Libri veteres *alte*; ut supra diximus. Deinde *locumque tueri* ex Combiano et priscis editionibus scribendum. *Heins.*

351 *Ad te oculos auresque trahis*] Omnes te aspiciunt, te observant: et quicquid facis vel dicis, id omne in conspicuo positum est. *Ad te oculos auresque trahis*] Quod Claudian. in IV. Consul. Honor. præclare explicat: 'Hoc te præterea crebro sermone monebo: Ut te totius medio telluris in orbe Vivere cognoscas: cunctis tua gentibus esse Facta palam; nec posse dari regalibus usquam Secretum vitiis.'

353 *Alta mane*] Altum ac fortem animum habe, scil. qui hæc terrena despicere et velut ex alto contemnere possit.

354 *Infragilemque animum*] Firmum ac fortem, ut præsenti clade non frangaris animo. *Quo potes*] Quod cum veteribus libris. *Heins.* *Infragilemque animum*] Inconcussum et immotum. Hinc tamen non sequitur infractum idem significare, quod docimus supra, Amor. II. 9. 52. in vocab. *indeserta.* Cui addimus ex Virg. VII. 'ne noster honos, infractave cedat Fama loco.' Et. l. IX. Æneid. 'torpent infractæ ad prælia vires.'

355 *An melius per te virtutum exempla petemus*] Non potes melius virtutis exemplum nobis cæteris præbere, quam si in præsentia te principe dignum geres: hoc est, fortem et immotam ad hæc domestica mala.

Digitized by Google

356 *Quam si Romana*] Quia tu vetustæ editiones: et tum superiori versu *Jam mélius* sit legendum. *Heins.*

359 *Tendimus huc omnes*] Ad navem Charontis scilicet: hoc est, ad mortem.

361 *Ecce necem intentam cœlo*] Etiam cœlum, terra, et mare interitura dicuntur, inquit, quo minus tu jam graviter filii interitum feras.

362 *Casurum triplex vaticinatur opus*] Lege, *Casurumque triplex vaticinantur opus*: ut Sibyllina Oracula aut Philosophos intelligat, Epicureos potissimum, qui mundum non fore æternum censebant. Ovidius Trist. lib. II. 'Explicat ut causas rapidi Lucretius ignis, Casurumque triplex vaticinatur opus:' sic enim scribendum, cum *Casurumque* insulse extet in libris vulgatis; quod magno Scaligero temere persuasit, hoc etiam loco *Casurum* reponendum esse. Ad Lucretii illa respexit noster lib. v. 'tria talia texta Una dies dabit exitio.' *Heins.*

366 *Et qua natus erat, &c.*] Gloria domus Cæsareæ.

367 *Sed mortalis erat*] *Erit* veteres plerique. Forte refingendum *enim*; nam 'erat' jam præcessit. *Heins.*

369 *Vita data est utenda*] Γνόμη. Vita nulli propria atque perpetua est, sed velut usui nobis data: quam qui dedit, quovis tempore repetere potest. Sic et Lucretius: 'Vitaque mancipio nulli datur, omnibus usu.'

371 *Arbitriis tempus dispensat ubique*] *Inique* veteres nonnulli. Emenda *arbitriis iniquis*. Heins.

372 *Illa rapit juvenes: sustulit illa senes*] Imo *sustinet*, cum iisdem veteribus libris, etiam Naugerianis. Frustra vulgatam lectionem Scaliger tuetur. Ad verbum fere hæc expressit Cælius Firminianus Symposius in Catalectis veterum poëtarum, carmine de Fortuna: 'Hæc aufert juvenes et retinet senes, Injusto arbitrio tempora dividens.' *Idem.*

373 *Totumque per orbem fulminat*] Hoc est, fulminis more omnia, quæ vult, prosternit.

376 *Potentis heræ*] Dominæ Fortunæ. Cicer. pro Marcell. 'Quin etiam illa ipsa rerum humanarum Domina Fortuna in istius se societatem gloriæ non offert.' Et in I. Officior. ex Ennio, 'Ferro non auro vitam cernamus uterque, Vosne velit, an me regnare, Hera, quidque ferat, fors.'

379 *Nata quod es alte*] *Alte es* veteres plerique, ne peccet in rationem metri versus. Sed puto scribendum *Nata quod es celse*: ut in illo Statii, 'et celse natorum æquavit honori:' vel, *Nata quod excelse es*. Nam Naugerii codices, *Nata quod ex alto es*. Heins.

382 *Gessit et invicta prospera bella manu*] *Gestat* libri veteres: an *Gestat tela?* Idem.

383 *Nerones*] Drusus et Tiberius Drusi Neronis filii. *Spes maternaque vota*] Ut scilicet bellis invicti forent, devictis ubique hostibus redirent, ipsi Augusto grati ac chari essent, &c.

384 *Quod pulsus toties*] Ut Rheti et vicini populi ab utroque duce: a Druso autem et Germani.

385 *Rhenus et Alpinæ valles*] Hoc est, Rheti, qui a fontibus Rheni incipientes, per valles Alpium ad Noricos usque pertinebant.

386 *Testis Itargus*] *Iturgus* Scaliger. Sed omnino de hoc loco consulendus in Germania antiqua diligentissimus Cluverius, qui receptam scripturam tuetur. *Heins.*

387 *Danubiusque capax*] *Rapax* in Combiano est et duabus vetustis editionibus. Vide notas Fast. IV. 568. Sequentia valde depravata sunt. *Idem.*

389 *Armeniusque fugax*] De Armeniis a Tiberio superatis, etiam meminit Eusebius in Chronicis, et Paterculus libro II. *Et tandem Dalmata supplex*] Quia aliquoties victi, rursum defecerant ac rebellarant.

390 *Pannonis*] Hos Augustus per

Digitized by Google

Virbium ducem domuit, ut Florus tradit: ut autem Livius, per Tiberium Neronem, Drusi fratrem.

391 *Et modo Germani*] *Germanus orbis* cum Mediceo reponatur. *Heins.*

392 *Aspice quam meritis*] Emendandum puto, *Aspice quod meritis culpa sit una minor.* Idem. *Aspice quot meritis culpa sit una minor*] Epiphonema, quo superiorem locum concludit, et Liviam admonet, ut collatis inter se bonis ac malis, quæ a fortuna acceperit, cogitet se longe majora ac plura hactenus accepisse, quam quæ cum præsenti clade ac morte filii conferenda sint. *Culpa una*] Fortunæ scilicet, quia filium abstulit. *Quam meritis minor*] Pro, quanto minor beneficiis ante datis.

393 *Adde quod est absens fletus*] *Functus* cum Mediceo et Combiano repone. Sic in Sabini epistola secunda, 'functæ prope sortis anus,' est prope mortua: idque Lipsio in mentem venit. Alii duo codices *fœtus*, quod editiones nonnullas occupavit. *Heins. Adde quod est absens fœtus, &c.*] Ita vulgo legitur: sed legendum *fletus*, aut *functus*. Ita enim et sententia postulat. Cum enim Liviam monet Poëta, ut præsentem cladem moderatius ferat, etiam illud pro argumento adducit, quod absens defletus est, aut defunctus: neque necesse fuit coram morientem illum aspicere: levius enim feriunt animos mala, quæ absentibus accidunt, quam quæ in oculos incurrunt, et coram aspiciuntur.

394 *Semineces oculos*] Oculos in morte natantes: ut supra vs. 93.

395 *Qui dolor et menti*] *Quique dolor menti* vetustæ editiones. *Heins.*

396 *Acciperes luctus*] Lege *Accipere es*: quomodo Rutgersius; neque aliter veteres libri. *Idem.*

402 *Flammifera petiit cum*] Hoc est, fulmine percussit. Fortassis autem intelligit ea, de quibus mox meminit, Junonis, Minervæ, et Cæsaris aliquid, sive a Cæsare conditum, aut dedicatum.

403 *Junonisque gravi nocte*] Hoc distichon aut adulterinum est, aut pro conclamato habendum. Combii codex *Junonisque Grais notæ*: primæ editiones, *gradus note*. Heins. *Impavidæ Minervæ*] Utpote bellicæ Deæ: unde et ἀτρυτωνὴ ab Homero dicitur, hoc est, indomita.

404 *Sanctaque et immensi Cæsaris icta manus*] *Sanctaque divini* quidam ex veteribus. Forte, *Sancta quoque immeriti Cæsaris icta domus.* Nam *domus* in suis invenit Naugerius. *Heins. Immensi Cæsaris icta munus*] Intelligo statuam Cæsaris de cœlo tactam, manumque ejusdem parte aliqua læsam.

406 *Lucifer et solitas destituisse vias*] Quia mane ante solem non apparuit solito more, propter nubes scilicet, et obscuritatem aëris.

408 *Stella non præeunte*] Scilicet Lucifero, qui diem ipsum antecedere, et orientem significare solet.

410 *Et mergi Stygia nobile numen aqua*] Lege omnino *lumen*; et sic una ex vetustis editionibus cum Scaligero. *Heins.*

411 *At tu qui superes*] Apostrophe ad Tiberium, cui precatur, ut longævitate mortem Drusi compenset. *Superes solatia matri*] Qui reliquus existens, solatium matris es, quo illa amissum alterum compensat, casumque suum solatur.

413 *Perque annos*] Vivas longævus, et tot annos, quot pariter utriusque vitæ debebantur.

414 *Et vivat nato*] Et mater Livia tecum vivat, et anus fiat.

417 *Tu tamen ausa potes*] Hæc omnia corruptissima sunt. Sensus utcunque constabit si *usque potes*, vel, *ora potes* refingatur. *Heins. Tu tamen ausa*] Redit ad Liviam, et tacite corripit, quod tantum dolorem ob filii mortem ceperit, ut etiam inedia perire statuerit: adeoque etiam periisset, inquit, nisi Cæsar illi subvenisset, &c.

Digitized by Google

420 *Cæsar opem*] Augustus, qui etiam invitam et detrectantem cibum sumere adegit.

421 *Et jus immiscuit illis*] Simul rogavit et imperavit.

423 *Nec minor est nato*] Etiam filius, scilicet Tiberius, non minorem curam in te recreanda adhibet. *Servandi cura parentis*] Imo *servandæ*, ut vere Combianus et primæ editiones. *Heins.*

425 *Conjugis et nati*] Incertum est, Drusi uxorem Antoniam, an Juliam Tiberii, Augusti filiam intelligat. *Meritum pervenit ad omnes*] Conjunctum cum salute publica. Omnium quippe intererat te vivere, nec inedia perire.

431 *Ille redemtus ad ignes*] Redi ad Art. Amat. I. 41.

432 *Nullaque umbra renavit*] Hinc a Virgil. Æneid. VI. dicitur 'ripa irremeabilis undæ.' Et deinde ibid. 'Fata obstant, tristique palus inamabilis unda Alligat, et novies Styx interfusa coërcet.'

433 *Populator Achilles*] Plautus alludit in Milite IV. 2. 63. 'Age, mi Achilles, fiat quod te oro. Exprome benignum ex tete ingenium, urbicape.' Ex Homero, qui aliquoties πολίπορθον eum appellat: quod Cicero epitheton soli Ulyssi tribui affirmat in Epist. XIII. ad Plancum. X. Familiar.

435 *Illi cæruleum Panope*] Hoc est, illius mortem flevit etiam Panope soror Thetidis, dissoluto ac sparso per colla crine, perinde ut lugentes solent.

437 *Consortes Deæ centum*] Consortes Deas, ejusdem generis et conditionis vocat, Nereides scilicet.

439 *Et Thetis*] Thetis mater Achillis.

441 *Prisca quid huc repeto*] *Hæc* Mediceus. *Heins. Marcellum Octavia flevit*] Filium ex Caio Marcello natum, de quo supra.

442 *Et flevit populo*] Ipse Octavius utrumque, hoc est, Marcellum et Drusum, palam seu coram populo, hoc est, publice flevit, quando funebribus orationibus illos laudavit.

444 *Non ulla fila tenenda manu*] *Renenda;* quomodo et Salmasius ad Inscriptionem Herodis Attici tam hic quam Fast. VI. 'At Clotho Lachesisque dolent sua fila reneri.' Apud Statium tamen in Sylvis, 'parcarum fila tenebo. Extendamque colos:' nisi et illic *renebo* legendum. Ἀνακλωθῆναι Græcis: apud Lucianum, τὰ μὲν πραχθέντα οὐδὲ Κλόθω ὅτι ἀνακλώσειεν ἔν. 'Revolvere fila' dixit Metam. l. II. 654. ubi vide quæ notamus. *Heins.*

445 *Ipse tibi emissus nebulosum littus Averni*] Mediceus et Combianus cum prima editione, *nebulosi in littore;* recte si tollas τὸ *in*, quod supervacuum est. *Idem. Ipse tibi emissus*] Prosopopœia defuncti filii. *Averni*] Palus est Campaniæ, pestiferi halitus: unde finxerunt poëtæ, descensum sive aditum ad inferos ibi esse. *Averni littore*] Λιμνὴ ἄορνος, Lycophr. Cassandr. unde nomen ducat, clare docet Lucret. VI. 'Nunc age, Aorne, tibi quæ sint loca juncta, lacusque Expediam, quali natura prædita constent. Principio, quod Aorna vocantur, nomen id ab re Impositum est, quia sunt avibus contraria cunctis.' Id quod Virg. VI. transtulit, et expolivit: 'Spelunca alta fuit, vastoque immanis hiatu, Scrupea, tuta lacu nigro, nemorumque tenebris: Quam super haud ullæ poterant impune volantes Tendere iter pinnis: talis sese halitus atris Faucibus effundens supera ad convexa ferebat: Unde locum Graii dixerunt nomine Aornon.' Post Virgil. Silius XII. 'Stagna inter celebrem nunc mitia monstrat Aornon: Tum tristi nemore atque umbris nigrantibus horrens, Et formidatus volucri, letale vomebat Suffuso virus cœlo.' Vide Strabon. Geogr. lib. I. Apollodor. I. Bibliothec. Ἐφέρετο δὲ πολλὴ μὲν ὀπ' αὐτῶν ὁμίχλη, πολὺς δὲ πάταγος, ἦν δ' ἀδύνατον καὶ πετεινοῖς δι' αὐτῶν ἐλθεῖν.

Digitized by Google

449 *Hic ævum fuit implendum*] Factis scilicet vita extendenda fuit, non ætate, non annis ociosis atque inertibus.

450 *Hostibus eveniat longa senecta metu*] Scribe, *Hostibus meis*, etiam Scaligero id probante. *Heins.*

451 *Hoc atavi monuere mei, proavique*] Appii scilicet. Nam ex gente Claudiorum utrumque genus traxit, ut Suetonius affirmat; paternum a Tiberio Nerone, maternum ab Appio Pulchro, qui ambo Appii Cæci filii fuerunt. Insertus autem et Liviorum familiæ fuit, adoptato in eam materno avo.

452 *Fregerunt ambo Punica bella duces*] Arbitror Claudium Caudicem intelligi, et Claudium Neronem: quorum qui Caudex cognominatus fuit, primus freto trajecto Pœnos Sicilia expulit, bello Punico primo. Alter autem adventantem ex Hispania cum ingentibus copiis Asdrubalem, priusquam Annibali fratri conjungeretur, oppressit.

453 *Hoc domus ista docet*] Scilicet Cæsaris, in quam ipse quoque ascitus sum per te, ducta uxore scilicet altera Antoniarum, ex Antonio et sorore Augusti Octavia genita, et cohæres Augusti liberis institutus: ut Suetonius in Claudio.

454 *Exitus hic*] Scilicet tantis rebus gestis, tantaque parta gloria.

455 *Nec meritis quicquam illa juvant*] Locus corruptus. Quid si reponamus, *Nec meritis quicquam illa juvat, magis obfuit iste, Mater, honos.* Nil, inquit, mihi adoptivo profuit domus Cæsaris: imo magis obfuit, dum tituli et honores festinantur. Lipsius in Epistolicis, *magis affluit illis*, et sic codex Romanus. Gronovius suis ad me literis, *Nec meritis (quanquam illa juvant magis) abfuit istis, Mater, honos*, Inducit ipsum Drusum matri pro solatio ingerentem res a se gestas. Tum subjicit: Etsi majus in his momentum, tamen et illud pro solatio valere potest, quod virtus mea illustri gratia excepta est, quod pro ea honores et præmia tributa sunt. Hæc vir ille sagaciissimus, quibus subscribo. *Heins.*

456 *Titulis nomina plena vides*] Vides nomen meum copiose atque prolixe ornatum variis titulis, ut sequitur.

457 *Et ignoti*] Suetonius: Senatus decrevit ei Germanici cognomen posterisque ejus, &c. *Ignoti orbis*] Nam ante Drusum nemo Romanorum ducum ad interiorem Germaniam pervenerat.

458 *Qui fuit heu mortis*] Lege *Cui fuit*, atque ita Lipsius ad Tacitum. *Heins.*

461 *Decursusque virum*] Cæterum, inquit idem Suetonius, exercitus honorarium tumulum ei excitavit; circa quem deinceps statuto die quotannis miles decurreret, Galliarumque civitates publice supplicarent. *Donaque regum*] Principum Galliarum et Germaniæ.

462 *Cunctaque per tituloe*] *Victaque* præstabit scribi, ni fallor. Pro *oppida lecta* malim quoque *lata*, a ferendo: cujus verbi usus est frequens cum de tropæis aliisque rebus agitur, quæ in triumpho aut ferali pompa circumferebantur. Ipse Ovidius Trist. 'Crinibus en etiam fertur Germania passis.' *Heins.* *Victaque per tituloe oppida lecta suos*] Scilicet quæ ab ipso devicta aut capta fuerant, quæ in pompa funebri etiam ipsa tum prælata velut in triumpho fuere.

464 *Quæ fuit ante meum*] Parum abest, quin refingam, etsi audaciori conjectura, *Quæ subiere meum tam generosa torum:* ut supra, 'Certat omnis lecti studiosa subire juventus.' *Heins.* *Quæ fuit ante meum tam generosa torum*] Neque hic locus omnino planus est. Quid enim per generositatem istam intelligamus, quam juventus ante torum, sive lectum, in quo cadaver mortui Drusi positum, et ad sepulturam elatum fuit, speo-

Digitized by Google

tandum dedit? nisi si quos fuisse Poëta innuat, qui se quoque interfecturi fuerint dolore amissi ducis.

466 *Et merui*] *Emerui* cum Mediceo, nec aliter Naugerius: sic Ovidius passim, pro merui. *Heins.*

467 *Et cuiquam miserandus ero*] Conclusio, quasi dicat: Nulli igitur miserandus videri debeo, quod paucos annos vitæ impleverim: sed potius celebrandus, qui tantam rerum gestarum gloriam tantosque honores consecutus sum.

469 *Si quid modo sentit in umbra*] Achilles de Patrocli umbra, Iliad. Ψ. 108. Ὦ πόποι, ἦ ῥά τίς ἐστι καὶ εἰν Ἀΐδαο δόμοισι Ψυχὴ καὶ εἴδωλον, ἀτὰρ φρένες οὐκ ἐνιπάμπαν. Eurip. Helen. vs. 1020. et seqq. ὁ νοῦς Τῶν κατθανόντων, ζῇ μὲν οὐ, γνώμην δ' ἔχει Ἀθάνατον εἰς ἀθάνατον αἰθέρ' ἐμπεσών.

470 *Nec tu de tanto crede minora viro*] Ne credas illum, tantum præsertim virum, minora, hoc est, humiliora aut molliora, de seipso statuere quam qualia hactenus a nobis sub illius persona recitata sunt.

471 *Filius*] Tiberius, qui virtute sua unus pro multis erit.

472 *Parsque tui partus sit tibi salva prior*] Lego *it tibi salva:* ut in istis Ovidii Fast. IV. 'Sospes eas semperque parens.' Elegia de Nuce, 'Incolumis tanto præside raptor eat;' ut scribendum censeo. Met. II. 'Tutus eas: lapis iste prius tua furta loquetur.' Epistola Leandri, 'I felix littera, dixi.' Rem. Amor. 'Ille Machaonia vix ope sanus eat:' sic vetus liber. *Heins. Pars tui partus prior*] Grandior enim natu Tiberius fuit, et ante Drusum natus.

473 *Est conjux tutela hominum*] Eoque enim et pater patriæ appellatus fuit, et Augustus.

NUX, ELEGIA.

3 *Obruere*] Obruitur proprie, qui vi, qui subito, qui multitudine opprimitur. Nec ineleganter *capit* dictum est, pro fert. *Erasm. Manifestos nocentes*] De quibus vel indemnatis supplicium jure sumi possit: cum eorum delicta sint omnibus manifesta. *Dom.*

4 *Publica*] Popularis ira. *Lentam*] Segnem, pigram, tardam: ab effectu. *Dom.*

5 *Nil ego peccavi, &c.*] Ludit Poëta, nimirum in argumento ficto ludicroque. Nam alioqui, quod Nux injuriam vocat, prodest ad fertilitatem. Etenim si nuces perticis decutiantur, copiosius proveniunt in proximum annum, quam si decerperentur. *Erasm. Nisi si peccare videtur*] Quidam scripti *fatetur*, vel *fatemur*. Meliores tamen *docetur*. Regius *vocetur*, recte; nisi quod *vocatur* malo: id enim Latinius. Met. X. 'Quæ mea culpa tamen? nisi si lusisse vocari Culpa potest, nisi culpa potest et amasse vocari.' *Heins.*

9 *Cum domini memores*] Olim quæque arbor suo Deo sacra erat, in cujus tutela credebatur esse: vitis Baccho, olea Minervæ, esculus Jovi, &c.

10 *Agricolæ fructu proveniente Deos*] Lege *Agricolas Deos*, quicquid libri veteres dissentiunt. Met. VIII. 'Cœptus ab agricolis superos pervenit ad omnes Ambitiosus honos.' Sic et Priapus 'Ruricola Deus' poëtis.

Digitized by Google

Posset et *Agricolam Deum* legi, quemcumque Deum agricolam. Sic Tibullus lib. I. Eleg. prima, ' Et quodcunque mihi pomum novus educat annus, Libatum agricolæ ponitur ante Deo:' ubi nihil mutandum; quamquam *Agricolas ante Deos* nonnulli legunt: aut si quid mutetur, pro *Libatum* libens reponam *Libandum*. Idem Tibullus Eleg. 5. ' Illa Deo sciet agricolæ pro viribus uvam, Pro segete spicas, pro grege ferre dapem.' Et l. II. Eleg. 1. ' dum carmine nostro Redditur agricolis gratia cælitibus.' *Proveniente*] Certe primi fructus, quos hinc Latini primitias appellant, Græci ἀπαρχὰς, Diis consecrabantur: quo videlicet in proximum annum augerent etiam arborum fœturam. *Erasm.*

12 *Oleas*] Pro olivis dixit. Est enim olea arbor, oliva bacca. *Suas*] Quas ipsa invenit.

13 *Matrem*] Ipsam arborem, quæ velut mater fructus gignit. *Ramo laboranti*] Præ multitudine et magnitudine fructuum. *Dom.* *Pomaque læsissent matrem*] Sic Ovidius: ' Aspice curvatos pomorum pondere ramos, Ut sua quod peperit vix ferat arbor onus.' Furcis autem suppositis fulciuntur rami impares oneri. *Erasm.*

14 *Furca*] Pertica in duo cacumina divisa, dicta a ferendo.

17 *At postquam platanis*] Postquam, inquit, major honos platanis sterilibus quam fructiferis arboribus haberi cœpit, cæteræ arbores, quæ antea fructus annuatim ferebant, sterilescere cœperunt. Horat. Od. II. 15. *Platanis*] Platanus arbor est sterilis, sed voluptatis et umbræ causa expetitur; maxime enim latas umbras efficit. Plin. lib. XII. *Dom.* *Steriles umbras*] *Sterilem umbram* meliores libri: et sequenti versu *honos* pro *honor*. Heins.

18 *Venit honos*] Plinius de platanis loquens lib. XII. ' Tantum,' inquit, ' postea honoris increvit, ut mero infuso enutrirentur: compertum id maxime prodesse radicibus.' Et apud Macrob. lib. III. Saturn. ' Hortensium platanos suas vino irrigare consuevisse.'

19 *Nos quoque fructiferæ*] *Frugiferæ* scripti plerique; nec respuendum. Jurisconsulti certe tam frugiferas arbores quam fructiferas agnoscunt: frugiferarum Columella non semel meminit. Tacitus de Germania, ' Satis ferax, frugiferarum arborum impatiens.' Apud Plinium lib. XV. titulus est, ' Natura frugiferarum arborum.' Habes et ' frugifera arbusta' apud Minutium Felicem in Octavio. Cicero lib. V. Tuscul. Quæst. ' Neque est ullum arboris genus, quod non ita vigeat interiore quodam motu, et suis quoque seminibus inclusis, ut aut flores, aut fruges fundat, aut baccas.' Cornificius apud Servium ad lib. I. Georg. ' Ut folia quæ frugibus arboreis tegmina gignuntur.' Quercum et ilicem inter frugiferas ponit Horatius, sed improprie, Sat. I. 16. ' si quercus et ilex Multa fruge pecus, multa dominum juvet umbra.' Nemesianus Eclog. 1. ' Dant Fauni quod quisque valet: de vite racemos, De campo culmos, omnique ex arbore fruges.' Columella, ' Quo Bacchi genus, aut aliena stirpe gravata Mitis adoptatis curvetur frugibus arbor.' *Heins.*

26 *Ista*] Ordo est: Ista querela fuit digna Clytæmnestra. *Dom.* *Ista Clytæmnestra, &c.*] Est quidem, inquit, hæc querela mihi cum Clytæmnestra communis: cui nocuit peperisse, propterea quod ab Oreste filio sit occisa. Verum illi minus justa fuit hæc querela, quod ipsa prius occidisset maritum, scelus scelere provocans: ego nihil commisi, nisi quod pario. *Erasm.*

28 *Palladis arbor*] Meditatur esse quod est ipsa Dea, quæ sterilis est, et virgo: ut nec periphrasis sit ociosa. *Erasm.*

30 *Sylvas*] Sylvas autem materias

Digitized by Google

vocat, inter quas sunt pyrus et malus: cum vitis et aliæ quædam sint inutiles materiis. *Erasm.*

33 *Nunquam tamen ulla feritur*] Repone *nunquid* ex melioribus libris: et sequenti versu, *sola conspicienda coma est*. Vide Notas Epist. XVI. 364. *Heins.*

34 *Sola coma*] Solis frondibus.

38 *Nudaque detecto cortice*] *Dejecto* scripti plerique; unus, *delecto;* alius *dijesto;* vetusta editio, cum Bartholini et Langermanni libris *decerpto*. Lege, *derepto cortice*. Adi notas ad lib. I. Amorum Eleg. 5. Fabricius *direpto*. Heins.

39 *Sed spes inducta rapinæ*] *Indicta* Mentelii liber: alius *illustra: indulta* Fabricii codex. *Idem.*

41 *Sic reus ille fere est, &c.*] Confirmat argumentum exemplis. Erat olim sceleratissimum quæstus genus sycophantarum et quadruplatorum, qui divitibus intendebant calumniam, ut ex lite aliquid abraderent. Huic malo non erant obnoxii, quibus nihil erat. *Erasm.* *Sic*] Quemadmodum ego. *Reus est*] Id est, reus sit, et condemnatur. *De quo victoria lucro*] Qui si condemnetur, judicem lucrum consequetur.

43 *Insidias*] A grassatoribus et latronibus. *Qui scit se ferre*] Subaudi aliquid, ut aurum, argentum, et cætera id genus preciosa.

44 *Cur timeat*] Lege *Cui timeat;* quod et Mario Nigro videbatur. *Heins.* *Inanis*] Carens nummis, et hujusmodi rebus preciosis: ut est illud, 'Cantabit vacuus coram latrone viator.'

45 *Quia causa petendi est*] Ob fructus scil. quos fero. *Dom.* *Causa petendi*] Petendi dixit passive, causa cur petar. *Erasm.*

46 *Cætera turba viret*] *Virent* Ambrosianus. *Heins.* *Cætera turba*] Contemptim dixit turbam infrugiferarum arborum. *Erasm.*

47 *Nam quod habent frutices aliquando proxima nostro*] *Nobis* potior scriptorum pars. Pro *aliquando* legendum *alii quoque* cum Moreti codice: Lovaniensis ex nostris et Fabricii codex *alioquin*. Heins.

48 *Fragmina*] Fragmenta, ramos fractos. *Læso vimine*] Fractis virgultis. *Quod læso vimine*] *Collæso* duo veteres: sed probo quod Ambrosianus habet, *quæ læso*. Heins.

51 *Idque fide carent*] Homo caret fide, cui non creditur. Res caret fide, quæ non creditur. Est autem elegans ingressus ad argumentum irrefutabile. Mentiar, si non hoc ipsa res loquitur. *Erasm.*

53 *Mentem*] Animum, voluntatem: id est, si ipsi fruticeſ et herbæ sensum haberent, et verbis eum exprimere possent. *Dom.* *Ergo si sapiant, &c.*] Jucundum Πάθος est, exaggeratione mali. Crudele erat, ob fœcunditatem sic lædi: sed intolerabilius malum, si calamitati addatur odium, præsertim vicinarum, a quibus expedit amari. *Erasm.*

58 *Inveniat dederit quid mihi præter humum*] Vetusta editio cum Mediceo codice, *Invenies quod det nil mihi:* alia cum tribus scriptis, *Invenias dederit quid mihi:* unus *Invenies dederit quid mihi:* alius, *Inveniat:* duo, *Inveniat si quid det mihi*. Lege, *Invenias, qui det nil mihi, præter humum;* nam in uno Vaticano, *Inveniet qui det nil*. Heins.

61 *Me, sata, &c.*] Ordo est: Fundus imus habet me in margine extremo, ne lædam sata, quoniam dicor lædere sata. *Lædere dicor*] Callide, nec inficiatur quod manifestum est: nec agnoscit quod erat obfuturum. *Erasm.*

62 *Imus fundus*] Ima et ultima pars fundi. 'Fundus' ager dictus est, quod planus sit. *Margine*] Extremitas omnium rerum dicitur margo.

63 *Non mihi falx*] Oxoniensis ex vetustioribus *Nunc*. Lege hoc et sequenti versu *Num*. Heins. *Falx Saturnia*] Falcem Saturno, qui Græcis Κρόνος, s. Χρόνος dicitur, antiqui Poëtæ tribuunt, quod tempus omnia con-

Digitized by Google

sumat, demetat, incidat. Sic in vetere epigrammate: Χειρὶ δὲ δεξιτέρῃ τὶ φορεῖς ξυρὸν; ἀνδράσι Ὡς ἀκμῆς πάσης δεξότερος τελέθω. Vel quod vitis frugumque ei competat disciplina. Quod Macrobius confirmat I. Saturnal. ideoque in Siciliam decidisse falcem ejus volunt, quod ea terra omnium sit fertilissima. Virgil. VII. 'Vitisator, curvam servans sub imagine falcem.' *Falx Saturnia*] Quia Saturni insigne est falx. Falcem autem idcirco attribuunt Saturno, quia a Græcis χρόνος, id est, tempus vocatur; quippe tempus omnia metit et secat: aut quia Italicis populis genus vitis demonstravit, ipsamque vitem deputare docuit. *Nimias umbras*] Id est, ramos nimium frondentes: quorum umbræ fructibus sunt impedimento, quo minus maturescant. *Dom. Non mihi falx, &c.*] Id potissimum opus est in vitibus quoties supra modum luxuriant pampini et flagella. *Erasm.*

64 *Renovat*] Instaurat. *Duratam renovat*] Conducit id multis arboribus: sed in vite necessaria repastinatio. Ablaqueantur et cæteræ arbores, ne sterilescant. Nihil his opus nuci. *Erasm.*

65 *Sole licet, &c.*] Quibus remediis subveniatur arbori, ne radix siccitate sterilescat, docet Plin. lib. XVII. 19. Ovidius attigit tria præcipua remedia, putationem, ablaqueationem, et irrigationem. *Erasm.*

67 *Nova nux*] Novus fructus. *Maturas*] Maturitatem fructuum ostendentes. Maturis enim nucibus, cortex finditur, et rimas agit. *Cortice*] Operimentum illud intelligit, quod est instar calicis pulvinati, non ligneum putamen. *Dom. At cum maturas, &c.*] Cortex dehiscens in juglandibus, maturitatis indicium est. Eleganter autem dixit, 'agere rimas,' pro findi. *Erasm.*

68 *Ad partes*] Sic lib. I. Amorum dixit: 'Servus, et ad partes solata ancilla parentur.' 'Ad partes,' a fabularum actione translatum est. Unde qui suo fungitur officio, suas partes agere dicitur. *Erasm. Ad partes*] Redi ad Amor. I. Eleg. 8. 87. *Partes sæva venit*] *Longa* duo libri: ut in istis Ovidii, 'Pertica suspensos portabat longa maniplos.' *Heins.*

71 *Mensis secundis*] Antiqui duas mensas disponebant: alteram, quæ ad satietatem erat, 'ordinariam' vocabant: alteram, quæ ad delectationem proficiebat, 'secundam appellabant:' unde Flacc. 'Tum pensilis uva secundas, Et nux ornabat mensas.' *Mensis secundis*] Secundæ mensæ pomorum erant, et bellariorum: quo nomine omne genus secundæ mensæ venit. Macrob. Saturnal. III. 18. 19. 20. Consule et Servium ad Æneid. I. vs. 723. 'Postquam prima quies epulis, mensæque remotæ:' qui Poëtam respicere ait ad Romanorum epulandi morem, apud quos duæ mensæ, una epularum, altera poculorum.

73 *Has puer aut certo rectas diverberat ictu*] *Dilaniat* multi ex scriptis. Unde Erasmus *dilaminat*; ingeniose: quomodo et codex Mediceus cum prisca editione; etsi verbum id sit novum: certe *laminam* nucis infra hic idem auctor appellat. Politianus conjiciebat, *deliniat*: *delineat* Fabricius; *divulnerat* codex Patricii Junii: *disseparat* duo alii: Mureti *delaniat*. Pro *rectas* etiam in multis veteribus *lectas*. Puto scribendum *sectas dilaminat*. Heins. *Has*] Scilicet, nuces. Nunc incipit describere ludos, qui nucibus a pueris exercentur. *Dom. Rectas dilaminat ictu*] Dilaminare dixit, pro in duas laminas deducere. Id fit, quoties solutis commissuris finditur nux in duas partes. Unde paulo post 'laminam' vocat putamen fissile. Illud interim erat artis, certo ictu tangere commissuram.

74 *Aut pronas*] Rectius *pronus* cum Regio et Mentelii codice. *Heins.*

75 *Quatuor in nucibus, &c.*] Fucete vocat 'alaam,' quasi parietem. Sque-

Digitized by Google

mum autem periculum, si vincaris, est in quatuor nucibus, ut ad summum incalescat certamen: si unam tribus impositam secueris, aufers quatuor. *Erasm.*

77 *Clivum*] Declivitatem et descensum. *Dom.* *Per tabulæ clivum, &c.*] Altera ludendi species est, ut dispositis in seriem nucibus, per tabulam declivem volvatur nux: quæ si tangat quam opertet, vincit qui misit. *Erasm.*

78 *Quælibet una tuam*] *Quamlibet* meliores. *Heins.*

79 *Est etiam, par sit*] Hujus ludi meminit et Flaccus: 'Ludere par impar, equitare in arundine longa.' Nec vero nucibus tantum aut castaneis ludere par impar soliti erant antiqui, sed etiam nummis. *Dom.*

80 *Auferat*] Tanquam victor. *Opes*] Ad sensum puerorum, qui magno æstimant divinatas et prædictas ob conjecturæ periculum. 'Augurem' vocat conjectatorem.

81 *Est quoque de creta*] *Fit quoque* potior librorum pars; recte. Pro *figura* etiam *figuram* cum iisdem legendum. *Heins.* *Fit quoque de creta, &c.*] Tertium insus genus describit. E creta pingitur ampla figura triangularis, qualem habet apud Græcos Δέλτα majuscula forma scriptum. Eandem figuram apud Ægyptios cursu suo facit Nilus: unde et loco nomen inditum. Et huic similis ostenditur in cœlo super caput Arietis. Hac notant tres stellæ, duabus lineis æqualibus: tertia breviore: sed quæ in angulo stellam clariorem habeat, Græci Δόκανον appellant.

83 *Hæc ubi distincta, &c.*] In lineis itaque pictis, certis intervallis, quos hic gradus vocat, disponuntur nuces: Puer qui stat in medio, jactu virgæ quot tetigerit, tot aufert. *Erasm.*

84 *Quot tetigit virga, tot capit ipse nuces*] *Ipse* nonnulli; *ille* duo. Sed vetus editio, codex Regius, et Langermanni recte *tot capit inde*: quare et in superiori versu scribendum, *qui constitit indus*, non *quæ*. Heins.

85 *Vas quoque*] Sic a quibusdam et nostra tempestate ludi videmus. Alter enim puerorum vasculum aliquod ut pelvim ponit, et cum altero convenit, ut quot ille procul stans in pelvim nuces miserit, tot lucretur: quæcunque autem extra pelvim ceciderint, amittantur. *Cavum*] Ut missas nuces continere possit.

86 *Levi*] Agili. *Nux una*] Lex enim est in hoc ludo, ne plures simul jaciantur.

87 *Secreto*] A publica via remoto. *Soli domino*] Quippe dominus, cum maturi sunt fructus, eos decerpit absque arboris læsione.

88 *Tributa*] Tributum dicitur vectigal quod a subditis solvitur. *Dom.* *Ferre tributa*] Fingit enim nucem frugi, dominoque fidelem, quo judicatur atrocior injuria. Et grave est ei qui bonæ fidei est, non posse, quod debet, reddere. *Erasm.*

89 *Hominum*] Prætereuntium. *Rotarum*] Plaustrorum et vehiculorum.

92 *Annumerare*] Sumpta est metaphora a debitoribus, qui acceptam pecuniam creditoribus annumerant.

93 *Fœtus*] Fructus. *Dom.* *At mihi maturos, &c.*] Alludit ad abortus, quæ præcipua infelicitas est inter fœminas, quoties fœtus immaturus ejicitur. *Erasm.* *Fœtus maturos*] Redi ad Epist. xx. 9.

94 *Ante diem*] Ante debitum tempus. *Opes*] Fructus.

95 *Lamina*] Bractea. Corticem intelligit. *Mollis*] Tenella, non firma. *Quod intra est*] Quod est intra nucleum. *Dom.* *Lamina mollis*] Putamen durescit maturitate. Est quiddam in nuce, quod discriminet partes nuclei; id quoque maturitate lignescit. Vide Plin. l. xv. c. 22. *Tenero est in lacte*] Succus est lacteus magis quam nucleus. *Ulli bono*] Bonum pro commodo dixit substantive. *Erasm.* *Tenero est in lacte quod intra est*] Tene-

Digitized by Google

ro de lacte quod intro est Oxoniensis; *tener et de lacte quod intro est* Neapolitanus; *tenero de lacte quod intus* vetus editio et quinque scripti; *tenero de lacte quod intra est* duo; *teneroque in lacte quod intro est* Vaticanus. Scribo, ut cum superioribus hæc cohæreant, *Lamina mollis adhuc tenero dum lacte, quod intus,* vel *intro est.* Heins.

97 *Jam tamen invenio*] *Invenias* scribe ex libris Naugerii: ut supra, 'Invenias, qui det nil mihi præter humum.' *Idem.*

98 *Præfestinato*] Id est, præpropero, ante tempus: deberet enim sinere ut maturescerent nuces. *Erasm.*

99 *Rapti*] Fructuum a viatoribus raptorum.

100 *Majorem*] Subaudi, partem. *Domini*] Cui tributa solvere teneor.

101 *Ubi nuda cacumina vidit*] *Ut vidit* vetus editio et scripti nonnulli: et sequenti versu eadem editio cum Mediceo, *Boreæ frementis;* ut in Tristibus, 'Inter utrumque fremunt immani turbine venti.' *Heins. Nuda*] Nudata, privata.

102 *Boreæ furentis*] Nullus enim ventus violentior. Facete dixit, 'opus.' Sic enim loquuntur: Hoc fecit Boreas: Hoc tuum est opus. *Erasm. Triste*] Damnosum. *Dom.*

103 *Æstibus*] Nimiis æstatis caloribus. *Spoliatam*] Scilicet, foliis.

106 *Nec ventus damno*] Septem scripti meliores cum veteri editione *fraudi;* probe. Neque aliter ex suis Ciofanus, qui videatur: sic Fast. VI. 'Piscis adhuc illi populo sine fraude natabat.' *Heins. Sol*] Solem ad æstus refert, gelu ad frigus.

107 *Peperisse nocet*] Sic supra: 'Certe ego si nunquam peperissem, tutior essem.' *Nocet esse feracem*] Malim *feraci*, si per libros liceat: sic Metam. IX. 'verum nocet esse sorori:' lib. I. 'Sed nocet esse Deo;' ut et illic scribendum censeo. Symposius Ænigm. LIII. 'quamvis placet esse maritæ;' ita lego: nam V. C. Venianus *marito.* Vulgati *maritam.* Vide quæ noto ad Ep. XIV. 4. et 64. Lucretius l. v. ut quidam codices, 'Qui numquam vero vitæ gustavit amorem, Nec fuit in numero, quid obest non esse creato?' Sic contra *profuit:* Noster Met. VIII. 'nec fortibus illic Profuit armentis, nec equis velocibus esse.' Met. XI. ut quidem legendum puto, 'Quid peperisse duos, et Dis placuisse duobus, Et forti genitore, et progenitore Tonanti Esse satis prodest?' Propertius El. III. 17. 'Quid genus aut virtus, aut optima profuit illi Mater, et amplexo Cæsaris esse focos?' ita recte Scaliger ex vestigiis vetusti codicis. *Heins.*

108 *Quæque fuit*] Prædam vocat non quod raptum est, sed quod rapi posset. *Erasm. Est mihi præda malo*] Scripti veteres magna ex parte *hæc mihi præda malo est;* vel *hæc;* vel *hei.* Lege, *et mihi præda malo est.* Heins.

109 *Præda malo, Polydore, fuit tibi*] Exemplis Polydori, Amphiarai, et Atlantis horti probat, prædam nocere. Polydorus filius fuit Priami Trojani regis: quem pater, rebus Trojanis diffidens, cum magno auri pondere alendum Polymnestori Thracise regi, tunc amico suo, miserat; eo quidem consilio, ut si forte Troja a Græcis eureretur, ipse Trojanum genus et urbem quandoque instauraret. Verum perfidus Polymnestor, eversa Troja, spe auri et prædæ miserum Polydorum interfecit. Vide Maronem Æneid. III. *Præda nefandæ Conjugis*] Quemadmodum Eriphyle, accepto pulcherrimo monili a Polynice, Amphiaraum augurem Argivum maritum suum Thebano bello latitantem prodiderit, diximus Amorum l. I. El. 10. *Præda*] Monile illud preciosum, quod olim a Venere donatum fuerat Hermionæ, postea a Polynice muneri datum Eriphylæ. *Dom. Nefandæ Conjugis*] Erasmus credit esse

Digitized by Google

fabulam de Helena per Menelaum bello repetita. *Nefandæ Conjugis*] Scelestæ Eriphyles.

110 *Aonium*] Apollineum. Nam Amphiaraus Apollinis vates et augur celebris fuit. Aonia enim fere tota Apollini et Musis est consecrata. *Virum*] Maritum Amphiaraum. *Misit ad arma*] *In arma* meliores. *Heinsius.*

111 *Hesperii regis pomaria*] Si, inquit, Hesperidum hortus non habuisset aurum, ab Hercule spoliatus non fuisset. Fabulantur enim Poëtæ, Atlantem Libyæ regem amœnissimum viridarium habuisse, in quo arbores aurea mala ferentes: huicque custodiendo vigilem draconem appositum. Hercules tamen ab Eurystheo missus, interfecto dracone, aurea mala inde abstulit. *Dom.*

113 *Lædere natæ*] Græce dixit potius quam Latine, pro natæ ad lædendum, τεφυκῆαι βλάπτειν.

114 *Vindicta*] Quia vulnerant tentantem attingere. *Erasm.*

115 *Adunci hamis*] *Obuncis* duo libri: unus *abuncis.* Heins. *Hamis*] Spinis, hamorum similitudinem habentibus.

116 *Missa*] Emissa. *Petunt*] Feriunt.

117 *Quid si non aptas, &c.*] Non solum, inquit, fructifera et innoxia, verum etiam aliis modis commoda sum viatori: videlicet sub umbram meam confugit, quum non tolerat æstum solis, aut quum sub dio subito oborta pluvia occupavit. *Erasm.* *Solem fugientibus*] *Mutantibus* scripti fere omnes; quod quamvis video quomodo explicari possit, tamen *vitantibus* reponi debere existimo. Amor. III. 6. 'Ipse sub arboreis vitabam frondibus æstum.' Tibullus libro primo Eleg. I. 'Canis æstivos ortus vitare sub umbra Arboris' pari modo dixit. *Heins.*

118 *Finditur*] Rimas præ nimio calore contrahit. Vide l. II. Amorum: 'Et micet Icarii stella proterva Canis.' *Icario Cane*] Id est, Canicula. *Dom.* *Icario Cane*] Hic est Sirius; sive προκύων, quod sit in capite stellæ quæ Canis dicitur. In eo signo cum sol est, æstus est vehementissimus. Produnt hunc fuisse comitem Icari, qui domini corpus extincti prediderit. Ob hoc officium meruit locum inter sidera. *Erasm.*

120 *Non expectata*] Repentina et improvisa.

123 *Hæc mihi*] Ad hæc, inquit, patior querelam domini mei, qui mihi imputat quod ager obrutus sit lapidibus. *Hæc*] Saxorum ictus et vulnera.

124 *Causabor quare sit lapidosus ager*] Recte Salmasius, *Causa habeor. Lapidosus*] Lapidibus, quibus ego petor, plenus. Oxoniensis *Causabor, queritur.* Heins.

127 *Aliis*] Scilicet, arboribus.

128 *Illo me tutam tempore præstat hyeme*] Scripti nonnulli *Illo ut non metuam.* Forte, *Illo, ne metuam.* Heins.

129 *Nuda*] Sine frondibus et fructibus. *Tunc*] Hyberno tempore.

131 *At simul induimus nostris sua munera ramis*] Τὸ *sua* hic non placet. Puto scribendum, *At simul induimur nostris nova munera ramis.* Heins.

133 *Forsitan hoc aliquis dicat*] *Hic aliquis dicat* cum veteri editione et quatuor scriptis legendum. *Idem.*

135 *Si licet hoc; oleas*] Scripti plerique *Scilicet:* et pro *hoc*, prima editio et quinque manu exarati *has;* duo *hic;* unus *huc.* Opinor refingendum, *Scilicet ite, oleas distringite:* de quo loquendi modo a me actum Amor. III. 3. 1. 'Distringere' quomodo Columella lib. XI. 2. 'Tum et olea distringenda est, ex qua velis viride oleum efficere.' Martial. l. XII. Ep. 29. 'Hoc quoque si deerit, medios distringere lectos Mensarumque pedes non timet Hermogenes.' *Idem.*

Digitized by Google

137 *Eadem petulantia*] Eadem procacitas rapiendi quæcunque vicina sunt publicæ viæ.

138 *Juris idem*] Eadem rapiendi potestas. *Dom. Tuis muris*] Nove dixit, pro in tuos muros. *Erasm.*

139 *Prima de fronte tabernæ*] *Prima* concinnius vetus editio, et quatuor scripti: sic in Tristibus, 'primi fronte libelli.' *Heins. Fronte*] Ubi res venales exponi solent, ut ab omnibus conspiciantur. *Tabernæ*] Scilicet, argentariæ.

140 *Tollat*] Impune auferat: quippe frons tabernæ vicina est viæ publicæ.

142 *Et quascunque potest tangere, tollat opes*] Quidam libri, *tollere, tollat.* Neapolitanus, *tangere, tangat.* Heins.

144 *Incolumis tanto præside raptor erit*] *Est* præstare dixi supra notis in Consolationem ad Liviam sub finem. *Idem. Incolumis*] Impunitus. *Tanto præside*] Quantus scilicet est Augustus. Laudat Augusti justitiam. *Præside*] Imperatore. *Raptor*] Qui argentum, aurum, gemmas, aut alias opes rapuerit.

145 *At*] Non urbi solum, sed universo mundo Augustus pacem peperit. *Ille Deus*] Divus Augustus. *Pacem intra mœnia tantum*] *Finit* libri veteres magna ex parte; duo, *figit.* Mediceus et vetus editio, *pater intra mœnia sumit.* Latet aliquid. *Heins.*

146 *Sparsit in orbe suum*] *Spargit* veteres libri. *Idem.*

148 *Et tutam non licet esse nucem*] *Tutæ nuci* plerique scripti. Sed verum est, *tutæ mihi;* quod vetus editio cum Mediceo et Erfurtano libro agnoscunt: vide notas in Epistolam XIV. 64. *Idem.*

151 *At*] Sed loco nidorum avium, saxa inhærent. *Bifurco*] Bifurcato, bicorni, ut lapis hærere ibi possit.

153 *Admissa*] Commissa crimina.

154 *Et crimen vox est*] *Nox est* Vaticanus, non male: *nux est* vetus editio cum Ambrosiano. Multi alii, *Crimen, ut est uxor. Cogitavi aliquando Et crimen noxa est inficiata suum;* ut 'noxam' pro quocunque noxio ponat. *Heins.*

155 *Nostra*] Illi, inquit, qui nobis injuriam inferunt, non possunt crimen negare, succo meorum fructuum, qui eorum manus inficit, prodente. *Notat*] Inficit, colorat. *Fusco*] Subnigro.

156 *Inficiente*] Tingente.

157 *Ille*] Scilicet, succus.

158 *Non profectura aqua*] Frustra enim manus illo succo infectæ aqua lavantur.

161 *Turbine*] Obscuro nimbo, qui non erumpit nisi cum impetuosissimis procellis. *Verti*] Evelli. *Dom. Optavi quoties, &c.*] Tragicæ sunt imprecationes: 'Vel pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras.' Turbo, qui nascitur ex variis ventis inter se concurrentibus, totas arbores aut evertit radicitus, aut rumpit medias. Ideo appellat 'cæcum,' quod insano tumultu ruat.

163 *Raperent*] Diriperent. *Meos poma*] Meos fructus, id est, nuces. Vel, aut ego ipsa possem amovere a me causam ob quam petor, ut Fibri faciunt. Sunt autem Fibri canes Pontici, quorum testes, Castorea appellati, ad medicamenta expetuntur: unde, ubi se quæri sentiunt, eos sibi secant. De his Cicero: 'Redimunt se,' inquit, 'ea parte corporis, propter quam maxime expetuntur.'

165 *Sic ubi detracta est*] *Dejecta* vetus editio et Mediceus liber. Puto *rejecta.* Heins.

166 *Quod superest*] Reliquum corpus. *Pontice*] In Ponto enim regione maxima est horum animalium copia

167 *Tela*] Saxa, quæ in me contorqueat.

168 *Destinat*] Designat. Miserum est prævidere vulnus, nec posse vitare. *Erasm.*

Digitized by Google

171 *Ut sæpe sagittis*] Interpretes hic mihi non satisfaciunt. Nec ego versum obscurissimum capio. *Heins.*

173 *Utque gravem patiens*] *Pascens* octo scripti ex nostris; alii duo cum veteri editione, *pavida est;* quod et Clofanus ac Fabricius ex suis probarunt. Erfurtanus codex satis antiquus *pandens.* Forte *candens* vacca. Victimæ enim albæ, ut ex antiquis auctoribus est compertum, nisi quæ Dis inferis cædebantur. Trist. IV. 2. 'Candidaque adducta collum percussa securi Victima purpureo sanguine tingat humum:' atque ita passim de victimis Poëtæ. *Idem.*

180 *Et liceat miseræ dedecus esse semel*] Nihil sani est in hoc versu, aut quod Latini leporis gustum præ se ferat. Quare aut delendum hoc distichon, aut, quod præstiterit, totus locus ale erit constituendus, *Si merui, videorque nocens, imponite flammæ, Nostraque fumosis urite membra focis. Si merui, videorque nocens, excidite ferro: Ut liceat miseræ dedoluisse semel.* 'Dedoluisse semel,' ut Remedio Amoris, 'Optimus ille fuit vindex lædentis pectus Vincula qui rupit, dedoluitque semel.' Quomodo alibi etiam Ovidius. *Heins.*

A. SABINI EPISTOLÆ TRES.

EPIST. I. ULYSSES PENELOPÆ.

Nullos videre mihi contigit codices manu exaratos, in quibus hæ extarent epistolæ. In primis etiam editionibus desiderantur: nec satis constat, cui gloriam inventi hujus thesauri debeamus. Suspicor tamen idem exemplar, quod Cydippes, ac Sapphus epistolam integram nobis servavit, et Paridis auctiorem, usibus etiam hic publicis consuluisse. Eustathius quidem Swarthius in Analectis exemplar calamo descriptum epistolarum Sabini ad partes interdum vocat, quod Gasparis Barthii fuerit, ejusdemque ipse Barthius in Adversariis subinde mentionem facit: sed cum et hunc et illum, dum in vivis essent, per amicos rogarim, ut usum istius libri mihi præstarent, atque alter me ad alterum ablegarit, facile intellexi, vanam a me spem foveri: nec tanti sane sunt quæ ex illo, si Dis placet, vetusto codice ab iis promuntur, ut salivam nobis de ipso libro evolvendo excitare debeant. Primas itaque harum epistolarum editiones, alteram Venetiis An. MCCCCLXXXV. alteram Parmæ procusam An. MCCCCLXXXIX. adhibendas duxi: in cæteris divinando res a me gesta est. *Heins.*

3 *Gemmas fideles*] Annuli signum integrum, intactum.

6 *Quam tibi quæque tuli dicere, quæque feram*] Aut *fero* corrigendum videtur, aut totus versus sic constitu-

Digitized by Google

endus, *Quam tibi quæ tulerim dicere, quæque feram.* Heins.

7 *Fictus furor*] Ut declinaret ea simulatione militiæ munus. Quod in contentione armorum Metam. XIII. Ajax Ulyssi objicit vs. 34. 'An quod in arma prior, nulloque sub indice veni, Arma neganda mihi? potiorque videbitur ille, Ultima qui cepit, detrectavitque furore Militiam ficto, donec solertior isto, Et sibi inutilior, timidi commenta retexit Naupliades animi, vitataque traxit ad arma?'

11 *Nil tibi rescribam curas*] Lege minima mutatione meo periculo, *curæ est.* Curæ, inquit, mihi est, ut nil rescribam, utque properem venire. Respiciebat nempe illa Penelopes, 'Nil mihi rescribas ut tamen, ipse veni.' Non absimilis locus sequenti epistola, 'Est animus reditus, sed pia causa tenet.' Swarthio placebat, *Nil mihi rescribam cur vis?* Heins.

16 *Causa timoris erant*] *Erat* primæ editiones. *Idem.*

17 *Evasi et Thracum cæso duce prælia Rheso*] Ita distingue: Evasi, inquit, Thracum gentis pugnacissimæ arma, dum necopini et sopiti cum duce Rheso a me opprimuntur. Aliud agebat Swarthius dum corrigit, *Evasi, ut Thracum ceciderunt prælia Rheso.* Idem.

20 *Fatalis palmæ*] Palladii.

22 *Urite Troës equum*] Æneid. II. 'At Capys, et quorum melior sententia menti, Aut pelago Danaum insidias suspectaque dona Præcipitare jubent, subjectisque urere flammis.' Adi Homer. Odyss. Θ. ubi Demodocus cantor in convivio totam hanc fabulam decantat. Accius in Delphico inscriptionem hujus equi talem facit: MINERVÆ. DONUM. ARMIPOTENTI. DANAI. ABEUNTES. DICANT. Vocatus fuit hic equus Durateus. Lucret. I. 'Nec clam Durateus Troai Pergama partu Inflammasset equus nocturno Grajugenarum.' Quod ex Ennio: 'nam maximo saltu superabit Gravidus armatis equus Qui suo partu tollat ardua Pergama.' Unde Virgil. VI. 'Cum fatalis equus saltu super ardua venit Pergama, et armatum peditem gravis extulit alvo.' Quo etiam alludit Plaut. Bacchid. IV. 9. 16. et seqq. 'Ego sum Ulysses, cujus consilio hæc geruntur. Tum quæ hic sunt scriptæ literæ, hoc in equo sunt milites Armati atque animati probe,' et quæ seqq. Duratens autem dictus est equus, vel a materia; vel, quod magis arridet, ab armato milite et hasta. Φωκεὺς Ἐπειὸς, μηχαναῖσι Παλλάδος Ἐγκύμων Ἵππον τευχέων ξυναρμόσας, Πύργων ὑπεμφὲν ἐντὸς, ἀλέθριον βάρος, Ὅθεν πρὸς ἀνδρῶν ὑστέρων κληθήσεται Δούρειος Ἵππος, κρυπτὸν ἀμπίσχων δόρυ. Eurip. Troad. Non longe a principio.

31 *Qui me tot casibus unus Duravit*] Puto, *unum duravit.* Nam post τὸ *solus* odiosa et superflua sit repetitio τοῦ *unus.* Heins.

33 *Illum non avidis canibus Nereis virgo*] De Scylla haud dubie agit, quam cur Nereiam appellet virginem, fateor me non videre. Ne quid te morer, refinge, *Niseia virgo.* Virgilius in Ciri, 'Per mare cæruleum trahitur Niseia virgo.' Recte, inquis. Agitur enim illic de Scylla Nisi. Sed quid hoc ad alteram a Glauco amatam Phorci et Crateidis nymphæ filiam (nam apud Servium in Eclog. VI. *Cretheidis filia* mendose dicitur) sive, ut veteri Scholiastæ in Odysseam Homeri aliisque placet, ex Phorco et Hecate genitam, quam Sabinus nunc innuit? At confundunt promiscue ambas Poëtæ, quod ut liquidius appareat, exemplis evincetur. Noster ipse cum Metamorphoseon libro octavo, et decimo tertio ac quarto etsi manifeste distinguat, tamen in Remediis Amoris, 'Præterita cantus Niseide navita gaudet.' Et Fastorum IV. 'Et vos Nisæi naufraga turba canes:' ubi *Scyllæi canes* perperam membranæ complures reponunt: ut et *Ripheide* in superiori versu frustra.

Digitized by Google

Artis Amatoriæ libro primo, 'Filia purpureos Niso furata capillos Puppe cadens celsa facta refertur avis. Altera Scylla maris monstrum, medicamine Circes Pube premit rabidos inguinibusque canes.' Ubi interpolatores strenue grassati sunt, cum versus duo medii ab optimis ac veterrimis libris absint; idque recte, ut suo loco monuimus. Ne dubites, en id ipsum distichon Amorum III. 12. paucis mutatis: 'Per nos Scylla patri canos furata capillos Pube premit rabidos inguinibusque canes.' Nec desunt codices, qui eos versus pari modo interpolent, quo in Arte Amatoria est factum. Sic Philomelam ubique Ityis matrem facit Ovidius, in Metamorphosi Prognen. Ibidem Œnei filiam Deianiram, at Dexameni in Ibide. Adeo rari sibi constant poëtæ in narrandis fabulis. Id enim velle nunc probare, immensi voluminis foret argumentum. Virgilius Ecloga VI. 'Quid referam aut Scyllam Nisi, quam fama secuta est Candida succinctam latrantibus inguina monstris Dulichias vexasse rates?' sic enim cum aliæ membranæ ex optimis, tum codex Mediceus longe præstantissimus scriptum exhibent. Nam in vulgatis nunc invenias, *aut quam fama secuta est*. Agnoscit etiam dubiam Servius illic lectionem, sed incertus, quod mirere, quamnam amplectatur ex duabus. Ipse quoque Virgilius in Ciri Scyllam utramque a poëtis confundi asseverat. Versus non adscribam: jam enim sum nimius. *Heins.*

35 *Nec in uno corpore dissors Parthenope*] *Dissors* reponendum: 'dissors,' quod diversæ sortis est aut naturæ, cui opponitur τὸ *consors* vox Ovidio usitata. Sic et *exors*, sine sorte, ἄκληρος· ita 'exortem honorem' apud Virgilium interpretatur Servius: sic 'compar,' 'dispar' et 'separ:' 'separem urnam' dixit Val. Flaccus lib. v. quomodo et 'separem ductum.' Prudentius similiter 'congrex' et 'segrex.' Error hic frequenter apud optimos auctores commissus. Ut *discors* pro *dissors* legatur voce parum nota hactenus: Lucanus I. 584. 'Monstra jubet primum, quæ nullo semine dissors Protulerat Natura, rapi:' non *discors;* quod descriptos manu ac typis codices occupavit. Seneca Medea Act. IV. in Choro, 'Tibi hæc Typhoëus membra quæ dissors tulit:' sic scribo. Typhoëum vocat dissortem, quod corpori humano pedes anguineos et centum brachia committeret. Nam quod apud eundem Senecam Hercule Furenti in membranis Mediceis scriptum offendi, Act. III. Sc. 1. de Styge, 'A fonte dissors manat hic primo latex;' si admittimus, dissors erit, ab aliis omnibus diversus. Illud vero certum, eandem vocem esse reddendam Nasoni Metamorph. VIII. de Pasiphaë, 'Quæ torvum ligno decepit adultera taurum, Dissortemque utero fœtum tulit:' hoc est fœtum sortis non humanæ. Minotaurum videlicet; qui Claudiano in Epigrammatis, 'dispariles monstro commissus in artus ...Cres puer.' Lucretius lib. V. 'Aut rabidis canibus succinctas semimarinis Corporibus Scyllas, et cætera de genere horum Inter se quorum dissortia membra videmus.' Ita et ibi corrigendum. *Rabidis* præterea *canibus* pro *rapidis* reponendum puto: quod ita de canibus Scyllæis passim auctores. Hinc 'Scyllæ rabidum voracis inguen' Sidonio, Statio quoque Thebaid. IX. 'Hoc tibi semidei munus tribuere parentes, Nec mortalis avus? sic nostro in gurgite regnas? Mitior heu misero dissors alienaque tellus, Mitior unda maris:' de Crenæo agitur, Fauni et Ismenidis Nymphæ filio, quem in Ismeno amne occisum mater deplangit: 'dissortem alienamque igitur tellurem' vocat respectu aquarum, e quibus originem Crenæus trahebat. Libri editi et

Digitized by Google

scripti mira pertinacia utroque loco mendosi sunt. Petronius, 'Mirari equidem tam dissortem libidinem cœpi, atque inter monstra numerare, quod ancilla haberet matronæ superbiam, et matrona ancillæ humilitatem.' Pari modo et illic est peccatum. Ovidius denuo libro Amorum II. 7. 'At mea seposita est, et ab omni milite dissors Gloria; nec titulum muneris alter habet:' sic enim manifeste scriptum exhibet optimus Puteanorum fratrum liber, cujus auctoritas mihi præivit, ad reliquos, quos modo produxi, locos in integrum restituendos. Apud eundem Ovidium Fast. IV. similiter censeo corrigendum, 'An quia cunctarum contraria semina rerum Sunt duo dissortes ignis et unda Dei.' Paulinus carmine Sapphico ad Nicetam Episcopum, 'Te patrem dicit plaga tota Boræ: Ad tuos fatus Scytha mitigatur: Et sui dissors fera te magistro Pectora ponit.' Ita omnino scribo, licet veterrimus Isaaci Vossii viri clarissimi codex a vulgatis libris nihil discedat. Non enim 'sui discors,' sed 'discors sibi' Paulinus dixisset, ut Latine loquentibus mos est. Noster in Tristibus, 'Ipse sibi discors, tanquam mandetur ab illis; Scinditur in partes atra favilla duas.' Ipse Paulinus paulo post, 'Pascitur consors vitulus leoni,' ut quidem Vossianus liber; nam vulgati *concors*. Sed jam plus satis de hac voce. *Idem.*

37 *Non quod Colchiacas artes tentaverit herbis*] *Arte* prima editio; divide τὸ *a* in duas literas, et habebis *ci. Cirte* pro *Circe*. Emenda igitur locum turbatissimum levi mutatione, *Non quod Colchiacis Circe tentaverit herbis.* De Circe profecto hic agi ex sequentibus liquido apparet. Altera Diva est Calypso. *Idem.*

39 *Mortalia demere fila*] Calypso immortalitatem Ulyssi promittebat, si secum in amoribus ævum transigeret. Quod Cicero de leg. II. tangit: 'Ithacam in asperrimis saxis, tanquam nidulum, affixam, Ulysses immortalitati, quam Dea obtulit, anteposuit.' Hom. Odyss. A. et Δ.

45 *Causa Calypso*] *Casta* Swarthius ex veteri libro; nec obnitor. *Heins.*

49 *Tot vina liquentia semper*] Etsi non ignorem 'vina liquentia' Virgilio etiam his dici Æneid. v. hoc tamen loco magis apposite *licentia* legatur; quod Barthio etiam Swarthiique est visum: 'libera vina' dixerat Horatius; sic 'licentes Faunos' Statius Theb. IV. et 'licentem ludum' Theb. v. et in Sylvis: 'licens Lupercus' Propertio. Noster ipse paulo post 'vacantia vina,' quo vacum et otiosæ mentes teneantur, dixit. *Idem.*

50 *Hei mihi! quid credam? pignore casta manes*] Lege totum distichon hoc modo, *Tot juvenes inter, tot vina licentia, semper (Hei mihi! quo credam pignore?) casta manes:* nec aliter Swarthius in Analectis, et in Adversariis Barthius, nisi quod distinctione præterea locum juvimus. *Idem.*

51 *Curve placent illi*] Malo *places*. Heins.

54 *Et cœptum revocas pallida semper opus*] Scribe, ut cum sequentibus hæc cohæreant, *Et cœptum revoces callida semper opus.* Τὸ *pallida* locum hic non habebat. Tangit dolum nocturnum retextæ telæ. *Idem.*

57 *Tuo superatus in antro*] *At medius, Polypheme, tuo si prensus in antro* ex veteri libro Swarthius: ego nil temere mutem, nisi *deprensus* reponatur. *Idem.*

65 *Meque querentem*] Delrius Commentario in Tragœdias Senecæ, *terque querentem* legit; sed nulla opus mutatione. *Idem.*

66 *Ab amplexu ter resoluta meo*] *Ter revoluta* prætulerim. Sic lib. x. Met. de umbra Eurydices, 'revolutaque rursus eodem est.' Virgil. lib. VI. 'Rursus et in veterem fato revoluta figuram.' *Idem.*

68 *In Hectoreas intulit arma domos*]

Digitized by Google

Scripserat, puto, Sabinus, *impulit*: ut Met. XII. 'immeritas urbes Elinque Pylonque Diruit, inque meos ferrum flammamque penates Impulit.' *Idem.*

70 *Illa suum forte sit comitata virum*] *Fortes it*: refer ad τὸ *umbras*, quod præcessit: et hoc vidit Swarthius. *Idem.*

71 *Necdum illi Lachesis dictos numeraverat annos*] Præstiterit legi *perneverat*: ut apud Martialem lib. I. Ep. 89. 'Cum mihi supremos Lachesis perneverit annos.' *Idem.*

77 *Animam per vulnera mille profudit*] *Per adultera tela* vetus liber Swarthii; non inconcinne. *Idem.*

79 *Lætas pro fœdere pœnas*] *Lætas* dici opinatur Swarthius εἰρωνικῶς, sed non persuadet. Puto scribendum *læso pro fœdere*, lecti scilicet. Ad Cassandram ab Agamemnone amatam refer. *Idem.*

80 *Externos ipsa secuta viros*] Malim *toros*: hæc enim duo in Ovidianis codicibus frequenter confunduntur. Sic sequenti epistola *Graios viros* pro *Graios toros*: et epistola Herus *Abydeno viro* in vulgatis. *Idem.*

83 *Defectis Hecubam potius*] *Hecuben potui* prima editio. *Idem.*

87 *Latratu*] Hecuba in canem versa fingitur, propter rabiem. Eurip. Hecub. 1255. Κύων γενήσει, πύρσ' ἔχουσα δέργματα. Quod Cicer. I. Tusculanar. explicat: 'Hecubam autem putant propter animi rabiem et acerbitatem quandam fingi in canem esse conversam.' Plaut. Menæch. v. 1. 'Non tu scis, Mulier, Hecubam quapropter canem Graii esse prædicant? Omnia mala ingerebat, quenquam adspexerat. Itaque adeo jure cœpta appellari est Canis.' 'Rictúque ad verba parato Latravit conata loqui.' Metam. XIII. 570. et multa alii. Sepulcrum ejus apud Abydum Cynossema appellatum.

90 *Æolus infusis incubuitque Notis*] Malim *effusis*. In Ibide, 'Parsque eadem cœli Zephyros emittet et Euros.' *Heins.*

103 *Cujus modo noverat arma*] Scribe, *foverat*. Ovidius Trist. I. 4. 'Causa mea est melior, qui non contraria fovi Arma.' *Idem.*

107 *Felix Plisthenides*] Imo *Plisthenide*. Menelaum hæc spectant cum Helena uxore ad paternos lares contendentem Troja jam capta. *Idem.*

111 *Oscula nec venti certe tenuere*] Malim *certi*: sic 'certus Boreas' et 'certa mora' Epistola Herus, ubi plura congessimus. *Idem.*

115 *Tecum mihi sospite tecto*] *Lecto*: atque ita Swarthius et ad Propertium Livineius. *Idem.*

120 *Nam male commissus*] *Jam male* puto. *Idem.*

EPIST. II. DEMOPHOON PHYLLIDI.

1 *Phyllidi Demophoon patria dimittit ab urbe*] Videtur scribendum, *Phylli, hanc Demophoon patria tibi mittit ab urbe*: ut imitatio sit istius Ovidiani, 'Hanc tua Penelope lento tibi mittit, Ulysse.' *Heins.*

4 *Sed tam non felix*] *Sed tamen felix* prima editio. Latet mendum. Forte, *Esset tam felix*. Sensus certe tale quid postulat. *Idem.*

5 *Quo socero nequicquam, Phylli, timebas*] *Tumebas* repone: nihil verius. Sic sequenti epistola, 'quo me genitore superbum Arguis.' *Idem.*

10 *Alcidæ magni non minor esse comes*] Imo, *Alcidæ magni, non minor*

Digitized by Google

ipse, comes. Paris Helenæ, 'pulchræ filia Ledæ Ibit in amplexus, pulchrior ipsa, tuos.' Amor. III: Eleg. 2. 'Dum sequitur fortes, fortior ipsa, feras.' Martial. lib. XI. Epigr. 51. 'Silius Andinæ succurrere censuit umbræ: Silius en vatem, non minor ipse, colit.' Ita versus contaminatissimos censeo scribendos, ex codicum vetustorum vestigiis. *Idem.*

13 *Arguor auxilii, quem credis causa fuisse*] Prima editio, *Arguor exilii qui credis.* Scribo non audaci conjectura, et distinguo, *Arguor exilii, si credis, causa fuisse:* vel *quis credat*, per parenthesin interrogatoriam. *Idem.*

14 *Nec tacitum frater, nec sinit esse reum*] Corrigendum, si quid video, *Nec tacitum frater me sinit esse reum:* tacitum non sinit esse reum, quia palam et aperte accusat. *Idem.*

19 *Forsitan aut nondum factis occurrere rebus*] Reponendum tam hoc quam sequenti versu *fractis* pro *factis*, sic postulante sententia. Malim etiam *fractis succurrere rebus*, quam *occurrere.* Naso in Tristibus: 'Quo magis o pauci lapsis succurrite rebus.' 'Fractæ res,' ut in illo Horatiano, 'postquam res mea Janum Ad medium fracta est:' et 'fractæ opes Teucrum' Virgilio. *Idem.*

21 *Cum potiora tibi*] Imo *Cur* tam hic quam proximo versu; nisi illic *Quo* malis. Præterea arridet, *Cur potiora tuis*, ut τὸ *regnis* subintelligatur. *Idem.*

23 *Intonat his Athamas*] Lege *Acamas.* Is enim Thesei filius, Demophoontis frater, ex belli Trojani, cui interfuit, scriptoribus notus. Vide de ejus et Laodices amoribus Parthenium in Eroticis cap. 16. Simile mendum insedit Virgilii codices vulgatos Æneidos lib. II. ubi nonnullos ex iis recenset, qui equo durateo fuerant inclusi, 'Demissum lapsi per funem Acamasque Thoasque Pelidesque Neoptolemus, primusque Machaon:' sic enim scribendum ex vetustissimis libris. In Mediceo venerandæ antiquitatis codice *Achamasque* inveni exaratum addita adspiratione: unde proclivis error *C* in *T* mutato ex *Acamante* in *Athamantem*, ut vulgati libri nunc exhibent. Servius Fuldensis ad illum locum 'Athamas Demophoontis filius Perrechiæ nepos:' qui locus est mutilus. Scribendum enim, *Acamas Demophoontis frater, filius Thesei, Ægei et Æthræ nepos.* Quod est verum. Auctor de Origine Romana: 'Itaque, Primus, ex ea quoque significatione est, e qua illud in secundo Æneidos, de enumeratione eorum qui equo Durio digrediebantur. Nam cum nominasset Thessandrum, Stenelum, Ulyssem, Acamanta, Thoanta, Neoptolemum, post intulit, Primusque Machaon.' Male et illic *Athamanta* scribitur. Cæterum Acamantem ac Demophoontem fratres equo Trojano cum aliis proceribus se credidisse testatur Quintus Smyrnæus, lib. XII. Δημοφόων τε καὶ Ἀμφίμαχος, κρατερὸς Ἀγαπήνωρ, Ἠδὲ δ' Ἀκάμας τε Μέγες τε κρατεοῦ Φιλέος υἱός. Et Triphiodorus in eadem de equo narratione, Δημοφόων' Ἀκάμας τε δοὺ Θησῆι τέκεσθον. ut de Virgiliani loci restitutione non sit dubitandum. Pausanias quoque in Atticis, ubi donaria Arcis describit, et inter illa equum Durium ex ære conflatum, καὶ Μενεσθεὺς, inquit, καὶ Τεῦκρος, ὑπερκύψαντουσιν ἐξ αὐτοῦ, προσέτι δὲ καὶ οἱ παῖδες οἱ Θησέως. Virgilius tamen Demophoontem, ut plures alios, omisit. Apud Harpocrationem Sophoclis Acamas Tragœdia citatur: ub Athamantis nomen reponendum censet magnus Casaubonus: sed frustra. Acamantem enim scenis argumentum dedisse ex Luciani libello περὶ ὀρχήσεως apparet, inter alias enim leges, quas præscribit mimo, exactam fabularum cognitionem ab eo exigit, quarum plurimas postquam recensuit, Εἶτα, inquit, ὁ Ἀκάμας καὶ ἡ Φυλλὶς, καὶ ἡ προτέρα δὲ τῆς Ἑλένης ἁρπαγὴ, καὶ ἡ στρατεία τῶν Διοσκούρων ἐπὶ τὴν πόλιν

Digitized by Google

καὶ τὸ Ἱππολότου πάθος, καὶ Ἡρακλειδῶν κάθοδος· ubi Acamanti amores Phyllidis videtur vindicare, quomodo et Tzetzes Commentario in Lycophronem. Sed reliqui omnes de Demophoonte consentiunt. Ab hoc Acamante, qui regnum Athenis post Menestheum obtinuit, tribus Acamantis nomen est mutuata, ex qua Pericles fuit; et Acamantinum seu Acamantis magnæ Phrygiæ oppidum. Videndus Stephanus in Ἀκαμάντιον. *Idem.*

26 *Fecisse hic nostras*] Puto *hæc:* de Æthra enim est sermo, non de Acamante. *Idem.*

30 *Respice jure Deos*] Scripserat Sabinus *respice dure;* nisi præfers *iuyre:* sed alterum præstat. *Idem.*

40 *Libertas meritis est mihi facta tuis*] Placet reponi, *Libertas meritis hæc mihi parta tuis.* Idem.

41 *Dices non duro*] Ut a superioribus hæc aptius dependeant, legendum, *Dicere.* Idem.

49 *Et quoties oculis circumdat sidera, dixit*] Opinor a Sabino relictum fuisse, *Et, quoties oculis circumstant sidera, dixti:* ut perstet Demophoon in incepto ad patrem sermone: aut, si propius insistendum vulgatæ lectioni, *Et quoties oculos circumstant sidera, dixit:* sed tum paulo ante refingatur, *Ignoscet fasso: memor est Minoidos ipse.* Idem.

67 *Da spatium*] Lege, *Des spatium veniamque, peto.* Idem.

71 *Patria quoque jactor in illa*] *In ipsa* scribendum. De turbata Thesei domo jam fuse supra a Demophoonte est actum. *Idem.*

72 *Auxilium superest*] *Superes* probe prima editio. *Idem.*

79 *Toto laudatur in orbe*] Malo, *Penelopen audis, toto laudetur ut orbe:* quomodo in Tristibus Naso, 'Cernis, ut Admeti laudetur, et Hectoris uxor.' *Idem.*

81 *Illa pie*] *Piæ telæ.* Idem.

82 *Instantes distulit arte toros*] Diu est quod *procos* corrigendum vidi: confirmat id prima editio Pont. l. III. El. 1. 'Æmula Penelopæ fieres, si fraude pudica Instantes velles fallere nupta procos.' Metamorph. lib. x. 'instantum turbam violenta procorum Conditione fugat:' sic enim rectius legas, quam *instantem turbam.* Μνηστῆρες, sive proci Penelopes in proverbium abierunt. Naso Trist. lib. II. 'Aut quid Odyssea est, nisi fœmina propter amorem, Dum vir abest, multis una petita procis?' ita recte veteres libri, non *multis viris.* Propertii lib. II. Eleg. 9. illa respexit: 'Penelope poterat bis denos salva per annos Vivere tam multis fœmina digna procis.' Claudianus laude Serenæ, 'Penelope trahat arte procos.' Ausonius Epistola XIII. 'Qualem Penelopæ nebulonum mensa procorum Alcinoique habuit.' Nec aliter passim idem Ausonius, Horatius, Virgilius in Culice, Statius in Sylvis, Ovidius, alii, quoties de Penelope sermo instituitur. *Idem.*

83 *Revocaret stamina noctis*] Scribe, *Cum properata palam revocarent stamina noctes.* Idem.

87 *Estque tibi pectus*] Puto, *Estne tibi pectus cujusquam accedere tædæ;* vel, *accendere tædas.* Idem.

92 *Demophoon dices*] *Dicens.* Idem.

93 *Demophoon redit huc*] *Rediit* recte prima editio. Producit enim ultimam syllabam in *rediit, adiit, abiit, subiit, iniit,* Ovidius, nec sine aliorum poëtarum exemplo, quanquam locis ab interpolatrici manu plerumque male acceptis: qua de re jam copiose egimus Notis ad Epistolam VI.

94 *Et hybernas dum quoque currit aquas*] Prima editio *dum quoque credit.* Ego ex hoc et sequenti versu sensum commodum non elicio. *Idem.*

103 *Excuset patrem fatis in parte relicta*] Versus mendosus. Videtur corrigendum, *Accuset patrem fatis si forte relicta Gnossis; non merui cur ferar ipse nocens.* Viderint acutiores. Non enim est unius tot nævis mederi. *Idem.*

Digitized by Google

EPIST. III. PARIS ŒNONÆ.

5 *Si levat hic iras*] *Si levat hoc* doctissimus Gronovius: nec dubium quin recte. *Heins.*

6 *Quid refert? causa tu meliore cures*] Sensus requirit, ut *cales* pro *cures* substituatur: nisi præferendum, *cades*, vel *cadis*. Quid refert, inquit, causam meam a me ipso damnari, si tu causa meliore nihilominus cadis? hoc est, si alios amores tuis præfero: ad Helenam refer. *Idem.*

7 *Damnatumque sibi me sub sua jura Cupido*] *Non sub sua jura* primæ editiones. Legendum videlicet, *non sub tua jura*. Idem.

12 *Hoc dominus tunc retinendus eram*] *Hoc domino* Gronovius. Putavi quondam, *huic domino tunc renuendus eram*: habeo et alias conjecturas in promtu; sed in quibus mihi non satisfaciam. Tò *eram* in fine versus repeti non placet. Pro quo *erum* fortassis aut *era* scriptum fuerit, omissa, ut solet, aspiratione. Sensus erit non incongruus, si legas, *quo me genitore superbum Arguis, hoc domino, te retinendus hera*; vel quid simile. *Idem.*

15 *Reginamque Hecuben nisi matris nomine noram*] Scribendum, ni fallor, *Reginæque Hecuben non matris nomine noram*. Idem.

18 *Læsa es et læsam*] Ut versui consulatur, scribe, *Læderis, et læsam scribis amare tamen*: nam prima editio *Læderes*. Idem.

20 *Dejectæ memor es tu tamen usque facis*] Emenda *Rejectæ facis*. Byblis, lib. IX. Metamorph. 'Ergo ego, quæ fueram non rejectura petentem, Ipsa petam?' non *negiectura*, quod est in aliis. Ibidem paulo post, 'Et, si rejicerer, potui moritura videri.' Rejici idem quod repelli in re amatoria. Horatius Od. III. 9. 'Si flava excutitur Chloe, Rejectæque patet janua Lydiæ.' *Idem.*

24 *Nec cecinit Graios illa vocare viros*] Hæc et sequentia mire perplexa sunt. Forte, *Et cecinit Graios illa vocare toros*: 'vocare,' scilicet, me: vel, *Hanc cecinit Graios illa vocare viros*: hoc est, post se trahere. Gronov. tamen *Hanc cecinit Graios illa tenere toros*. Idem.

26 *Utque tuam supplex poscere cogor opem*] *Cogar* lege. Reliqua, inquit, quæ soror prædixerat, jam apparuerunt vera: unum superest, de vulneribus meis, ut cogar tuam opem exposcere. *Idem.*

28 *Victuri jam nunc pectora sunt tibi*] Hæc quoque fœde corrupta sunt, nec libet conjecturis minime certis indulgere, ne abutamur otio. Prima editio, *Victuræ jam nunc pectore*. Idem.

35 *Imperat ille Deus*] *Deis* scribendum, hinc θεῶν δυνάστης Anacreonti Cupido dictus. Epistola Phædræ, 'Regnat et in dominos jus habet ille Deos.' Plena sunt scripta veterum amatoria hisce deliciis, quæ nunc non vacat compilare. *Idem.*

41 *Pinniferamque Iden*] 'Pinniferamque;' quo epitheto de Ida etiam usus Statius in Sylvis coma Earini, 'Pinifera multum felicior Ida.' Virgilius lib. V. 'Aut Ida in magna radicibus eruta pinus.' Sic et 'Pinifer Sinaia' Statio dictus Theb. XII. est enim Phrygia pineis sylvis instructissima: unde et Idææ Matri hæc arbor sacra. *Idem.*

45 *Dicitur et Coæ sediisse in veste puellæ*] Lege *Coa in veste*. Omphale enim Lyda, non Coa. Propertius lib. I. Eleg. 2. 'Quid juvat ornato procedere, vita, capillo? Et tenues Coa veste movere sinus?' Et lib. II. El.

Digitized by Google

1. 'Hoc totum e Coa veste volumen erit.' Tibullus lib. II. Eleg. 4. 'Hic dat avaritiæ causas, et Coa puellis Vestis.' *Idem.*

51 *Consuluere tamen digna tua pellice damna*] *Consolare* vel *Consolere* reponendum. *Idem.*

63 *Deprensa conjux illa*] *Deprensam illam* prima editio. *Idem.*

66 *Prætulit Anchisen his abitura suum*] Prima editio *habitura.* Gryphiana, *hinc abitura.* Lego *huic habitura.* Idem.

68 *Visaque post lætam jacuit ulta Deam*] Locus fœdissime depravatus. *Idem.*

69 *Quid mirum est potuisse pari succurrere amori, Immunis sub quo non fuit ipse Paris*] Nihil etiam hic sani apparet. Erunt tamen omnia perspicua, si reponas, *Quid mirum est potuisse Parin succumbere Amori, Immunis sub quo non fuit ipsa parens?* Præcedentia abunde confirmant hanc lectionem. *Idem.*

73 *Cogi mihi rapta tumultus*] *Cogit* lege. Pro *rapta* etiam *Sparta* malim, ut versus sic constituatur, *Et magnos (video) cogit mihi Sparta tumultus:* militem a Græcis jam cogi subindicat. *Parta* pro *Sparta* scriptum primo fuerat; hinc transpositis syllabis *rapta* est natum. Simile mendum Fastorum codices tam typis descriptos quam exaratos manu insedit lib. VI. 'Indoluit Juno raptum quod pellice natum Educet: at sanguis ille sororis erat.' Cum Ovidius scriptum haud dubie reliquerit, *partum quod pellice natum.* Per *partum* autem Bacchus ex Semele prognatus intelligitur. *Idem.*

75 *Belli ne non sit causa probanda*] Propertii illa respexit, ut ex veteri libro sunt emendanda, 'Digna quidem facies, pro qua vel obiret Achilles, Vel Priamo belli causa probanda fuit.' *Idem.*

78 *Sic metuenda mihi est*] Lege, *Quam sibi sic repetunt, sic retinenda mihi est:* 'mihi,' scilicet armato. *Idem.*

81 *Cum te nec Phœbi*] Scribe, ut Latinitatis ratio habeatur, *Nam te.* Idem.

82 *Phœbeæque Hecates somnia vera vides*] *Omina vera* Passeratius legit ad Propertium IV. Eleg. 4. quomodo Propertius ipse 'omina lunæ' illic dixit. Vide quæ notamus ad Epist. IX. 40. Apud Corippum Africanum Pietas Justino in somnis apparens, 'Hæc ne vana putes aut credas omina fingi, Accelera, manifesta loquar:' non *omnia*, ut nunc legitur: ipse 'visionem' mox vocat, et 'ostensa:' 'Atque ostensa sibi caræ referebat amanti.' *Idem.*

83. *Te cum sideribus tecum deducere lunam, Nubibus, &c.*] *Cœlo deducere Lunam* olim refingendum videbatur, quod et Scaligero placuisse animadverto; ut ad imitationem illorum hæc dicta sint, 'Carmina vel cœlo possunt deducere Lunam.' Certe Lunæ deductio in magicis notissima, qua arte sagæ Thessalæ inprimis nobiles. Cæterum quod 'deducere' est optimis auctoribus, de quo verbo satis obvio in veterum commentariis nos alibi plura congessimus, id 'deripere' Lunam cœlo et 'devocare' est Horatio in Epodis. Hunc vero Sabini locum quod spectat, eum quo diligentius perpendo, eo certius adducor, ut pro *tecum* non *cœlo*, quomodo prius, sed *tectam* opiner reponendum: sic denique versum emendem ac distinguam, *Te cum sideribus tectam deducere Lunam Nubibus, et memini surripuisse diem.* Idem.

89 *Ipse pater seu rem natæ male tutus haberet*] Diu me exercuit hic locus, et quidem frustra: nec tamen defuit successus post longam meditationem, dum alia ex aliis, ut fit, sese offerunt. Scriptum fuerat primo a librariis *Ipse pater seu rem*; unde *seu rem* postea factum, cum nil mutari debuerit: promiscue enim dum inter

literæ *u* et *b* inter se confunduntur: *ceu ren* igitur pro *Cebren*; quomodo Œnones pater dictus. Deinde pro *haberet* suspicor *habere* vel *haboret* exaratum fuisse, addita temere aspiratione. Quare omnia jam sint perspicua, si refingas versum hoc modo, *Ipse pater Cebrem natæ male tutus ab ore Cantatas quoties restitit inter aquas!* Parthenius in Eroticis c. 4. Ἀλέξανδρος ὁ Πριάμου, βουκολῶν κατὰ τὴν Ἴδην, ἠράσθη τῆς Κεβρήνος θυγατρὸς Οἰνώνης. Apollodorus l. III. Ἀλέξανδρος δὲ Οἰνώνην τὴν Κεβρήνος τοῦ ποταμοῦ θυγατέρα γαμεῖ. Lycophronis Scholiastes. Οἰνώνη θυγάτηρ ἦν Κεβρήνος, ἢ Οἰνεύς. Est et Κέβρην Æoliæ civitas apud Scylacem. Adeatur etiam Stephanus Byzantinus de Urbibus in Κεβρηία. *Idem.*

91 *Nunc locus Œnone est: nunc illas tende, paravit*] Ne suspensum te teneam, Lector, locus mendosissimus hoc modo est constituendus, *Nunc locus Œnonæ est: nunc illam ostende: parabis Sive tuos ignes pellere, sive meos:* Nunc tibi locus est, nunc ostende illam Œnonem, quam modo dixi: 'Illam ostende,' ut apud Auctorem Herculis Œtæi Act. II. 'Conjugem ostende Herculis:' *illas tende* pro *illam ostende;* sic supra epistola Ulyssis *curas* pro *curæ est.* Epistola Didus initio *meritæ famam* pro *merita et famam.* Sæpe per hasce editiones a librariis peccatum; quod quatuor aut quinque nunc exemplis confirmabo, cum pluribus possim. Valerius Flaccus lib. I. 70. 'nunc aërii plantaria vellet Perseos, aut curru sævos frenasse dracones. Creditæ ut ignaras Cereris qui vomere terras Imbuit, et flava quercum damnavit arista.' Ita locus vexatissimus constituendus, qui de Triptolemo agit: pro *Creditæ ut* scripserat librarius, *Creditut;* unde *Creditus* deinde factum. Notum illud Nostri, Artis l. I. 'Nec semper credenda Ceres fallacibus arvis.' Et Artis II. 'Credita nec semper sulci cum fœnore reddunt.' Hinc etiam 'semina credere terræ' aut 'sulcis,' et similia passim apud poëtas. Tibullus, 'pax sulcis credit aratis Semina, quæ multo fœnore reddat ager.' Variis conjecturis locus hic Valerii tentatus est, sed quæ omnes a vulgata scriptura longius recedunt. Apud eundem Valerium lib. IV. 41. 'Si non ira Deum cœlo implacabilis urget,' scribendum esse Notis ad l. X. Met. 399. pluribus adstruximus; cum sine ullo sensu, *vel si placabilis urget* nunc legatur. Apud eundem lib. VI. 353. 'magno veluti cum turbine sese Ipsius Æoliæ frangunt in limine venti:' sic ex vetusto Carrionis codice nunc circumfertur, cum antea legeretur *Ipsius Euboiæ.* Scribendum autem *Rupis ubi Æoliæ:* quod Juvenalis initio Satyræ I. 'Æoliis inclusum rupibus antrum' dixit. Lucanus 'saxum Æolium.' Nunc de duobus Silii Italici locis videamus, quorum alter exstat lib. III. non longe ab initio, ubi de laboribus Herculis agitur, 'Nec levior vinci Libycæ telluris alumnus Matre super, stratique genus deforme bimembres Centauri, frontemque timet minor omnis Acarnan.' Postremus versus subobscurus est. Nam quod Dausqueius de Abantibus olim comatis, postea crinem non alentibus, ex Eustathio interpretatur, ad labores Herculis, qui a Silio recensentur, non facit. In veteri Puteanorum fratrum codice, *frontemque timet nunc omnis Acarnan.* In Oxoniensi, et Coloniensi longe præstantissimo, *frontemque minor nunc omnis Acarnan.* Scribe *frontemque minor truncam omnis Acarnan: trunc* exaratum primo fuerat, pro *truncam;* cum τὸ *am* geminare librarius neglexisset; inde *nunc* postea factum. Intelligendum autem de Acheloo Acarnaniæ fluvio, qui cum Hercule congressus singulari certamine, ab eo devictus, et altero cornu a fronte revulso truncatus est. Idem Silius lib. VIII. ubi con-

Digitized by Google

gressum Annæ et Æneæ describit, 'Tum sic Æneas dulci repetitus amore, Tellurem hanc juro.' Ita ridicule circumfertur et nullo sensu. *Retitus* nimirum expresserat librarius pro *dulci irretitus*: hinc *repetitus* insulse factum. Sic 'nullo frons irretita capistro' apud Calpurnium Ecloga VI. 'Obretire' et 'circumretire' apud Lucretium occurrunt. In Priapeiis quoque pari modo non semel peccatum: ut Epigrammate XI. 'Quædam *serior* Hectoris parente, Cumææ soror, ut puto, Sibyllæ.' Ita refinxit Scaliger, cum *senior* ante legeretur contra legem metricam. Sed istam castigationem Latini sermonis usus vix admittit. Putabam aliquando *Quædam annosior*: at cum in quinque libris scriptis, quorum unus satis antiquus, legatur *Quædam junior*; non dubito carminis auctorem scripsisse, *Quædam haud junior Hectoris parente*: qua voce Horatius ter quaterque est usus. Epigrammate LXVIII. locus est depositus ac conclamatus, quem non infeliciter, ut puto, restituimus. 'Sed rudis hic dominum toties audire legentem Constituique meras edidicique notas:' ita editi. Unus ex scriptis duobus, qui penes me exstant, secundo versu, *Chorus meracas*; alter *Carpei meracas*; unus Mediceus *Choris meracus*; Romanus cæteris vetustior *Coriemeracas*. Repone meo periculo, 'Sed rudis hic dominum toties audire legentem Cogor, Homeriacas edidicique notas.' Pro eo quod sequitur, 'Psoleon ille vocat, quod nos psolenta vocamus: Id quod nos culum, culeon ille vocat:' alter meus pro vulgata lectione stat, alter præstantioris notæ, *quod peoloenta cherunnon*. Mediceus *peoloenta cerannon*; Romanus *ceranon*: nimirum a poëtæ manu erat ψολέντα κεραυνὸν, qui Homeri illa Odysseæ Ω. respexit. Καὶ τόδε δὴ Κρονίδης ἀφίει ψολέντα κεραυνόν. Sed nondum integer est versus. Quid enim sibi volunt illa, ψωλέον ille vocat? nam τὸ ψωλέον in Homero nusquam occurrit. Cum æstuarem, oportune me admonuit felicissimus horum studiorum Gronovius corrigendum sibi videri, *Ille vocat, quod nos psolon*, ψολόεντα κεραυνόν· ψολὸς enim *verpus*; cui conjecturæ accedo: posset et *psolen* legi. Cæterum allusio vocum culi et κουλέον (nam κουλέον scribendum, quod Scaligero jam monitum) respicit illa Iliados A. Ἀψ δ' ἐς κουλεὸν ὅσε μέγα ξίφος, de Achille Agamemnoni manus intentante; aut etiam illa de Menelao et Paride dimicaturis Iliados Γ. Ἀτρεΐδης δὲ, ἐρυσσάμενος χείρεσσι μάχαιραν, Ἦ οἱ πὰρ ξίφεος μέγα κουλεὸν αἰὲν ἔορτο· qui versus libro T. denuo occurrunt. Quod vero subjungit, ita scribendum, Σμερδαλέον *certe nisi res non munda vocatur*: nam libri scripti *Merdaleon*; ea vox Homero est familiaris. Illud tamen *res non munda* vix satis explicat Priapi mentem: quare minimum abest quin opiner debere reponi, Σμερδαλέον *certe merda huic immunda vocatur*: ut et hoc loco ex elisione concurrentium vocalium sit peccatum, dum *res non munda* substituitur pro *merda immunda*. Sic Priapus apud Horatium in Satyris, 'merdis caput inquinor albis.' Sed age, quoniam m̄anum admovere cœpimus elegantissimis versibus, quanquam sic satis obscœnis, eos porro expurgemus. Sequens igitur epigramma, cujus initium, 'Quid nisi Tænario,' huic ipsi, in quo castigando sudavimus, est annectendum, ut unum ex duobus fiat, scribendumque, *Qui, nisi Tænario*. 'Qui,' Homerum subintellige, de quo præcedentes versus egerant. Mox pro *Tantalidæ bene si non nota fuisset*, reponendum, *bene si non tenta fuisset*. Τὸ *tenta* in simili significatione passim apud auctorem Priapeiorum occurrit. Vulgatum a Priapi mente et simplicitate prorsus alienum est. Paulo post pro *fallentis Ulyssei* malo *fallacis Ulyssi*: et pro

Digitized by Google

Hinc legitur et *Hinc legimus*, utroque loco *Hic*, in Odyssea videlicet; atque ita præstantiores scripti. Pro *Grandia Dulichii jussa tulisse viri*, duo ex præstantioribus codicibus *vasa petisse*; quod magis arridet, quam *vasa tulisse*, quod in aliis nonnullis inveni, quodque Lipsio Schioppioque probabatur. Per *vasa* quid intelligat, non est ut moneam. Pro *convivia visus*, codex Romanus veterrimus Vincentii Ubaldini, *convivia quæras*: aliquanto rectius. Pro *seu fuit artis opus*, idem cum Mediceo satis probæ notæ, *sive erat artis opus*. Puto, *Sive illud laterum, sive erat artis opus*. Pro *modo vos intendite*, Ubaldinianus *vos nunc attendite*; tres alii *vos nunc intendite*. Puto *vos nunc contendite*: 'contendere arcum' familiare optimis scriptoribus. Libuit paulum exspatiari, ut erudito Lectori castigationes nostras in Nasonem si minus quandoque probavimus, earum loco in aliis scriptoribus quæ a nobis restituta sunt, probemus. Atque hæc sunt, quæ medelam qualemcunque hisce A. Sabini epistolis, quæ tres ex pluribus supersunt, allatura credidi. Si quis post me manum secundam iis castigandis pari sedulitate admorit, fore augurer, ut pristino nitori maxime sui ex parte restitutæ mox legantur.

METAMORPHOSEON LIB. I.

FAB. I. Arg. Ovidius in hujus operis initio brevissime ea de quibus est scripturus proponit, et Deos, ut sibi adesse velint, rogat, et narrationem ab ipso mundi primordio orditur. *Raph.*

METAMORPHOSEON LIBER PRIMUS] Nihil verius hac lectione, quam optimus liber Bernegger., alter codicum splendidissimi Equitis ac Baroneti Rogerii Twisden, et Patavinus Sancti Joannis in Viridario agnoscunt, sub finem quoque voluminis ex Balthasaris Moreti V. Cl. codicibus unus, et initio libri septimi Mediceus primæ notæ sic exhibebant. Neque aliter in Græca horum librorum Metaphrasi Planudes. Reliqui METAMORPHOSEOS, perperam: quod Farnabius quoque jam vidit. Genuina hujus poëmatis inscriptio extat apud Senecam patrem Epitome Controvers. III. 7. et apud filium in Apocolocyntosi, Tertullianum adversus Valentinianos, Fulgentium libro II. Mythologici, Servium ac Priscianum sæpe: quamquam apud hunc contracte nonnunquam *Metam.* vel *Metamorph.* exaratum occurrit, quomodo et bis apud Probum. Apud Servium Æneid. XII. mendose legitur de Apolline, 'Ipse in Ovidii Metamorphosi ait, Inventum medicina meum est,' cum *Metamorphosisi* sit scribendum Græca enuntiatione. Apud Quintilianum etiam l. IV. c. 1. Institutionum Oratoriarum, in vulgatis exemplaribus male *Metamorphosis* pro *Metamorphoses* hoc poëma inscribitur. Ad Græcorum quippe exemplum Μεταμορφώσεων titulum huic operi Naso præfixit. Callisthenis Μεταμορφώσεις a Plutarcho citantur in Parallelis. Male apud Apostolium in Αἰγιστέου πέλεμα

legitur Καλλισθένης ἐν δευτέρῳ Μεταμορφώσεως pro Μεταμορφώσεων. Citat et Parthenii Μεταμορφώσεις Eustathius Scholiis in Dionysium Periergeten; et Theodori idem Plutarchus in Parallelis c. 22. cum Stobæo; Didymarchi Antoninus Liberalis narratione XXIII. qui et ipse opus suum, quod etiamnum extat, Μεταμορφώσεων συναγωγὴν inscripsit. Ejusdem argumenti fuerunt Nicandri Ἑτεροιούμενα, Corinnæ Ἑτεροίων βιβλοί, Antigoni Ἀλλοιώσεις, quarum idem Antoninus aliique meminerunt, ut jam ex parte a Farnabio est observatum. *Heins.*

1 *Corpora mutata in novas formas*] Sic enim ipse Trist. II. 'in facies corpora versa novas.' Quam Hypallagen si admisisset modo, vel etiam advertisset Scalig. Hypercritic. c. 7. non licenter adeo atque infeliciter operis hujus principium, ob brevitatem puram ac scitam laudatum prius, locutionis deinde inusitatæ damnasset, neque pro laudato hoc Ovidii disticho bono obtrusisset nobis pentastichon malum et suum (consulto et eleganter a poëta factum Judicat Ger. Vossius, ut qui de corporum conversione esset dicturus, a verborum conversione auspicaretur). *Mutatas dicere*] Nec immiti æque censura, syllabam *mu* iteratam rosisset, quæ compositio veteribus poëtis, iisque majorum gentium, usque adeo non displicuit, ut etiam in delitiis fuerit, obtinueritque inter Schemata locum, Parechasis nuncupata. *Farn.*

2 *Nam vos mutastis et illas*] Codex Palatinus antiquissimus, et veterrimæ schedæ Leodicenses, *nam Di mutastis*, concinna et nervosa, si quid video, repetitione: neque aliter in optimo Berneggeriano et uno Hamburgensi a manu prima fuerat exaratum. Mox, pro *Ante mare et terras*, unus Mediceus, recentior quidem ille, sed ex veteri, quod passim apparebat, descriptus, longe elegantius, *Ante mare et tellus*, nempe, unus erat vultus: eamque scripturam Carolus Vivianus in præstantissimo codice a se deprehensam fuisse asseverat: sic Art. Amator. lib. II. 'Unaque erant facies sidera, terra, fretum.' Fast. l. I. 'Ignis, aquæ, tellus, unus acervus erant:' ut et hic fortassis *unus erat vultus* sit scribendum. Infra tellurem, mare, et cœlum uno quoque versu est complexus, 'Quo mare, quo tellus, correptaque regia cæli Ardeat.' *Heins.* *Et illas*] Inquit idem Scal. 'et quid aliud?' Non aliud certe quam ab irata Critica impactum sigillum supercilioso Censori, qui Causalem a Copulativa non discreverit. Habet enim Conjunctio *et*, vim Emphaticam in Ætiologia Invocationis, quasi dicat, *Dii* (*nam et*, id est, etiam, *vos mutastis illas*) *aspirate cœptis meis.* Jamdudum explosa est ab eruditis Interpretatio ab ordine illo; *Nam mutastis vos et illas.* Quo quidem modo, inquit Raphaël Regius, sensus ex eleganti insulsus redditur; peritque universa Emphaseos gratia. Ineptum utique foret et supervacuum, quando vox ista *illas* includat etiam ipsas Deorum mutatas formas. *Farn.*

3 *Aspirate meis*] Adeste, favete. Metaph. a navigantibus quibus vento aspirante opus est. Sic Virgil. 'Aspirat primo fortuna labori.' *Pontan.*

4 *Perpetuum deducite*] Κύκλιον ἐπακόλουθον, continuum, nusquam interruptum, quæ summa laus est tum ingenii tum artificii poëtæ nostri, fabulas tot, tam reconditas, tam varii argumenti, continua serie, et quasi contigua structura, ad modum annulorum in torque aut catena consertorum, ab orbe usque condito ad Augusti tempora, connectentis. Horat. Od. I. 7. 'Carmine perpetuo celebrare.' *Farn.* *Ad mea tempora*] Usque ad ætatem, ad memoriam meam: ad principium scil. imperii Augusti. *Pont.* *Deducite*] Voci *perpetuum* commode respondet *deducite*, a lanam fa-

Digitized by Google

cientibus seu fila ducentibus sumptum. *Idem.*

5 *Ante mare et terras*] Hæc est narratio, quam a prima mundi origine poëta sic repetit, ut describat primam omnium mutationem. Nam, ex Hesiodi sententia, primum omnium fuisse Chaos ait, hoc est, quandam rerum omnium sine ulla forma confusionem, ex qua primum elementa quatuor, ac totum mundum effectum esse ait: cum antea nihil foret distinctum, sed omnia essent confusa. Deinde narrat quemadmodum in quatuor elementa fuerit commutatum, sicque discretum, ut æther summum locum propter levitatem apprehenderit, proximum aër, aqua tertium, in infimum terra propter gravitatem detrusa fuerit. *R. R.*

6 *Unus erat*] Antequam mundi partes erant distributæ et designatæ, cœlum expansum, sidera emersa, elementa disclusa; tellus scilicet (subsidente ad centrum quasi πάντων ἕδος graviori τῆς ὕλης fæce) in medio pressa et ἰσόῤῥοπος suspensa, aqua diffusa, &c. latuerunt rerum semina inerti mole promiscue confusa, quam Chaos poëtæ, primam materiam indigitarunt philosophi. 'Unaque erat facies, sidera, terra, fretum.' Noster 2. de Arte. 'Ο δ' οὐρανός τε γαῖα τ' ἦν μορφὴ μία. Euripid. Menalippa. Atque hinc lucem fore auguror iis quæ sequuntur: 'Quæque erat et tellus,' &c. Litatum simul Scaligeri captiunculæ: 'Qui,' inquit, 'poterant esse si non erant?' Repudium denique et nuncium missum lectioni Porphyrionis ad 4. Oden. III. lib. Horat. 'Quaque fuit tellus; illic et pontus, ut aër:' *quaque* pro quaquaversum, *ut* pro ubi exposito. *Farn.* *Naturæ*] Parentis et auctoris omnium rerum. Natura enim vis est quædam qua omnia nascuntur: quam Seneca nihil aliud esse quam Deum sensit. *R. R.* *Vultus*] Postquam omnia dissociata et discreta sunt, litemque illam melior natura diremit, non est unus naturæ vultus. Alius siquidem cœli, alius terræ, &c. *Pont.*

7 *Chaos*] Τὸν μεταξὺ γῆς καὶ οὐρανοῦ κοινὸν τόπον.

9 *Discordia semina, &c.*] Hoc est, semina et primordia rerum male conjunctarum, inter se dissidentia, in eundem locum conducta et congregata. Semina vero omnium rerum sunt elementa quatuor. *R. R.*

12 *Circumfuso*] Nam terram undique aërem habere Physici demonstrant. *R.* Ipsemet Ovid. hoc ipsum παραφραστικῶς Fast. VI. hanc, inquam, terræ in medio suspensæ ἰσορροπίαν luculenter exsequitur: 'Terra pilæ similis, nullo fulcimine nixa, Aëre subjecto tam grave pendet onus,' &c. *Pont.*

13 *Ponderibus librata suis*] Suspensa τῇ ἰσορροπίᾳ, ut æqualitate ponderum in neutram partem propenderet atque inclinaret. Vide Plat. Phædr. et Turneb. Advers. IV. 17. *Berman.* *Nec brachia longa, &c.*] Per 'brachia,' aquas Oceani intelligit, quibus ille velut brachiis quibusdam terram amplectitur.

14 *Margine*] Nam margo, uniuscujusque rei extremitas dicitur. *Porrexerat*] Extenderat. 'Amphitrite' ponitur hic pro Oceano universam terram circumeunte: παρὰ τὸ ἀμφιτρίβειν, terram enim circumcirca terit seu alluit mare. *R.*

15 *Quaque erat et tellus*] Mirifice hic turbant libri veteres: quorum nonnulli, *Ut qua erat et tellus:* alii itidem ex vetustioribus, *Quaque erat tellus:* alii aliter: quas lectiones piget adscribere, quod plures sint, nec magnæ rei. In quibusdam *Utque erat et tellus:* quod Gifanio arridebat in Indice Lucretiano, et in suspectis Lectionibus Gaspari Schioppio: non itidem mihi; qui sequor lectionem uniuš Medicei ex optimo exemplari descripti, *Quaque fuit tellus:* neque aliter ex Porphyrione Jacobus a

Digitized by Google

Cruce; nam *erat* versu proxime sequenti minus concinne iteraretur. *Heins. Quaque erat*] Id est, qua parte, ubi. Sic Liv. lib. IV. 'Anxur fuit, qua nunc Tarracinæ sunt.' *Ciof.*

17 *Lucis egens aër*] 'Superi spoliatus luminis aër.' Lucret. *Nulli manebat*] Hoc verbum admittit geminum casum, accus. et dativ. Sed pro *exspecto*, tantum accus. Æneid. IX. 'nec partum gratia talem Parva manet:' et paulo post, 'Hæc eadem matrique tuæ generique manebunt.' Et Cicero post redit. ad Senat. 'Id mihi manet.' Similiter Græci utrumque casum admittunt. Homer. Odyss. I. 172. Ἄλλοι μὲν νῦν μίμνετ' ἐμοὶ ἐρίηρες ἑταῖροι. Ἰστία δ' ἠΐθεοι μεσονύκτιον ἐξεκάθαιρον, Ἡρακλῆα μένοντες. Theocrit. Idyll. XIII. 70. Et Idyll. XIV. 67. Τολμασεῖς ἐπίοντα μένειν θρασὺν ἀσπιδιώτην. *Nulli sua forma*] 'Vultum' et 'imaginem' alibi vocat, quam hic 'formam' et 'figuram' vult intelligi. *R. Pont.*

19 *Frigida pugnabant calidis*] Ἑλληνισμός. Diceret enim Græcus, τὰ ψυχρὰ ἐμάχοντο τοῖς θερμοῖς. Latini adderent præpositionem *cum*. Pont. 'Pugnabant calidis.' Æneid. IV. 'placitone etiam pugnabis amori.' Ecl. V. 'Montibus in nostris solus tibi certet Amyntas.' Item Martial. 'noli pugnare duobus.'

20 *Sine pondere habentia*] Τὸ βάρος ἔχοντα reluctata τοῖς ἄνευ βάρους, quibus pondus inerat pugnasse pondere vacantibus, levia gravibus. *Pont.*

21 *Et melior natura*] Nihil autem aliud est natura, ut Seneca ait, quam Deus et divina quædam ratio toti mundo et partibus ejus inserta. Proinde particulam *et*, expositive hic accipiunt Grammatici, quasi dicas, Deus sive Natura, 'Ille opifex rerum, mundi melioris origo,' infra vs. 79. qui numero, mensura, pondere disposuit omnia; elementa singula propria donavit sede, peculio suo dotavit. Sed videndus Philo περὶ κοσμοποιΐας, et Ambrosii Hexameron, et Pisidæ κοσμουργία. *Farn.*

23 *Liquidum cælum*] Pro æthere posuit, nam et æther purissimus est: 'liquidum' ergo est purum, clarum, ab omni corruptione remotum. *R.*

24 *Cæcoque acervo*] Quoniam congeries illa ac moles elementorum indiscretorum carebat luce, jacebatque in altissimis tenebris. *Cæcum* παθητικῶς Poëtis, quod non cernitur, cum sit corpus quod latet, quod occultum est. *Pont. Acervo*] Mole confusa, Chao. *Farn.*

25 *Locis concordi*] Tria rerum principia statuit Hesiodus in Theogonia, Chaos, Terram, Amorem. Empedocles elementa quatuor, et facultates duas, Amicitiam et Litem. Verum de his placitis, ut et elementorum qualitatibus, videndus naturæ promicondus Aristoteles, et Philosophi alii: nec non Laërtius, atque Plutarchus de Placitis Philosophorum. *Farn.*

26 *Ignea convexi vis*] Periphrasis est ætheris atque ignis, qui supremum propter levitatem sibi locum vindicavit. *R.*

28 *Proximus est, &c.*] Jovis nomine æther sive ignis, Junonis aër μυθολογικῶς significatur. Et quoniam calor ille æthereus agit in aërem, cujus summa pars ad ætheream puritatem propius accedit; hinc Junonem Jovis et sororem et conjugem dixerunt. *Pont. Proximus est aër*] Huc pertinet audax illud Homeri commentum de Junone in aëre a Jove suspensa, Iliad O. a vs. 18. Ἦ οὐ μίμνῃ ὅτε τ' ἐκρέμω ὑψόθεν, ἐκ δὲ ποδοῖιν Ἄκμονας ἧκα δύω, περὶ χεροὶ δὲ δεσμὸν ἔηλα Χρύσεον, ἄῤῥηκτον; Consulendus et Calab. Smyrn. lib. X. Quod tamen Eurip. in Herc. Furente, 1341. tanquam minus pie dictum repudiat: Ἐγὼ δὲ τοὺς θεοὺς οὔτε λάκτρ', ἃ μὴ θέμις, Ἀτέργειν νομίζω, δεσμά τ' ἐξάπτειν χεροῖν· Οὔτ' ἠξίωσα πώποτ', οὔτε πείσομαι. Mythologia tamen non invenusta

Digitized by Google

est, ideoque bono jure ferri debet: id quod Euripides eo in loco intelligere noluit.

29 *Elementaque grandia traxit*] Hoc est, partes graviores ex illo acervo secum traxit: vi enim naturali omnia gravia et ponderosa deorsum trahuntur. *R.*

30 *Circumfluus humor*] Aqua ultimum est elementorum, quatenus terram cingit et ambit: non autem habita ratione centri, cui vicinior terra.

31 *Solidumque coërcuit orbem*] Hoc est, continuit solidum et durum terræ orbem: coërcere enim eam non posset, nisi undique ipsam complecteretur. *R.*

FAB. II. 32 *Quisquis fuit ille Deorum*] Innuit se ignorare quisnam Deorum ille fuerit qui quatuor elementa distinxit: hoc est, utrum Deum an Naturam meliorem vocet: illud autem intelligit, majorem ac potentiorem aliquem fuisse, quam quos vulgus pro Diis haberet. *R.*

33 *Congeriem*] Non prius dispositam secuit, sed secuit et disposuit rudem illam molem; ὕστερον πρότερον. *Pont.* *Secuit*] Separavit ac divisit. *In membra*] In quatuor Elementa tanquam in partes diduxit.

35 *Glomeravit*] Effecit in similitudinem magni globi et pilæ, quæ ex omni parte sibi est æqualis. *R.* *Magni speciem*] Mare cum terra constituunt unum globum. *Farnab.*

36 *Tum freta diffudit*] *Diffundi* rectius Urbinas et Langermannianus libri, ut ad τὸ *jussit* referatur: sic paulo post, 'jussit et extendi campos.' *Heins.* *Tumescere*] Inflari, tempestate erigi.

37 *Ambitæ terræ*] Undique a mari circumdatæ.

39 *Declivia*] Deorsum labentia. *Obliquis ripis*] Fluvii naturam lapsus anguium exprimunt, et ita ripas obliquas efficiunt. Hinc Dii fluviorum præsides, propter riparum alveorumque curvitates flexusque, ad cornuum taurinorum similitudinem cornuti fingebantur. Vide Hieron. Magium Miscell. IV. 2.

40 *Partim sorbentur, &c.*] Sunt flumina quæ terræ latebras subeunt, et rursum alibi emergunt: ut Lædon Arcadiæ, de quo Pausanias; Alpheus, de quo Virgil. Æneid. III. &c. *Pont.*

41 *Campoque recepta*] Æquore. Sic infra 315. 'Latus liquidarum campus aquarum.' *Farn.* *Campo aquæ*] Campus et æquor promiscue usurpantur. Virgil. 'Campos liquentes,' vocat maris æquor: 'campos salis ære ruebant:' 'Immensum maris æquor.' Μέγα λαῖτμα θαλάσσης. 'Æquum solum.' Et æquor pro campo vel agro: Virgil. Georgic. I. 'At prius ignotum ferro quam scindimus æquor.' Quod Livius Decad. III. 7. illustrat. 'Velut maris vasti, sic immensa panditur planicies, ut subjectos campos terminare oculis haud facile queas.' *In mare perveniunt*] In fine lib. VIII. 'Utque fretum recipit de tota flumina terra, Nec satiatur aquis, peregrinosque ebibit amnes.' Cur mare incrementum non capiat, cum omnia flumina fontesque recipiat, causas aliquot profert Isidorus XIII. 14.

42 *Pro ripis*] In mare se exonerant. *Ripæ* enim proprie fluminum sunt, *litora* maris. *Farn.*

45 *Duæ dextra, &c.*] *Dextra* pars mundi hic accipienda est de Septentrione, *sinistra* de Meridie. Vide Turneb. XVIII. 35. *Pont.* *Utque duæ*] Dividunt cœlum Astronomi secundum latitudinem in quinque Zonas: mediam inter Tropicos Torridam vocant; duas extremas, polis subjectas, hanc ad polum Arcticum Dextram, illam ad Antarcticum Sinistram. Inter has et Torridam alterutrinque Temperatam statuunt. Cui divisioni et terram subjacentem respondere volunt. Mediam propter solis ardores antiqui credebant inhabitabilem, ut et duas extremas

Digitized by Google

propter frigus. Vide Jo. de Sacro Bosco, ad eum Clavium et alios; ad somn. Scip. Macrobium; Tusc. Quæst. I. lib. et quæ nos ad Virgil. Georg. I. *Farn.*

47 *Sic onus inclusum*] Periphrasis terræ. Nam terra, quæ est ponderosa, quinque etiam zonis distinguitur.

48 *Cura Dei*] Deus ipse, more Græco. *Cura Dei*] Æneid. XI. 'Talibus exarsit dictis violentia Turni.' Quo etiam refer illud Æneid. IV. 'Odora canum vis:' i. e. canes odorisequi. Metamorph. XII. de Nestore: 'avi prudentia nostri.' Item Metam. VIII. 303. 'Et cum Pirithoo felix concordia Theseus:' quod Græcis familiare: *ἱερὸν μένος Ἀλκινόοιο. Σθένος Ἰδομενῆος.* Homer. et alii sæpe. *Totidemque plagæ*] Spatiis ac zonis cœlestibus quinque, pari numero spatia et plagæ et zonæ in terris respondent. De utrisque simul agit Macrob. in Somn. Scipion. II. 2. et I. 15. *Pont.*

52 *Qui quanto est pondere terræ, Pondere aquæ levior*] *Pondus aquæ levius* veterrimus codex Constantii Fanensis, et excerpta Vaticana Johannis Calandræ; argute: quæ lectio marginem quoque Griphianæ editionis occupavit: alia Excerpta Vaticana, *qui quanto est pondere terra Pondere aquæ gravior.* Heins.

54 *Consistere nubes*] Malim *considere.* Idem.

56 *Et cum fulminibus*] Fulmina quoque, inquit, et venti frigora adducentes in aëre generantur. Fulmen autem ignis est ex concursu ventorum elisus in terramque delatus. Ventus autem est impetus aëris in unam partem fluentis. *Facientes frigora*] Jacobus a Cruce legit *facientes fulgura ventos*, motus iis versibus qui habentur lib. III. 'Quis nimbos immixtaque fulgura ventis Addidit, et tonitrus, et inevitabile fulmen?'

59 *Quisque regat*] *Regant* cum optimo Florentino et uno Moreti. Silius libro VII. de ventis, 'Distraxere fretum, ac diversa ad littora volvunt Æquor quisque suum.' Plura de hoc loquendi modo alibi observamus. *Heins. Regat*] Id est, cohibeat. Ita in Jure: 'Actio finium regundorum.' *Ciof.*

60 *Fratrum*] Ventorum, qui Auroræ et Astræi Gigantis filii. Hes. Theog. *Farn.*

61 *Nabathæaque regna*] Orientalia. Nabath enim Ismaëlis filius, ut Josephus scribit, una cum undecim fratribus suis, omnem terram ab Euphrate ad mare rubrum usque positam tenuit, Nabathæamque provinciam nominavit. *R. Eurus ad Auroram*] Noti sunt illi versus Manilii lib. I. 'Asper ab axe ruit Boreas, fugit Eurus ab ortu, Auster habet medium solem, Zephyrusque cadentem.' Adi Senecam Nat. Quæst. V. 6. ista citantem. *Nabathæaque*] Arabiæ regionem. *Farn.*

62 *Juga subdita*] Montes subjectos radiis Solis exorientis.

63 *Vesper et occiduo*] Euro contrarius Zephyrus, ab occidente flat.

64 *Septemque Triones*] *Trionem* idem Florentinus, Berneggerianus, et Urbinas; recte: ut *τμῆσις* sit seu *διακοπή.* Virgilius Georgic. lib. III. 'Talis Hyperboreo septem subjecta Trioni Gens effrena virum.' Avienus Phænomenis, 'alius septem vicina Trioni Astra tenet.' 'Trionem' veteres dicebant pro Trionibus, ut pro Septem Trionibus, 'Septentrionem.' Hinc *Trionis* cognomentum Lucretiæ et Fulciniæ apud Romanos familiis inditum. Extant apud me denarii argentei, quibus inscriptum L. LUCRETII TRIO, septem stellis additis, quales numos in eadem familia Fulvius Ursinus expressit. Apud nostrum inferius lib. X. idem optimus Mediceus, 'interque Trionem Flexerat obliquo plaustrum temone Bootes.' *Heins. Septemque Triones*] Pris-

Digitized by Google

ca lingua *Triones*, boves dicebantur aratorii. Septem autem stellæ ita in ea parte cœli sunt collocatæ, ut plaustrum cum bobus effingere videantur; et illi regioni Septentrioni nomen imposuerunt. Gell. lib. II. 21. *R. Septemque triones*] Ἅμαξαν ἑλικὴν, ursam majorem. A. Gell. II. 21.

65 *Contraria tellus*] Meridionalis, Antarctica, Septentrionali opposita. *F.*

67 *Liquidum*] Purum, et ab omni fæce remotum.

69 *Vix ita limitibus discreverat omnia certis*] *Vix ea* meliores. Deinde veteres plerique *discerpserat*, vel *discepserat:* alii una alteraque litera mutata diversis modis eodem alludunt. *Dissepserat* nempe reponendum, quomodo Leodicense fragmentum vetustissimæ notæ, ne dubitare possis. Lucretius l. I. 'Aër dissepit colles, atque aëra montes:' sic et apud eundem l. VI. 'saxea domorum dissepta;' et apud Boëtium l. IV. de Consolatione Philosophiæ, 'dissepta suo fonte elementa.' Seneca Medea, 'Bene dissepti fœdera mundi Traxit in unum Thessala pinus.' Statius Theb. X. 'disseptoque aggere rursus Utitur.' Hinc et 'dissepimentum' Festo. Silius l. XI. 'Tum Deus ut liquidi dissepset stagna profundi, Tellurisque globum media tellure locasset.' Ita nempe censeo scribendum: vel certe *discresset:* nam veterrimus liber Coloniensis *discisset*. Vulgati nullo sensu *discussit;* nisi *discusset* reponas. Apud Nostrum quoque l. V. fortasse sic legendum, 'septem disseptus in ostia Nilus,' pro *discretus:* nam veteres nonnulli, *discerptus*. Et lib. XI. 'Juncta palus huic est raris obsepta salictis;' non *obsessa* cum vulgatis: nam scripti duo *obsecta*. 'Obsepiendi' verbo Tullius ac Livius non semel utuntur: 'consepire' passim apud auctores extat. Hinc 'ager conseptus' apud Ciceronem Catone; 'orbis conseptus' apud Auctorem Herculis Œtæi, et 'conseptus gurges' apud Ausonium Mosella. Avienus ora Maritima, 'Nam Punicorum lingua conseptum locum Gadir vocabat.' 'Intersepire' habes apud Ciceronem et Livium sæpe: etiam apud Plinium Nat. Hist. XVII. 21. Scribitur autem id verbum in antiquis codicibus plerumque per diphthongum. *Heins.*

70 *Massa latuere sub ipsa*] *Illa* meliores: et *effervescere* versu proximo: et *animantibus* pro *animalibus* paulo post. *Idem.*

71 *Effervescere*] Sic Mss. omnes, pro quo interlinearis surrepsit lectio, *fulgescere*. *Toto fulgescere cœlo*] Incredibilem cœli ornatum, ex stellarum planetarumque quibus consitum est elegantia ac splendore, depingit initio suorum Annalium Constantinus Manasses. *Pont.*

73 *Astra tenent*] Platonicos sequitur, qui astra et Deos in ordinem animalium retulerunt. *Solum*] Fundamentum ei cui subjacet, τὸ ὑπέχον· sic mare navibus solum, terra viris, &c. Serv. ad Æneid. VII. ubi mensæ vel quadræ dicuntur a Virgilio 'Cereale solum.' *Solum*] Redi ad Epist. VI. 67.

76 *Sanctius*] Comparativus pro positivo: non enim cætera animalia sancta erant. Sanctum ergo animal homo, id est, admirabile, suspiciendum, venerandum, minimeque violandum, aut injuriosius tractandum. *Pont.*

78 *Divino semine fecit*] Hoc ex Academia et Stoa, quibus anima humana est scintilla cœlestis, et divinæ particula auræ. *Farn.* *Natus homo*] Cur ultimo loco, post omnia reliqua conditus sit homo, causam edit Philo de mundi opificio: 'Haud prius regem advenire oportebat, quam ei domicilium et palatium, et quibus indigebat essent præparata. Quemadmodum et herbas Deus ante animalia condidit, ut mox pabulum reperirent.' Et homo rerum dominus, et finis quodam-

Digitized by Google

modo ob quem procreata cætera: itaque ante illum procreanda fuerunt. *Divino semine fecit*] Significat, nos mentes e divina mente delibatas habere. Ita et Lucret. l. II. 'Denique cœlesti sumus omnes semine oriundi.'

79 *Mundi melioris origo*] Alii *imago*: utrumque ex sententia veterum philosophorum. Apud Maronem lib. XII. 'Tum pater Æneas Romanæ stirpis origo.' *Heins.*

82 *Satus Iapeto*] Prometheus, quem cur poëtæ finxerint ἀνθρωποποιοῦντα, vide Cœlium Rhodigin. VII. 19. *Farn.* *Mistam fluvialibus undis*] Tellus mista fluvialibus undis, est lutum; et quorum melior indoles, perspicax et prudens ingenium, de meliore luto ficti dicuntur. Juvenal. Sat. XIV. 'De meliore luto finxit præcordia Titan.' Titan hic est Prometheus Japeti filius, Titanis nepos. Enumerat causas Rhodig. VII. 19. ob quas Poëtæ Prometheum hominem e luto finxisse prodiderint. *Pont.* *Mistam undis*] Πάντες γὰρ γαίης τε καὶ ὕδατος ἐκγενόμεσθα. Ἐκ γῆς πάντα γίνεται, καὶ εἰς γῆν τελευτᾷ. Itaque Menelaus apud Homer. H. 99. Achivos increpat. Ἀλλ' ὑμεῖς μὲν πάντες ὕδωρ καὶ γαῖα γένοισθε. Quasi dicat, Nihil habetis ætherii sensus, moriamini igitur, et in principia resolvamini. Antholog. I. 65. Epigr. 7. τοῖς δὲ φύσει μαλακοῖς ἡ φύσις ἐστὶν ὕδωρ. Plutarchus adversus Epicurum meminit hujus vers. inquiens, αὐτὸ γὰρ τοῦτό ἐστιν ὁ ὕδωκεν ἡ φύσις, τὸ ἀναλύσθητον καὶ διάλυσιν. Vide et Lucian. Fabulos. Dial. Προμηθεύς, ἢ Καύκας. Huc alludit Propert. Eleg. II. 16. 'Hæc videam rapidas in vanum ferre procellas, Quæ tibi terra velim, quæ tibi fiat aqua.'

84 *Pronaque cum spectent*] Vide Cic. de Natura Deorum II. et de Leg. Seneca Epist. 94. Apul. I. Apol. Lactant. II. 1. *Farn.*

85 *Os homini sublime*] 'Nonne vides hominum ut celsos ad sidera vultus Sustulerit Deus, et sublimia finxerit ora?' &c. *Cœlumque videre Jussit*] *Tueri* rectius est in duobus Mediceis: neque aliter vetus Prudentii Scholiastes in Oxoniensi Bodlei bibliotheca, etsi Lactantius et Isidorus vulgatam lectionem agnoscant. Sic apud poëtam, 'tædet cœli convexa tueri.' *Heins.*

FAB. III. Arg. *Aurea prima sata est ætas*] Ex variis hominum moribus quatuor ætates factæ videntur, quibus pro morum qualitate a metallis nomina imposita fuere. Prima namque Aurea fuit appellata, quod optimis moribus illo tempore, quo Saturnus regnavit, homines floruerint. Secunda Argentea, quod, quo tempore cœpit regnare Juppiter, in vitia homines inclinare cœperunt. Tertia Ærea, quam bella occuparunt. Quarta Ferrea, quod in ea a nullo crudelitatis genere se homines abstinere constat.

89 *Vindice*] Hoc est, punitore et castigatore: nam nulli tum erant judices, nulli lictores, nulli rerum capitalium vindices, nec ulli carceres. *Pont.* Fabulæ hujus originem acceptam relatam volunt Sibyllis, nec non Hebræis, a quibus forte inaudierant Græci quædam de statua per somnum oblata Nabuchodonosori, cui caput aureum, humeri argentei, &c. quam interpretatus est Daniel de quatuor imperiis. Refert Hesiod. quinque ætates: a quo non pauca mutuatus est noster, ut et ab Arato et Fabio Pictore. Quinam poëtæ in eodem argumento luserint: vide Indicem nostrum Poëticum. *Farn.*

91 *Nec vincla minantia fixo Ære ligabantur*] *Verba minacia* recte meliores. Leges enim intelligit, quas æreis tabulis inscriptas et loco conspicuo adfixas publice legendas proponi mos erat: hinc 'leges figere' et 'refigere,' pro leges ferre et abrogare. *Legebantur* præterea, non *ligabantur* excerpta Calandræ Vaticana, tres

Digitized by Google

Medicei, et unus Bononiensis; quod etiam ampleotor. *Heins.*

92 *Turba timebat*] *Timebant* tres scripti. Mox *sine vindice tuti* in nonnullis inter meliores; sed jam præcesserat *vindice nullo*. Idem.

98 *Non tuba, &c.*] Tuba peditum, et est directa: lituus incurvus.

99 *Non galeæ, non ensis erat*] *Erant* concinnius antiqui quinque. Mox *securæ mentes* Gronovianus primus, non *gentes*. Simili modo peccatur apud Val. Flaccum l. II. 'Sævior haud alio mortales tempore gentes Terror agit;' cum *mentes* sit reponendum. Ipse Valerius lib. III. 'pendent mortalia longo Corda metu.' Noster l. II. 'obscurus mortalia pectora terres.' Et hoc ipso libro paulo ante, 'humanas motura tonitrua mentes.' *Heins.*

101 *Ipsa quoque immunis*] Virgil. Georg. II. 'Ante Jovem nulli subigebant arva coloni.' Id est, regnante Saturno, antequam mundus esset sub Jove. *Pont.*

102 *Per se dabat*] Κάρπον δ' ἔφερε ζείδωρος ἄρουρα Αὐτομάτη πολλόν τε, καὶ ἄφθονον. Hesiod. Ἔργ. *Farn.*

104 *Arbuteos fœtus*] Alii leg. *Arboreos fœtus:* ut l. XV. Pythagoras, et Virg. Georg. I. *Farn.*

105 *Rubetis*] Asperis et spinosis. Rubetum autem dicitur locus, rubis et spinis consitus. *R.*

106 *Jovis arbore glandes*] Dicendum hic, quæ arbores, quæ plantæ quibus Diis sacræ. Jovi, quercus, ilex, æsculus. Apollini, laurus, oleaster, hyacinthus, myrica, juniperus. Marti, fraxinus, gramen. Minervæ, olea. Veneri, myrtus, rosa. Herculi, populus. Baccho, vitis, edera, folia ficus, narcissus, pampinus. Plutoni, cupressus. Laribus, allium. Eumenidibus, alnus, cedrus. Cereri, crocus. Proserpinæ, narcissus. Musis, palma. Genio, platanus. Mercurio, portulaca. *Patula arbore*] Hoc est, in latum patentibus diffusa ramis. *Pont.* *Jovis arbore glandes*] Quercu, Jovi sacra, uti laurus Apollini, Herculi populus, Marti fraxinus; sed Minervæ olea, ut habet Avieni fab. *Farn.*

Fab. IV. Arg. *Postquam Saturno*] Aureæ ætati, qua Saturnus regnavit, subnectitur argentea, in qua regnavit Juppiter, quæ ut aurea deterior, sic est ænea melior. Primus autem omnium Juppiter ver illud aureæ ætatis perpetuum in quatuor tempora commutavit, Ver, Æstatem, Autumnum, et Hyemem. Tumque primum calores atque frigora aërem infestare cœperunt, ideoque homines antra et speluncas pro domibus habitare, atque agros colere coacti sunt. *R.*

113 *Saturno tenebroso*] Fabulam Saturni a Jove exacti et in Tartara deturbati lege apud Natalem Comitem II. 2. Lactantium VII. 13. Macrob. I. 7. *Farn.*

114 *Subiitque argentea proles*] *Subiit* cum castigatioribus restituendum, ita sensu postulante. Rationem Notis ad Epist. VII. reddidimus. Virg. lib. VIII. 'hæc, inquit, limina victor Alcides subiit: hæc illum regia cepit.' Statius Theb. X. 'subiit ultricia Tydeus Tartara.' Horat. Sat. I. 9. 'Cum gravius dorso subiit onus.' Val. Flaccus l. IV. 'et monstri subiit absentis imago.' Lib. VIII. 'Ille silet: tantus subiit ut virginis horror:' ubi perperam Barthius *subiit vi.* Apud Virgilium libro IX. in veterrimis codicibus legitur, 'Italiam fatis petiit auctoribus.' Sic et Persius aliique: producitur etiam in *adiit, rediit, periit, abiit*, et similibus postrema syllaba sequente vocali. *Heins.*

115 *Auro deterior*] Χρυσέῳ οὔτε φαὴν ἐναλίγκιον οὔτε νόημα. Hesiod. Ἔργ.

117 *Inæquales autumnos*] Temperie et tempestate incertos, modo calore æstuantes, modo frigore rigentes; atque hinc morbidos. *Farn.*

121 *Tum primum subiere domos*] *Domus* in optimo Florentino, et priori Hamburgensi: ut repetitio versum

Digitized by Google

gratiorem reddat. Deinde in eodem, aliisque melioris notæ octo aut decem, *vinctæ cortice virgæ*, non *junctæ*; etiam probe. *Heins.*

125 *Tertia post illam*] *Post illas* Berneggerianus, Urbinas, primus Mediceus, et Noricus: idque rectius. *Id.*

128 *Venæ pejoris*] Metalli deterioris. Optima vena auri si ad mores referas. *R.*

129 *Fugere pudor*] Ὤχετο μὲν πίστις, &c. Theognis. Lege et Juvenalis Sat. sextam. 'Credo pudicitiam Saturno rege moratam,' &c.

133 *Quæque diu steterant*] Τίπτε μὲ τὴν ἀνέμοισιν ἀλάσιμον, &c. Anthol. α. εἰς Νῆας, &c. *Farn.*

135 *Ceu lumina Solis et auræ*] Fragmentum Leodicense, Neap. Urbin. Bernegg. et quatuor alii ex melioribus *auras*; quod lex Latinitatis exigit. Vivianus ex suis *aura*, quomodo unus Basileensis; sed frustra. *Heins.*

138 *Itum est in viscera terræ*] 'Video,' inquit Sen. Benef. VII. 10. 'ferrum ex iisdem tenebris prolatum, quibus argentum et aurum: ne aut instrumentum in cædes mutuas deesset, aut pretium.' Lege et ipsius Epistol. 94. et Plin. præfat. 'Imus in viscera ejus,' &c. *Farn.* *Viscera terræ*] In intimas terræ partes fodiendo descensum est; et scrutari cœperunt profunda terrarum.

142 *Quod pugnat utroque*] Quis non audivit Philippi Macedonis arma victricia, ἀργυρέας λόγχας, et asinum auro onustum, Græciam auro ejus non ferro subactam? *Farn.*

144 *Non hospes ab hospite*] Οὐδὲ ξεῖνος ξεινοδόχῳ, καὶ ἑταῖρος ἑταίρῳ, &c. Hes. ἔργ. citantur hi Nostri poëtæ versus a Seneca Benef. V. 15. *Farn.*

146 *Imminet exitio vir conjugis*] Quæ mulieres suos viros, et contra, qui viri suas mulieres necaverint. Hygin. Fab. CCXL. et CCXLI. *Pont.*

147 *Lurida terribiles miscent*] Ab effectu Juven. Sat. I. 'Nigros efferre maritos,' veneno scilicet extinctos. *Farn.*

149 *Jacet*] In nullo pretio est. *Et virgo Astræa*] Id est, Justitia. Vide Gell. XIV. 4. *R.* *Virgo cæde madentes*] Ἀθανάτων μετὰ φῦλον ἴτον, πρόλιπόν τ' ἀνθρώπους Αἰδὼς καὶ Νέμεσις. Hesiod. ἔργ.

150 *Astræa reliquit*] Astræi filia: Hesiodo Jovis filia: cur virgo fingatur, et graphicam Justitiæ imaginem gerat, vide apud A. Gell. XIV. 4. Vide quæ ad vs. 509. l. VIII. *Farn.*

FAB. V. 151 *Gigantas*] Ἴσως τις τὰ παρὰ τοῖς ποιηταῖς μεμυθευμένα περὶ τῶν γιγάντων οἴεται τὸν νομοθέτην ἀνίττεσθαι, πλεῖστον ὅσον διεστηκότα τοῦ μυθοπλαστεῖν, καὶ τοῖς τῆς ἀληθείας ἴχνεσιν αὐτῆς ἐνιβαίνειν ἀξιοῦντα. Philo Jud. I. de Gigantibus. Erant autem γηγενεῖς Terræ et Cœli filii. Οὕνεκα γῆς ἐγένοντο καὶ αἵματος Οὐλόμπιοιο. Orpheus. Vide Claudiani Gigantomachiam, et quæ citantur a nobis in *Poëtico Indice*, sub titulo, *Gigantomachia*. Videantur et Mythologi, Hyginus XXVIII. fab. Apollodorus lib. I. Ant. Liberalis fab. XXVIII. Ge. Sabinus, Natalis Comes VI. 21. et 22. quorum alii interpretantur Gigantes fuisse rebelles, seditiosos, impios, sacrilegos: alii Tyrannos, alii ventos Typhonas. Οὐ μὲν ἐς ἀγῶνα ἐλθεῖν τοῖς θεοῖς, ἀλλ' ὑβρίσαι μὲν τάχα ἐς τοὺς νεὼς αὐτῶν καὶ τὰ ἔδη, &c. Philostratus l. V. de vita Apollonii cap. 6. in cujus Heroicis lege et tit. ἀμπελουργόν. Philo lib. de Gigant. γῆς μὲν γεγόνασι ἄνθρωποι οἱ θηρευτικοὶ τῶν σώματος ἡδονῶν, &c. Josephus l. I. cap. 4. refert, progeniem hanc fuisse Angelorum, seu filiorum Dei cum filiabus hominum congredientium. *Farn.* *Gigantes*, terrigenæ dicti, utpote e terra geniti. Fuerunt immani corporum granditate, robore prævalido, aspectu horribili. Vide Crinit. II. 11. Hier. Magium I. 4. *Pont.*

152 *Affectasse ferunt*] Redi ad Amor.

Digitized by Google

I. 1. 14. *Gigantes*] *Gigantas* quatuor ex antiquioribus, de quo ad Fastos: sic et infra lib. v. vs. 319. restituimus. Prudentius Hamartig. ex codice Puteaneo longe antiquissimo, 'fulmineos cogens ad bella Gigantas.' Martial. lib. VI. 'Ipse tuos nobis relegas licet usque Gigantas:' sic libri meliores, ut et apud Claudianum IV. Cons. Honor. 'olim domitura gigantas.' Neque aliter apud Statium non uno loco; et apud Lucanum in optimis membranis. Plura vide ad Fast. III. 439. *Heins.*

155 *Excussit subjectum Pelion Ossæ*] *Subjecto* multi ex vetustioribus: *subjecto Ossa* secundus Palatinus et unus Bersmanni: optimus Thuaneus *subjectum Ossa:* unus Palatinus *subjectum Pelion Ossam:* codex, quo vir optimus doctissimusque Carolus Sprotius me donavit, pro diversa lectione exhibebat *subjectam Pelion Ossam.* Scribe, *excussit subjectam Pelio Ossam:* vel quod in uno Ambrosiano pro diversa itidem lectione legebatur, *subjecto Pelio Ossam.* Quidam enim poëtarum Pelion Ossæ subjectum ferunt fuisse, quidam Ossam Pelio subjectam. Posteriorem tamen lectionem veriorem duco. Atque ita jam conjecerat legi debere vir exactissimæ eruditionis noster Gronovius in Observationibus, ex illo Virgiliano, 'Ter sunt conati imponere Pelio Ossam.' *Idem.*

157 *Multo natorum sanguine*] Unus Leidensis *merito*, quod arridet. Mox pro *suæ stirpis* optimæ notæ Thuaneus et unus Vossianus *feræ stirpis.* Idem.

160 *In faciem hominum*] In formam et figuram humanam. Sic dicitur, facies maris, facies cœli, &c. Adeoque omnis externa species et forma, oculis exposita, facies appellatur. Hinc superficies.

162 *Scires e sanguine natam*] *Natos* plerique meliores: mox etiam, *Ingentes animo et dignas Jove.* Heins.

FAB. VI. Arg. *Quæ pater ut summa*] Jupiter cum eorum hominum crudelitatem, qui e sanguine gigantum nati erant, esset contemplatus, ac inprimis tetram Lycaonis, Arcadiæ regis, feritatem perpendisset; in universum genus humanum est commotus. Quare Diis omnibus congregatis, et consilium suum de perdendo genere humano, et quæ a Lycaone mala passus erat, exponit, utque illum in lupum commutaverit.

165 *Feda convivia*] Tetra, crudelia. Nam Lycaon Pelasgi filius, hospitio susceptos non solum interficiebat, sed etiam convivis comedendos apponebat. Quod cum Jupiter cognovisset, ejusque domum ingressus, factas insidias comperisset; et domum incendit, et Lycaonem in lupum animal rapacissimum convertit. *R.*

167 *Conciliumque vocat*] De duodecim consiliariis et assessoribus Jovis, ut censuit antiquitas, nonnihil Turneb. Adversarior. XXV. 12.

168 *Est via sublimis*] Cœlo puro ac sereno tenues quasdam, et veluti candidas nubeculas, ceu lactis longe lateque profusi copiam intuemur nocturno tempore, a qua lactis imagine circulus ille ὁ γαλαυρίας seu γαλαξίας Græcis, Latinis 'circulus lacteus,' Poëtis 'via lactea' nominatur. *Pont.*

169 *Lactea nomen habet*] De lacteo circulo, præter philosophos, vide Macrob. I. 15. de somnio Scip. et Manil. astron. I. lib. et Hygin. lib. II. et Turneb. Adv. XIII. 2. *Farn.*

171 *Deorum nobilium*] Hoc est, clarorum, qui majorum gentium Dii appellantur, et sunt duodecim numero: quos et 'potentes Cœlicolas' vocat. *Celebrantur*] Frequentantur. *Valvis apertis*] Januis patentibus. Muret. Variar. I. 17. *R.*

172 *Celebrantur*] Redi ad Epist. XV. 11.

173 *Plebs habitat*] *Habitant* Ham-

Digitized by Google

burg. unus Mediolan. et unus Medic. nec longe post *quisque parabant* pro *parabat* ex meis unus, unus item ex Mediceis: dixi paulo ante. *Heinsius. Plebs habitat*] Plebem vocat multitudinem Deorum minorum. *A fronte potentes*] Intellige quosdam nobiles Deos in aditu hujus viæ habitare. Vide Alexand. ab Alexand. VI. 4. et ibid. Tiraquell. *Pont.*

174 *Cælicolæ*] Qui scilicet majorum sunt gentium: Juno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars, Mercurius, Jupiter, Neptunus, Vulcanus, Apollo. Vide Arnobium lib. IV. *Farn.*

175 *Si verbis audacia detur*] Si id asserere auderem.

178 *Celsior ipse loco*] Sublimior cæteris, ut reges sedere solent; quo facilius conspiciatur audiaturque ab omnibus. *Sceptro eburno*] Sceptra veterum regum erant hastilia, aureis æreisve bullis ornata, e ligno aut ebore. Σκῆπτρον a σκήπτω, *innitor, incumbo.* Pont.

179 *Concussit terque quaterque*] Sæpius commovit. Crebra enim concussio capitis indignationem significat. *R. Terrificam capitis*] Exprimere voluit illud Homeri Iliad. A. Ἦ, καὶ κυανέῃσιν ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων· Ἀμβρόσιαι δ' ἄρα χαῖται ἐπεῤῥώσαντο ἄνακτος Κρατὸς ἀπ' ἀθανάτοιο· μέγαν δ' ἐλέλιξεν Ὄλυμπον. *Farn.*

180 *Cæsariem, qua sidera movit*] Æneid. X. 'Annuit, et totum nutu tremefecit Olympum.' Quod Homericum est: μέγαν ἐλέλιξεν Ὄλυμπον.

183 *Qua centum brachia, &c.*] Centum manus. Unde et gigantes Centimani, a centum manibus, vocantur. Alludere autem Poëta videtur ad Briareum gigantem et Cottum et Gygen illius fratres, quos Hesiodus in Theogonia singulos centum manus habuisse ait.

184 *Anguipedum captivo*] Δρακοντόποδες finguntur gigantes: utrum ab invisa illa hominibus forma? an ab incessu superbo? an quod nihil rectum, nihil superum cogitarent, totius vitæ eorum gressu atque processu in inferna mergente? ut Macrob. Saturn. I. 20. et Crinitus II. 11. an denique ab ambitione sinuosa? Natal. Comes VI. 22. *Brachia*] Κόττος τε, Βριάρεώς τε, Γύγης θ' ὑπερήφανα τέκνα. Τῶν ἑκατὸν μὲν χεῖρες ἀπ' ὤμων ἀΐσσαντο, Ἄπλαστοι, κεφαλαὶ δὲ ἑκάστῳ πεντήκοντα, &c. Hesiod. Theogon. de Gigantibus. Vide Hieron. Magium lib. I. cap. 4. et F. B. V. Sapient. cap. 2.

187 *Nereus circumtonat*] Deus est marinus, sed pro Oceano ponitur, qui universam circuit terram, qua orbis terræ patet. *R. Circumsonat orbem*] *Circumtonat* quatuor veteres. Avienus ora maritima, 'Hic salis Ægæi tractus tonat.' *Heins.*

188 *Per flumina juro Infera*] Per Stygem paludem jurat, mortale genus totum esse perdendum. Stygis autem numen Dii fallere metuebant, ut ait Virg. 'Dii cujus jurare timent et fallere numen.' Quia ipsa Styx conjuratorum contra Jovem Deorum, cum illum vincire voluerunt, insidias patefecerat, hanc illi dignitatem concessit, ut Dii jusjurandum per Stygem sanctissimum haberent. *Pont. Per flumina juro*] Vide Metamorph. II. 45. *Farn.*

190 *Cuncta prius tentanda*] *Tentata* ex meorum uno revocandum. Versu proximo tollunt τὸ *est* optimus Florentinus et unus Ambrosianus. *Heinsius.*

192 *Sunt rustica numina Fauni*] De Faunis agricolarum Diis lege Natal. V. 9. de Nymphis, earumque generibus cap. 12. De Satyris cap. 7. De Sylvanis cap. 10. *Pont. Semidei*] Quæ sit pars sincera docet, Semidei, et Numina ruris, Dæmones, Heroës, Ἀνδρῶν ἡρῶων θεῖον γένος, οἱ καλέονται ἡμίθεοι, Hesiod. I. ἔργ. Ciofanus ex vet. cod. legit, *sunt rustica numina Nymphæ, Faunique, Satyrique, et mont.*

Digitized by Google

Noster in Ibin: 'Vos quoque plebs superum, Fauni, Satyrique, Laresque, Fluminaque, et Nymphæ, Semideumque genus.' Quos omnes se in montes recepisse credebant, a Jove monitos, ut sibi a diluvio caverent. *Farn.*

193 *Nymphæ*] Diis omnibus Nymphæ quædam erant attributæ ad ministerium. Habuit Jupiter, ut hic vides. Habuit Neptunus, et Hesiodus illi dat quinquaginta. Habuit Phœbus Aganippidas suas et Aonias. Habuere etiam Deæ, ut Juno I. Æneid. 'Sunt mihi bis septem præstanti corpore Nymphæ:' ut Diana Venatrices; Thetis Nereidas. *Pont.*

198 *Lycaon*] Arcadiæ tyrannus: de quo vide Apollodorum lib. III. et Nat. Comitem IX. 9. *Farn.*

199 *Confremuere omnes*] Simul omnes fremuere et murmuravere, facinoris immanitate commoti. *Confremuere omnes*] Testati sunt assensum cum indignatione. Alibi simpliciter pro assentire. Virgil. X. 'Talibus orabat Juno, cunctique fremebant Cælicolæ assensu vario: ceu flamina prima, Cum deprensa fremunt silvis, et cæca volutant Murmura, venturos nautis prodentia ventos.' Et I. Æneid. 'Talibus Ilioneus. Cuncti simul ore fremebant Dardanidæ.'

200 *Deposcunt*] Ad supplicium. *Manus impia sævit*] Conjurantium in Augustum, quorum meminit Suetonius cap. 19. neque enim placet intelligere de Julio Cæs. qui conjurationi non superfuit. *Deposcunt*] Ad supplicium. Æneid. VIII. 'Regem ad supplicium præsenti Marte reposcunt.' Et Æneid. II. 'Dardanidæ infensi pœnas cum sanguine poscunt.'

207 *Substitit ut clamor*] Postquam cessavit clamor, Jovis auctoritate cohibitus. *R.*

208 *Silentia rumpit*] Redi ad Art. I. 329.

209 *Curam hanc demittite*] *Dimittite* cum melioribus: quatuor *curam dimittite*. Sed enim apud Virgilium Æneid. VI. 'in regna Lavini Dardanidæ venient; dimitte hanc pectore curam:' sic enim bibliothecæ Leidensis codex: *mitte hanc de pectore curam* vulgati. Mox malim, *Cui tamen admisso:* nam unus Palat. *Quæ tamen amissum.* Heins.

211 *Contigerat nostras*] Verisimile est, Gentiles multa a sacris libris, vel lectione vel auditione, accepisse: vel etiam a Chaldæis et Ægyptiis, inter quos vixerant Hebræi. 'Quis,' inquit Tertullianus in Apologetico contra gentes, 'poëtarum, quis sophistarum, qui non omnino de fonte prophetarum potaverit? inde igitur philosophi sitim ingenii sui rigaverunt;' et quæ seqq. cap. 47. Deus certe ipse, ut habetur lib. Geneseos XVIII. dicit, 'Descendam, et videbo utrum clamorem qui venit ad me, opere compleverint, an non sit ita, ut sciam.' *Farn.*

215 *Minor fuit ipso infamia vero*] *Ipso vero* præstiterit. *Heins. Minor vero*] Majora namque scelera et plura ab Jove deprehensa fuere quam ferebantur.

216 *Mænala transierunt*] Mænalus autem et urbs et mons est Arcadiæ celeberrimus, a Mænalo Arcadiæ filio denominatus. *R.*

217 *Et cum Cylleno*] *Cyllene*, quicquid libri veteres dissentiunt. Κυλλήνη Græcis est. *Heins. Lycæi*] Montis Arcadiæ, cujus regem proleptice nuncupat poëta Arcada: quum Arcadia postea dicta sit, ab Arcade filio Callistus, quæ filia erat Lycaonis. *Farn. Et cum Cylleno*] Mons Arcadiæ Mercurio dicatus: unde etiam Cyllenius appellatur.

218 *Arcades*] Lycaonis, Arcadiæ regis.

219 *Crepuscula*] Redi ad Amor. I. 5. 5. Epist. X. 7.

222 *Discrimine aperto*] Manifesto periculo.

225 *Hæc illi placet experientia veri*]

Digitized by Google

Rerum numerosius, quod in secundo Mediceo extabat. *Heins.*

226 *Missi de gente Molossa*] Veterrimus Palatinus *amici*. Lege *Amyci*: ut nomen obsidi sit Amyco. Sic 'Ophionides Amycus' lib. XII. Passim hoc nomen occurrit apud poëtas. *Idem.* *Missi de gente Molossa*] Molossi populi sunt Epiri, a quibus bello victis Lycaon obsides acceperat, quorum unum jugulavit, ut ipsum Jovi apponeret. *R.*

230 *Quos simul imposuit mensis*] Hoc Hyginus lib. II. tit. Arctophylax, refert de Arcade Calistonis filio, cæso a Lycaone. Verum idem in fab. 176. narrat, Lycaonis filios Jovem tentaturos, Deusne esset, carnem humanam cum alia mistam ei in epulo apposuisse. Quod itidem tradit Apollodorus lib. III. Natal. Comes IX. 9. scribit Lycaonem in lupum versum, quod in ara Jovis Lycæi infante mactato humanum sanguinem libaverat. Boccatius refert Lycaonem obsidem, a Molossis devictis sibi datum, eorundem legatis repetentibus edendum apposuisse. Aliter Clemens Alex. Admonit. ad gentes. Aliter Pausanias in Atticis.

233 *Exululat*] Valde ululat. *Ab ipso Colligit, &c.*] Quia, inquit, loqui non poterat, in rabiem actus est, quam ab hominibus in pecudes transtulit. *R.*

235 *Utitur in pecudes*] Multi veteres *Vertitur*; quod præstat. Lib. XI. 'Inde cruentatis vertuntur in Orphea dextris.' Lib. XII. 'Vertere in Æaciden, cæsosque ulciscere fratres.' *Heins.*

237 *Fit lupus*] Multi multa de Lycanthropis Plin. VIII. cap. 22. Cœl. Rhodig. XXVII. 12. Aug. de civit. Dei XVIII. 17. et 18. Miranda sed non credenda Olaus Magnus XVIII. 45. et Cigogna IV. 5. Hier. Magius IV. 12. Bullingerus II. adversus Magos, 29. Boissardus de Magia, cap. 6. *Farn.*

238 *Violentia vultus*] *Vultu* rectius uterque Erfurtensis, secundus Palat. et Leidensis unus. *Heins.*

FAB. VII. Arg. *Occidit una domus*] Posteaquam Jupiter exemplo Lycaonis ostendit quam tetris sceleribus infecti sint homines, concludit totum genus humanum penitus esse perdendum. Sicque poëta fabulam cum fabula ac mutationem cum mutatione connectit. Narraturus enim quemadmodum lapides a Deucalione et Pyrrha post terga jacti, partim in mares partim in fœminas fuere conversi, ante describit diluvium, quo genus humanum fuit extinctum. *Raph.*

241 *Fera regnat Erinnys*] Plena sunt omnia scelerum. De Erinnybus fuse Natalis III. 10. Eædem sunt Furiæ, Eumenides, Erinnyes. Et Gyrald. Syntagm. 6. *Pont.*

244 *Pars voce probant*] Allusum videtur ad Curiam Romanam, in qua Majorum gentium patres sententiam dicebant; Minorum gentium patres in aliorum sententias pedibus ibant, unde pedarii dicti. Aul. Gel. III. 18. *Farn.*

246 *Est tamen humani generis jactura*] Scribit Plato, omnia hominum causa procreata; homines propter Deos, a quibus cognoscantur, implorentur, et colantur. *Pont.*

249 *Populandas tradere terras*] *Gentes* quatuor scripti. *Heins.*

255 *Totusque ardesceret axis*] *Longusque* ex melioribus. Infra lib. VI. 'Inficere ingenti longum curvamine cœlum.' Sic et apud Virgilium Georg. III. 'resonant sylvæque et longus Olympus:' ut in omnium vetustissimo codice Mediceo scriptum offendi. *Idem.*

256 *Esse quoque in fatis*] Deflagrationem mundi futuram (inquit Lactantius lib. de ira Dei cap. 23.) vaticinata est Sibylla his versibus: Καί ποτε τὴν ὀργὴν θεὸν οὐκ ἔτι πραθνοντα Ἀλλ' ἐξεμβρίθοντα, καὶ ἐξολύοντά τε γένναν Ἀνθρώπων ἅπασαν ὑπ' ἐμπρησμοῦ

πόρθοντα, subjicitque ibidem tres hosce Ovidii versus. Quod et Seneca præscivit Consolat. ad Marciam, sub ipsa calce libri: 'Cum tempus advenerit, quo se mundus renovaturus extinguat, &c. et omni flagrante materia uno igne quicquid nunc ex disposito lucet, ardebit.' Idem Natural. Quæstionum lib. III. 28. 'Qua ratione, inquis? Eadem, qua conflagratio futura est. Utrumque sit, cum Deo visum ordiri meliora, vetera finire. Aqua et ignis terrenis dominantur. Ex his ortus, et ex his interitus est,' &c. *Faru.*

260 *Genus mortale*] Annon jure summo res suas repetitum veniant SS. Patres, Justinus Martyr. I. apol. Lactantius lib. II. de origine erroris, alii; meritoque arguant Ethnicos furti simul et adulterii? 'Qui,' ut ait Tertullianus Apologetico contra gentes, cap. 47. 'nostram hanc paraturam suis opinionibus ad fabulas et philosophicas sententias adulteraverunt, et de una via obliquos multos tramites et inextricabiles sciderunt.' Quæcunque enim fando audierant de universali illo diluvio Noëtico, A. Mundi 1656. deferunt ad diluvium singulare quod contigit in Thessalia A. Mundi 1437. regnante ibi Deucalione, qui, ut habet Arrianus lib. II. rerum Bithynicarum, in editos montes cum suis confugit. Sed audi Lucianum in lib. de Dea Syria referentem quæ tradiderint Græci: ὑβρισταὶ κάρτα ὄντες, ἀθέμιστα ἔργα ἔπρασσον, &c. 'Injurii utique nefaria perpetrarunt opera, &c. quamobrem maxima illos consequuta est calamitas. Tellus enim multam aquam effudit, imbres magni fuerunt, flumina solito majora decurrerunt, mare ascendit altius, eo usque, dum omnia aquis inundarentur, atque omnes perirent, Deucalion solus hominum superfuit in secundam generationem, pietatis gratia, Arcam quippe magnam, λάρνακα μεγάλην, cum uxore et liberis ascendit, cum ipso feræ et pecudes, bina ex uno quoque genere,' &c. Quibus adde quod refert Plutarchus lib. de solertia animalium: 'Columbam e Deucalionis arca emissam nuncium fuisse tempestatis, cum rediret; serenitatis, cum evolaret.' Videatur et Berosus et Justinus lib. II. *Faru.*

262 *Protinus Æoliis, &c.*] De generalibus et provincialibus eluvionibus copiose Lælius Bisciola Horar. subseciv. tom. I. l. 19. cap. 13. De provincialibus Justin. lib. II. Aristot. meteor. 2. Orosius lib. I. cap. 9. August. de Civ. Dei. Isidor. XIV. 22. *Æoliis austris*] Æneid. I. 'Nimborum in patriam, loca fœta furentibus austris, Æoliam venit,' &c.

268 *Utque manu late*] *Manu lata* meliores. Versu proximo *hinc densi*, non *et*, optimus Florent. Neapol. primus Vaticanus, et secundus Mediceus. Paulo ante *ruit unda capillis*, pro *fluit*, prior Erfurtensis; quod sequor: nisi *pluit* reponendum. *Heins. Pendentia nubila pressit*] Verbum *pressit* aquarum descendentium copiam exprimit. Veluti spongia ebria compressa, nubes aquam fundebant. *Pont.*

270 *Nuntia Junonis*] Pluvias siquidem denuntiat, quæ in aëre, quem Juno suo nomine designat, concipiuntur: seu quoniam e nubibus fiunt, quibus Juno præest, ut Servius ait. De causis Iridis multa Seneca Quæst. Nat. I. 3. et seqq. Cœlius Rhodig. XXII. 30. *Pont. Varios induta colores*] Virgil. IV. 'Mille trahens varios adverso sole colores.' Rationem physicam confirmat Hesiod. Θεογον. p. 780. Παῦρα δὲ θαύμαντος θυγάτηρ πόδας ὠκέα Ἶρις, Ἀγγελίη πωλεῖται ἐπ' εὐρέα νῶτα θαλάσσης, Ὄμβρόν τ' ἔρις καὶ νεῖκος ἐν ἀθανάτοισιν ὄρηται, et quæ seqq.

272 *Deplorata colonis*] *Colonis* rectius Neapol. Bernegger. et unus Mediceus. *Heins.*

275 *Cæruleus frater*] Neptuni periphrasis. *Auxiliaribus undis*] Auxilium afferentibus ad perdendum ge-

Digitized by Google

nus humanum.

279 *Domos*] Fontes. Vide vs. 574. infr. *Mole remota*] Obice quocunque. *Farn. Mole remota*] 'Molemque et montes insuper altos Imposuit; regemque dedit, qui fœdere certo Et premere, et laxas sciret dare jussus habenas.'

280 *Totas habenas*] Translatio ab equis sumpta, qui habenis inhibentur.

281 *Fontibus ora relaxant*] Fontium exitus: qui et in fluviis ostia dicuntur. Aditus domorum et limina etiam ora dicuntur: uti partes domus, membra Plinio vocantur. Æneid. VI. 'nec enim ante dehiscent Attonitæ magna ora domus.'

283 *Ipse tridente*] Hinc terræ motus et cum his eluviones elicit: hinc ἀποσίγαιος, et ἀποσίχθων, a Poëtis dictus. *Farn.*

284 *Motuque vias patefecit aquarum*] *Sinus* cum Erfurtano altero et uno Leidensi: idque ex veteri codice quoque annotarat Gruterus. Mox pro *pressæque latent turres* rectius apud Senecam l. III. cap. 27. Nat. Quæst. *pressæque labant* legitur. *Heins.*

292 *Omnia pontus erat*] *Erant* meliores: et mox *supra segetes*, non *super*. Idem.

296 *Summa piscem*] 'Piscium et summa genus hæsit ulmo, Nota quæ sedes fuerat columbis,' &c. Horat. Od. I. 2. *Farn.*

297 *Si fors tulit*] Si casu evenit. *R.* Sic Mss. uterque subscribit Mureto, l. XVI. var. lect. c. 9. *el τύχοι*. Cic. 'si forte:' male vulgo legitur, *sic fors tulit*. Farn.

300 *Phocæ*] A Latinis vituli marini appellantur. Plin. IX. 8. *Phocæ*] Redi ad Ep. X. vs. 87.

302 *Nereides*] Nymphæ sunt marinæ, a Nereo patre appellatæ.

303 *Agitataque robora*] Impulsa ligna ac truncos percutiunt.

304 *Nat lupus*] 'Ingeniosissimus ille poëtarum,' inquit Senec. Nat. Quæst. III. 27. 'egregie et pro magnitudine rei dixit, Omnia pontus erant; deerant quoque littora ponto; nisi tantum impetum ingenii et materiæ ad pueriles ineptias reduxisset, Nat lupus inter oves, fulvos vehit unda leones. Non est,' inquit, 'res satis sobria lascivire devorato orbe terrarum, &c. Magnifice hæc, si non curavit quid oves et lupi faciant.' Spero me habere quo nostrum ab hac sugillatione asseram; idque principis poëtarum exemplo. Neque enim hic (alibi forte) lascivit, sed serio et sobrie curat quid agat lupus inter oves; ut qui salutis suæ satagat non respiciens prædam, sibi prospiciat rapinæ utique immemor. Virgilius Georg. III. in hypotyposi diræ et omnia populantis pestis, post tauros, equos, sues, homines, hostias lue abreptas, adjicit et feras, rapinæ præ languore immemores, promiscue inter assuetas prædas obambulare: 'Non lupus insidias explorat ovilia circum, Nec gregibus nocturnus obambulat:' quare? 'acrior illum Cura domat: timidi damæ cervique fugaces Nunc interque canes et circum tecta vagantur.' *Farn.*

305 *Fulminis apro*] Utrum ab exertis utrinque dentibus fulminis cuspides referentibus? an quia ut fulmen 'obliqua præstringit lumina flamma?' Sic et aper 'obliquo latrantes dissipat ictu,' VIII. 344. Εἰ δὲ πλαγίως τοῖς ὀδοῦσι θίγοι τῶν κυνῶν, τὸ τρίχωμα ἐπέφλεξε. Pollux V. 12. Vide VIII. 389. *Far.*

306 *Crura nec ablato, &c.*] Scio esse qui *alato* legant: quod nobis tamen non probatur. Præsertim, cum ut recte in suo codice notaverat Gruterus, ipse auctor l. II. hujus operis, ita locutus sit. De Europe nempe: 'pavet hæc; litusque ablata relictum Respicit.' Ita hic, 'cervo ablato,' marinis, nempe, fluctibus. *Heinsius. Ablato*] Celeritate pedum subducto.

307 *Ubi sistere possit*] *Detur* primus

Digitized by Google

Mediceus, unus Palat. et Bononiensis. Virgilius Æneid. III. 'Incerti quo fata ferant, ubi sistere detur.' Alter præterea Mediceus ex veterrimo exemplari descriptus *sidere;* quomodo jam ante conjoceram: sic optimi passim scriptores; nisi quod obstare Virgilianus videtur locus. Noster l. II. 692. ex scriptis codicibus: 'Inter aves albas vetuit considere corvum.' Horatius Sat. I. 8. 'Ast importunas volucres in vertice arundo Terret fixa, vetatque novis considere in hortis.' Sed et ipse Maro Æn. VI. de columbis: 'Tollunt se celeres, liquidumque per aëra lapsæ Sedibus optatis gemina super arbore sidunt.' *Heins.*

310 *Novi fluctus*] Magnæ undæ et inusitatæ, et nunquam antehac ibi visæ.

312 *Separat Aonios, &c.*] Topographia et loci descriptio. Montem enim Parnassum describit, in cujus cacumen, sua altitudine ab undis tutum, Deucalion et Pyrrha se receperunt. Phocis regio est inter Bœotiam et Atticam, a Phoco denominata, in qua mons Parnassus duobus collibus eminens conspicitur. *Ab Actæis arvis*] Ab Attica regione, quæ olim Actæa, ab ἀκτὴ, *littus*, dicta. *R. Separat Aonios*] Hypallage: Aonia, id est, Bœotia separat Phocenses ab Atticis. *Farn.*

315 *Latus campus aquarum*] Μέγα λαῖτμα θαλάσσης. Redi ad vs. 41. h. l.

316 *Petit arduus astra*] Duobus cacuminibus tendit in altum sidera versus: quorum unum (ut Herodot. lib. VIII. ait) Tithoreum, alterum Hyampeum vocant: hoc Phœbo, illud Baccho sacrum. *Pont.*

318 *Hic ubi Deucalion*] Deucalion Promethei filius, vir integer ac pius. Vide Hygin. Fab. CLIII.

320 *Corycidas Nymphas*] Nymphas antri Corycii: quod et ipsum dictum a Nympha Corycia, ex qua Apollo genuit Lycorum, a quo urbs nominata est Lycorea. Pausanias in Phocicis, et Delphici dicti Lycores. Schol. Apollon. II. 719. atque hinc Lucianus in Timone ait, arcam appulisse ad Lycorim montem. *Numina montis*] Numina regionis, Indigetes, et Deos Topicos salutare atque adorare advenis moris erat. *Numina montis adorat*] *Adorant* meliores: et mox *metuentior Deorum* vel *Dearum* iidem, non *reverentior:* sic 'metuentior undæ' Epistola Herus. Noster Fast. VI. de Numa, 'quo non metuentius ullum Numinis ingenium terra Sabina tulit:' quomodo et 'metuens periculi' apud Maronem, Æn. V. 'metuens Divum matertera' apud Persium, 'et metuens natura mali' apud Severum in Ætna, et 'rixarum metuens Gratia' apud Horatium Od. III. 19. et 'metuens alterius viri castitas' Od. III. 24. et 'futuri metuens mens' Sat. II. 2. 'virgæ metuens Achilles,' Juvenal Sat. VII. 'metuens domini Roma' Lucano l. VII. *Heins.*

321 *Fatidicamque Themin*] Terræ, quæ prima tenebat oraculum, successit Themis, huic Apollo. 'Cum regna Themis tripodasque teneret.' Lucan. V. 81. et quæ nos ibi: 'responsa Themidis priora Delphis,' Sidonius 9. Carm. 'Spiritus elementorum,' inquit Am. Marcellinus l. II. 'et potestates substantiales suppeditant nobis divinandi munera et verba vaticina, quibus numen præesse Themidis dicitur: quam ex eo quod fixa fatali lege decreta præscire fas sit in posterum, quæ τεθείμενα sermo Græcus appellat, ita cognominatam, in cubili solioque Jovis Theologi veteres collocarunt.' Ovid. Metam. VII. 760. *Farn.*

325 *Et superesse virum*] *Videt* eum iisdem melioribus. *Heins.*

328 *Aquilone remotis*] Ab Aquilone depulsis. Est enim Aquilo ventus nubila dissipans, ac serenitatem inducens. *R.*

331 *Mulcet aquas*] Æneid. I. 'Et mulcere dedit fluctus, et tollere ventos.' Quod ex Homer. Odyss. K. 21.

Digitized by Google

Κάδμον γὰρ ταμίην ἀνάμων τεκέσε Κρονίων, Ἥμὲν πανάμεναι, ἠδ' ἀρνάμων ἦν κ' ἀέλλησι.

332 *Innato murice*] Ingenitis muricibus: vel gerentem humeris ingenitos sibi murices et conchas. Est autem murex concha ex cujus sanguine purpureus conficitur color.

333 *Cæruleum Tritona*] *Cæruleos* concinnius sit, ut ad humeros referatur. Mox pro *conchaque sonanti*, *conchæque* nonnulli. Naugerius et Vivianus *sonaci* ex suis notant; neque aliter Calandræ Vaticana Excerpta. Respexit hæc Nasonis Apuleius Metam. l. IV. 'Jam passim maria persultantes Tritonum catervæ, hic concha sonaci leniter buccinat, ille serico tegmine flagrantiæ Solis obsistit inimici.' Idem l. VIII. 'attritum dentium sonacem' de apro dixit. Vide Notas Amor. II. 6. 22. *Heins. Conchaque sonanti*] Beroaldus legendum censet *sonaci*. Ex opinione et religione veterum interpretandum censet Turneb. II. 21. credentium Tritonem Neptuni buccinatorem canore immaniique clamore aquas increpare et tanquam auritas vocare, quæ ejus imperio consueverint parere.

336 *Tortilis, &c.*] Retorta in latitudinem. *Quæ turbine crescit*] Quæ ab ore angusto incipit, et in amplum desinit ad turbinis similitudinem.

337 *Quæ in medio concepit ubi aëra ponto*] Tolle τὸ *in* ex auctoritate codicum, et ex quatuor libris repone *concepit ut*. Heins. *Concepit ubi aëra*] Postquam inflari cœpit. *In medio ponto*] Quo possit commodius ex omni parte a marinis fluctibus velut animatis exaudiri.

338 *Utroque jacentia*] Sole oriente et occidente, universo denique terræ marisque tractu. *Farn.*

340 *Cecinit recessus*] Imo *receptus* cum secundo Palatino, codice Langii, et Berneggeriano, atque adeo cum excerptis Calandræ. Sic et Trist. IV. 9. ex fide optimorum codicum *cum Musa receptus* est reponendum. *Heins.*

346 *Nudata cacumina*] Foliis privata atque spoliata. *R. Postque diem*] Post multos dies, tempus longum: annum scilicet, si Noëticum intelligas Diluvium. *Farn.*

347 *Limumque in fronde*] Oblimata et lutulentæ relinquebantur frondes arborum, propter aquam per alluviones et colluviones necessario turbatam fœdatamque.

349 *Desolatas terras*] Destitutas hominibus et animantibus. *R. Desolatas terras*] Virgil. XI. 'ingentes et desolavimus agros.'

351 *Soror*] Patruelis, non germana; filia scil. Epimethei ex Pandora, uti et Deucalion erat Promethei filius, ex Asia uxore: uterque autem Prometheus et Epimetheus filii erant Japeti. *Farn. Soror*] Item et frater pro patruele Epist. Heroid. VIII. 28. Quod ex fragment. Pacuvii. 'nam me æquum est frui Fraternis armis, mihique adjudicarier Vel quod propinquus, vel quod virtute æmulus.'

352 *Patruelis origo*] Deucalion enim et Pyrrha patrueles fuerunt. Nam Japetus duos sustulisse filios dicitur; Prometheum, qui Deucalionem, et Epimetheum, qui Pyrrham genuit. *R.*

353 *Ipsa pericula*] Validissimum vinculum, naturæ sorte, cognationis lege, conjugii fœdere firmius; συνάγει γὰρ καὶ ἐχθίστους ὁ κοινὸς φόβος. Arist. Polit. V. *Farn.*

355 *Nos duo turba sumus*] Est quod infra dicit: 'Nunc genus in nobis restat mortale duobus.'

357 *Etiamnum*] Sic Neapolitanus. *Heins.*

358 *Quis animus, miseranda, foret*] *Quid animi* unus Vossianus et unus meus cum Naugerii codice et margine editionis Gryphianæ: primus Vaticanus *Quid animus*; proxime verum. Epist. Canaces, 'Quid mihi tunc animi censes, germane, fuisse?' Met. V. 'Quid mihi tunc animi miseræ

Digitized by Google

fuit?' Lib. VII. 'Quid mihi tunc animi fuit? an quod debuit esse?' Lib. XIV. 'Quid mihi tunc animi (nisi si timor abstulit omnem Sensum animumque) fuit?' *Idem.*

361 *Si te quoque pontus haberet*] *Te modo* rectius nonnulli: et *possim* mox pro *possem*. Idem.

368 *Paternis*] Prometheus fingitur hominum imagines e luto finxisse, atque has igne cœlitus surrepto animasse; vel quia rudes homines ad civilem vitam revocarit, artibusque inventis instruxerit; an quod primus artem invenerit statuas et simulachra fingendi. Lactantius div. inst. de orig. II. *Paternis*] De Prometheo multi multa. Attius apud Scriver. 'unde ignem mortalibus Divisse cluet doctu' Prometheus Clepsisse dolo, pœnasque Jovi Fato expendisse supremo.' Quod Cicero Tusculan. Quæst. II. ita reddit: 'Veniat Æschylus, non poëta tantum, sed Pythagoras; sic enim accepimus: quomodo fert apud eum Prometheus dolorem, quem accepit ob furtum Lemnium, unde ignis lucet mortalibus clam divisus? eum Prometheus doctus clepsisse dolo, pœnasque Jovi fato expendisse supremo,' et quæ seqq. Adi Æschyl. Fab. I. Prometh. 'Εξεῦρεν γραμμάτων συνθέσεις Προμηθεύς. Tzetz. Chiliad. VI. histor. 82. περὶ τοῦ Προμηθέως, ubi inter alia: Ὡς νοῦς ὁ προβουλόταστος ὁ Προμηθεὺς ὑπάρχει, Τὸν νοῦν τὸν ὑστερόβουλον λέγε δ' Ἐπιμηθέα. Adi et Hesiod. et alios. De Prometheo vincto invenies p. 3094. vs. 40.

366 *Exempla manemus*] Exemplaria. 'Comœdiam,' inquit Plinius l. VII. Epist. 'ad exemplum veteris Comœdiæ scriptam tam bene, ut esse quandoque possit exemplar.' *Farn.*

368 *Per sacras sortes*] Per oracula et Deorum responsa. Turneb. v. 21.

369 *Cephisidas undas*] Cephisus Bœotiæ fluv. Delphos præterfluens. Lucan. III. 177. 'quos impiger ambit Fatidica Cephissos aqua.'

370 *Et nondum liquidas, sed jam*] Optimus Thuan. *Ut nondum:* unus Medic. *sic jam.* Lege, quomodo sibi quoque videri corrigendum esse ad me perscripsit eruditissimus Gronovius, 'Ut nondum liquidas, sic jam vada nota secantes.' *Heins. Ut nondum liquidas*] Nondum puras, sed limo turbidas. *Vada nota secantes*] Sed jam alveos suos tenentes; neque enim ripis egrediebantur. *Secantes*] Redi ad p. 3092. v. 16.

371 *Libatos*] Sic Eurip. Ion. a v. 116. Ἀλλ', ὦ Φοίβου Δελφοὶ θέραπες, Τὰς Κασταλίας ἀργυροειδεῖς Βαίνετε δίνας· καθαραῖς δὲ δρόσοις Ἀφυδρανάμενοι, στείχετε ναούς. Χτόμα τ' εὔφημον φρουρεῖτ' ἀγαθόν. Quod etiam Virgil. attingit Æneid. IV. 'Dic corpus properet fluviali spargere lympha.' *Liquores*] Aquæ vivæ, id est, fluentis et Themidi sacræ aspergine se lustraverunt. *Farn. Inde ubi libatos, &c.*] Themidi sacer erat ille amnis. Antiqui templa ingressuri, Deosque precaturi, prius se aqua aspergebant et lavabant.

374 *Pallebant musco*] Ita constanter libri veteres. Accedo tamen reponentibus *squallebant:* sic 'squallere situ,' et similia: sed apud Val. Flaccum l. I. 775. 'Sordidus et multa pallens ferrugine taurus:' ubi tamen *squallens* pari modo censeo reponendum. *Heins.*

376 *Pavens dedit*] Quasi præsente numine, horrore quodam perfusi et venerabundi. *Pont.*

381 *Sortemque dedit*] Responsum oraculi; ut modo vs. 368. *Discedite*] Ritu sacro atque ex more augurum. *Templo*] Templum enim est locus auguris manu vel lituo designatus.

382 *Velate caput*] Velati capite Deos adorabant, humiles se et indignos confessi, aut veriti ne quid mali ominis sacra interturbaret. Plutarch. Rom. Quæst. X. et Helenus Æneid. III. 'Purpureo velare comas adopertus amictu; Ne qua inter sanctos ignes in honore Deorum Hostilis facies oc-

Digitized by Google

currat et omina turbet,' et quæ nos ibi. *Et velate caput*] Virg. Æneid. IV. 'Tuque ipsa pia tege tempora vitta.' *Cinctasque resolvite vestes*] Virg. Æn. IV. de Didone. 'Unum exuta pedem vinclis, in veste recincta Testatur moritura Deos;' ubi Serv. *Cinctasque resolvite vestes*] Piaculum enim in sacrificio est, aliquid esse religatum. *Farn.* *Velate*] Operite ac tegite. *Resolvite*] Discingite vestes vestras, quæ sunt cinctæ. *R.*

384 *Rumpitque silentia voce*] Redi ad Art. I. 329.

386 *Pavido rogat ore, pavetque*] *Timido ore* Arondelianus: unus Vossianus *timetque*. Opinor debere restitui, *Detque sibi veniam, timido rogat ore, paventi Lædere jactatis maternas ossibus umbras.* Heins.

387 *Umbras*] Animas, quas lædi credebat antiquitas, illata cadaveribus aut tumulis injuria. *Farn.*

390 *Promethides*] Deucalion Promethei filius. *Epimethida*] Pyrrham, Epimethei filiam.

393 *Magna parens*] Respexisse ingeniosissimum poëtam opinatur Muretus Var. Lect. X. 2. ad historiam Rom. Liv. I. lib. cum regiis adolescentibus responsum esset, eum regnaturum Romæ, qui primus matri osculum tulisset: Brutus e navi descendens simulato casu terram osculatus est, &c. Vetus item Grammaticus, de eo qui ad lapidem offendisset, dixit, Γῆς δοτεοῖσιν ἐγχριμφθεὶς πόδα. Quæ etiam valet analogia in venis terræ de aqua et metallis.

395 *Augurio quanquam*] Interpretatione sancta, sana, felici. *Farn.* *Titania*] Pyrrha, Japeti Titanis neptis. *R.*

397 *Tentare nocebat*] *Nocebit* meliores. Pro *Discedunt*, optimus Florentinus, primus Palatinus, et alii quatuor, *Descendunt*: e templis enim per gradus descendebatur. *Heins.*

405 *De marmore cæpta*] *Cæpto* primus Palatinus, quod præstat. *Idem.*

406 *Non exacta satis*] Exculta, perfecta. *Rudibus signis*] Inelaboratis statuis. *R.*

511 *Superorum numine*] *Munere* veteres quinque. Et mox *faciem virilem* pro *virorum* unus meus et unus Mediolanensis. *Heins.* *Superorum munere*] Diis faventibus et juvantibus.

414 *Genus durum*] *Unde homines nati durum genus.* Virg. Geor. I. atque hinc a λᾶας lapis dici volunt λαοὺς populos: ἐκ δὲ λίθων ἐγένοντο βροτοὶ, λαοὶ δὲ καλοῦνται. Supra de progenie nata e gigantum sanguine, 'scires e sanguine natam.' *Farn.*

FAB. VIII. 416 *Animalia formis*] Ex corruptione quidem nasci insecta, neque Academia negaverit neque Lyceum: quin et adstruit ipsa experientia. Animantia quædam ex terræ visceribus Solis agentis vi nasci, inter Ægyptiorum placita recenset Porphyrius: a quibus fortasse fabulæ huic, una cum ipsa similitudine Nili terram impregnantis, ansa, et fides historico Melæ hoc idem ex nostro referenti in Ægypto sua. Omitto quæ adducit Plutarchus V. 19. de placitis philosophorum, et Convivial. Quæst. II. 3. Sed quis ferat Avicennam? qui lib. de Diluviis asserit ex reliquo cadaverum humanorum seminio a Sole animato, homines post immensas terrarum inundationes natos. *Farnabius.*

419 *Intumuere æstu*] Ut prægnantes solent.

420 *Vivaci solo*] Terra, vitam subministrante.

422 *Septemfluus Nilus*] Exemplo declarat, reliqua animalia ex terra sponte fuisse orta; Nilus autem fluvius, singulis quibusque annis Ægyptum inundans, fœcundam non solum frumentorum, sed variorum quoque animalium eam reddit. Vide Plin. VII. Senec. Natural. III. 25. Ælian. histor. animal. X. 44. *Septemfluus* idcirco dicitur, quod septem ostiis in mare erumpit. *R.* *Sic ubi deseruit*] De Nili incremento et Natura videa-

Digitized by Google

tur Jo. Bap. Sfortia. *Farn.*

423 *Nitus*] Redi ad Amor. III. 40.

424 *Sidere*] Sole. *Farn.*

426 *Modo cæpta per ipsum*] *Sub ipsum* rectius Bersmanni codex et excerpta Calandræ Vaticana, cum codice Leodicensi S. Jacobi, et postrema Naugerii editione. *Heins.*

428 *Trunca vident humeris*] *Numeris* vere libri meliores; nondum numeris omnibus absoluta. Mox iidem *eodem in corpore*. Met. VII. 'Utque hominis faciem materna sumit in alvo, Perque suos intus numeros componitur infans.' *Idem. Numeris suis*] Amor. II. 40. De numeris militaribus. p. 106. v. 24.

430 *Quippe ubi temperiem*] Empedocleam simul litem et amicitiam respicere videtur. Qua de re vide quæ ad vs. 25. supra. *Farn.*

437 *Nova monstra*] Nunquam antehac visa, adeoque mira. Vide Epist. XII. 13. Sic et Græci. Eurip. Herc. Fur. 965. Ὦ παῖ, τί πάσχεις; τίς ὁ τρόπος ξενόστους Τῆσδ'; et monstra dicuntur ἀτυχήματα· tanquam res novæ, et sine more occurrentes.

438 *Illa quidem nollet*] Gigantes Terra lubens et læta peperit, ut et progeniem ex gigantum sanguine; Pythona non item, sed invita. *Python*] A πύθω, Exhalationis enim putredinem a Diluvio gravem Sol radiorum tanquam sagittarum ictu attenuavit exsiccavitque. Alias mythologias vide apud Macrobium Saturn. I. 17. Nat. Comit. IV. 10. Cœl. Rhodig. XVI. 19. Ant. Liberal. cap. 28. Τυφὼν ἐγένετο γῆς υἱὸς ἐξαίσιος δαίμων πρὸς ἰχὼρ, &c. *Farn.* Vide Franc. Lusign. Parerg. II. 11.

439 *Incognite serpens*] *Incognita* Bernegger. Neap. et octo vel decem alii. Apposite Lucanus lib. VI. 'hinc maxima serpens Descendit Python, Cyrrhæaque fluxit in antra:' qui hunc Nasonis locum videtur respexisse. Ita et pro *Hunc* mox *Hanc* idem Neapolitanus et secundus Medicæus: ut et paulo post 'perdomitam serpentem' vocat. Libro II. fabula Ocyrhoës 'diram serpentem' dixit. *Heins.*

441 *Deus arcitenens*] Apollo κλυτότοξος.

443 *Mille gravem*] Liber Zinzerlingi, *gravi telis*, ut epitheton sit pharetræ, non draconis. 'Pharetra gravis,' est plena, referta telis. *Pont.*

444 *Per vulnera nigra*] Hypallage: Nigrum enim venenum vel sanguinem venenatum per vulnera effusum intelligimus. *R.*

446 *Instituit sacros*] Vide et Scal. poët. I. 22. A Diomede tamen Pausanias in Corinthiacis Pythia instituta scribit; ab Eurylocho Thessalo, Pindari interpres. *Certamine ludos*] Pugilatu, cursu pedestri et curuli. *Farnab. Instituit sacros*] Sciendum apud Græcos nobilitata fuisse quatuor ludorum genera, Olympiacos, Pythios, Isthmios, Nemææos; de quibus Pausanias, II. 3. Natal. Com. V. 12. et 34. Scalig. Poët. I. 23. *Pont.*

447 *Pythia perdomitæ*] Rectius *dedomitæ* meliores. Pro *Hic* versu proximo Neapol. et secundus Medicæus cum codice Johannis *Georgii* Grævii viri doctissimi, *His.* Heins.

449 *Esculeæ frondis honorem*] Coronam ex frondibus esculi confectam. Esculus enim arbor est glandifera, sic dicta, quod prisci ex illius fructu escam sumerent. *R.*

Fab. IX. 452 *Peneia*] Daphne fingitur Penei filia, quod lauros abunde nascatur in ripis Penei, qui fluvius, e radicibus Pindi montis ortus, per Tempe amœnissimum Thessaliæ nemus labitur, infra vs. 569. Hodie *Salampriæ*, ut alii, *Pesin.* Ladonis autem filiam esse volunt Philostratus, Aphthonius, alii. *Farn.*

453 *Sors ignara*] *Fors* cum melioribus. Mox *victa serpente* primus et secundus Medicei, Neap. Bernegger. Thuan. et duo alii. *Heins.*

461 *Nescio quos amores*] Cum quo-

Digitized by Google

dam contemptu hæc dicuntur; ac si diceret, leves, molles, atque viris negligendos. *R.*

462 *Assere*] Arroga, vindica tibi.

465 *Cuncta Deo*] *Deis* olim legebam. Nunc sequor scripturam Berneggeriani codicis, quam Vossianus unus, unus item Moreti pro diversa lectione agnoscunt, *Cuncta tibi.* Silius libro XV. 'mortalibus alti Quantum cælicolæ, tantundem animalibus isti Præcellunt cunctis.' *Heins.*

468 *Deque sagittifera*] *Eque* præstantiores. *Parnasi* etiam pro *Parnassi* constanter. *Idem.*

474 *Fugit altera*] Fingitur Daphne Apollinem fugere, quod laurus umbram et opaca loca amet.

477 *Vitta coërcebat*] *Vitta* tegmen est capitis muliebre. Et alia virginum, alia matronarum. Vitta duntaxat fluentes capillos colligebat. *Sine lege*] Sine ordine. *R.*

479 *Nemora avia*] Rectius alii *nemorum avia:* sic 'nemorum secreta' non longe post, et 'opaca nemorum' apud Statium Theb. primo, et Theb. XII. 'arcana nemorum:' 'nemora' tamen 'avia' Lucretius quoque dixit non uno loco. *Heins.*

480 *Hymen*] Nuptiæ. Vide quæ nos ad Senecæ Thebaid. 262. de Hymenæo. *Farn.*

483 *Tædas exosa*] De facibus, quæ in nuptiis præferebantur sponsis, vide quæ ad Senecæ Thebaida 263. et 507. *Farn.* *Tædas jugales*] Nuptias. Novis enim nuptis quinque faces accensæ præferebantur, ut Plutarchus scribit in problematis. *R.*

484 *Suffundens ora rubore*] Repone *suffunditur* cum Bernegger. secundo Palat. primo Gronovii, vetustiore Erfurtano, et duobus aliis: multi sunt in his Græcismis Poëtæ. *Heins.*

485 *Blandis lacertis*] Pro ipsa blanda, per Hypallagen.

486 *Da mihi perpetua*] Ipsa Diana apud Callimachum, Δός μοι παρθενίην αἰώνιον, ἄππα, φυλάσσειν. Concessit Jupiter, φέρευ, τέκος, ὅσσ' ἐθελημὸς Αἰτίζεις. Et Μηδέ τινα μνᾶσθαι τὴν παρθένον, eodem hymno in Dianam. *Farn.*

591 *Quodque cupit*] Rectius primus Palat. Erfurt. et alii nonnulli, *Quæque*, videlicet connubia. *Quamque* quatuor non contemnendæ notæ. *Heins.*

492 *Leves stipulæ*] Stipulæ ita incensæ rationem et causam reddit Virgil. Georg. I. 85. 'Atque levem stipulam crepitantibus urere flammis: Sive inde occultas vires,' &c. *Farn.* *Adolentur*] Comburuntur.

493 *Quas forte viator*] Ita constanter libri veteres, nisi quod in tribus *sæpe.* Scribendum tamen, *quas nocte viator Vel nimis admovit;* ut *nocti* respondeat τῷ *sub luce.* Heins. *Viator*] Viatores aiunt noctu iter pergentes ferre secum faces, quas adveniente luce negligenter abjiciunt aliquando, unde sepibus incendium. 'Semustamque facem vigilata nocte viator.' Fast. IV. 167. *Farn.*

496 *Sterilem*] Vanum, ex quo nullam voluptatem est habiturus.

504 *Nympha, precor, Penea, mane*] *Penei* optimus Florent. et Neapolitanus. Sic paulo ante, 'Hoc Deus in Nympha Peneide fixit.' In Fastis l. VI. 'Dodoni' et 'Cadmei' agnoscunt præstantiores libri pro *Dodona* et *Cadmea.* Nec dubito apud Horatium Od. I. 26. 'Pimplæi dulcis' pro *Pimplæa* reponi debere: sic et Epist. XVI. 'Ledæi' pro *Ledæa* monui scribendum esse, et Epist. XVIII. 'Sesti puella' pro *Sesta.* Heins.

505 *Sic agna*] 'Non ego te, tigris ut aspera Getulusve leo, frangere persequor.' Horat. Od. I. 23. *Farn.*

509 *Crura notent*] *Secent* decem ex melioribus: ut in illo Virgiliano, 'hirsuti secuerunt corpora sentes.' Et, 'Ah tibi ne teneras glacies secet aspera plantas.' Hinc 'rubum non æquam cruribus' Columella dixit lib. X. loco depravato; qui sic emendandus, *Nec manibus mites ferulas, nec*

Digitized by Google

cruribus æquæ Terga rubi spinisque ferat paliuron acutis. Propert. IV. Eleg. 4. 'Rettulit hirsutis brachia secta rubis.' Tibullus tamen lib. IV. 'Candidaque hamatis crura notare rubis.' *Heins.*

510 *Moderantius, oro, Curre*] *Moderatius* cum castigatioribus membranis; neque aliter Ciofanus: alterum enim vix Latinum est. Epist. XVIII. 'Parce, precor, facilemque move moderatius auram.' Et Amor. II. 17. 'Dum me moderatius urat:' quibus locis pari modo peccabatur. *Idem.*

515 *Delphica tellus*] Unde *Oracula Delphica* sunt dicta. *R.* Delphi urbs Phocidis in Achaia ad Parnassum, oraculo Apollinis clara.

516 *Claros*] Opp. Ioniæ, ubi mons et locus Apollini sacer. *Tenedos*] Insula maris Ægæi. *Pataræaque regia*] Urbs Lyciæ, templo et oraculo Apollinis clara. *Farn.*

518 *Per me concordant*] Hoc est, Musices et harmoniæ ego sum inventor.

519 *Certa quidem*] Κεῖνος δίστευτὴν ἕλαχ' ἀνέρα, κεῖνος ἀοιδόν· Φοῖβῳ γὰρ καὶ τόξον ἐπιτρέπεται καὶ ἀοιδή. Κείνου δὲ θριαὶ, καὶ μάντιες· ἐκ δέ νυ Φοίβου Ἰητροὶ δεδάασιν ἀνάβλησιν θανάτοιο. Callimachus Hymn. in Apollinem. *Farn. Certa quidem nostra, &c.*] Se peritum quidem esse sagittarium profitetur: sed Cupidinem, a quo erat percussus, peritiorem esse ait. *R.*

520 *Vacuo pectore*] Libero amoris affectu.

521 *Opifexque per orbem Dicor*] *Opiferque* scribendum cum emendatis libris: hinc Apollo βοηδρόμιος et ἀποσόητηρ apud Græcos. *Heins.*

522 *Herbarum*] Quas in medicina potentes sol e terra elicit.

525 *Rapido Peneia cursu*] *Timido* plerique veteres; et recte; 'pedibus timor addidit alas.' *Heins.*

528 *Vibrabant*] Ventilabant, agitabant.

529 *Impulsos capillos*] *Impexos* tertius Mediceus et tres alii. Mox meliores, *Auctaque forma fuga est.* Heins.

531 *Utque monebat Ipse Amor*] *Movebat* primæ notæ Regius, unus Argent. et unus Leidensis; probe: 'Qui tamen insequitur pennis adjutus Amoris Ocyor est:' ut paulo post noster.

533 *Canis*] 'Leporemque læsum Gallici canis dente.' Martial. Epigr. III. 47. *Vacuo*] Patente campo, in quo nullæ segetes, arbores nullæ. *Farn.*

537 *An sit comprensus*] *Deprensus* malo cum aliis. Lib. VII. 'Et modo deprendi, modo se subducere ab ipso Vulnere visa fera est.' Trist. III. 'Utque fugax avidis cervus dopressus ab ursis.' Sic et alibi non semel. *Heins.*

541 *Tergoque fugacis*] *Fugati* unus Leidensis. Lege *fugaci;* atque ita Langermannianus a manu prima: l. IX. 'fugientia terga sagitta Trajicit.' Auctor Elegiæ in obitum Mæcenatis, 'Militis Eoi fugientia terga secutus;' non *fugientis*, quod nunc legitur. Vide Notas ad Epist. II. 93. *Idem. Tergoque fugaci imminet*] Æneid. V. 'Ecce volat, calcemque terit jam calce Diores, Incumbens humero.' Et Æn. II. 'illum ardens infesto vulnere Pyrrhus Insequitur: jam jamque manu tenet, et premit hasta.'

546 *Qua nimium placui, Tellus, ait, hisce*] *Aut hisce* rectius multi ex antiquis. Quidam hos duos versus superiori præponunt: veterrimus Palatinus hunc non agnoscit: unus Gronevianus neutrum habet; et certe tollendi videntur; nisi legas ordine inverso, *Qua facis ut laudar, Tellus, aut hisce, vel istam Qua nimium placui, mutando perde figuram.* Sed ego Ovidianos esse non existimo. *Heins.*

548 *Occupat artus*] *Alligat* primus Basileensis, Langianus, et alter Regius; quæ placet scriptura, nisi quod *aggelat* reponi malim: id enim verbum passim in *alligat* depravatum nunc in usu esse propemodum desiit: ut in illo Lucani IV. 'tum frigidus

Digitized by Google

artus Alligat atque animam subducto robore torpor.' Et Germanici Cæsaris de Capricorno, 'Pigra ministeria; et nautis tremor alligat artus:' ita enim vulgati libri ante Grotianam editionem, et scriptus codex Puteaneus. Sic 'congelare' Val. Flaccus lib. III. 'ceu pectora nautis Congelat hyberni vultus Jovis, agricolisve, Cum coit imbre minax:' perperam *umbra minax* nunc legitur. Et 'regelare,' quo verbo Columella ter quaterve est usus. Juvenalis Satyra VI. 'timent pavidoque gelantur Pectore.' Lucanus VII. 'stat corde gelato Attonitus.' Libro IX. 'vultusque gelassent Perseos aversi;' pro riguissent. Claudianus libro II. in Eutropium, 'Cornua cana gelu mirantibus extulit undis Rhenus, et exsanguem glacie timor alligat Istrum:' ubi nihil mutandum, cum 'gelu' præcesserit. Apud Valerium Flaccum quoque libro primo, 'Serus fessos sopor alligat artus,' recte se habet: quomodo et Senecæ Hercule Furente, 'Sopor indomitos alliget artus:' et in illo Lucani libro primo, 'Diriguere metu: gelidos pavor alligat artus;' ita enim meliores libri, non *occupat*. Statius Theb. X. 'ut quemque ligatum Obruerat tellure sopor.' *Idem.*

552 *Ora cacumen habent*] *Obit* rectius in Berneggeriano, Langiano, Cantabrigiensi, et pro diversa lectione in primo Gronoviano. Alii nonnulli *habet*, verum proxime. Lib. XI. 'buxoque simillimus ora Pallor obit.' Lib. IX. 'frigidus artus, Dum loquor, horror obit:' ita enim ex vestigiis veterum codicum videtur esse scribendum. Ut et lib. VII. 'calidus vestigia pulvis obibat.' Val. Flaccus lib. III. 'en frigidus orbes Purpureos jam somnus obit.' *Idem.*

553 *Hanc quoque*] Laurum Apollini (inquit Eusebius præpar. Euang. II.) dedicarunt, quia ignea est, unde odio Dæmonibus, et si comburitur, plurimum sonat, quod prædicendi virtutem significat, &c. 'Nam Phœbi Delphica laurus Terribili sonitu flamma crepitante crematur.' Lucret. lib. VI. divinationis symbolum esse voluit. Lycophronis Cassandra, Δαφνηφάγων φοίβαζεν ἐκ λαμπῶν ὄπα. 'Vera cano, sic usque sacras innoxia Lauros Vescar.' Vates apud Tibullum I. II. El. 5. Vide quæ nos ad Senecæ Œdipum vs. 16. Neque φυτὸν solum μαντικὸν, sed ἀλεξίκακον est. Cujus virtutes vide apud Matthiolum in Dioscoridem I. 90. et Dodonæum. *Farn.*

559 *Te citharæ*] Hinc laureati in scena citharœdi.

560 *Tu ducibus lætis aderis, cum læta triumphum Vox canet*] Inconcinna repetitio. Scribe, vel invitis priscis exemplaribus, *Tu ducibus Latiis aderis:* certe in optimo Florentino *latis* a manu prima legebatur; in uno Moreti *lectis*. Heins. *Tu ducibus*] Laurus, inquit Plinius XV. 30. triumphis proprie dicatur, gratissima domibus janitrix Cæsarum Pontificumque. Quæ sola et domos exornat et ante limina excubat: et infra: Romanis præcipue lætitiæ victoriarumque nuncia additur literis, et militum lanceis pilisque. Ex his in gremio Jovis Opt. Max. deponitur, quoties lætitiam nova victoria attulit. Trist. IV. 1. *Læta triumphum*] Triumphi pompam, acclamationes, jocorum licentiam, coronas, sacrificia, ornatus, &c. lege apud Alex. ab Alex. VI. 6. *Farn.*

561 *Longas visent Capitolia pompas*] Malim cum duobus meis, et Scaligeri ac Jureti excerptis et Græviano codice, *longæ pompæ*, nisi præferendum *ducent pompas* cum Barberiniano. Epist. Medeæ: 'pompam pater, inquit, Iason Ducet.' *Heins. Longas pompas*] Captivorum ac rerum omnium pretiosarum in bello captarum, simulachrorum præterea urbium expugnatarum: hæc enim omnia in triumpho gestabantur.

Digitized by Google

563 *Mediamque tuebere quercum*] Hinc intelligunt nonnulli mediam inter duas lauros ante Imperatoris fores plantatam stetisse quercum: aliud tamen declarant Dionis hæc verba l. LIII. καὶ γὰρ τό, τε τὰς δάφνας πρὸ τῶν βασιλείων αὐτοῦ προτίθεσθαι, καὶ τὸ τὸν στέφανον τὸν δρυινὸν ὑπὲρ αὐτῶν ἀρτᾶσθαι, τότε οἱ, ὡς καὶ ἀεὶ τοὺς τε πολεμίους νικῶντι καὶ τοὺς πολίτας σώζοντι ἐψηφίσθη. Vide et Ovid. Trist. III. 1. et Val. Max. II. 3.

564 *Intonsis caput*] Apollo, quem eúndem cum Baccho esse volunt, comatus fingitur et imberbis, quo radii Solis et virgo nunquam senescens significatur. Hesychio est ἀκειροκόμης ἐξ οὗ δηλοῦται Φοῖβος ἀπενθής, καθαρὸς ἀν παντὸς πάθους.

566 *Pæan*]. Apollo, παίων, sagittis, id est, radiis feriens, vel παύων morbos sedans. Ab acclamatione ἰὲ παῖ. Scal. Poët. cap. 23. *Farn.*

FAB. X. 568 *Est nemus Æmoniæ*] Tempe, amœnissimam Æmoniæ vallem, describit Poëta, quo commodius Iovis, Inachi amnis filiæ, metamorphosin in juvencam cum superiore connectat. Nam juxta Tempe est spelunca Penei fluvii, Daphnes patris, ad quem consolandum omnes vicini amnes convenerunt, præter Inachum, qui amissam filiam lugebat. Vide Ælian. Var. hist. III. 1. Plin. IV. cap. 8. *Æmoniæ*] Thessaliæ. Æmonia enim Thessalia dicitur, ab Æmone Chlori Pelasgi filio, Thessali autem patre.

569 *Per quæ Peneus*] Quorum amœnitatem celebrant multi. Venustius nemo quam Ælianus, Var. hist. III. 1. *Farn.*

570 *Spumosis undis*] Non fertur placido cursu, sed rapido; et ob saxa latentia unda spumis incanescit. *Pont.*

571 *Dejectuque gravi*] Vehementi, præcipiti lapsu.

572 *Summisque aspergine sylvis Influit*] *Impluit* Bernegger. pr. Ambros. Cantabrig. Thuan. aliique nonnulli; *summasque sylvas Impluit* eleganter optimus Florentinus Sancti Marci, Neapol. secundus Mediceus, unus Moreti, tres quatuorve alii præterea; nisi quod in nonnullis *Impulit* mendose: sic apud Val. Flaccum libri IV. initio, 'Dixit et arcano redolentem nectare rorem Depluit:' ut scribendum puto: *Detulit* nunc legitur. Propertius lib. II. El. 20. 'Nec tantum Niobe bis sex ad busta superba Sollicito lacrymæ depluit e sipylo:' ita locus ille castigandus: *tantum lacrymæ*, ut apud Maronem, 'Nec de concussa tantum pluit ilice glandis.' *Depluere* in veteri libro Propertii extare Palmerius testatur; recte. Errat autem Passeratius, qui *depluere* non alia opinatur significatione sumi, quam qua degrandinare et detonare sumitur; hoc est, pro pluere desinit. At Columella X. de Jove: 'Inque sinus matris violento depluit imbre.' Sed ut ad 'impluere' redeamus, Prudentius libro II. contra Symmachum, 'Velivolum ratibus mare finditur, Impluit imber, Aura volat tenuis, vegetatur mobilis aër:' ita scribo: *influit* nunc legitur. Pari modo et 'perpluere' habes apud Tibullum lib. I. El. 10. 'At nobis, Pax alma, veni, spicamque teneto: Perpluat et pomis candidus ante sinus:' ubi *perfluat* male circumfertur in vulgatis codicibus. Prudentius de arboribus pomiferis Cathemerin. Hymno III. 'Arbor onus tremefacta suum Deciduo gravis imbre pluit.' Ita et 'glandes de ilice pluere' dicti paulo ante Maroni. *Heins.*

573 *Et sonitu plus, &c.*] Non solum, inquit, vicini, sed longe quoque stantes strepitum illius sentiunt. *R.*

574 *Hæc domus, &c.*] Peneus hic habet sedem suam, hic habitat. *Pont.* *Domus*] Fontes ipsos appellant poëtæ domos numinum aquaticorum. Horat. Od. I. 7. 'Quam domus Albunea resonantis.' Cyrene Georg. IV.

Digitized by Google

'Sonitum thalamo sub fluminis alti Sensit.' Mox vers. 583. 'Inachus... imo reconditus antro Fletibus auget aquas.' Supra vs. 279. 'aperite domos,' &c. *Farn.*

575 *In his residens*] *In hoc* meliores: et *hæ sedes* iidem paulo ante. *Heins. Fasto de cautibus antro*] Respicit ad illud Virgil. I. 'Scopulis pendentibus antrum :...Vivoque sedilia saxo.' Quod ex Homer. Odyss. N. a vs. 95. explicat Porphyrius, post sententias et vitam Pythagoræ, ubi multa reperiuntur utilia.

576 *Nymphisque colentibus*] Nymphæ fluminum proprie dicuntur *Naiades.*

579 *Populifer Sperchius*] *Spercheos* et *Amphrysos* Græca enunciatione libri meliores. Σπερχεῖος, Spercheus. Ἀλφεῖος, Alpheus. Πηνεῖος, Peneus. Δαρεῖος, Dareus; nam ita in antiquissimis Curtii exemplaribus Mediceæ et Vossianæ bibliothecæ scribitur. Hinc 'ripæ Spercheides' II. 250. et VII. 231. 'Spercheides undæ' apud nostrum ex fide veterum exemplarium; non *Sperchiades*, quod est in vulgatis. Apud Virgilium quoque, 'Spercheosque et virginibus bacchata Lacænis Taygeta' veterrimus ille codex Mediceus exhibebat. Apud Ausonium in Professoribus Carmine VIII. 'Sperchens Grammaticus;' quomodo illic tam scripti quam editi libri agnoscunt. Vide plura XII. 262. *Heins. Populifer Spercheos*] Populos arbores ferens. Spercheos autem fluvius est Thessaliæ, qui ex Pelio monte ortus in Maliacum labitur sinum. Sic dictus, quod sit velocissimi cursus, a σπέρχειν, festinare. *Enipeus*] Fluvius Thessaliæ, ex Othry monte in Apidanum defluens.

580 *Apidanusque*] Qui est Thessaliæ fluvius, quem idcirco Poëta *senem* appellat, quod tarde admodum fluat, donec Enipeum admittat. Vide Ælian. II. 32. *Lenisque Amphrysos*] Hic quoque fluvius est Thessaliæ leniter fluens: juxta quem Admeti regis armenta pavit Apollo. *Et Æas*] Fluvius Epiri, juxta muros Dyrrachii labens. *R.*

582 *Erroribus*] 'Errores' vocat flexuosos et obliquos eorum lapsus. Et cum 'errare' undas dicat, non mirum, si eadem libertate 'fessas' dicat: nam qui errant in itineribus fatigantur. *Pon.*

583 *Inachus unus abest*] Inachus fluvius est Achaiæ, ab Inacho rege sic dictus. Ejus filiam Io, cum deprehendisset Jupiter spatiantem, compressit; ac ne id a Junone agnosceretur, ipsam mutavit in juvencam. Mœrens itaque Inachus propter amissam filiam se domi continebat; ut et mœsti et lugentes solent, publicum vitantes. Io, accusativus est Græcus, ab Io, Ius. *R.*

586 *An sit apud manes*] An sit mortua.

588 *Patrio flumine*] Ab Inacho Achaiæ fluvio. *Redeuntem Jupiter illam*] *Jupiter Io* nonnulli. *Heins.*

591 *Aut horum aut horum nemorum et monstraverat ambas*] Veterrimus Florentin. Neap. Thuan. et antiquissimæ schedæ Leodicenses, *Altorum nemorum, et nemorum monstraverat umbras:* quam lectionem Carolus Vivianus quoque ex pervetusto codice notavit, et ego vulgatæ præferendam esse censeo: secundus Palatinus mendose, *Du horum nemorum aut horum, et monstraverat umbras.* Forte, *Eia horum nemorum, et nemorum monstraverat umbras:* nam *Altorum* minus placet, cum *altissimus* versu proximo sequatur. Similiter ea vox corrupta libro II. 691. et lib. VII. Posset et legi *solorum nemorum;* ut in illo Virgiliano lib. XI. 'juga longa petebat Solorum nemorum.' *Heins.*

593 *Latebras ferarum*] Sylvas, in quibus occultantur feræ. *R.*

597 *Pascua Lernæ*] Lerna palus est

Digitized by Google

Argivorum in Peloponneso, in qua habitavit Hydra serpens ab Hercule interfecta.

598 *Lircæa reliquerat*] *Lirceia liquerat* pr. Vatic. Val. Flaccus lib. IV. in hac eadem fabula, 'dominam Lirceia tellus Antraque deprensæ tremuerunt conscia sylvæ.' *Heins.* *Lyrcæa*] Lyrcæi montis etiam Stephanus meminit: a quo idem et Λύρκειον ὕδωρ appellari ait; cujus et Statius meminit, ubi ait: 'Aret Lerna nocens, aret Lyrcæus et ingens Inachus,' &c. *R.* *Lyrcæa*] Perperam legitur vulgo *Lycæa*, cujus prima corripitur: quum Lyrceus etiam sit Arcadiæ mons ex quo Inachum fluere agnoscunt Geographi. Strabo VI. ἐνθένδε ἐς Ἄργος διὰ κῦμα τεμὼν ὕδημον ἥκει τὸν Λυρκίου. Idem VIII. p. 370. Ῥεῖ δ' αὐτῆς πλησίον ὁ Ἴναχος, χαραδρώδης ποταμὸς, ἔχων τὰς πηγὰς ἐκ Λυρκίου τοῦ κατὰ τὴν Κυνουρίαν ὄρους τῆς Ἀρκαδίας. Paus. in Corinthiacis, Λυγκαίαν opp. unica litera mutata dictam esse postea Lyrceam a Lyrco Abanthis notho, qui eam occupavit. Item Apollonius lib. I. Stephanus, et Statius IV. Alii *Dircæa*. Farn.

603 *Non fluminis illas*] Physici aiunt, nebulas aut a fluviis, aut a vaporibus terræ generari.

606 *Deprensa furta mariti*] De furtivo et rapto amplexu reperies in Epist. Leand. XVIII. 54. *Bene nosset*] *Jam noseet* meliores. *Heins.*

608 *Delapsaque ab æthere summo*] Celeritatem notat venientis: tanquam quæ aliis delata. Æn. I. 'Ætheria quos lapsa plaga Jovis ales aperto Turbabat cœlo.' Item Æneid. IV. 'Vade, age, gnate, voca Zephyros, et labere pennis.'

610 *Nitentem juvencam*] Præstanti et nitido corpore. Horat. 'Agna nitida.' Virg. 'Equi nitentes.' 'Tauri nitentes.' Phædr. III. 7. 4. 'unde sic, quæso, nites? Aut quo cibo fecisti tantum corporis?' Qaia, nempe, perpastus erat: inde illa habitude corporis, et color, et nitor. Plaut. Bacchid. V. 2. 6. 'At pol nitent, haud sordidæ videntur ambæ:' i. e. liberaliter vivunt, et corpus procurant: unde corpulentiores atque habitiores. Epidic. I. 1. 8. Qui Græcis dicuntur εὐσωμαστεῖν: quibus ὁ χυμὸς ὁμαλῶς πανταχοῦ συνίσταται. Damoxen. lib. II. Contra dicitur Σκελετὸς, ἄκνους, καλάμινα σκέλη φέρων. Plat. Comic. l. IX. Junceus.

612 *Speciem*] Pulchritudinem.

615 *E terra*] Ignoto et obscuro genere ortum, cujusque ignorabantur parentes, eum veteres appellabant Terræ filium. *Farn.* *E terra genitum*] Lactant. II. 11. prolixe hæc omnia exequitur. Et I. 11. 'Ignotis parentibus natos, terræ filios nominemus.' Quod ibi per contemtum dicitur: ut in Virgil. 'Terræ omniparentis alumni.' Quomodo et Cicer. de Cn. Octavio. Et Pers. Sat. VI. 'Progenies terræ.' Contra, quorum virtutem miramur, de cœlo cecidisse dicimus. Lactant. d. l. Quod et Cicero, 'quasi cœlo delapsus.' Reperitur tamen in meliorem partem accipi. Pausan. Arcadic. de Pelasgo. Ἀντίθεον Πέλασγον ἐν ὑψικόμοισιν ὄρεσσι Γαῖα μέλαν' ἀνέβασκεν, ἵνα θνητῶν γένος εἴη.

620 *Sociæ generisque torique*] Nam Juno et soror esse et uxor Jovis fingitur.

623 *Anxia furti*] Ne Jupiter ad consuetudinem ejus rediret.

624 *Aristoridæ Argo*] Lege *Arestoridæ*. Apollodorus lib. II. de Argo, ὃν Ἀσκληπιάδης μὲν Ἀρέστορος λέγει υἱόν, Φερεκύδης δὲ Ἰνάχου. Idem tamen alibi Agenoris filium facit. *Heins.* *Argo*] Argus universæ mundi machinæ typus est, cujus caput cœli præ se fert imaginem, oculi stellarum, quæ inferiora respiciunt. Io ergo, si terram capias, non minus ab Argo nocturno, vicibus alternis respicitur,

Digitized by Google

quam a Cyclope diurno, id est, Sole. Si vacca ait, Lunam crescentem referunt cornua, nuptaque est Osiridi, cujus cornua pleno orbe coëuntia Solem referunt. Utrumque numinum loco Ægyptios, Persas, alios coluisse notum est. Alias Mythologias quæ Historiam, quæ Physicam, nec non Mores spectant, habes apud Natal. Comitem VIII. 18. Vide etiam Clarissimi Viri Joan. Seldeni 4. cap. Syntagmatis I. de Diis Syris. *Farn.*

627 *In statione manebant*] Hoc est, vigilabant. Translatio est a militibus sumpta, qui in statione tunc manere dicuntur, cum diligenter excubias agunt. *R.*

628 *Constiterat quocunque loco*] *Modo* meliores. *Heins.*

632 *Frondibus arboreis*] *Arbuteis* Bernaggerianus aliquanto rectius. Malim etiam *amara vescitur herba*, quam *pascitur;* quod 'pasci' paulo ante præcesserit. Horatius Sat. II. 3. 'Ac potius foliis parcus vescatur amaris.' *Idem.*

637 *Et conata queri*] Scribe cum primo Palatino et uno meo *Conatoque queri.* Urbinas codex *Conatoque loqui:* jam monui ad Epistolam Hypermnestræ. Grævianus *Conataque queri.* Idem.

639 *Venit et ad ripas ubi ludere sæpe solebat, Inachidas ripas*] *Venit et ad patrias* editiones nonnullæ et scripti complures: unus Basil. *Venerat ad ripas.* Puto, *Venerat ut patrias, ubi ludere sæpe solebat, Inachis ad ripas.* Vide Notas l. II. 630. *Idem.*

641 *Seseque exterrita fugit*] Rectius in multis, *seque externata refugit:* 'exterrita' jam præcesserat. Lib. XI. 'Externata fugam frustra tentabat.' In Ibin, 'Externati Solis equi:' et infra lib. II. 'Consternantur equi' de Phaëthonte: ita enim meliora exemplaria. *Idem.*

647 *Verba supersint*] *Sequantur* iidem. Met. XI. 'Lingua tacet; nec vox tentataque verba sequuntur.' Apud Maronem Æn. XII. 'non corpore notæ Sufficiunt vires, nec vox aut verba sequuntur.' Statius Theb. XI. 'nec verba diu tentata sequuntur.' *Idem.*

653 *Ingeminat*] Exclamationem illam 'Me miserum,' duplicat.

654 *Tu non inventa reperta es. Luctus eras levior*] Nugantur Grammatici, qui ex hoc loco contendunt inter *reperire* et *invenire* differentiam esse. Quicquid obnituntur libri veteres, meo periculo scribe, *tu non inventa reperta Luctus eras levior:* idque postea Pæœum in Lexico Critico jam vidisse deprehendi. Tu cum nondum inventa esses luctus levior eras, quam nunc es inventa. *Heins. Inventa reperta es*] Neque hic locum habet elegantia Laur. Vallæ III. 1. Neque illa duorum ludi-magistrorum lis apud Alex. ab Alex. I. 21. super differentia verborum *Invenio* et *Reperio.* Elegantior mihi olim suboluit sensus, ex illis Cereris verbis, ubi innotuisset illi de filia a Plutone rapta: 'Et quæsita diu tandem mihi nata, reperta est: Si reperire vocas amittere certius: aut si Scire ubi sit, reperire vocas,' infra v. vs. 518. Quasi dicat Inachus, Tu inventa, non es inventa tamen: quam puellam me inventurum sperabam desiderabamque, ecce vaccam invenio. Itaque tui desideratæ luctus erat levior, quam ita forma mutata inventæ. Quam conjecturam meam postea ab aliis confirmatam reperi. *Farn.*

656 *Suspiria ducis*] *Prodis* unus Mediceus, unus Basileensis, et unus meus: nam 'ducere' jam præcesserat paulo ante. *Heins.*

660 *Et de grege*] *Nunc de grege* nonnulli veteres, ut legibus metricis consulatur. Mox puto scribendum, *sed nocet esse Deo*, non *Deum.* Vide Notas in Elegiam de Nuce 107. *Idem.*

664 *Tulia mærentem stellatus submovet Argus*] *Mærenti* longe elegantius primus Moreti: et octo alii *Tulia mærenti natum submovet:* in nonnullis,

Digitized by Google

dicenti, querenti, miranti, et similia; sed perperam. Silius l. XVII. 'Talia dum mœret, diversis flatibus acta In geminum ruit unda latus.' *Idem. Stellatus Argus*] Quod ejus oculi ad similitudinem stellarum micarent.

666 *Ipse procul*] Prope. Nam in propinquum montem ascenderat, unde sedens in omnes partes spectaret. Sic Virgil. Ecloga VIII. 'Serta procul tantum capiti delapsa.' *Pont.*

667 *Partes speculatur in omnes*] *Speculatur* malim; atque ita in uno Mediceo a manu prima extabat. *Heins.*

FAB. XI. 668 *Phoronidos*] Phoronei neptis. Phoroneus Inachi pater fuit.

670 *Pleias enixa est*] Maia, una ex septem Atlantis filiabus, 'Pleiadum pulcherrima.' *Lethoque*] Unde nomen illi Ἀργειφόντης. *Farn.*

671 *Alas pedibus*] Hoc est, talaria alata; quæ idcirco Mercurio attribuuntur, quod planetarum omnium sit velocissimus. *Virgam somniferam*] Caduceum dicit: de quo Virg. Æneid. IV. 'Tum virgam capit: hac animas ille evocat orco Pallentes, alias sub tristia Tartara mittit: Dat somnos, adimitque, et lumina morte resignat.' *R.*

672 *Tegmenque capillis*] Petasum et pileum, quem causiam dicunt. *Alas pedibus*] Epist. Parid. XVI. 68.

673 *Hæc ubi disposuit*] Ubi se his instruxit et ornavit. *Pont.*

677 *Dum venit, adductas*] *Abductas* scribendum vel invitis libris, quod furacissimo Deo conveniens. Lib. II. 'Incustoditæ Pylios memorantur in agros Processisse boves: videt has Atlantide Maia Natus, et arte sua silvis occultat abactas.' Pro *venit* etiam multi veterum *veit* vel *vehit*. Puto, *Dumque agit abductas*, ut cum sequenti versu hæc construantur. Scriptum primo fuerat eliso τῷ *a*, *Dumque git abducta*. Inde *Dum veit* postea factum: sic libro IV. 'obscurum timido pede fugit in antrum: Dumque fugit, tergo velamina lapsa relinquit.' *Heins. Structis cantat*] Fistula, ex septem disparibus avenis in alæ formam crescentibus compacta: sic lib. II. 191. de alis Dædaleis: 'sic rustica quondam Fistula disparibus paulatim surgit avenis.' *Farn.*

678 *Novæ artis*] Tibiæ, noviter a Mercurio inventæ.

679 *Hoc poteris mecum considere saxo*] *Poteras* cum melioribus: primus Moreti et sex septemve alii *requiescere saxo*, ut apud Maronem Eclog. I. 'Hic tamen hanc mecum poteras requiescere noctem:' ita enim legit Arusianus Messius in Elocutionum libello necdum edito, quem nos Neapoli aliquando descripsimus. Vulgati *hac poteris requiescere nocte*. Tibullus Eleg. III. 7. 'Quam vellem longas tecum requiescere noctes!' *Heins.*

684 *Servantia lumina*] Oculos observantes atque custodientes vaccam. *R. Vincere*] Sopire fistulæ canta vigiles Argi oculos. *Farn.*

FAB. XII. Arg. *Tum Deus Arcadiæ, &c.*] Causam hic refert inquisitionis Argi de fistula: et tam concinne fabulam fabulæ connectit Poëta, ut cum multas simul describat transfigurationes, minime tamen a proposito discedat. Exponit enim quemadmodum Syrinx Nympha Ladonis fluvii filia, ardenter a Pane Deo amata; et ne virginitatem amitteret, in arundinem apud Ladonem fluvium fuerit commutata, ex qua Pan ad mitigandos amoris ardores sibi fistulam composuerit: unde Virg. 'Pan primus calamos cera conjungere plures Instituit.' *R.*

690 *Inter Hamadryadas*] De his Gyrald. Syntagm. 5. Natal. lib. V. c. 11. *Hamadryadas*] Nymphas arborum, quæ cum arboribus nascuntur una et intereunt: ex ἅμα et δρῦς. *Nonacrinas*] Arcadicas. Nonacris mons est Arcadiæ cum urbe cognomine.

693 *Et quoscunque Deos*] Sylvanos, Faunos ac Panas, ait: hos namque sylvarum ac nemorum Deos antiqui-

Digitized by Google

tas putabat. *R.*

694 *Ortygiam*] Dianam, natam in Delo insula, quæ et Ortygia, a copia coturnicum. *F.* *Ipsamque colebat Virginitate Deam*] *Ipsaque* castigatiores libri. *Heins.*

700 *Talia verba refert*] Quæ hic sequebantur, *tibi nubere Nympha volentis Votis cede Dei*, ejicienda esse, quod minime sint Latina, et præcipuam hujus narrationis venustatem subvertant, jam alii monuere: quibus nos subscripsimus, fidem et auctoritatem optimorum codicum secuti. Pro *plura referre* etiam *verba* reposuimus ex iisdem libris. Malim præterea *referri*, si per scripta exemplaria liceat. *Heins.* *Restabat*] Restabat ut reliquam fabulam pertexeret: sprevisse scil. Nympham illius preces, fugisse, orasse Nymphas ut mutari posset, mutatam fuisse. *Farn.*

702 *Placidum Ladonis ad amnem*] 'Citum Ladonem' Noster l. II. Fast. vocat, et lib. v. Fast. 'rapacem:' quomodo igitur *placidum?* Recte unus Mediceus et unus Caroli Strozz. *Placitum amnem:* vide Notas Fast. III. 652. nisi *patrium* forte scripsit noster, ut Ladonis filiam Syringa faciat. *Heins.* *Ladonis*] Ansam fabulæ dedit natura fluvii, quem Dionysius vocat, Εὐκάλαμον ποταμὸν καὶ ἐϋστέφανον Λαδῶνα. Σύριγξ Græce significat fistulam pastoritiam, a συρίζω *sibilo.* Lucretius lib. v. 'et Zephyri cava per calamorum sibila primum Agrestes docuere,' &c. Illa inventa retulit Pana in numerum Deorum; sed de plebe. Natal. Comes v. 6. legatur, et Francisci Baconi de Sapientia veterum, c. 6. *Pan sive Natura.* Farn.

703 *Venerat*] *Venerit* cum Florentino Sancti Marci, primo Mediceo, primo Palatino, et tribus aliis. Deinde Cantabrigiensis optimus, *hic illi cursum impedientibus undis* eleganter, non *illam: illa* secundus Mediceus proxime verum. *Heins.*

707 *Dumque ibi suspirat*] Ibi in calamo suspirat Syrinx. Vel potius Pan, ob amissam Nympham.

710 *Hoc mihi colloquium*] *Consilium* plerique veteres. Scribe *concilium* cum Lovaniensi libro: quam lectionem in duobus veterrimis exemplaribus Ciofanus quoque non intellectam monet extare. Nonnulli ex nostris *concilium; Hoc mihi concilium tecum manebit;* hoc me tibi conciliabit: concilio contrarium discidium. Lucret. lib. II. 'Conciliis et discidiis exercita crebris.' Vide Notas ad Remed. Amor. 703. *Heins.*

712 *Nomen tenuisse*] Græci namque fistulam Syringa vocant ab ipsa puella.

718 *Qua collo confine*] Qua caput conjungitur cum collo.

719 *Præruptam rupem*] Duriusculum hoc: quare *cautem* cum primo Moreti præferam; vel *molem*, cum Patricii Junii codice: ut apud Lucanum VI. 'Conspexere prærupta in caute sedentem.' *Heins.*

720 *Arge, jaces*] Æn. X. 'Istic nunc, metuende, jace.' Hom. Iliad. X. 386. Κεῖται πὰρ νήεσσι νέκυς ἄκλαυστος, ἄθαπτος, Πάτροκλος, et alibi: de iis, qui ferro pereunt, qui non sua morte defunguntur. Cui contrarium, stare, incolumem esse. Æneid. II. 'Dum stabat regno incolumis.'

725 *Erinnyn*] Furoris œstrum. 'Hoc quondam monstro horribiles exercuit iras Inachiæ Juno pestem meditata juvencæ.' Virgil. Georg. III. *Farn.*

726 *Pellicis Argolicæ*] Ἰοῦς Inachi Argivorum fluvii filiæ. *In pectore condidit*] *In pectora* rectius liber Joannis Sixii. *Heins.*

727 *Profugam per totum terruit orbem*] Propert. Eleg. II. 33. 'Tu certe Jovis occultis in amoribus, Io, Sensisti multas quid sit inire vias.' Apollodor. II. Plutarch. in lib. de malig. Herod. Mosch. Idyll. II. a vs. 44. De œstro ejus, et tabani stimulo, Æschyl. τῆς τῶν Ἱκετίδ. v. 308. Βασ. Τί δ' οὖν

Digitized by Google

ἔτευξεν ἄλλω δυσπότμῳ βοΐ; Κορ. Βοηλάτην μίωπα, κυνηγήριον, Οἶστρον καλοῦσιν αὐτὸν οἱ Νείλου πέλας. Βασ. Τοιγάρ νιν ἐκ γῆς ἤλασεν μακρῷ δρόμῳ.

728 *Nile*] A Phœnicibus raptam ex Argis Io scribit Herodotus in Clio per initium libri, et ab iis in Ægyptum deportatam. Ibi, aiunt, cum Ægyptios multa nova inventa docuisset, Api regi nupsisse. *Farn.*

732 *Luctisono mugitu*] Plurimi veteres *multisono;* forte pro *mutisono.* Hinc 'muta animalia,' et 'vox muta,' pro incondita voce. Sic lib. XIV. de sociis Ulyssis in porcos mutatis, 'pro verbis edere mutum Murmur:' ita libri nonnulli; ut et paulo post, 'Et lapides visi mugitus edere mutos:' non *raucum murmur*, et *mugitus raucos*, cum vulgatis. Præcedenti quoque versu *tollens*, non *tendens*, meliores. *Heins.*

737 *Stygias*] Vide quæ ad 189. supra. *Farn.*

747 *Nunc Dea linigera, &c.*] Nunc, inquit, Io pro Dea Iside colitur ab Ægyptiis lineas vestes gestantibus. Isidis namque sacerdotes lineis vestibus utebantur. Isidem vero Ægyptii Lunam esse putant, ut Osiridem Solem. Vide Diodorum. *R. Niligena turba*] Rectius nonnulli *linigera;* ut jam monuimus Art. Amat. plurimi *lanigera;* mendose. Mox pro *Hinc Epaphus* malim *Huic* cum uno Rogerii Twisdeni, viri splendidissimi. *Heins.*

748 *Epaphus*] Herodotus in Euterpe Apin Græca lingua Epaphum esse ait, et in Thalia; est autem hic Apis, idemque Epaphus, e vacca genitus, &c. *Farn.*

752 *Nec sibi cedentem*] Quia Phœbo patre Deo natus esset, æque ac Epaphus, verum non æque magno Deo ut ille: nam quid Jove majus habetur? Cedere ergo Phaëthon Epapho debuisset hac in parte. Sed Phaëthonti animos angebat, quod avum haberet Jovem, et Epaphus de avo gloriari non poterat: nam Saturni nullum jam nomen erat. *Pont.*

753 *Inachides*] Epaphus, Inachi nepos.

756 *Ad Clymenen*] Quæ fertur Nympha fuisse Oceani, et Tethyos filia, ex qua Apollo sustulit Phaëthontem. *R. Tulit*] More puerorum, qui offensi ab æqualibus rem ad parentes deferunt, et ab iis vindictam petunt. *Pont.*

757 *En ego liber*] *Ille ego liber* longe efficacius libri vetustiores; quod alii jam monuerunt. *Heins.*

761 *Ede notam*] *Prode* Grævianus: de qua locutione libro VI. non longe ab initio adeantur notæ: ubi 'prodere fœtum' pro *edere* vetustæ membranæ. *Idem.*

769 *Nos auditque videtque*] Rodi ad Ep. Med. vs. 78. 'Per genus et numen cuncta videntis avi.'

771 *Neget ille videndum*] *Ipse* meliores. *Heins.*

776 *Emicat*] Exilit. Nam 'emicare' cum subsiliente corpore lætitiam notat. *Emicat*] Virgil. 'Juvenum manus emicat ardens Littus in Hesperium:' et alibi.

Digitized by Google

METAMORPHOSEON LIB. II.

1 *Regia solis erat*] Volunt nonnulli Poëtam intendisse digitum ad Augusti Templum cum porticu et bibliotheca magnifice extructum in parte Palatii. Alii, habuisse eum ante oculos regiam Latini a Virgilio descriptam Æneid. VII. Ego certe credo Poëtam, quo fuit ingenio, in mentem suam tantum tinxisse calamum, atque inde cum Phaëthonte suo 'concepisse æthera mente.' Nisi forte in manibus habuerit Euripidis Phaëthonta qui nobis interiit, cujus meminit Athenæus lib. II. et cujus a Longino, dum exempla poëticæ phantasiæ adfert, specimen citatur, inibique præcepta Phœbi Phaëthontem suum monentis instituentisque, infra ad vs. 54. et 133. *Farn.*

2 *Micante auro*] Micare, per intervalla lucere, et se movere. Proprie, *Mica auri*. Lucret. lib. I. Enn. incert. loc. 'Omnia tumendo mari videas fervente micari:' pro moveri. *Auro*] Lege Senecam hos versus citantem; epist. 115. *Pyropo*] Gemma radiante instar carbunculi. Neque enim placet de ære coronario: quod Plinius XXXIV. 8. scribit, 'auri certis scrupulis mixtum prætenui pyropi bractea ignescere.' *Farn.*

3 *Fastigia summa tegebat*] *Tenebat* plerique veteres, et recte, ut et *lumine* versu proximo pro *limine*. Vide Notas Fast. III. 219. Met. XI. 257. *Heins.*

5 *Opus*] Tum artificium, tum argumentum. 'Materiæ non cedit opus.' Martial. VIII. 51. *Farn.*

7 *Quod imminet orbi*] Nomine orbis hic cape aërem, terram, aquam, quorum velut tectum quoddam est cœlum. *Pont.*

8 *Tritona canorum*] Triton enim tibicen Neptuni. *Tritona*] Lib. I. 333. *Farn.*

9 *Protea*] Amor. II. 15. 10. De Art. Am. I. 761.

10 *Ægæona*] Ἐνάλιον θεὸν, Deum marinum, Hesychio, quem tamen eundem cum Briareo facit Hom. Il. A. et Virg. Æneid. X. *Farn.*

11 *Doridaque*] Doris Nympha fuit, Oceani et Tethyos filia ac Nerei uxor, ex qua maxima Nympharum multitudo est nata, quas Nereidas de patris nomine vocant. *R.* *Pars nare videtur*] Quatuor *videntur*. Heins.

12 *Mole sedens*] Scopulo. Lib. XIII. vs. 924. Glaucus de se, 'Nunc in mole sedens moderabar arundine linum.' *Farn.*

16 *Fluminaque et Nymphas*] *Et Nymphasque* Gryph. editio. Lege *Fluminaque Nymphasque*, Nasoniano more. *Heins.*

18 *Signaque*] Sedebat itaque Phœbus in Æquatore, hinc inde Zodiaci signis divisis, Septentrionalibus ad dextram, Australibus ad sinistram. *Farn.*

24 *Claris smaragdis*] *Clara smaragdo* Thuan. Barberin. aliique nonnulli. *Heins.*

26 *Horæ*] Solis ministræ, cœli janitrices, πυλωροὶ τοῦ οὐρανοῦ. Homer. Il. E. πύλαι μύκον οὐρανοῦ, ἃς ἔχον ὧραι, &c. *Farn.*

31 *Inde loco medius*] Medio in loco illo residens. *Pont.* *Inde loco medius*] Virgil. Æneid. V. 'Circus erat, quo se multis cum millibus heros Consessu medium tulit:' et alibi. *Rerum novitate*] Mira omnia quæ nova, et nunquam visa. Adi Epistol. XII. 18. Plaut. Mostellar. I. 4. 31. utrumque conjungit: 'Num mirum aut novum quippiam facit?' quod et Græcis usurpatum. Metam. I. 437.

37 *Nec falsa imagine*] Falsa imago est falsum nomen patris, sub quo illa

Digitized by Google

celare potest crimen suum. *Pont.* *Falsa sub imagine*] Ep. Heroid. XVII. 45.

44 *Et illud Me tribuente feres*] *Ut feras* meliores: et mox *currus rogat* non *petit*. Heins.

46 *Diis juranda*] Ὅστε μέγιστος Ὅρκος δεινότατός τε πέλει μακάρεσσι θεοῖσιν. Homer. in hymno Apollinis. Θεῶν μέγαν ὅρκον. Hesiod. Theog. Ὁρκωμότους ἀφθίτοις ἕδρας. Lycophron. Rationem vide apud utriusque commentatorem Io. et Is. Tzetzen. Reddidimus et nos ad vs. 712. Hercul. Furent. Senecæ. Vide et Clariss. Fr. Baconi Sapientiam Veterum, cap. 5. 'Styx sive Fœdera.' Vide infra lib. III. 291. *Farn.*

50 *Temeraria*] Temeritas mei promissi cessit in temerariam tuam petitionem. *Farn.*

51 *Utinam promissa liceret*] Atqui non licet, sicut ipse infra confitetur: 'Ne dubita, dabitur, Stygias juravimus undas.' *Pont.*

54 *Et quæ non viribus istis Munera conveniunt*] *Nec conveniant* cum melioribus. *Heins.* *Quæ nec viribus*] Ex Phaëthonte Euripidis, cujus meminit Athenæus lib. II. videntur desumpti versus isti; Μὴ θίγης ἡνίων παίδιον ἄπειρος ὤν. Μηδ' ἀναβῆς τὴν δίφρον, ἐλαύνειν μὴ μαθὼν, quos citat Clemens Alexand. lib. III. παιδαγωγοῦ, cap. 2. *Farn.*

57 *Plus etiam*] Vers. 190. infra. *F.* *Contingere possit*] *Fas sit* præstare opinor, quod in nonnullis extat. Multi *fas est*. Puto tamen *par est*, aut *par sit*: sic Lucretius frequenter; ut lib. IV. 'Stultitiæque ibi se damnet, tribuisse quod illi Plus videat, quam mortali concedere par est.' *Heins.*

58 *Affectas*] Amor. I. 1. 14.

62 *Quid Jove majus habetur*] Meliores *habemus*. In Tristibus, 'Majus apud Trojam forti quid habemus Achille?' Iidem *agat* pro *aget currus*. Heins.

64 *Enituntur equi*] *Enitantur* cum Cantabrigiensi optimo. *Idem.*

66 *Si timor, et trepides*] *Fit et trepidat* vetustiores: quomodo et Seneca libro de Providentia agnoscit. *Idem.* *Timor*] Infra ad vs. 179. *Farn.*

67 *Ultima prona via*] Ascensus propter acclivitatem laboriosus, medium propter altitudinem terribile, descensus propter casum plena metus sunt. *Pont.* *Prona via*] Epist. XVIII. 121.

68 *Quæ me subjectis*] Lucret. IV. 'In pelago nautis ex undis ortus, in undis Sol fit uti videatur obire et condere lumen,' &c.

70 *Vertigine*] Revolutione et conversione. *Vertigine*] Motu violento, quo primum Mobile orbes subjectos ab ortu ad occasum, inde per Antipodum Horizontem ad ortum nostrum 24. horarum spatio incitatissima conversione rapit, super polos mundi. *Farn.*

71 *Volumine*] A volvendo. Virgil. V. de serpente: 'Septem ingens gyros, septena volumina traxit,' quod et agmen vocat. Item Æneid. II. 'sinuatque immensa volumine terga.' *Torquet*] Convertit. Sidera namque fixa una cum cœlo vertuntur: Planetæ vero contra cœli motum nituntur; unde infert,

72 *Nitor in adversum*] Cœlum namque ab Oriente in Occidentem volvitur, secumque trahit et Solem et reliquos planetas. Sol vero cum aliis planetis, suo ac naturali motu, contra cœli conversionem nititur, hoc est, cum quodam nisu et conatu movetur. *Nec me*] Neque me sub Ecliptica linea manentem moratur illa primi Mobilis impetuosa rotatio; sicut deviant cæteri planetæ retrogradi, citius aut tardius moventes, propter Apsides. *Farn.*

74 *Quid ages*] *Agas* Thuan. Cantabrig. secundus Palat. et sex alii. *Heins.*

75 *Citus axis*] Celerrima illa rotatio cœli, quam hic 'citum axem' no-

Digitized by Google

minat. Alioqui 'axis' est linea recta, per centrum sphæræ ad illius circumferentiam transiens, circa quam sphæra ipsa volvitur. *Pont.*

76 *Urbesque Deorum*] *Domosque* duo Medicei et unus Ambrosianus cum uno Thuaneo. *Heins.*

78 *Esse*] Unus Moreti *Ecce:* unus Palat. *Ire:* quatuor alii *Isse. Iter est ire*, pro eundum. *Idem.*

80 *Adversi tauri*] Oppositi: nam versus Orientem spectat Taurus.

81 *Æmoniosque arcus*]. Sagittarium. Enumerat autem Phœbus signa Zodiaci terribiliora aspectu, quo facilius ab improba cupiditate regendi currum Solis, filium deterreat. *R. Æmoniosque*] Sagittarium, ex Chirone Thessalo. Vexat se hic Scal. VII. Hypercrit. quod annuum Solis laborem poëta ad unius diei pensum exigat. Sed neque imperitus rerum harum Ovidius. Speciose, non exacte locatum inducit Solem, quo juvenem deterreat.

82 *Longo*] Duorum quippe signorum pene spatium occupat, in Libram porrectus.

83 *Aliter*] Contra quam Scorpius: hic scilicet occasum versus, ille orientem spectat.

85 *Naribus*] 'Cum primum alto se gurgite tollunt Solis equi, lucemque elatis naribus efflant.' Æneid. XII. *Farn.*

86 *Ubi incaluere*] *Ut incaluere* multi. *Heins.*

93 *In pectore*] Meliores *in pectora:* et mox *Eque tot*, pro *Deque*, Idem.

94 *Inserere*] Immittere.

104 *Propositumque premit*] *Tenet* undecim libri veteres recte; si quid video. Art. Amat. I. 'Lecturam spera, propositumque tene.' Cornelius Nepos vita Eumenis, 'Itaque hoc propositum tenuit.' Metam. X. noster, 'Propositique tenax, quodcunque sit, orat ut ipsi Indicet.' Ita Horatius quoque 'Justum et tenacem propositi virum' dixit. *Heins.* *Propositumque tenet*]. Vide, inquit Seneca lib. de Providentia, quam alte descendere debeat virtus; scies illi non per secura vadendum esse: 'Ardua prima via est, et qua vix,' &c. Hæc cum audisset ille generosus adolescens: Placet, inquit, via: ascendo. Est tanti per ista ire casuro. Non desinit tamen pater acrem animum metu territare: 'Utque viam teneas, nulloque errore traharis; Per tamen adversi,' &c. Post hæc ait; 'Finge datos currus.' His, inquit juvenis, quibus me deterreri putas, incitor: libet illic stare, ubi ipse Sol trepidat: humilis et inertis est, tuta sectari: per alta virtus it. *Farn.*

105 *Qua licuit*] Quatenus, et quousque potuit.

106 *Vulcania*] Ex officina Vulcani.

107 *Aureus*] Non est cur disertissimo Poëtæ litem intendat Diomedes Grammaticus affectati decoris et nimii cultus, si ad principem Poëtarum Virg. attendat, lumen orationi ab hac eadem repetitione sæpius conciliantem, Æneid. IV. V. VII. XI. et XII. nec raro Homerum idem facitantem. Lege Senecæ Epistol. 115. qua ratione hos inducat versus. *Farn.* *Aureus*] Non sine ratione videtur poëta voculam eam 'aureus' repetere. Quocunque enim oculos verteres, aurum occurrebat: neque id novum. Virgil. Æneid. IV. 'ostroque insignis et auro.' 'Aurea purpuream subnectit fibula vestem.' 'Quoi pharetra ex auro, crines nodantur in aurum.' Quod ex Homer. Nihil nisi aurum in oculis erat.

109 *Per juga*] Etiam pro equis jugalibus. Virgil. V. 'aurigæ immissis undantia lora Concussere jugis.' Hoc autem loco videtur Ovid. per juga intelligere ipsam currus sellam: uti in navibus transtra: ζυγά. Virg. VI. 'Inde alias animas, quæ per juga longa sedebant.'

110 *Repercusso*] Radiis solaribus ad leve et solidum corpus refractis.

Digitized by Google

Farn. Reperoueso Phœbo] Epist. Lesand. XVIII. 77.

112 *Nitido ortu*] *Rutilo* primus Mediceus et tres alii cum Norico. *Heins.*

113 *Et plena rosarum*] Nam antiquitas Auroræ rosas dicavit. *R. Rosarum*] Aurora Græcis poëtis est ῥοδοδάκτυλος, ῥοδόπηχυς, ῥοδόπεπλος, ῥοδόχροος. *Farn.*

114 *Diffugiunt*] Evanescunt scilicet languidæ, a Solis majore luce minores obscuratæ. *Farn. Diffugiunt stellæ*] Ex sententia vulgi. Neque enim stellæ diffugere possunt, quum sint fixæ, sed adveniente Aurora fulgere desinunt. *Cogit Lucifer*] Congregat, et ante se agit. Lucifer enim Græce φώσφορος dicitur: ultimus est, qui desinit fulgere Sole oriente: priusque incipit lucere illo occidente, et tunc Hesperus vocatur. *R.*

115 *Cœli stationes exit*] Venusta translatio a stationariis. Mortalibus enim sopitis, sidera, quasi in statione excubant, et servant. Idem non minus venuste de Argi oculis, l. præced. 626. 'Inde suis vicibus capiebant bina quietem, Cætera servabant, atque in statione manebant.' *Novissimus*] Veneris stella, quam terræ propiorem serius lustrat Sol quam fixas stellas. *Farn.*

116 *Tum pater*] In optimo Florentino et Neap. erasa vetus lectio. *At pater* Thuan. et sex alii. *Quæ patere* primus Palatinus, excerpta Theatinorum Romana, et quinque alii. *Quæ petere* Langianus: *pater* vix locum hic habet, cum mox sequatur, 'Tum pater.' Forte, *Ut pariter terras mundumque rubescere vidit:* Titan, nimirum, quod mox subjungitur. *Heins.*

118 *Velocibus imperat Horis*] Horæ autem ideo Solis equorum curam habere finguntur, quod ex cursu Solis oriantur, seu potius mensurentur et distinguantur. *Horis*] Supra ad vs. 26. *Farn.*

120 *Ambrosiæ succo*] Herba suavissima, qua Dii vescuntur, quaque immortales efficiuntur. Simul etiam eo alludere videtur, quod Sol medicaminum inventor et auctor. *R. Ambrosiæ*] 'Axe sub Hesperio sunt pascua Solis equorum: Ambrosiam pro gramine habent.' lib. IV.

122 *Medicamine*] Cui inerat virtus ἀλεξίπυρος vel ἀνεξίπυρος. *Farn.*

124 *Radios*] Coronam radios emittentem, quam ipse gestare consuevit.

126 *His saltem monitis parere parentis*] *Paternis* Bernegger. Thuan. et quatuor alii. Scribe, *Si potes hic saltem monitis parere paternis.* Heins.

128 *Inhibere volantes*] *Volentes* plurimi veterum: sic apud Virgilium Georg. III. 'Ipsa autem macie tenuant armenta volentes.' Ita præstantissimus liber Mediceus. Sic Silius et Statius sæpe. *Properent* etiam unus meus. *Idem.*

129 *Nec tibi*] Non eundum recte per quinque circulos parallelos: sed per Zodiacum, qui Æquatorem oblique intersecans Tropicum Cancri a dextra, Arcticum versus, attingit; Tropicum Capricorni a sinistra, ad Antarcticum. *Farn. Arcus*] Circulos, qui et Zonæ dicuntur. Cœlum enim in quinque circulos æqualiter a se distantes divisum est: arcticum, antarcticum, tropicum cancri, tropicum capricorni, æquinoctialem: quorum æquinoctialis est medius. Zodiacus autem obliquus est circulus, qui æquinoctialem secat, et ad tropicum cancri et capricornum usque pervenit. *R.*

130 *Sectus in obliquum*] Periphrasis est Zodiaci.

132 *Polumque Effugit Australem*] *Effugito* est reponendum ex primo et secundo Palatino, primo Basileensi, et aliis tribus. Mox *Hac fit iter* Norico, non *sit*. Heins.

133 *Hac sit iter*] Longinus περὶ ὕψους laudans Phantasiam Euripidis ista citat ex Phaëthonte ipsius: Τῷ γοῦν Φαέθοντι παραδιδοὺς τὰς ἡνίας ὁ ἥλιος, ἔλα δὲ, &c. Phaëthonti habenas tradens Sol, Impelle non in Lybicum

Digitized by Google

ætherem incidens, &c. sed ito supra septem Pleiadas cursum tenens. *Farn.*

138 *Tortum declinet*] Qui flexu sinuoso labitur anguis 'Circum, perque duas in morem fluminis Arctos.' Virg. Georg. I. *Declinet ad anguem*] *In anguem* Twisdeni codex alter. *Heins.*

139 *Aram*] Sidus Australe, constans 7. stellis, non longe a cauda Scorpii. Latus autem mundi Austrinum, depressius: Boreale, nobis sublime. *Farn.*

142 *Hesperio litore*] Atlantico: quo cum nox pervenit, relinquat terras necesse est.

143 *Non est mora libera*] Non est integrum nobis morari. *Non est mora libera nobis*] Fortasse respicit ad illud Virg. Æneid. XII. 'neque enim Turno mora libera mortis.'

144 *Et fulget*] *Effulget* recte primus Gronovianus pro diversa lectione: posset et *en fulget* legi. *Heins.*

147 *Solidis sedibus*] Quibus fidenter, et sine periculo insistat. Sic Virgil. Æneid. VII. 'jam sidere terræ.' *Etiamnum*] Sic optimus Thuaneus. *Heins.*

150 *Occupat*] Τοσαῦτ' ἀκούσας ἔμαρψεν ἡνίας, κρούσας δὲ πλευρὰν πτεροφόρων ὀχημάτων, μεθῆκεν. Longinus ex Euripide, supr. vs. 133. *F.* *Occupat*] Celeritatem notat. Virgil. VI. 'Occupat Æneas aditum custode sepulto, Evaditque celer ripam.' *Juvenili corpore*] Levi et juvenili impetu. Redi ad Epist. Leandr. 35.

153 *Pyroeis, Eous, et Æthon*] *Et Eous* Cantabrig. et quatuor alii: quomodo et Scholiastes Statii manu veterrima exaratus Vaticanæ bibliothecæ agnoscit. *Heins.*

155 *Repagula*] Obstacula. Alludit ad carceres, e quibus equi in certaminibus omittebantur. *R.* *Repagula pulsant*] Βαλβίδας, ὕσπληγγα, carceres. *Farnab.*

156 *Tethys*] Oceani uxor et Clymenes mater, apud quam Sol pernoctare creditur.

157 *Immensi copia cœli*] *Mundi* cum plerisque; recte: sic 'mœnia mundi' apud Lucretium sæpe pro cœlo. Græcis quoque κόσμος καὶ οὐρανὸς ejusdem non raro significationis; atque ita Poëtæ Latini passim. *Heins.*

158 *Corripuere viam*] Velociter currere cœperunt. *Per aëra*] Αἱ δ' ἕπταντ' ἐπ' αἰθέρος πτύχας, Longinus, ut modo. *Farn.*

159 *Obstantes scindunt nebulas*] Primus Regius et unus Thuan. *findunt*; sic lib. IV. 'Et celeri fissum præpes per inane volatu:' quomodo ex vestigiis veterum librorum scribendum. *Heins.*

165 *Sic onere insueto vacuos dat in aëre saltus*] *In aëra* nonnulli ex melioribus. Deinde *onere* quoque *assueto* Florentinus Sancti Marci, primus Vaticanus, Cantabrig. secundus Palat. Urbin. et duo aut tres alii: 'onere assueto vacui saltus' eleganter dicuntur; nisi mavis reponi, *onere assueto vacuus dat saltum currus.* Idem.

166 *Succutiturque*] Sursum valde quatitur.

168 *Quadrijuges*] Meliores *Quadrijugi.* Heins. *Quadrijugi*] Quatuor equi uno jugo alligati.

171 *Triones*] Ἅμαξα ἑλική. Ursa major, constans ex 27. stellis, quarum septem lucidiores plaustri formam referunt.

172 *Vetito*] Anachronismus prolepticus; si fabulam advertas, qua Juno pellicem Calisto cum filio in astra relatos indignata, hoc ab Oceano impetrabit infra vs. 530.: si veritatem, quia polo elevato vicina hæc astra, Helice et Cynosura. *Farn.* *Et vetito æquore*] Quia nunquam occidunt. Hinc Virgil. 'Circum perque duas in morem fluminis Arctos; Arctos Oceani metuentes æquore tingi.' *R.*

177 *Tardus*] Utpote polo vicinior, adeoque ambitus illi minor. *Farn.*

179 *Penitus penitusque jacentes*] *Patentes* Sancti Marci Florentinus, Thuan. Cantabrig. secundus Pal. sec.

Digitized by Google

Medicens, et duo alii. Fast. IV. 'Proxima cum veniet terras visura patentes Memnonis in roseis lutea mater equis.' Nihil tamen muto. Adi Notas lib. VIII. 749. *Heins. Penitus penitusque*] Hoc est, valde depressas ac longe a se remotas: nam geminatum illud adverbium, immensum illud intervallum significat inter cœlum et terras.

181 *Tenebræ*] Vertigo caligans offusa est oculis et animo in media luce, imo in tanta. Ἔμφασις ὀξύμωρος. *Farn.*

183 *Jam cognosse*] Meliores *Jamque agnosse.* Heins.

184 *Jam Meropis dici, &c.*] Filius subintelligatur: Merops enim Clymenes fuit maritus: quanquam Meropes homines dicantur apud Homerum, quod divisas habeant voces; qua in significatione hic quoque accipi potest: ac si diceret, cupiens jam hominis filius, magis quam Dei, appellari. *R.*

185 *Remisit fræna*] Translat. a navibus ad currum. Vice versa a curribus ad naves Virgil. V. Fræna autem et habenæ ut equo, sic navi competunt: Homer. Odyss. Δ. 708. Αἶψ' ἄλδς ἵπποι Ἀνδράσι γίγνονται. Et Odyss. N. 81. Ἦ δ', ὥστ' ἐν πεδίῳ τετράοροι ἄρσενες ἵπποι, Πάντες ἅμ' ὁρμηθέντες ὑπὸ πληγῆσιν ἱμάσθλης, Ὕψόσ' ἀειρόμενοι, βίμφα πρήσσουσι κέλευθον· Ὡς ἄρα τῆς πρύμνη μὲν ἀείρετο, &c. Quod Virgil. egregie imitatur Æneid. V. et VI. 'Classique immittit habenas.' Quod et Senecæ placuit Med. vs. 3. 'novam frænare docuisti ratem:' ubi vide Delr. et Doctiss. Gronov. Æschyl. Prometh. Λινόπτερ' εὖρε ναυτίλων ὀχήματα. Plaut. Rud. I. 5. vs. 10. 'Nempe equo ligneo per vias cæruleas Estis vectæ.' Etiam de fontibus et aquis: 'Fluminibus vestris totas immittite habenas.' Metam. I. 280. 'ac fontibus ora relaxant, Et defrænato volvuntur in æquora cursu.' vs. 282. *Ibid.*

187 *Multum cœli post terga relictum*] *Relicti* si per libros veteres liceat. Certe unus meus *relinqui.* Regius unus *relinquit.* Heins.

189 *Quos illi fatum contingere non est*] Dii est quod *fato* vidi legendum, ut Græcismus sit οὐκ ἔστι, *non licet.* Eam postea lectionem ab optimo Berneggeriano confirmatam deprehendi: sic lib. IX. ex vestigiis veterum librorum scribo, vs. 385. 'Et quoniam fato non est incumbere vobis.' Plura de hoc loquendi modo congessimus lib. II. Artis Amatoriæ, non longe ab initio. *Idem.*

196 *Scorpius*] *Scorpios* meliores. *Idem. Scorpius*] Signum Zodiaci constans stell. 21. duorum pene signorum spatia occupans: chelæ siquidem Libram constituere videntur; scorpium vero ipsum cauda recurva designat. *Farn.*

197 *In spatium duorum, &c.*] Alterum namque brachiis; alterum cauda facit. Vide Virgil. Georg. I. 33. 'Qua locus Erigonem,' &c. *R.*

198 *Madidum*] A caloris vicinia sudantem, æstuantem, sævientem. *Farn.*

201 *Summo sensere jacentia tergo*] Alii *tetigere:* nempe reponendum *summum tetigere tergum* ex Neapolitano et Urbinati. *Heins.*

205 *Avia currum*] 'Avia cum Phaëthonta rapax vis Solis equorum Æthere raptavit teto.' Lucret. V. vs. 398.

206 *Per declive*] *Declina* scripti: vide Notas Fast. III. 13. et mox *ambustaque nubila* non *combustaque* meliores. *Heins.*

217 *Athos*] Mons est Macedoniæ altissimus. *Taurusque, &c.*] Taurus Ciliciæ mons est. *Tmolus*] Pl. et mons Phrygiæ: melle, vino, et croco abundans. *Œte*] Mons Thessaliæ, Herculis morte, rogo et sepulchro nobilis. *R.*

218 *Et tum sicca*] *Nunc sicca* Urbin. et tres alii. *Heins. Celeberrima*] Quam inde πολυπίδακα appellat Homerus. Sunt qui leg. *crebrerima fon-*

Digitized by Google

tibus. Farn. *Ida*] Mons Phrygiæ celeberrimus.

219 *Nondum*] Nondum infamis morte Orphei qui filius erat Œagri, de quo vid. lib. XI. 1. *Farn.* *Virgineusque Helicon*] Mons Bœotiæ est Helicon; quem ideo *Virgineum* appellat, quia Musis est consecratus. *Hæmos*] Hæmos, mons Thraciæ altissimus; in quo Orpheus Œagrii fluvii filius dicitur a Mænadibus fuisse discerptus, a quo etiam Œagrius fuit appellatus. *Hæmus*] *Hæmos* Barberinus; ut alibi. Pro *Ætna* etiam *Ætne* meliores. *Heins.*

220 *Geminatis*] Nativis suis l. XV. 840. atque his incendii Phaëthontæi. *Farn.*

221 *Parnassusque*] Vs. 316. l. I. *Farn.* *Parnassusque bicepe*] Mons Phocidis in duos vertices divisus. *Eryx*] Mons Siciliæ Veneri sacer; unde et *Erycina* dicitur. *Et Cynthus*] Mons Deli, unde Cynthius Apollo vocatur. *Othrys*] Mons Thessaliæ.

222 *Mimasque*] Mons est minoris Asiæ, haud longe distans a Colophone; perpetuis nivibus obrutus, a Mimante gigante denominatus. *Rhodope*] Mons Thraciæ nivosus. *R.*

223 *Dindyma*] Mons Phrygiæ matri Deorum sacer. *Mycale*] Mons et urbs Cariæ. *Natusque*] Bacchatus jugis, 'ubi audito stimulant Trieterica Baccho Orgia, nocturnusque vocat clamore Cithæron.' Virgil. Æn. IV. vid. et Nostrum sub exitu lib. III.

224 *Scythiæ*] Scythia regio est ad Septentrionem frigidissima. *Caucasus*] Mons Scythiæ Prometheï relegatione notissimus.

225 *Ossaque cum Pindo*] Montes Thessaliæ altissimi. *Olympus*] Verticem illius accolæ cœlum vocant. Unde et factum, ut Poëtæ Olympum pro cœlo ponant. *R.*

226 *Nubifer*] 'Vertice se attollens pater Apenninus ad auras.' Virgil. Æn. XII. *Farn.* *Apenninus*] Mons est longissimus Italiam dividens.

230 *Candescere*] Ignescere et inflammari.

235 *Sanguine*] Inter Metamorphoseis numerare licet plurimas causas naturales ad fabulas detortas transferri. *Farn.*

237 *Tum facta est Libye*] Regio Africæ aridissima, sic dicta, quod λείπει ὁ ὄμβρος quod deficit pluvia, ut Servius scribit. *Raptis*] Exsiccatis, ereptis. *R.*

239 *Quærit Bœotia Dircen*] *Quæritur* optimus Florentin. Urbin. et decem aut duodecim alii. *Heins.* *Bœotia Dircen*] Dirce fons est notissimus Bœotiæ, a Dirce, uxore Lyci, in eum conversa. *R.*

240 *Ephyre*] Corinthus. *Farn.* *Argos Amymonem*] Amymone fons est apud Argos, ab Amymone Danai Argivorum regis filia in hunc conversa. *Pirenidas*] Pirene fons est Acrocorinthi, quæ urbs prius Ephyre fuit appellata. Sic dictus a Pirene muliere, in quem ob fletum, quo filiorum morte affecta est, fingitur fuisse conversa. *R.*

241 *Nec sortita loco*] Non solum fontes exarnere, sed etiam amnes latissimi sunt exsiccati. *R.*

242 *Tanais*] Fluvius est Scythiæ maximus, Europam ab Asia dividens.

243 *Peneusque senex*] *Peneosque*; et mox *Mæandros* pro *Mæander*, et *Alpheos* pro *Alpheus* castigatiores, et *Tænarius Eurotas*, non *Tænareus*. Ταινάριος Græcis. *Alpheos* quoque apud Senecam Medea, et bis Thyeste scriptum in optimis membranis extat. *Heins.* *Peneosque senex*] Fluvius Thessaliæ. *Theutranteusque*] Caycus fluvius est Mysiæ, Teuthrantiam irrigans regionem: unde et Teuthranteus cognominatur. Teuthrantia autem urbs Mysiæ, a Teuthrante, qui ex Auge Telephum suscepit, appellata. *R.*

244 *Et celer Ismenos*] Fluvius Bœotiæ, ab Ismeno Pelagi filio denominatus. *Cum Phocaico Erymantho*] Ery-

Digitized by Google

manthus Phocidis est fluvius, et Arcadiæ mons.

245 *Arsurusque iterum Xanthus*] Fluvius est Trojæ. *Lycormas*] Hic *Eueuus* postea ab Eueno, qui se in eum præcipitavit, fuit appellatus. *R. Arsurusque*] Trojano nempe bello, ubi Vulcani vi arsit et exaruit Xanthus. Il. Φ. ὁ δ' ἐς ποταμὸν τρέψε φλόγα παμφανόωσαν, &c. *Fluvusque*] Flavas volvens arenas Lycormas Ætoliæ fluvius.

246 *Mæandros*] Fluvius Phrygiæ sinuosis flexibus prolapsus (600. ut numerant gyris) in fontem suum multoties referri videtur. *Farn.*

247 *Mygdoniusque Melas*] Fluvius est Mygdoniæ, qui oves nigras efficere dicitur: unde et nomen accepit. *Tænareus*] Eurotas, Laconiæ fluvius. *Farn.*

248 *Euphrates*] Fluvius majoris Armeniæ maximus, qui Babylonem in duas dividens partes, in mare Rubrum descendit. *Orontes*] Fluvius Syriæ ex Libano monte decurrens; qui Typhon prius dictus est, a Typhone gigante illic fulminato. Orontis autem nomen accepit ab eo, qui omnium primus illum ponte junxit.

249 *Thermodoonque citus*] Scribe *Thermodonque*, ut est in nonnullis antiquis; Θερμόδων: nam Θερμοδὼν legi carminis hexametri repugnat. *Heins. Thermodoonque citus*] Fluvius Scythiæ, juxta quem Amazones olim habitavere: is olim Araxes quoque dictus. *Ganges*] Fluvius est Indiæ notissimus. *Phasis*] Fluvius Colchorum, unde Phasiani sunt dicti. *Ister*] Fluv. Pannoniæ, qui et Danubius dicitur.

250 *Alpheus*] Fluvius Elidis juxta Pisam urbem decurrens, qui absorptus a terra subter mare in fontem Arethusam apud Syracusas influit. Vide Virgil. Æneid. III. *Ripæ Sperchéides*] Sperchii fluvii Thessaliæ velocissimi, qui in Maliacum exit sinum. *Ripæ Sperchiades ardent*] *Sperchéides* constanter in vetustioribus; et recte: vide quæ notavi supra ad lib. I. 579. *Heins.*

251 *Tagus*] Fluvius Hispaniæ, aureas vehens arenas, quæ tunc incendio liquescebant.

252 *Et qui Mæonius*] Lydiæ fluviorum. Nam Lydia a Mæone fluvio, Mæonia fuit appellata. *Celebrabant carmine ripas*] *Celebrabant*, vel *celebrarunt* in melioribus. *Heins.*

253 *Caystro*] Cayster fluvius est Asiæ; præter Asiam paludem labens. Virgil. Georg. I. 'Quæ Asia circum Dulcibus in pratis rimantur stagna Caystri.' *Flumineæ volucres*] Cygni flumina incolentes. *R.*

257 *Hebrum*] *Hebron* pro diversa lectione veterrimus Neapolitanus: et *Tybrin* Regius primæ notæ. *Heins.*

258 *Hesperiusque amnes*] Occidentales. Nam Rhenus fluvius est Galliam a Germania dividens: Rhodanus vero Galliæ fluvius: Padus, Italiæ, qui etiam Eridanus vocatur.

264 *Existunt montes*] *Exiliunt* in uno Leidensi et uno Ciofani: sed τὸ *Dissilit* præcesserat: alius Leidensis *Emergunt:* in nonnullis *Apparent.* Silius libro primo: 'Herculei ponto cœpere existere colles.' *Heins. Existunt montes*] Apparent, ac extra aquas stant. *Sparsus*] Unde et σπόραδες dictæ. Virgil. Æneid. III. 'Sparsasque per æquor Cycladas, et crebris legimus freta consita terris.' Cyclades vero quod κύκλον, id est, circulum inter se formant. *Farn.*

268 *Exanimata jacent*] *Natant* meliores; et mox *tepidis antris* pro *undis:* nec dubita quin vere. *Heins.*

269 *Doridaque*] Oceani et Tethyos filiam, Nerei uxorem, matrem Nympharum marinarum. *Farn.*

271 *Aëris ignes*] *Æstus* quatuor antiqui. Mox pro *contractosque* in melioribus *contractos;* ut aquas pelagi innuat constare ex fontibus undique contractis. *Heins.*

Digitized by Google

273 *Contractos fontes*] Ex omni loco congregatos atque coactos; ob nimium enim æstum fontes omnes in ima terræ, tanquam in gremium matris, refugerant, ne penitus exsiccarentur.

274 *In opacæ viscera matris*] Ad fontes hic restringitur 'matris' nomen, quos terra tanquam mater ex utero videtur fundere. *Pont.*

275 *Sustulit omniferos vultus*] *Omnituenens* ex scriptis Giphanius indice Lucretiano; et sic Langianus: *oppressos* Florentinus S. Marci: Thuaneus *omniparens;* ut 'terra omniparens' Lucretio non semel dicta: *παμμήτωρ*: sic 'omniparens Olympus' Virgilio, et apud Val. Flaccum, 'omnituens Sol:' duo alii *omniferos:* forte *omniparos vultus:* sic 'gemellipara Diva' Met. VI. 'frugipari fœtus' apud Lucretium initio l. VI. quomodo illic optimi duo Vossiani codices: et 'floriparum ver' Ausonio in Idyliis: tres veteres, *horriferos;* an *herbiferos,* vel *herbiparos?* sic 'herbiferi colles' initio l. XIV. Zulichemianus *amniferos:* primus et secundus Palatinus cum primo Vaticano, Neap. aliisque nonnullis *igniferos.* Cogitabam aliquando *auctiferos vultus:* ut Ciceroni, 'Jupiter auctiferas lustravit lumine terras.' *Heins. Omniferos*] Omnia ferentes et producentes. *Omniferos vultus*] Hinc et Græcis *παμμήτωρ* dicitur: et Virg. Æneid. VI. 'Terra omniparens.' *Collo tenus*] Usque ad collum. *Sustulit*] Videtur poëta respexisse ad locum Pausaniæ in Atticis, Ἔστι δὲ καὶ γῆς ἄγαλμα ἱκετευούσης ἴσαι τὸν Δία: Est apud Athenienses simulachrum terræ Jovi supplicantis ut e cœlo imbrem demitteret.

278 *Sacraque ita voce locuta est*] *Sicaque* Urbinas et unus Ciofani; eleganter. *Heins.*

281 *Igne tuo*] Tuo fulmine. *Auctore*] Jove potius quam Phaëthonte. *Farn.*

284 *Inque oculis fumum: volitant super ora favillæ*] Mirus hic denuo scriptorum exemplarium dissensus, quem accuratius piget recensere. Vetustiores tamen, *Inque oculis tantum, tantum super ora favillæ:* quod placeret, nisi meminissem τὸ *ora* mox præcessisse: nonnulli, *Inque oculis tantum, volitant super ora favillæ;* vel, *volitantque per ora:* unus meus, *Inque oculis fumi tantum: super ora favillæ.* Scribe, *Inque oculis fumi tantum, tantumque favillæ.* Τὸ *tantum* neglexerat repetere librarius, solemni errore, ut alibi monuimus: hinc versui fulciendo tot lectiones enatæ. *Heins.*

288 *Alimentaque*] Prodiga rerum omnium quæ ad victum mortalium, et ad cultum Deorum pertinent. *Farn.*

289 *Vobis quoque thura ministro*] *Quod thura* omnino concinnius in uno Patavino. *Heins.*

294 *Circumspice utrimque*] *Utrumque* meliores; nempe polum: et *vitiaverit,* pro *violaverit.* Idem. *Utrumque*] Plato in Timæo fabulam refert ad montanarum regionum incendia. In Phædone ad affectuum incontinentiam. Ita Clemens Alex. Stromat. 5. Lucianus in Astrologia, ad Solis cursum a Phaëthonte deprehensum, sed imperfecte relictum. Tertullianus ad conflagrationem Sodomæ. Ramires ad Heliam in curru igneo raptum. Pentecontarch. 26. Aliis ad temeraria Principum juvenum imperia. *Farn.*

296 *Atlas laborat*] Atlas mons Mauritaniæ, qui cœlum ideo sustinere dicitur, quod Atlas, qui in illum montem fertur transmutatus, primus omniam Astrologica scrutari cœperit. Vide Rhodigin. VII. 12. Vitruv. VI. 10. *Atlas*] Elegantem Atlantis descriptionem habemus Æneid. IV. 'jamque volans apicem et latera ardua cernit Atlantis duri, cœlum qui vertice fulcit: Atlantis, cinctum as-

Digitized by Google

sidue cui nubibus atris Piniferum caput, et vento pulsatur et imbri. Nix humeros infusa tegit: tum flumina mento Præcipitant senis, et glacie riget horrida barba.'

303 *Propioraque manibus antra*] Hoc est, speluncas inferis propiores.

306 *Summam petit arcem*] Cum sit altissimum in natura cœlum, est tamen in ipso aliquid altius illo; 'verticem cœli' vocat Virgil. *Pont.*

307 *Unde*] Ex qua arce. *Inducere*] Immittere: inde νεφεληγερέτα Ζεὺς, *nubicogus Jupiter*. Pont.

310 *Demitteret imbres*] *Dimitteret* scripti. *Heins.*

311 *Intonat*] Utcunque neget Lucretius lib. VI. 'Fulmina gignier e crassis, alteque putandum est Nubibus extructis: nam cœlo nulla sereno, Nec leviter densis mittuntur nubibus unquam.' 'Hic tamen emicuit cœlo tacitum sine nubibus ullis Fulmen,' Lucan. I. Et, 'Diespiter per purum tonantes Egit equos volucremque currum.' Horat. Od. I. 34. *Farn.* *Dextra ab aure*] Gestum tela mittentium exprimit. *Dextra libratum fulmen ab aure*] Respexit poëta ad Virgil. Æneid. IX. 'Ecce, aliud summa telum librabat ab aure:' ubi Servius: 'Duobus modis tela manibus emittuntur, vel ab aure vel a latere.'

312 *In aurigam*] Phaëthontem, currus Solis aurigam.

313 *Compescuit ignibus ignes*] 'Οξύμωρον. Ignis ignem potius auget: verum flamma valentior minus valentem oppressit; sicut infirmiora a robustioribus in natura subiguntur in eodem genere. *P.*

314 *Consternuntur equi*] *Consternantur* cum antiquioribus. Vide Notas I. 641. et *saltu facto*, non *verso*: et versu proximo *Colla jugo excutiunt*, non *eripiunt*. Heins.

315 *Excutiunt*] Ita Mss. elegantius, per Hypallagen, quam quod vulgo legitur, *eripiunt*. Farn.

320 *Volvitur in præceps*] In caput cadit.

323 *Quem procul a patria*] Longe enim Italia Padusque ab Æthiopia distant. *R.*

324 *Eridanus*] Fluvius Italiæ, qui alio nomine Padus dicitur. *Excipit*] Longe quippe ab Æthiopia distat Eridanus Italiæ fluv. max. 'Ἔνθα τοτ' ἀθαλόεντι τυπεὶς πρὸς στέρνα παραυτῷ, Ἠμιδαὴς Φαέθων πέσεν ἅρματος ἠελίοιο. Apollonius Arg. IV. *Farn.* *Fumantiaque abluit ora*] 'Fumantia corpora' denuo habes versu proximo: quare *spumantia ora* cum primo Mediceo rescribatur, ut de equis intelligamus. L. VI. 'dum certum flectit in orbem Quadrupedes cursus, spumantiaque ora coërcet.' Lib. VIII. 'stratis insignia pictis Terga premebat equi, spumantiaque ora regebat.' Æneid. XII. 'spumantia frænis Ora citatorum dextra contorsit equorum.' Certe Noricus *spumantia flamma corpora* versu proximo agnoscit. *Heins.*

Fab. II. et III. 325 *Naiades Hesperiæ*] Nymphæ Italicæ ac Occidentales. *Trifida flamma*] Fulmine, quod ita pingebatur. Ut enim tridens Neptuno, sic trifidum fulmen attribuitur Jovi. A triplici potestate sic dictum volunt: ferit enim, penetrat, et adurit. *R.*

326 *Signant quoque carmine factum*] *Signantque hoc carmine saxum* cum duobus Leidensibus: alii multi ex melioribus *signant quoque saxum*; proxime verum. Lib. VIII. 'Affusæque jacent tumulo, signataque saxo Nomina complexæ lacrymas in nomina fundunt.' Sic et 'aquas nomine signare.' Trist. I. 1. 90. Lucanus l. VIII. de Pompeii busto, 'Interea parvo signemus littora saxo.' *Heins.* *Carmine*] Epitaphio, eoque rite concepto inscriptoque. Situs enim est, qui combustus et tumulatus. Cicer. II. de legibus. *Farn.* Sig-

Digitized by Google

nant carmine saxum] Cippo et sepulchri saxo epitaphium inscribunt.

328 *Quem si non tenuit*] Huc alludit Seneca, cap. 21. de vita beata: 'Qui hoc facere proponet, volet, tentabit, ad Deos iter faciet: nisi ille, etiamsi non tenuerit, magnis tamen excidet ausis.' *Farn.*

329 *At pater obductos*] *Nam pater* vetustiores; et recte: sequitur enim, 'At Clymene.' Sic l. VI. 'Nam pater Amphiŏn:' et l. IV. 'Nam pater occiderat:' plurimi alii huc etiam alludunt, in quibus *Jam pater*. Heins.

335 *Percensuit*] Peragravit totum terrarum orbem.

340 *Nec minus Heliades lugent*] *Fletus* scribendum cum Urbinati, tertio Mediceo, primo Palatino, utroque Hamburgensi, priori Erfurtano, et aliis undecim. *Heins. Heliades*] Solis filiæ, ἀπὸ τοῦ ἡλίου, a Sole: quæ etiam a fratre *Phaëthontiades* appellatæ fuerunt. Earum nomina sunt Phaëthusa, Lampetia, Phœbe. Quæ cum fratrem per quatuor menses assidue flevissent, tandem Jovis miseratione in populos, vel, ut alii volunt, in alnos mutatæ sunt. Lachrymæ vero ipsarum, in succina seu electra conversæ fuere. *R.* Phaëthontis sorores: trium hic mentio. *Jo.* Tzetzes 137. Chil. IV. nominat quinque; Hyginus fab. 154. nominat septem. *Inania*] Sic Virgil. Æneid. VI. 'Animamque nepotis His saltem accumulem donis, et fungar inani Munere:' et Æneid. XI. 'vano mœsti comitamur honore.'

342 *Non auditurum*] Scilicet, miseras querelas Phaëthonta nocte dieque vocant. *Farn.*

344 *Luna quater junctis, &c.*] Quatuor menses transierant. Transit ad Metamorphosin Heliadum.

346 *E quis Phaëthusa*] Phaëthontis sorores alii in αἰγείρους, populos nigras, alii in alnos mutatas fuisse fabulantur. Virg. Eclog. VI. Æn. X. Tzetzes Chiliad. IV. 137. *Farn.*

356 *Nisi quo trahit*] *Trahat* meliores. *Heins.*

359 *Ramos abrumpit*] *Abrumpere* rectius Urbinas, Barberinianus, et unus Moreti. *Idem.*

361 *Parce, precor*] 'Quid miserum, Ænea, laceras? jam parce sepulto: Parce pias scelerare manus,' &c. Polydorus apud Virgil. Æneid. III.

363 *In verba novissima*] Hoc est, cortex os obducens verba Heliadum ultima occupavit.

364 *Inde fluunt*] Rem naturalem, ut solet, fabulæ accommodat. Quam vero arboris esse lacrymam volunt, Plin. XXXVII. 2. et 3. Solin. cap. 23. Ambrosius hexaëm. II. 15. Bituminis esse genus asserit Dalecampius ad 3. cap. XXXVII. lib. Plin. in Septentrionalium littorum tractu, e terra scaturiens, molle quidem, sed maris fluctibus et temporis diuturnitate durescere. Lege etiam Lucianum περὶ ἠλέκτρου. *Farn.*

365 *Electra*] Nomen inditum videtur a Sole, qui Homero ἠλέκτωρ. Homer. Iliad. Z. 513. Τεύχεσι παμφαίνων, ὅστ' ἠλέκτωρ, ἐβεβήκει. *Farn.*

366 *Nuribus Latinis*] Italis mulieribus.

FAB. IV. 367 *Affuit huic monstro*] Cygnus Stheneli filius, rex Liguriæ, Phaëthonti et sanguine materno et summa benevolentia devinctus, cum relicta Liguria ad Padi ripas venisset, multumque amici casum deflesset, in avem sui nominis fuit commutatus.

370 *Ligurum populos*] Liguria Italiæ regio est, inter amnes Varum et Macram sita, Thusciæ contermina, cujus caput Genua est.

374 *Collumque a pectore longe*] *Longum* rectius alii. Mox pro *Penna latus velat*, octo ex præstantioribus *vestit*. Virgilius in Ciri, 'Marmoreum volucri vestivit tegmine corpus.' *Heins.*

377 *Cycnus avis*] Cygnum Ligurum regem in Musicis claruisse refert

Digitized by Google

Pausanias in Atticis: sed in avem mutatum minime fide dignum videri, uti nec ipsam avem mortis suæ præsciam canere. Lege Lucian. περὶ τοῦ ἠλέκτρου καὶ τῶν κύκνων. *Nec se cæloque, Stagna*] Naturalem causam transfert ad fabulas. *Farn.*

Fab. v. et vi. 382 *Cum deficit orbi*] *Orbem* recte Florentinus S. Marci, et unus ex meis, cum priore Hamburgensi: alii *orbe* magno numero. Adi Notas Amor. lib. I. 8. 93. Apud Tibullum quoque III. 4. videtur scribendum de somno, 'sollicitas deficit ille domos:' *ante domos* nunc circumfertur: et apud Silium x. 192. 'non hasta viros, non deficit ensis:' cum contra mentem ejus *viro* nunc legatur. *Heins. Cum deficit*] Ubi deliquium et Eclipsin patitur, opaci Lunæ corporis interjectu obscuratus, neque tamen simul totum deficit orbem, sed partem.

385 *Officiumque negat*] Malim *negans*. Heins. *Officiumque*] Agendi currum, cujus beneficio illustratur orbis. *Farn.*

392 *Ignipedum equorum*] *Ignipedes equi* nescio an recte dicantur: quare fuit cum *æripedum* rescribi debere censerem: quale mendum et ex Martiali sustulimus Notis ad Epist. vi. 32. Sed Statius initio Thebaidos de Phœbo, 'ignipedum frenator equorum.' Prudentius tamen l. I. contra Symmachum vs. 350. de Solis equis, 'Cernuat ora senex barbatus et oscula figit Cruribus ænipedum, si fas est credere, equorum:' quomodo illic constanter editi ac scripti codices; nisi quod *æripedum* in nonnullis: quanquam illic de Solis statua agitur ænea. Vide Notas ad Epist. vi. 32. Quidam tamen scripti meliores, quos inter Florentinus S. Marci, Neap. Thuan. Bernegg. *igniferum*. Heins.

397 *Precibusque*] Juno infra l. iv. 472. 'Imperium, promissa, preces confundit in unum.' *Farn.*

398 *Colligit amentes*] Mihi trium horum versuum fides nonnihil est suspecta, tertii imprimis. Pro *dolens* alter Regius *domans:* duo alii *furens*. Heins.

405 *Arcadiæ suæ*] A se amatæ. Sive propter Maiam, quæ in Cyllene, ipsius Arcadiæ monte, Mercurium peperit; sive ad illud Poëta alludit, quod Arcades, non minus quam Cretenses, apud se natum esse Jovem contendunt. *Suæ*] Ubi natus est. Namque Cretenses, ortum sibi Jovis vindicantes, pro mendacibus rejicit Callimachus I. hymn. Ἐν δέ σε Παρβασίῃ Ῥείη τέκεν, &c. tradit idem Pausanias in Arcadicis.

406 *Audentia labi flumina*] *Audacia labi* unus Vossianus: sic apud Horatium, 'audax omnia perpeti.' Et apud Senecam Hercule Furenti, 'Audax ire vias irremeabiles:' et 'audax scandere fluctus' Statio Thebaidos l. II. *Heins.*

409 *In virgine Nonacrina*] Virginem Nonacrinam, appellat Callistonem Lycaonis filiam, quam cum vidisset Jupiter, ita excellenti ejus pulchritudine captus est, ut cum blanditiis ea potiri non posset, se finxerit Dianam, cujus Callisto fidissima comes erat. Hac igitur arte compressa ab Jove, cum Arcadem peperisset, in ursam ab Junone, ne iterum Jovi placeret, conversa est. Eam vero cum filius Arcas jam adultus in venatione ferire vellet, miseratione Jovis ambo in sidera fuere translati, ac juxta polum, qui ab ipsis Arcticus fuit cognominatus, collocati. *Nonacrina*] Nonacris et urbs et mons est Arcadiæ, unde Nonacrinus derivatur, et pro Arcadio per Synecdoch. ponitur.

412 *Variare comas*] Variis coloribus ornare, id quod lascivæ virgines maxime facere solent. *Ubi fibula vestem*] *Cui* in multis veterum: alii non pauci *sed:* novem *huic:* nil muto. *Heins.*

413 *Vitta*] Tegmen capitis, quo mulieres continent capillos. *Negleotos*] Impexos, inornatos.

Digitized by Google

415 *Miles erat Phœbes*] Dianæ. *Mænalon*] Mons Arcadiæ celeberrimus, et urbs clarissima a Mænalo Lycaonis filio condita. *Mænalon*] Montem Arcadiæ.

416 *Trivia*] Dianæ, quæ tres sortitur vias sub Zodiaco, secundum longitudinem, latitudinem, altitudinem; motu scilicet proprio nec non violento, ab Ecliptica devio, et Apsidalium: excentrico, in ἀπογείῳ et περιγείῳ. Sed vide quæ nos ad Hippolytum Senecæ vs. 411. quibus adde quæ habet Athenæus VII. 21. *Farn.*

417 *Ulterius spatium*] Meridiem jam pertransisse significat. *R.*

419 *Exuit hic humero pharetram*] Iterum videtur ad Virgil. Æneid. v. Poëta respicere: 'Hæc fatus, duplicem ex humeris rejecit amictum, Et magnos membrorum artus, magna ossa, lacertosque Exuit, atque ingens media consistit arena.' Ubi tamen τὸ exuere ad τὸ nudare etiam inclinat. *Exuit*] Deposuit. *Retendit*] Remittit, laxat arcum.

424 *Sunt o sunt jurgia tanti*] *Sunt o tua jurgia tanti*, Bernegg. duo alii, *sua jurgia*; in qua locutione multus est noster. *Heins.*

425 *Cultum*] Habitum et ornatum Dianæ.

427 *Cespite virgo*] 'Solo, quod texerat herba,' modo vs. 420.

433 *Se sine crimine*] Et vi virgini illata se prodit. *Farn.*

435 *Aspiceret utinam Saturnia*] Hæc per parenthesin Junoni a Poëta dicuntur in Callistus defensionem. *R.*

437 *Superum petit æthera victor*] 'Superum æthera,' Silius l. VIII. 'Hanc postquam in tristes Italum Saturnia pugnas Hortata est, celeri superum petit æthera curru.' *Heins.* *Victor*] Voti compos. *Farn.*

438 *Conscia sylva*] Stupri ab Jove illati.

441 *Dictynna*] Diana: ἀπὸ τῶν δικτύων, a retibus quibus usa venatrix Dea. Aliis, quod nomen hoc sibi assumere dignata est Diana in honorem et memoriam Britomartis comitis suæ, quæ Minoën præ amore insequentem cum fugeret, se in mare præcipitavit. Cretes postea, dira grassante peste, oraculo moniti virginis cadaver retibus e mari extraxere, atque Dianæ templum sub Dictynnæ nomine extructum dicavere. Diodor. l. VI. paulo aliter hanc fabulam in Corinthiacis. Aliis Dictynna est luna, ἀπὸ τοῦ δρᾶκειν τὰς δικτύνας: aliter etiam Anton. Liberalis c. 40. Βριτόμαρτις. *Farn.*

446 *Numerumque accessit ad harum*] *Numerosque* Florentinus S. Marci: sic in Amoribus, 'Auxisti numeros, culte Tibulle, pios.' Vide Notas ad Epist. VIII. 24. *Heins.*

453 *Orbe nono*] Nono mense.

454 *Cum Dea venatu*] *Venatrix* rectius in nonnullis antiquis. Minucius Octavio, 'Diana est interim alte succincta venatrix.' Hinc Ἄρτεμις ἀγροτέρα. *Heins.* *Fraternis languida, &c.*] Defessa fervoribus Solis sui fratris.

459 *Tingamus corpora*] Opinor Nasonem scripsisse *tingamur*: quales Græcismos in deliciis is passim habet. *Heins.*

460 *Parrhasis*] Callisto Arcadica: est autem Parrhasia regio Arcadiæ, ubi mons et sylva cognomines, quam a Parrhaso Lycaonis filio nomen habere tradit Stephanus.

464 *Sacros*] Fontes, quibus perennis erat scaturigo, numen habere credebantur.

465 *Cynthia*] Diana, a Cyntho Deli monte, ubi nata. *Farn.*

466 *Senserat hoc olim, &c.*] Jam pridem de hoc furto Jovis cognoverat Juno: sed ultionem in tempus aliud rejecerat.

468 *Arcas*] Videatur Germanicus Cæsar interpres Phænomenon Arati, et Natalis Comes IX. 9. *Farn.*

469 *De pellice*] De Callistone.

470 *Quo simul obvertit*] Postquam, inquit, convertit et oculos et animum

Digitized by Google

in Arcadem e Callistone natum, excandescere cœpit. *Quo*] In quem puerum.

471 *Hoc etiam restabat, adultera, dixit*] *Hoc unum* multi: alter Regius, *hoc unum restabat, adultera, nobis?* nam τὸ *dixit* mox denuo sequitur. Deinde *adimam tibi nempe*, pro *namque*, meliores. *Heins.*

476 *Adversa prensis a fronte capillis*] Plerique veteres *arreptum* vel *adversam*: Florentinus S. Marci, *aversam*: duo alii ex melioribus *aversa*. Lego *arreptis adversa fronte capillis*. Lib. IV. 'Hujus ut arreptum laniabat vertice crinem:' nisi mavis *arrepta prensis a fronte capillis*; ut l. IX. 'prensamque ipsis Dea sæva capillis Traxit.' *Idem.*

478 *Brachia*] Callisto, ut habet Palæphatus, venatrix erat: illa ingressa aliquando ursæ cubile, interfecta est ab ursa; quæ mox egressa, a Callistus comitatu in ursam mutata credebatur. Sed vide Pausaniam I. 4. Hyginum II. 1. Commentatorem in Arati Phænomena. *Farn.*

482 *Neve preces animos et verba precantia flectant*] Non video quid inter *preces* et *verba* intersit *precantia*. Quare censeo scribendum, *Neve truces animos per verba precantia flectat*: 'flectere feros animos' dixit similiter noster Epistola Phædræ. In Catalectis Pithœi de Ratione Tabulæ, 'Flecte truces animos; ut vere ludere possis:' perperam *Plecte* illic legitur. In uno tamen meo *verba superflua dicat*. Forte, *verba superflua ducant*. Heins.

489 *Sola sylva*] Deserta et ab hominibus non habitata.

493 *Oblita quid esset*] Oblita se esse ursam ac feram.

495 *Pater esset in illis*] Lycaonem enim Callistonis patrem in lupum fuisse conversum, l. I. narravit Poëta. *R.* Lycaon scilic. in ursum mutatus, ut l. I. *Farn.*

497 *Ter quinque ferens natalibus annos*] *Fere natalibus actis* prior Erfurtanus, Cantabrig. Langermann. et Calandræ Excerpta; quod probum est: idque in suis Constantius Fanensis quoque invenerat. Paulo ante cum eodem Langermanniano, Barberino, et duobus aliis *parenti* pro *parentes* rescribendum. Lib. VII. 'Jamque aderat Theseus proles ignara parenti.' *Heins. Ter quinque ferens, &c.*] Hoc est, annos quindecim natus.

499 *Erymanthidas*] Arcadicas. Erymanthus quippe Arcadiæ mons est, apro ab Hercule cæso celebris. *Farn.*

503 *Propiusque accedere fugit*] *Accedere aventi* bene Cantabrig. secundus Palat. primus Mediceus, Urbin. prior. Erfur. et sex alii; ut cum sequentibus hæc cohæreant: verbum id Lucretio familiare. Apud Horatium Sat. II. 6. 'urbis aventes Mœnia nocturni subrepere.' *Heins.*

506 *Inania*] Immensum vacuum Lucr. l. I. per spatium aërium, quod inane videtur. *Farn.*

509 *Canam*] Spumis, nec non ætate, ut quæ omnium rerum, imo ipsorum Deorum mater, Ὠκεανόν τε θεῶν γένεσιν, καὶ μητέρα Τηθύν unde et iis reverentia. Hom. Il. Ξ. *Farn. Ad canam Thetyn*] Thetys Cœli et Vestæ filia fuisse dicitur, uxor Oceani ac Junonis nutrix, multorumque Deorum mater. Et sæpe pro mari accipitur. *R.*

510 *Quorum reverentia*] Oceanus et Thetys magno in honore sunt apud omnes Deos, quia antiquissimi. Alter Deorum parens: altera mater sive nutrix. Vide Natal. VIII. 1. *R.*

513 *Sedibus hic adsim*] *Huc adsim* rectius nonnulli cum interrogationis nota. Mox *Mentiar* probe Lovaniensis liber, pro *Mentior*: vide de hac locutione, quæ infra l. III. 271. notamus. *Heins.*

516 *Circulus*] Circulus Arcticus: vide quæ ad vs. 45. l. I. *Farn. Illic ubi circulus axem*] Hoc est, ad polum septentrionalem, ubi est ultimus ac brevissimus circulus.

517 *Spatioque brevissimus ambit*]

Digitized by Google

Exit Berneggerianus, Rottendorphii, Thysii codices, et fragmentum Cantabrig. venuste: cum quarto casu Virgilius etiam posuit non semel. Statius Theb. VI. 'venientem cludit et exit Sponte ruens.' Et l. II. 'æthera tardo Lucifer exit equo.' Ibid. 'Achelous Echinadas exit.' Fulgentius Astronomico, 'metam Sol eminus exit:' sic et alii passim. *Heins.*

518 *Est vero*] Multi veterum *Est aliquid.* Putem, *Estne aliquid.* Florentinus S. Marci *Est vero quis qui.* Forte, *Estne ergo quis qui.* Mox *prosim* rectius quam *prosum* Rottendorph. *Heins.*

520 *O ego quantum egi*] *Ecce ago* tres antiqui: unus Mediceus *Ergo:* unus Patavinus *En ego.* Forte *Eia ego;* vel *Euge ego;* nisi quod tres alii *En ego;* recte, ni fallor: *εἰρωνικῶς.* *Idem.* *O ego quantum egi*] Ironicôs.

522 *Sontibus*] Nocentibus, pellicibusque meis.

523 *Vindicet antiquam faciem*] Restituat illi formam priorem, sicut et restituit suam Io nepti Phoronei e vacca in mulierem restitutæ, lib. I. 740. *Farn.*

524 *Quod in ante Phoronide*] Quod ante in Phoronide, id est, in Io Phoronidis nepte; quæ cum in vaccam Junonis metu fuisset conversa, humanæ tandem formæ a Jove fuit restituta.

526 *Socerumque Lycaona sumit*] *Sumat* plerique veteres: et tum scribatur cum quinque *collocet*, pro *collocat:* et *ducat*, pro *ducit*, cum tribus aliis. *Heins.*

527 *Tangit*] Commovet. *Alumna*] Nam Juno a Tethy fuit educata. *R.* Ita Juno, Iliad. Ξ. Οἵ μ' ἐν σφοῖσι δόμοισιν ἐὺ τρέφον ἠδ' ἀτίταλλον, Δεξάμενοι Ῥείης, ὅτε, &c. ratione Physica, quod ex aqua rarefacta et attenuata gignitur ac nutritur aër, cujus regionem infimam statuunt Junonem. *Farn.*

528 *Gurgite*] Ad fabulam traducit causam naturalem, quod sidera polo nobis elevato vicina non subeant horizontem, qui poëtis et vulgo mare. *Idem.* *Septem triones*] Majorem ursam cum Arctophylace, vel potius cum minore ursa.

529 *Sideraque in cœlum*] Optime *cœlo* egregius Thuaneæ bibliothecæ codex, cum secundo Mediceo, Neapolitano, Urbinati, et duobus aliis: est autem per appositionem dictum, 'cœlum stupri merces.' Pont. III. 3. 'Pro quibus exilium misero mihi reddita merces.' Plurimus est in hoc loquendi modo noster. Adi Notas Epist. VI. 146. *Heins.*

FAB. VII. 531 *Di maris annuerant*] Oceanus et Tethys nutu promiserant se prohibituros ne Septentriones mare descendant. *Habili Saturnia curru*] Scribe *agili;* quicquid membranæ veteres dissentiunt. Ponticus, 'Esseda nos agili sive tulere rota.' 'Levem currum' sæpe alibi dixit. Seneca Medea, 'Video Triviæ currus agiles.' Hæc jam scripseram typographo traditurus, cum in codice membraneo Grævii nostri *agili curru* exaratum offendi. *Heins.*

532 *Pavonibus pictis*] Quidam *junctis* non male. *Idem.* *Pavonibus*] Quorum caudas gemmis stellantibus ex Argi ocalis ornarat Juno. l. I. 723. Picti vero pavones proprie trahunt currum Junonis, propter variegatam et multicolorem aëris naturam: qua de causa et Iris eidem nuncia et ministra est. *Farn.*

533 *Tum nuper*] Repetitio παρασκευαστική ad connexionem seq. fabulæ. *Farn.*

534 *Quam tu nuper eras*] Corvus initio fuit candidus, sed quum ejus indicio Apollo cognovisset Coronida amicam cum alio quodam juvene rem habere, eamque sagittis interfecisset, puerumque Æsculapium exciso utero extraxisset, pœnitentia ductus, corvum indicem, sibi aliquid præmii sperantem, ex albo nigrum fecit.

537 *Sine labe*] Præter communem

Digitized by Google

notionem etiam significat ruinam, cladem, calamitatem. Ennius loc. inc. 'Metuo legionibus labem.' Et Virgil. Æneid. II. 'Hæc mihi prima mali labes.'

538 *Nec servaturis*] Allusum ad historiam quæ habetur apud Livium v. Gallos per noctis silentia ad summum Capitolii obsessi adscendisse, ita ut non custodes solum fallerent, sed et canes: anseres tamen clangore et strepitu alarum excitasse M. Manlium, dein alios, qui Gallos præcipites deturbarunt. *Farn. Servaturis Capitolia anseribus*] Ex Virgil. Æneid. VIII. 'Atque hic auratis volitans argenteus anser Porticibus, Gallos in limine adesse canebat.'

542 *Larissæa*] Ex Larissa Thessaliæ urbe, Achillis patria. *Farn. Larissæa Coronis*] Duæ fuerunt Coronides, quarum altera ab Apolline, altera a Neptuno fuit adamata.

543 *Æmonia*] Thessalia.

544 *Ales Phœbeius*] Corvus propter auguria, vaticinia, et præsagia Apollini sacer. *Farn.*

FAB. VIII. 551 *Quid fuerim*] Comes namque fui Minervæ. *Quid sim*] Nunc a comitatu Minervæ repulsa contemnor.

553 *Pallas*] De ortu Erichthonii e semine Vulcani, vim Minervæ parantis, in terram effuso obsignati, et tribus virginibus Cecropidis commendati, vide Lactantium de falsa religione I. 17. Antigonum ἱστοριῶν παραδόξων συναγωγῇ ιβ. Pausaniam in Atticis. Nomen illi fecerunt ἔρις cum Minerva, et χθὼν unde satus. Natal. Com. IV. 5. et IX. 11. *Farn.*

554 *Actæo*] Attico.

555 *Gemino de Cecrope*] Cecrops idcirco geminus ac biformis dicitur, quod ex parte homo, ex parte serpens fuisse perhibetur. Demosthenes ideo hoc fictum dicit, quod et prudentia in consiliis summa esset; et in rebus agendis, viribus ac audacia uteretur. Unde et Athenienses Cecropidæ vocantur. Ei tres fuerunt filiæ, Pandrosos, Herse, Agraulos: vel, ut alii leg. Aglauros. *R. Gemino*] Cecrops διφυὴς dictus, vel, quia ex Sai urbe Ægypti advena Athenis primus regnavit, utriusque linguæ: vel quia primus marem fœminæ matrimonio junxit, ut auctor est Justin. l. II. Tzetzes in Lycophronem. *Farn.*

556 *Servandum dederat, sic inconfessa quid esset*] *Servandum* probe meliores: præterea nonnulli, *sed non confessa*. Bernegger. *tamen inconfessa;* duo *nec eis confessa;* alii *sed enim inconfessa:* cæterum a priore Regio, priore Erfurtano, et aliis duobus abest hic versus: et est profecto tollendus, quod adstruunt primus Vaticanus, Urbinas, et sex alii, in quibus versu proximo *Hanc legem dederat*, pro *Et legem dederat*, scriptum occurrit. Si versum hunc admittis, proxime legendum, *Et legem addiderat*, ne quem offendat ociosa repetitio τοῦ *dederat:* sed præstat omnino deleri versum, quem dixi. *Heins.*

558 *Duæ sine*] Antigonus ἱστορῶν παραδόξων συναγωγῇ refert Agraulon (sic enim nominat Aglauron) et Pandroson cistam aperuisse, et conspexisse circa Erichthonium duos serpentes; quod negant alii. *Farn.*

560 *Nodosque manu diducit*] *Deducit* veteres plerique: an *seducit?* Mox *at intus*, non *et*, Junianus. *Heins.*

562 *Acta Deæ refero*] Gesta a Cecropis filiabus Minervæ nuncio.

563 *Ut dicar*] Cornicem ob garrulitatem aversatur prudentiæ Dea. In Minervæ templis lucisque raro, Athenis omnino non adspicitur. Plin. X. 12.

564 *Noctis avem*] Noctuam, quæ Minervæ sacra, quia noctivida in tenebris perspicit: ales noctis, quam Euphrone dicta; namque ἐν νύκτῃ βουλή· ut et propter oculos cæsios, qui illi cum Minerva communes, quæ et ipsa γλαυκῶπις. Quin et frequens est Athenis urbi Minervæ. *Farn.*

Digitized by Google

587 *Me petiit: ipsa licet hoc ex Pallade queras*] Hic denuo mirifice turbant libri veteres. Piget diversas lectiones adscribere, quod constet vulgatam esse incorruptam. Non potuerunt nimirum ferre produci postremam in *petiit* syllabam insciti librarii: hoc errori ansam dedit. Atqui nihil magis usitatum optimis poëtis esse, atque adeo Nasoni ipsi, jam supra ostendimus I. 114. *Heins.*

560 *Nam me Phocaica*] Phocis regio est Græciæ, finitima Atticæ: unde Phocaicus deducitur.

579 *Pro Virgine Virgo*] Pallas, perpetua gaudens virginitate.

583 *Inque cutem radices fixerat imas*] *Egerat* meliores magno numero; quod magis Latinum. Remed. Amor. 'Et mala radices altius arbor agit.' *Heins.*

587 *Sed summa*] Malim *Et* cum Arondeliano. *Idem.*

590 *Nyctemene*] Nyctei regis Lesbi filia, quæ patris amore capta, incesti pœnas dedit, in noctuam mutata: hinc lucifuga, ab avibus, interdiu si prodeat, incessitur. *Farn.*

FAB. IX. 591 *Per totam Lesbon*] Insula est Ægæi maris, a conditore sic denominata.

597 *Nos vanum spernimus omen*] Sapientes viri et Heroës etiam antiquitus omina vana spreverunt. Hector apud Homer. Iliad. M. 253. Εἷς οἰωνὸς ἄριστος, ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης. Quem versiculum Sil. Ital. lib. v. sic reddidit: 'sed magnus in hostem Augur adest ensis, pulcrumque et milite dignum Auspicium Latio quod in armis dextera præstat.' Cicero quoque vers. Homer. hunc repetit in Epist. 3. lib. II. ad Attic. item in Cat. M. de Senect. de Q. Maximo dicit: 'qui augur cum esset, ausum fuisse eloqui, optimis auspiciis ea geri, quæ pro Reipublicæ salute gererentur; quæ contra remp. fierent, contra auspicia fieri.' Apud Lucan. lib. IX. vox digna Catone auditur: 'me non oracula certum Sed mors certa facit; pavido fortique cadendum est. Hoc satis est dixisse Jovem.' Ἄριστη μάντις ἡ εὐβουλία. Eurip. Helen.

598 *Dominoque*] Apollini.

599 *Cum juvene*] Thessalio, scilicet Lathye. *R.*

608 *Arma assueta capit*] *Rapit* Mediceus unus ex melioribus: quod impetum indignantis animi pulchre exprimit. Lib. v. 'quos ille tetenderat arcus Arripit.' Artis lib. III. 'Juveniliter arcum Corripit.' *Heins.*

609 *Duo nunc moriemur*] Et ego et infans in utero conceptus.

614 *Odit avem*] Corvum. *Crimen*] Coronidis concubitum cum Æmonio juvene.

615 *Nec non arcumque manumque*] *Nervumque arcumque* Urbinas, et pro diversa lectione Cantabrigiensis; sed nihil necesse. *Heins.*

619 *Rogumque parari vidit*] *Sensit* Scholiastes Statii Theb. VI. et mox pro *Ora licet lacrymis, Ora decet* idem Scholiastes: quod Basileensis unus confirmat. In Fastis lib. IV. 'neque enim lacrymare decorum est.' *Idem.*

624 *Dextra libratus ab aure*] Respicit poëta ad Virgil. Æneid. v. 'Dixit, et adversi contra stetit ora juvenci, Qui donum astabat pugnæ: durosque reducta Libravit dextra media inter cornua cestus Arduus,' &c. et alibi, quod paulo ante habuimus.

626 *Ingratos odores*] Virg. 'Ingrato cineri.' Munus flebile, et triste ministerium.

627 *Injustaque*] Quorum se ingratum injustumque damnabat auctorem. Jacobus Bononiensis interpretatur parvas extemporales exequias: legitque, *injustaque busta*; minus recte: est enim ἀξύμωρον justa injusta. Vide Jo. Ger. Vossium lib. v. Instit. Rhetor. *F.*

629 *Natum*] Æsculapium.

630 *Geminique*] Ἀνθρώπου μέχρις ὀμφαλοῦ ἵππου τὰ κάτω μέρη, &c. Jo. Tzetzes Chil. 94. lib. VII. ut qui natus fuerit a Saturno in forma equi ex

Digitized by Google

Philyra. Chirurgia quippe, quam et primi exercebant medici, non ad homines solum, sed ad jumenta se extendebat, erantque iidem medici, chirurgi, veterinarii. Centaurus erat, sed justus, artis medicæ, equestris, venatoriæ peritissimus, nec non Astronomiæ et Musicæ. *Farn.* *Chironis*] Qui Chiron *geminus* dicitur. Nam ex parte anteriori homo, ex posteriore equus videbatur.

632 *Consistere corvum*] *Considere* Neapolitanus et Mediceus secundus; ut jam libro I. 307. diximus: et sic forte legendum libro XI. 'Nec tamen hac profugum considere Pelea' terra Fata sinunt:' ut apud Virgil. 'Vultis et his mecum pariter considere regnis?' Et, 'Non venit in mentem, quorum consederis arvis?' Propertius, 'licet Atraciis consederis oris.' *Heins.*

FAB. X. 633 *Semifer*] Chiron semiferus. *Divinæ stirpis alumno*] Æsculapio Apollinis filio. *R.*

635 *Ecce venit rutilis, &c.*] Ocyrhoë, Chironis ex Nympha quadam Caici fluvii filia, quum fatorum arcana reseraret, Jovis ira in equam fuit conversa.

636 *Nympha Chariclo*] Ita Politianus et Naugerius ex Pindaro et Scholiaste Apollonii. Antea legebatur *Cayci*, quod in plerisque scriptis extat, idque miror Viviano arrisisse. *Chariclo* decem nostri ex melioribus; quod et alii ante nos in suis exemplaribus invenerant; unde exigua mutatione *Chariclo* nata: secundus Palat. *Charipto:* quintus *Caristo: Carista* Cantabrig. Alia Chariclo Callimachi et Apollodori, quæ Tiresiam ex Evere peperit. *Heins.*

637 *Fluminis in rapidi ripis enixa*] Censeo scribendum *Fluminis in patrii ripis*, ut fluminis filiam fuisse designet. Sic lib. IX. 'Hic tibi dum sequitur patriæ curvamina ripæ Cognita Cyanee.' Propertius Eleg. I. 2. 'Evemi patriis filia littoribus.' Horatius Od. I. 20. 'paterni fluminis ripas' Tybrim vocat. Noster Met. I. 'Venerat et patrias, ubi ludere sæpe solebat, Inachis ad ripas.' Adi Notas lib. I. 762. *Idem.*

638 *Ocyrhoën*] Quæ fuit Nympha, Oceani et Tethyos filia, sic dicta ab ὠκὺς, *celer*, et ῥοὴ, *fluxus*: est enim velox fluvius. *R.* *Artes paternas*] Medicinam, Astronomiam, Musicam. *Farn.*

640 *Vaticinos furores*] *Faticinos* cum melioribus: nisi quod τὸ *fatidicos* Urbinatis libri magis arridet; quia 'canebat' præcessit. *Heins.*

641 *Incaluitque Deo*] Spiritu divino. *Deo*] Ἐνθουσιασμῷ, afflatu divino, quo de vide quæ nos ad Æneid. VI. et ad Lucan. V. 80. *Farn.*

642 *Totique salutifer orbi*] Æsculapius enim adeo præstans in Medicina fuit, ut etiam Hippolytum ab inferis revocaverit; propter quod a Jove fulmine fuit exstinctus, ac postea Deus effectus. *R.*

645 *Diis*] Plutone scilicet querente, et Jove indignante, Hippolytum ab equis discerptum restitui ab Æsculapio in vitam posse: 'Ipse repertorem medicinæ talis et artis Fulmine Phœbigenam Stygias detrusit ad undas.' Virgil. Æneid. VII. 'Æsculapius et ipse, non sine flagitio Apollinis natus, quid fecit aliud divinis honoribus dignum, nisi quod sanavit Hippolytum? mortem sane habuit clariorem, quod a Deo meruit fulminari.' Lactant. lib. I. de falsa relig. c. 10.

648 *Et bis tua*] Primo, e matris morientis utero raptus; secundo, ubi a fulminis conflagratione reviviscens divinitatem consecutus es. *Farn.*

649 *Tu quoque, chare pater*] Patri quoque Chironi Ocyrhoë exitum prædicit. Nam Chiron non tantum Centaurorum justissimus, sed et cæteros homines justitia dicitur superasse: quum Herculem hospitio suscepisset, sagittasque hydræ sanguine tinctas manibus tractaret, una earum e manibus lapsa, pedem ipsius percussit, ip-

Digitized by Google

sumque tantis doloribus affecit, ut nono die miseratione Deorum in astra fuerit sublatus. *R.* *Nunc immortalis*] *Non jam mortalis* castigatiores. *Heins.*

652 *Sanguine serpentis*] Hydræ, quæ cum centum capita haberet, ab Hercule fuit interfecta, ejus sanguine Herculis sagittæ tinctæ insanabilia vulnera inferebant.

654 *Triplicesque Deæ tua fila resolvent*] Alter Regius *revolvent*. *εἰς τοὐναντίον τρέφειν τὸν ἄτρακτον.* Luciani *Ζεὺς ἐλεγχόμενος.* Propertius IV. 7. 'Juro ego fatorum nulli revolubile stamen, Tergeminumque canem; sic mihi molle sonet:' ita scribendi isti versus: nam vulgati *revocabile carmen*, et *Tergeminusque canis:* vetusti codices, *revolubile carmen.* Silius lib. II. de Penelope, 'Fallacis toties revoluto stamine telæ.' Statius Theb. VII. 'immites scis nulla revolvere Parcas Stamina.' Seneca Hercule Furenti, 'Duræ peragunt pensa sorores, Nec sua retro fila revolvunt.' 'Retexere' dixit Noster Met. X. 'Eurydices, oro, properata retexite fila:' non ut in vulgatis legitur, *fata:* 'renere' in Fastis; de quo verbo vide quæ notamus Epicedio Drusi 444. 'iterata pensa sororum' Statio Theb. VIII. Lucano, 'repetita sororum fila.' Hoc tamen Nasonis loco a vulgata lectione non est temere recedendum; ut 'fila resolvent,' pro secabunt, dixerit. *Heins.*

657 *Atque ita, Prævertunt me*] Occupant et impediunt. Nam in fatis erat, ut verteretur in equam. *R.* *Prævertunt, inquit, mea fata*] *Me, inquit, mea fata*, plerique veteres: sex, *prævertunt, inquit, me fata:* recte. *Heins.*

663 *Cognataque pectora*] *Corpora* ex melioribus. Mox pro *confusaque verba fuerunt*, primus Palat. et sex aut septem alii, *fuere.* Placebat aliquando *feruntur:* ut supra hoc libro, 'vox iracunda, minaxque, Plenaque terroris rauco de gutture, fertur.' *Heins.*

675 *Nomen quoque*] Εὐίππη jam dicta, quæ prius Ocyrhoë. Julius Pollux l. IV. Εὐίππη ἡ Χείρωνος, ὑπαλλατομένη εἰς ἵππον παρ' Εὐριπίδῃ. Vide Jan. Parrhas. Epist. VII. *Monstra dederunt*] *Dedere* denuo meliores. Præcedenti versu post *novatæ*, *τὸ est* multi codices non agnoscunt. Lege *novata.* Heins.

FAB. XI. Arg. *Flebat, opemque tuam, &c.*] Mutationem Batti in lapidem indicem, superiori fabulæ poëta annectit. Nam Apollo, quum ob pulsatos interfectosque Cyclopas, quod Jovi fulmen contra Æsculapium suppeditassent, divinitate privatus, Admeti regis Thessaliæ armenta in pastorali habitu pasceret; Mercurius boves quæ longius forte processerant, furto abactas in sylva occultavit, Battoque cuidam equarum custodi, a quo uno visus fuerat, mandavit, ne cuiquam illud furtum indicaret: quod quidem ut libentius faceret, vaccam ei pulcherrimam dono dedit. Battus vero ei pollicitus est, se nunquam alicui vaccas illas indicaturum: et lapidem proximum ibi celerius quam se quicquam indicaturum. Mercurius, ut hominis experiretur fidem, suscepta alia figura ad eum paulo post rediit, rogans an vaccas quasdam illac transeuntes vidisset; pollicensque si indicaret se vaccam cum tauro daturum. Quod cum accepisset Battus, sub quo monte boves pascerentur indicavit: quam ob perfidiam eum Mercurius in lapidem, qui Index dicitur, commutavit.

676 *Philyreius heros*] Chiron, Philyræ ex Saturno filius. *Farn.*

677 *Nam nec rescindere magni*] Alii *jam nec*, vel *nec jam:* quatuor *sed nec;* quod arridet. *Heins.* *Rescindere*] Mutare, rumpere.

679 *Elim*] Urbs Peloponnesi est Elis, ab Eleo Tantali filio sic appellata: vel ut alii, ab Eleo Neptuni filio. Altera est Arcadiæ; tertia Hispaniæ. *Messeniaque arva*] Messena

Digitized by Google

et regio et urbs fuit Peloponnesi, Pylo propinqua, juxta quam Amphrysus labitur. Est et Messene urbs Siciliæ, unde Messenius derivatur.

681 *Onusque fuit baculus silvestris olivæ*] *Baculum silvestre sinistræ* Florentinus S. Marci, et secundus Palatinus, quod et Politianus in ora codicis sui ex veteri libro notarat, teste Carolo Viviano; et ego in Excerptis optimi codicis Leodicensis inveni: neque aliam lectionem sensus admittit. Hinc fit, ut in nonnullis exemplaribus minus castigatis ab interpolatrici manu scriptum occurrat, *onusque fuit dextræ silvestris olivæ*: vel, *onus dextræ baculus silvestris olivæ*: in nonnullis codicibus erasa vetus est scriptura. Vulgatam certe lectionem si tuemur, non est cui respondeat τὸ *alterius*, quod de dextra intelligendum. Tam *baculum* quam *baculus* dicebatur optimis scriptoribus: infra hoc ipso libro idem optimus Florentinus S. Marci, quo vetustiorem non vidi, 'baculumque capit, quod spinea totum Vincula cingebant:' ubi *quem* in vulgatis. Lib. xv. de Æsculapio, 'baculumque tenens agreste sinistra:' quod mire confirmat nostram lectionem. Silius lib. xiii. 'Pastorale Deo baculum, pellisque sinistrum Velat grata latus teneræ de corpore damæ.' Nec dubito, quin libro primo Fast. pari modo sit scribendum, 'Tum Deus incumbens baculo, quod dextra gerebat;' etsi manu exarati codices pro vulgata stant. *Heins.*

682 *Septenis fistula cannis*] Vetustiores *e septem cannis*. Idem.

685 *Atlantide Maia Natus*] *Atlantide matre* prior Regius, opt. Thuan. Bernegger. Cantabrig. et primus Gronovii: ut τὸ *Maia* ex Glossemate irrepserit. *Idem.*

686 *Arte sua*] Furto scilicet gratuito, utique canit Horat. Od. i. 10. 'jocoso:' quem locum huic consonum lege. *Abactus*] Baculas duodecim, boves centum, taurumque armenti virum, abegisse Mercurium refert Ant. Liberalis Metam. 28. *Farn.*

687 *Natus in illo Rure*] Libri veteres *notus*; recte: nam 'natus' præcesserat. *Heins.*

688 *Battum vicinia tota vocabat*] Alii *vicina hunc rura vocabant*, vel *vicinia rura vocabant*. Florentinus S. Marci *vicinaque tota vocabant*. Codex Urbinas, quartus Palat. et decem alii, *vicinia tota vocabant*; optime. Vide omnino Notas Fast. iii. 181. et quæ Remed. Amor. observamus vs. 164. Virgil. Georg. ii. 'Non eadem arboribus pendent vindemia: nostris.' Ita longe vetustissimus Mediceus liber. Sic apud Phædrum 'concursant familia;' quod perperam mutavit Rigaltius. Ausonius Periocha Iliad. iii. 'Argivos sua quemque acies in bella sequuntur.' Consule doctissimum Gronovium de Pecunia veteri, p. 169. *Idem.*

689 *Nelei*] Pater Nestoris fuit Neleus, rex Pyli. *R.*

690 *Nobiliumque*] Palmis in certaminibus. Virgil. Georg. i. 'Eliadum palmas Epeiros equarum.' *Farn.*

691 *Hunc tinuit; blandaque manu seduxit, et illi, Quisquis es, hospes ait*] *Hunc* et *illi* male cohærent, cum de eodem Batto agatur. Quare censeo reponendam vocem sæpe alibi corruptam, *et eia, Quisquis es, hospes, ait*; quam conjecturam confirmat, quod præcesserat, *blandaque manu seduxit*: certe unus Mediceus, *se ducit et ait*. Adi Notas lib. i. 591. Horat. Sat. i. 1. 'eia, Quid statis? nolunt: atqui licet esse beatis.' Et Sat. ii. 6. 'Eia, Ne prior officio quisquam respondeat, urge.' *Heins.*

696 *Tua furta loquetur*] *Loquantur* rectius nonnulli codices. *Idem.*

699 *Limite*] Pylios a Messeniis disterminante. *Farn.*

700 *Furtoque*] Furtum indica.

701 *Juncta suo pariter dabitur tibi*

Digitized by Google

fœmina tauro] *Pretium dabitur tibi fœmina* optimus Thuaneus; recte: supra dixerat simili locutione, 'nitidam cape præmia vaccam.' Plenus est horum Noster. Epist. Paridis, 'Di facerent, pretium magni certaminis esses.' Helenæ, 'Judicii pretium qua data dicar ego.' Adi quæ notamus, Epist. VI. 146. *Heins.*

703 *Montibus, inquit, eunt, et eunt sub montibus illis*] *Erant* utroque loco libri veteres; nisi quod Florentinus S. Marci, Neapolitanus, primus Vatic. secundus Palat. et quatuor alii, *Montibus, inquit, erunt, et erant;* verissime: quomodo in Observationibus jam vidit restituendum sagacissimus Gronovius noster. *Idem. Et erunt*] Allusum volunt ad Battum quendam ineptum poëtam, qui in versibus suis eadem identidem iterare solebat. Battum eadem verba titubanter repetentem deridet itidem Mercurius. Vide Erasmi adag. βαττολογία, et βατταρίζειν. *Farn.*

706 *Index*] Utrum viæ et milliarium? an utique metallorum? Lapis Lydius, Heraclius, index βάσανος. Ant. Liberalis dict. 23. Metamorph. Ἑρμῆς δὲ χαλεπήνας, ὅτι διχόμυθος ἦν, ἐράπισεν αὐτὸν τῇ ῥάβδῳ, καὶ μετέβαλεν εἰς πέτρον, &c. λέγεται δὲ καὶ ὁ τόπος παροδεύοντων ἄχρι νῦν σκοπία Βάττου. *Farn. Index*] Lapis, quo utimur ad aurum argentumque probandum. *R.*

FAB. XII. 709 *Munychiosque*] Munychia namque promontorium est Pyræei portus Atticæ, a Munycho dicta illa porticus, quia illic ædificavit templum Munychiæ Dianæ. Vide Joh. Scoppam l. I. c. 35. Tom. I. Critic. *Gratam Minervæ*] Periphrasis est Atticæ terræ, quæ Minervæ gratissima. *R. Munychiosque*] Atticos; juxta Athenas inter Piræeum et Sunium. Λόφος ἐστὶν ἡ Μουνυχία χερρονησίζων, &c. Strabo lib. IX. et Pausan. in Atticis.

710 *Lycæi*] Locus amœnus prope Athenas, a Lycio Pandionis filio nomen habens, ubi Athenienses deinde, operis præfecto Pericle, condiderant gymnasium. Frustra sunt qui vel Lycæum Arcadicum aut Corinthiacum hic somniant. *Farn. Culti Lycæi*] Exculti Aristotelicis disputationibus. Nam Lycæum est gymnasium Athenis, in quo deambulans Aristoteles de Philosophia disserebat. A Lyco Pandionis filio sic dictus ille locus. *R.*

711 *Illa forte*] In celeberrimo Palladis festo, cui hinc nomen κανηφόρια, virgines nobiles ac nubiles canistra ferebant Deæ, in quibus inerant ea quæ ad Panathenæorum et aliarum pomparum sacra pertinebant. Suidas: 'Ut Attica virgo Cum sacris Cereris,' Horat. Serm. II. 8. Nec non Cereris Thesmophoriis aliisque Orgiis, suæ κανηφόροι.

713 *Pura coronatis portabant sacra canistris*] Alii *Thura;* perperam: ut et *Plura* nonnulli et *Pulchra. Tecta* Constantius Fanensis ex veteri codice: alter codicum Rogerii Twisden, *Septa;* eleganter: sic lib. IV. sub finem, ex veteri codice, 'Esse locum solidæ septum munimine molis.' hinc 'sepes portarum' pro septo. Trist. I. 1. 81. Adi illic notas. Sic 'classem aggeribus septam,' et 'feram venantum corona septam,' et 'septam armis Didonem,' et 'feram pennæ formidine septam.' Virgilius dixit. Eidem Æneas 'nube septus:' et 'aëre septus' Jason Valerio Flacco, et 'septus in arcto leo' eidem Flacco. *H. Coronatis*] Corollis floreis redimita hæc canistra potius crediderim, quam esse ad marginem usque plena, quod de poculis dicitur. *Farn. Coronatis canistris, &c.*] Canephoria ea sacra vocata sunt, atque hinc ipsæ etiam virgines illæ nobiliores, κανηφόροι dicebantur. Natal. III. 18. et v. 13. *R.*

714 *Deus ales*] Mercurius citus. Omnium enim planetarum celerrime suum conficit cursum.

715 *Sed in orbem curvat eundem*] In orbem ideo volasse dicitur, ut diutius

Digitized by Google

aspectu Herses amatæ frueretur. *R.*

716 *Milvius*] *Milvus* meliores : jam dictum Amor. II. 6. 34. *Heins.*

719 *Spemque suam*] Exta victimarum, quam prædam sperat, et cui inhiat. *Pont.*

720 *Super Actæas arces*] Athenienses.

721 *Inclinat cursus*] Convertit volatus. *Circinat*] Circundat, et in gyrum volat.

723 *Quanto, quam Lucifer, aurea Phœbe*] *Quanto te, Lucifer*, Bernegger. prior Regius, et duo Medicei : placet. *Heins.*

727 *Balearica funda*] *Balearia* primus Vatican. Urbin. Neapol. aliique plurimi ; quomodo et codices variant l. IV. 709. *Heins.* *Balearica, &c.*] Qua Balearium insularum incolæ maxime utuntur. Baleares autem insulæ sunt duæ, Hispaniæ adjacentes, quarum incolæ optimi sunt funditores. *Plumbum*] Plumbeam pilam. *R.* *Balearica*] Balearium insulæ sub Hispania, hodie *Majorca* et *Minorca:* incolæ olim peritissimi funditores. *Farn.*

728 *Incandescit*] Motu scilicet et attritione aëris incandescit et liquefit. *Incandescit eundo*] Virg. IV. ' Liquescit.'

733 *Permulcet comas*] Pectit capillos.

736 *Talaria*] Redi ad Art. II. 644.

737 *Ebore et testudine cultos*] Ex præstantioribus nonnulli *comtos:* sic ' comti ebore ac vitro parietes ' Boëtio lib. I. Consol. Philos. Vulgata tamen lectio non est temere sollicitanda. Statius Theb. VI. ' varia formidine cultum Tollit in astra nefas :' ubi agit de Gorgoneo capite. *Heins.*

739 *Aglauros*] Quia Πάνδροσος atque Ἕρση nomen a rore habere videntur : sunt qui Ἀγραυλὸν etiam ab agris dici volunt, quasi agrestis et immitis : certe Antigonus ἱστοριῶν παραδόξων συναγωγῇ habet Ἀγραυλὸν, non Ἀγλαυρόν. Respice vs. 561. quæ nos ad illum.

743 *Qui jussa*] Διάκτορος, κῆρυξ, internuncius Deorum. Mercurius, inquit Arnobius, quasi quidam Medicurrius dictus est : quod inter loquentes duos media currat et reciprocetur oratio, &c. lib. III. advers. gentes. *Pont.*

752 *Luminis orbes*] *Orbem* meliores. *Heins.*

755 *Ægida*] Scutum seu loricam Jovi et Palladi propriam, τῆς αἰγὸς, capræ, vel potius squammoso draconis corio contectam, in qua Medusæ caput, homines in lapides convertens, lib. V. 180. *Subit*] Palladi in mentem venit. *Arcana*] Supra vs. 554. *Farn.* *Hanc*] Aglauron.

757 *Lemniacam stirpem*] *Lemnicolæ* Florentinus S. Marci, Thuan. Cantabrig. Neapol. et prior Erfurtanus. *Heins.* *Lemnicolæ stirpem*] Erichthonium filium Vulcani, qui in Lemnum insulam e cœlo cecidit. *R.*

758 *Ingratamque Deo fore jam ingratamque sorori*] Cantabrigiensis aliique duodecim, ut hiatus relinquatur, τὸ *jam* tollunt. Florent. S. Marci, primus Palat. Excerpta Theat. tertius Mediceus, Arond. et prior Hamburg. *Et gratamque Deo fore jam, gratamque sorori:* quod sequor, sensu postulante : nisi mavis, *Jam gratamque Deo fore, jam gratamque sorori;* cujus lectionis vestigia extant in Urbinati, Bernegger. secundo Palat. et uno Caroli Strozzæ : sed sincerior altera scriptura. *Heins.*

759 *Poposcerat*] *Poposcerit* cum uno Basileensi. *Idem.*

760 *Invidiæ tecto*] Plaut. Capteiv. III. 4. ' Est miserorum ut malvolentes sint, atque invideant bonis.' Pindar. Pyth. I. Κρέσσων γὰρ οἰκτιρμῶν φθόνος. Χαλεπὸν χορίων κύνα γεῦσαι. Theocrit. Idyll. X.

761 *Imis in vallibus hujus*] *Vallibus antri* præstantiores. *Heins.*

765 *Bello metuenda virago*] *Belli* optimus Thuan. Urbin. Bernegger. secundus Palatin. primus Bononiensis, alter Rogerii Twisden, Zulichemia-

Digitized by Google

nus et alter Hamburgensis; recte: tres alii *bellis*. Claudianus VI. Cons. Honorii, ex antiquo codice, 'gladlique tremendum Gurgite sidereo subterluit Oriona.' Martialis Epigr. VI. 64. 'nasique timendum Omnia crudelis lanius per compita portat;' sic veterrimum exemplar Thuaneæ bibliothecæ: nam vulgata *nasisque*. 'Mens interrita leti,' Met. X. *Idem*.

766 *Neque enim succederet, &c.*] Hoc est, Palladi, ut quæ est Dea, non licet Invidiæ domum ingredi. *R.*

771 *Surgit humo pigre*] *Pigra* meliores. *Heins.*

774 *Vultumque Deæ ad suspiria duxit*] *Vultumque ima*, primus Medic. primus Vatic. Bernegger. Florent. Cantabr. aliique multi ex præstantioribus; quæ lectio Viviano quoque arridebat. *Idem*. *Vultumque Deæ ad suspiria, &c.*] Ad vultum Deæ suspiria traxit. Quum enim vultum Deæ vidisset hilarem, formosam, ac decoram, invidia et dolore affecta, suspiravit. *R.*

778 *Nisi quem*] Nam alienis malis tanquam suis bonis lætatur, pascitque se *κακόχαρτος, ἐπιχαιρέκακος*.

779 *Vigilantibus excita curis*] *Vigilacibus* Florentinus S. Marci, Thuan. Bernegger. Cantabrigiensis, prior Erfurt. et prior Hamburgensis; quomodo et Politianus in suo codice notarat Viviano teste. Sic apud Propertium Eleg. IV. 7. 'Jamne tibi exciderunt vigilacis tecta suburræ;' ut libri veteres. 'Vigilaces canes' Columellæ l. VII. Ausonio in Ephemeridibus, 'vigilax hirundo.' Caius L. XVIII. D. de ædil. edict. 'Si constantem, aut laboriosum, aut curacem, aut vigilacem esse affirmaverit.' Vide Notas Amor. l. II. VI. 23. *Heins.*

780 *Intabescit*] Liquitur; paulatim consumitur. Quod Plautus explicat in Mercat. I. 1. 'Cor meum guttatim contabescit, cor miserum meum, quasi in aquam indideris salem.' Eurip. Androm. *τάκομαι ὡς πετρίνα πιδακόεσσα λίβας*.

781 *Carpitur*] Ὁ *φθόνος ἐστὶ κάκιστον· ἔχει δέ τι καλὸν ἐν αὐτῷ. Τήκει γὰρ φθονερῶν ὄμματα καὶ κραδίην*. *Farn.*

783 *Tritonia*] Vel a *Τριτὼ*, quod lingua Cretum *caput* significat; eo quod ex capite Jovis nata sit. *R.* Vel a palude Tritone Libyæ, juxta quam nata est, ubi 'Stagni quieta Vultus vidit aqua, posuitque in margine plantas, Et se dilecta Tritonida dixit ab unda,' Lucan. IX. 352. *Farn.*

788 *Murmura parva dedit*] Malim *rauca*: nam tertius Thuani *pauca*: tres aut quatuor alii *prava*: forte pro *rava*. Adi Festum in ea voce. Noster lib. XIV. 'pro verbis edere raucum murmur.' lib. XIII. 'missum rauco cum murmure saxum Morsibus insequitur.' Trist. III. 10. 'Et raucum Getico murmur in ore fuit.' Mox pro *successurumque Minervæ Indoluit*, Vivianus ex suis *successu namque*; quomodo primus Mediceus et alii nonnulli ex nostris: quidam ex præstantioribus *successibus atque* vel *successibus usque*: prior Regius, *successus namque*: Florentinus S. Marci, *successum utique* vel *utrique*. Videlicet *successumque* pro *successurumque* erat exaratum facili obvioque errore: hinc tot diversarum lectionum monstra propagata sunt. Argute: doluit successurum Minervæ mandatum de Pandroso invidiæ tabo inficienda. Neque aliter pro diversa lectione veterrimus primæ notæ Palat. *Heins.*

789 *Quem spinea tortum Vincula cingebant*] Jam supra monuimus ex Florentino S. Marci *quod* esse scribendum: *totum* etiam, non *tortum* præstantiores constanter. Τὸ *vincula* semper habui suspectum: in secundo Mediceo pro diversa lectione *cingula*. Forte, *quod spinea totum Ungula cingebat*; ut ipsas spinas vocet ungulas spineas a similitudine: 'hamatas,' videlicet, 'sentes,' quas mox dicet: et sane ungulæ erant tormenti genus, quo carnifices utebantur; 'sulcantes

Digitized by Google

ungulæ' dictæ in Cod. de Malefic. L. Etsi. 'bisulca' Prudentio περὶ στεφ. Hymno primo, 'Ille virgas et secures et bisulcas ungulas Ultro fortis expetebat:' et alibi non semel. Similis diversitas est apud eundem Passione Romani vs. 110. ubi alii codices *ungulis*, alii *vinculis*. Idem.

792 *Exuritque*] Urentibus oculis fascinat: 'uritque videndo.' *Summa*] Respicit tum naturam invidiæ, quæ summa petit, et pestilenti afflatu, 'Ceu fulmine summa vaporat,' Lucr. v. tum historias duas: Tarquinii Superbi summa papaverum capita baculo decutientis in horto coram nuntio misso sibi a filio Sexto qui simplices Gabios fefellerat. Liv. l. I. necnon Thrasybuli supereminentes spicas coram Periandri nuncio demetentis. Laërt. l. I. quod Periandrum fecisse coram Thrasybulo nuncio refert Aristot. Politic. III. *Farn.* *Summa papaveru carpit*] Sic vetustiores; alii *cacumina:* et mox pro *Ingeniisque opibusque*, alii *Ingenuis opibus:* meliores *Ingeniis opibusque*. Heins.

794 *Tritonida*] Athenas artibus, studiis, et pace florentes. *Farn.*

797 *Sed postquam, &c.*] Supra narravit, regiam habuisse tres thalamos, ebore et testudine cultos; quorum dexter Pandrosi, lævus Aglauri, medius Herses fuerit. Relictis itaque aliis, sinistrum ingreditur Invidia, effectum datura quod sibi Pallas mandaverat. *Pont.* *Cecrope*] Aglauri. *Farn.*

798 *Ferrugine*] Invidia, quæ ut rubigo ferrum, animum exedit. *Farn.* *Ferrugine*] Nigricante manu, quasi ferrugine imbuta. Ferri rubigo vocatur *ferrugo*. *Ferrugine*] Colorem obscurum et subnigrum hic intelligit: sic Poëta Metamorph. xv. 'Cærulus, et vultum ferrugine Lucifer atra ...Sparsus erat.' Statius, 'Ferruginea frons.' 'Ferrugineum nemus.' Κυάνεαι γανιάδες Argon. I. 'Viridem ferrugine barbam.' Statius. Plautus in Milite, IV. 4. 'Causiam habens ferrugineam: Palliolum ferrugineum.' Virg. VI. 'Cymbam ferrugineam' vocat. De 'Ferrugine Ibera' vide Servium.

802 *Neve mali causæ*] Ne causæ doloris longius absint, efficit ut felicitatem sororis semper ante oculos cum maximo dolore et cruciatu habere videatur.

805 *Cunctaque*] Objecti speciem ampliat, quo gravius irritetur doleatque. *Farn.*

806 *Cecropis*] Aglauros, Cecropis filia. *Mordetur*] Cruciatur.

808 *Liquitur*] Liquescit, atque ut nix ad Solem consumitur. *Incerto*] Vibrante radios modo remissiores, modo validiores. *Farn.*

809 *Felicisque bonis aliter non uritur Herses*] *Non lenius* plerique veteres: quidam *non levius:* quatuor *non aliter:* primus Basil. *non lentius*. Omnino scribendum *non secius;* ut apud Virgilium, 'Interea toto non secius aëre ningit:' et libro VII. 'Filius ardentes haud secius æquore campi Exercebat equos;' ubi *segnius* plurimi veteres: et lib. IX. ex optimis membranis, 'instat non secius, ac rotat ensem Fulmineum.' Silius lib. VI. 'At circumfusi non secius undique dextram Prensare.' Noster lib. VII. ex vestigiis veterum librorum, 'Copula detrahitur canibus, quos illa sequentes Effugit, et volucri non secius alite ludit.' Lib. X. ex antiquis libris, 'Quæ quanquam Scythica non secius ire sagitta Aonio visa est juveni:' utroque loco *segnius* nunc legitur; ut et lib. VIII. 'Ira feri mota est: nec fulmine secius arsit:' libro XI. 'trepidant haud secius omnes, Quam solet urbs, aliis murum fodientibus extra:' ita enim corrigo. Usitatus Æmilio Probo loquendi modus, nisi quod in vita Datamæ male etiamnum *nihilo segnius* pro *secius* legitur. Etiam apud Val. Flaccum lib. III. 'non secius ille Occupat arva furens:' *segius* scribebant librarii pro *secius;* hinc promanavit error, quanquam *setius* haud raro in veterrimis mem-

Digitized by Google

branis exaratum occurrat. Prudentius libro II. contra Symmachum, 'nec fluctus secius hosti Obsequitur, quam cum licita fert transtra carinæ:' et Hamartig. 'nec secius aurea dona Justorum dirimente Chao.' Columella III. 4. 'Id enim quasi caput et columen est impensarum, quoniam in eo consistit, melius an sequius terræ mandaverit paterfamilias pecuniam;' ita veterrimus liber, non *segnius*. Heins.

811 *Lenique tepore cremantur*] *Vapore* duo veteres; ut apud Maronem Æneid. v. 'lentusque carinas Est vapor.' *Heins.*

813 *Sæpe velut crimen rig. &c.*] Quasi in concubinatum Herse Mercurio se dare pararet; crimen hoc ad Cecropem parentem deferre, sororemque accusare decernit Aglauros. Morosum senem, 'rigidum' vocat. *Pont.*

816 *Jactanti*] Frustra dicenti. *Desine*] Me precibus et blandis verbis sollicitare. *Farn.*

819 *Cælatasque fores*] Quidam codices *Cælestique*. *Æratas* putabam olim scribendum, quanquam haud ignarus æreas virorum principum fores opere cælato insignes fuisse. Noster lib. II. Fastorum, 'Excipit ærata juvenem Collatia porta.' Claudianus tamen, 'Cælatasque fores mediisque volantia signa Nubibus.' *Heins.*

820 *Partes quascunque sedendo Flectimus*] *Flectitur* plerique veteres. Sed *Flectimur* vere primus Vaticanus, familiari poëtis Græcismo. Pruden. Psychomach. 'Nequicquam loris aurigâ comamque madentem Pulvere fœdatur;' ex vetustissimo codice Puteaneo: *fœdat humi* est in vulgatis. Mox ex iisdem membranis, 'Jam loculos ditata fidem spectabat inanes;' non *fide* cum libris editis. *Idem.*

822 *Pugnat se tollere*] *Se attollere* meliores. Mox pro *per ungues*, nonnulli *artus:* ut Epistola Hyperm. 'frigusque perambulat artus:' sed nil muta. Lucretius, lib. III. 'In pedibus primum digitos livescere et ungues; Inde pedes et crura mori: post inde per artus Ire alios tractim gelidi vestigia lethi.' *Idem. Recto trunco*] Erecto pectore. *Pugnat recto*] Contendit exurgere et se erigere. *Farn.*

823 *Rigat*] Rigida ac dura facta.

827 *Letalis hyems*] Mortiferum frigus.

828 *Respiramina*] Pulmonis respirationes.

831 *Signum exangue*] Statua sine sanguine. In statuam namque lapideam Aglauros fuit conversa. *Oraque*] Pausanias in Atticis scribit, Minervæ interdicto, ne depositam cistam curiose inspicerent, paruisse quidem Pandroson: reliquas sorores cistam resignasse, visoque Erichthonio, furiis agitatas ex præcipiti arcis loco se misisse. Quod de una earum intimasse videtur Noster in Diris in Ibin: 'Livida se scopulis ut virgo misit ab altis, Dixerat invito quæ mala verba Deo.' *Farn.*

FAB. XIII. 836 *Sevocat hunc genitor*] Jupiter, Europæ Agenoris Phœnicum regis filiæ amore captus, Mercurio ab Attica redeunti mandat, ut se quam primum in Phœniciam conferat, regisque armenta ad littus compellat, ibi namque cum aliis virginibus Europam spatiari viderat. Id vero quum effecisset Mercurius, omni deposita majestate, Jupiter in taurum se convertit, cujus dorsum post multas blanditias Europa ascendere ausa, in Cretam per mare ab Jove est advecta. *Sevocat*] Seorsim vocat.

838 *Subitoque celer delabere cursu*] *Solitoque* meliores. *Heins.*

839 *Tuam matrem tellus*] Periphrasis est Phœniciæ, quæ a parte sinistra Septentrionem versus subjicitur Pleiadibus, quarum una est Maia, Mercurii mater. *R. Sinistra*] Hæret hic interpretibus aqua, quibus sum-

Digitized by Google

mæ dividiæ ortæ, Qui fieri possit, ut Phœnices suspiciant Pleiades sinistras? Quas credo ita componi posse. Primum non hoc disertim dicit Poëta, Phœniciam suspicere Pleiadas a sinistra. Verum Amphibolia est. Namque et tellus Sidonis a sinistra sita poterat etiam suspicere Pleiadas. Deinde pro imaginaria et relativa cœli situs ratione, varie a variis gentibus considerata. Græcis quippe antica pars Septentrio, Romanis Meridies, ita tamen ut, licet anteriori corporis parte ad Austrum versi essent, faciem tamen versus Orientem flecterent. Ubi demonstrat Ant. Delrius in curis secundis ad Thyesten Senecæ vs. 697. Sic positis Phœnicia sinistra erit constellationi Pleiadum; contra, conversis, Pleiades sinistræ erunt ratione situs Phœniciæ. *Farn.*

845 *Virginibus Tyriis*] Tyrus a Tyrio Phœnicis filio dicta, et insula et urbs est Phœniciæ Sidoni vicina.

852 *Quam nec vestigia*] 'Et non calcata candidiora nive.' De Ponto II. *Farn.*

854 *Toris*] Pulpis. *Exstant*] Eminent. *Palearia*] Pelles crassiores ab armis colloque boum dependentes.

855 *Cornua parva quidem*] Atqui alta cornua et spatiosa laudantur in tauro: vide quæ ad vs. 20. libri proximi mox dicemus. Quare resigno *Cornua vara*, ut monui Amor. I. Eleg. 2. hoc est, quod Palladius IV. 11. de bobus: 'Cornibus robustis, ac sine curvaturæ pravitate lunatis.' *Heins.*

857 *Nec formidabile*] Nec oculi truces. *Farn.*

858 *Agenore*] Europa. Herodotus ipso in historiæ suæ limine refert Græcos quosdam, Cretenses postea nominat, raptam Io ulturos, navigasse in Phœniciam, inde inter alias Europam regis Agenoris filiam rapuisse. Navis insigne Taurus, vel, ut alii ferunt, dux prædonum Taurus, ansam dederunt fabulæ Europæ a Jove tauro raptæ. Sed vide Clariss. Seldeni Syntagma de Diis Syris II. 15. *Farn.*

863 *Vix jam vix cætera differt*] *Vix ah* plerique præstantiores: pri. Vatic. et duo alii *vix et vix*: secundus Mediceus *vix vix et cætera*. Lege, *vix vixque et cætera differt*. Fast. I. 'Vix est Evandri vixque retenta manus.' *Heins.*

866 *Nunc pectora præbet*] *Modo pectora* iidem præstantiores. *Idem.*

867 *Virginea plaudenda manu*] Ita meliores. Cæteri maxima ex parte *palpanda*: quomodo apud Prudentium περὶ στεφάν. Hymno Hippolyti, 'Non stabulis blandive manu palpata magistri, Ignara insueto subdere colla jugo:' quod Viviano tamen et Gebhardo nollem arrisisset. Sic 'plaudere equos,' manibus mulcere, passim apud auctores. *Idem.*

868 *Impedienda*] Ligenda, ornanda.

869 *Nescia quem*] Æneid. I. 'Gremio fovet, inscia Dido, Insidat quantus miseræ Deus.' *Farn.*

870 *Tum Deus*] Meliores *Cum Deus*: et mox *primis in undis*, non *primo*: et *cornum tenet* cum Prisciano *primus* Mediceus, pro *cornu*, ut et Calandræ Excerpta. *Heins.*

871 *Falsa pedum*] 'Quæque super pontum simulato vecta juvenco, Virginea tenuit cornua falsa manu.' Amor. I. 3. Lege Moschi Idyllion II. Anacreontis Europam, Horat. Od. III. 27. *Farn.*

Digitized by Google

METAMORPHOSEON LIB. III.

FAB. I. 2 *Se confessus erat*] Se manifestarat Jovem esse. *R.*

3 *Cum pater*] Agenor, ut quidam; ut alii, Phœnix. *Idem.* *Ignarus*] Ignorans a quo rapta esset, 'raptam tamen perquirere Cadmo,' &c. *Cadmo*] Nec soli Cadmo: namque idem mandavit filiis; Phœnici, qui in Africam profectus, ibi manebat, a quo Afri Pœni; et Cilici, a quo Cilices. Hygin. Fab. 178. Thasum filium ab Agenore missum addit Natal. Com. VIII. 23. *Farn.*

11 *Passa jugum*] Vaccis non secus ac bobus et tauris ad culturam agri utebantur prisci. *Farn.* *Immunis*] Expers, quæ nunquam traxerit aratrum, ἄζυγος.

13 *Mœnia fac condas*] *Ponas* secundus Palat. Noster in Fastis IV. 'ambigitur mœnia ponat uter.' Atque ita alibi passim. Silius Italicus initio lib. I. 'Tum pretio mercata locos nova mœnia ponit.' *Heins.* *Bœotiaque*] Ἀπὸ τῆς βοὸς regionem dici volunt: alii a Bœoto Neptuni et Arnes filio. Thebas vero urbem a Θήβη, quam Syra lingua bovem et vaccam significare volunt.

14 *Castalio*] Castalius quidem fons et mons est Phocidis inter Delphos et Parnassum, e cujus vicinia Delphicum oraculum hic intelligi vult. Cadmus, inquit Apollodorus l. III. Delphos de Europa Deum sciscitaturus contendit. Deus illi de Europa quærere interdixit: sed bove viæ duce, &c. Nonnus IV. 24. Δελφὸν ἀσιγήτοιο μεσόμφαλον ἄξονα Πειθοῦ. Et mox, Κασταλίης πάφλαζε νοήμονος ἔνθεον ὕδωρ. *Farn.*

17 *Presso gressu*] Represso et tardo, ne anteiret, sequitur vaccam.

19 *Cephisi*] Fl. Bœotiæ. *Panopesque*] Urbis Phocidos.

20 *Speciosam cornibus altis frontem*] *Spatiosam* libri veteres magno numero. Sic εὐρύκερως βοῦς Moscho in Europa, ὑψίκερως Ζεὺς Nonno, ubi agit de Jove in taurum mutato. *Heins.*

27 *Et petere e vivis*] Abesse a sacrificiis aqua non potest.

29 *Et specus in medio*] Alii rectius *Est.* Mox pro *ubi conditus antro*, malim *hoc* cum Neapolitano; nisi scribas *cui creditus antro.* Heins.

32 *Martius anguis*] Marti sacer, ὃν Ὠγυγίη ἐνὶ Θήβῃ Κάδμος, ὅτ' Εὐρώπην διζήμενος εἰσαφίκανε, Πέφνεν, Ἀρητιάδῃ κρήνῃ ἐπίπυρον ἐόντα. Apollon. Argonaut. III. 1177. Fontem hunc Aretiaden Marti fuisse sacrum testatur Pausanias in Bœoticis. Euripidi fons hic Dirce est. *Martius anguis*] Hujus serpentis, item fontis, etiam Pausanias meminit in Bœoticis. Ipse autem serpens, quem hic *Martium* appellat Ovidius, ab aliis proprio nomine *Dercyllus* dicitur, ut est videre in comment. Euripidis in Phœnissis. *Mic.*

34 *Tresque micant linguæ*] Otiosa et ingrata repetitio est τοῦ *micant*, quare amplector quod marginem Gryphianæ, Mycillianæ, ac Bersmannianæ editionum occupavit, haud dubie ex veteri libro depromtum, *Tresque vibrant linguæ.* Statius Theb. V. de serpente Archemori, 'Livida fax oculis: tumidi stat in ore veneni Spuma virens: ter lingua vibrat.' Virg. Æn. II. 'Sibila lambebant linguis vibrantibus ora:' ubi Servius: 'vibrantibus, mobilibus. Quia nullum animal tanta celeritate linguam movet: adeo ut triplicem habere videatur, cum

Digitized by Google

una sit.' Val. Flaccus I. 'tantoque silet possessa draconi Vellera, multifidas Regis quem filia linguas Vibrantem ex adytis cantu dapibusque vocabat.' Lucretius dixit l. III. 'lingua vibrante minantem Serpentem:' neque aliter passim poëtæ, quod pluribus exemplis adstrui posset et confirmari, si in re protrita juvaret nunc moras nectere aut exspatiari. Primam in 'vibrare' syllabam Catullus quoque corripit. *Heins.*

35 *Quem postquam*] Respexisse volunt Ovidium ad serpentem illum miræ magnitudinis, qui apud Bagradum fluv. Africæ Atilii Reguli exercitum usu amnis prohibuit, multis militibus correptis elisisque, de quo Plinius VIII. 14. A. Gellius VI. 4. Silius VI. Orosius IV. 8. alii. Mihi potius videtur imitatus Euripidem in Phœnissis, ubi Cadmi ipsius et serpentis habetur certamen. Lege Nonnum sub exitu l. IV. hoc idem referentem. *Farn.*

39 *Effluxere undæ manibus*] *Urnæ* longe elegantius pro diversa lectione Neapolitanus, unus Mediceus, et unus Gronovianus. Sic alibi 'Lora fluunt manibus.' *Heins.*

41 *Nexibus*] Nodis. *Orbes*] Spiras, quas serpentes cauda efficiunt.

42 *Immenso saltu*] Rectius *immensos in arcus* primus Vatic. Florent. aliique nonnulli; at Zulichemianus, *immensos altus sinuatur in arcus:* unus Medic. *immensos corpus sinuatur in arcus*, non inconcinno Græcismo. *Heins.*

44 *Tantoque est corpore*] Tam magnus, inquit, erat ille serpens, quantus est is qui inter duas ursas in cœlo spectatur. Est autem tantus ut fluvius esse videatur. Ut Virg. scribit.

45 *Geminas Arctos*] *Geminam Aroton* Arondelianus. *Heins.* *Geminas Arctos*] Duas et similes ursas. *R.* *Geminas*] Post tot notas Emphaticas, serpentis caput efferentis ex longo antro, torquentis orbes, sinuati in arcus, erecti in auras, despicientis omne nemus, quibus magnitudinem illius conjici voluit, Hyperbolice tandem comparat illum constellationi illius serpentis, 'Qui flexu sinuoso elabitur anguis Circum perque duas, in morem fluminis, Arctos.' Virg. Georg. I. *Farn.*

49 *Hoc necat afflatu funesta, hoc tabe veneni*] Alii *hoc funesta:* multi τὸ *hoc* non agnoscunt. Bernegg. secundus Palat. et tres alii, *afflati funesta tabe veneni:* recte; nisi quod *afflatos* vel *afflati veneni* malim. *Afflatos* certe unus Mediceus; alius *afflatus funesti veneni.* Silius lib. VI. in simili descriptione, 'tractæ fœda gravitate per auras Ac tabe afflatus volucres.' *Heins.* *Funesta tabe veneni*] Mortifera veneni sanie. *R.*

52 *Vestigat*] Per vestigia inquirit. *R.* *Tegimen derepta leonis*] Spolium leoninum virtutis est hieroglyphicum. Aliarum quoque generosarum animantium exuvias ac pelles, virtutis puta alumnos ac satellites sese ostentantes, antiqui heroës gestabant. *Pont.* *Tegimen direpta leonis*] *Derepta leoni* præstantiores. Similiter lib. XV. ex antiquis codicibus scribendum, 'derepta bicorni Terga capro.' Virgil. Æn. XI. ex veterrimo Mediceo, 'spolia occisis derepta Latinis Conjiciunt igni.' 'Erepta' dixit eodem libro, 'Cui pellis latos humeros erepta juvenco Pugnatori operit.' Et Statius Theb. IV. 'Quatuor indomitis Capaneus erepta juvencis Terga superque rigens injectum molis ahenæ Versat onus.' Idem libro primo, 'Tergora deripiunt costis.' Quæ illic vera est scriptura: ut et l. III. 'littore funem Deripere.' Silius lib. X. ex optimis membranis, 'fractaque conflictu parmarum tegmina, et ore Cornipedum derepta fero spumantia frena.' Libro eodem, 'ite ocyus, arma Deripite, o pubes, templis:' non *Diripite.* Libro XI. 'præda et captiva leguntur Corpora, dereptæque viris sub Marte

Digitized by Google

cruento Exuviæ,' ex optimis membranis: ut et l. XII. 'Antiquum decus et derepta monilia collo.' Sic scribe et apud Val. Flaccum lib. VI. 'Interdum blandæ derepta monilia diva Contrectat.' Et apud Horatium Od. III. 5. 'arma militibus sine cæde derepta.' Et 'amphoram deripere horreo' Od. III. 28. et Od. IV. 15. 'signa derepta Parthorum postibus,' et 'cœlo deripere sidera' Epod. V. quod 'devocare' dixit. Epod. XVII. Ibidem, 'polo Lunam deripere.' Noster l. VI. de Marsya, 'Clamanti cutis est summos derepta per artus.' Et in Ibide, 'Nudaque derepta pateant tua viscera pelle, Ut Phrygium cujus nomina flumen habet.' Vide Notas Amor. V. Eleg. 5. 18. et Met. XV. vs. 304. Sic 'pignus dereptum lacertis' apud Horatium Od. I. 9. ex antiquis codicibus. Noster l. VI. ex membranis, 'velamina Procne Deripit ex humeris.' *Heins.*

55 *Lethataque*] Letho data. *Farn.*

56 *Spatiosi corporis hostem*] Aut *tergoris* hic legendum, aut paulo post *fidissima pectora*, pro *corpora:* quod malim, ne delicatas aures merito offendat inconcinna iteratio ejusdem vocis. *Heins. Spatiosi tergoris*] Vastissimi: et de Remed. Amor. 'Spatiosum taurum' dixit. Spatium enim pro magnitudine et crassitudine ponitur; quod frequens est Latinis auctoribus. Hinc apud Juvenal. 'Spatium admirabile rhombi.' Cujus locutionis nomine, tam graves pœnas viro dare docto non debuit. Vide et vs. sequent. 95. Salmas. *R.*

59 *Molarem*] Saxum, quidem ingens, sed hyperbolice molarem dixit lapidem. Μάρμαρον εὐρυάλωνος ἐΰτροχον οὖρον ἀρούρης Ἵστατο κουφίζων κραναὸν βέλος. Nonn. Dionys. IV. 420. *Farn. Molarem*] Antiqui Heroës consumtis gladiis finguntur ad grandia confugere saxa, quibus hostem obterebant. Id quod ubique in Homero. στεῤῥῷ τυπέντι μύλῳ. Lycophr. Ennius annal. XV. 'Occumbunt moltei letum ferroque lapique.' Quod tamen Plautus improbat in Rud. III. 6. 'Quid ego, quasi canem, hominem insectarer lapidibus?'

60 *Magnum magno conamine misit*] Non male duodecim scripti, *et magno conamine misit in hostem*, nisi quod τὸ *hostem* paulo ante præcesserat. *Heins.*

63 *Atræ Duritia pellis*] Forte *hirtæ:* ut 'hirta dumis saxa' apud Horatium, et 'hirtæ sepes' apud Columellam. *Id.*

65 *Vicit*] Repulit: tunc enim jacula vinci dicuntur, cum repelluntur.

66 *Lentæ spinæ*] Flexibilis dorsi.

67 *Totum descendit in ilia ferrum*] Repone *toto ferro* ex Langermanniano et Urbinati, quod in suis quoque invenerat Constantius Fanensis. *Heins.*

69 *Fixumque*] More canum. Αἱ τοῖς λίθοις οἷς ἂν βληθῶσι χαλεπαίνουσι, τοῦ βάλλοντος οὐχ ἁπτόμενοι. Plato de Republ. V. *Farn.*

70 *Labefecit*] Labare fecit.

71 *Ossibus hæsit*] Præstantiores *hæret*. Heins.

77 *Ipse modo*] Quod ad mores attinet, lege mythologiam fab. Cadmi apud Delrium in Senecæ Œdipoden, vs. 747. Quoad historiam, Palæphatus lib. I. refert Cadmum interfecisse Dracona, regem Thebanorum, Martis filium; Draconis autem filios cum amicis contra Cadmum insurrexisse; qui tamen omnes viribus inferiores superati ab eo sunt, postquam discordiæ dissensionisque semina inter illos sparsisset. Sed et legatur Claud. Minos comment. ad Alciati emblem. 18. Vide quæ infra ad vs. 113. *Farn.*

78 *Longa trabe rectior adstat*] *Exstat* plerique. Urbinas et Thysianus *exit:* eleganter; hoc est, quod supra dixerat, 'immensos saltu sinuatur in arcus, Ac media plus parte leves erectus in auras Despicit omne nemus.' Statius Theb. VI. 'sic grandibus alte Insurgens humeris hominem super improbus exit.' *Heins.*

79 *Impete*] Pro impetu, metri causa.

Digitized by Google

80 *Perturbat pectore silvas*] *Proturbat* cum optimis. *Heins.* *Fertur*] Ruit. *Proturbat*] Prosternit.

83 *Cuspide prætenta*] Objecto jaculi ferro. *R.* *Inania*] Supra ad vs. 69. *Farn.*

84 *Figitque in acumine dentes*] *Frangitque* nervosius in secundo Palatino. Sic apud Persium, 'genuinum fregit in illis:' hoc est, attrivit. Et apud Lucanum l. x. 'Et frangit rabidum præmorso carcere dentem,' de fera caveæ inclusa. *Heins.* *In acumine*] In cuspide.

88 *Dabat retro*] Trahebat retro. *Plagamque sedere*] Hoc est, cedendo plagam in corpus descendere non permittebat. *R.* *Plagamque*] Recessu sibi cavebat ne plaga altius descenderet. *Farn.*

90 *Conjectum in guttura ferrum*] *Gutture* veteres. *Heins.*

92 *Cum robore*] Cum quercus stipite.

95 *Victor*] Cadmea utique victoria etiam victoribus infelix et damnosa. Καδμεία νίκη, inquit Suidas, λέγεται ἐπὶ τῶν κακῶς νικώντων, κ. τ. λ. ὅτι Κάδμος ἀνελὼν τὸν τὴν ἀρείαν κρήνην τηροῦντα δράκοντα ἐθητεύσεν. Ἄρει ὄκτω ἔτη. *Farn.*

98 *Et tu spectabere*] Regno pulsus ab Amphione et Zetho ad Illyrios transiit, ubi ipse cum uxore Hermione in serpentes transmutati sunt, lib. IV. vs. 565. Euripides in Bacchis. *Farn.*

99 *Cum voce colorem*] *Cum mente* potiores: minimum refert. *Heins.*

101 *Ecce viri fautrix*] Repentinum Palladis adventum illa particula *ecce* significat. Ac Ovidius quidem Palladis jussu dentes serpentis a Cadmo ait fuisse seminatos: Lysimachus vero, Marte jubente, narrat seminatos fuisse. Pherecydes autem scribit Martem ac Palladem serpentis illius dentes in duas partes æquales divisisse, alteramque Cadmo, alteram Æëtæ tradidisse, Cadmumque illos seminasse, ex quibus homines armati sint nati. *R.*

102 *Molæque*] Aratæ, vomere proscissæ.

103 *Incrementa*] Γένναν ὀδοντοφυῆ, Eurip. in Phœnissis; sarciendo suorum damno. *Farn.*

104 *Paret, et impresso*] Scribe, *et ut presso*, quod castigatiores agnoscunt: habes tamen apud Silium lib. III. 'impresso tellurem vertere aratro,' quomodo ille alibi quoque. *Heins.*

105 *Mortalia semina*] Hominum semina, non frugum. Nam homines armati ex illis dentibus orti finguntur. *R.* *Spargit*] Ὁ μὲν Ἀονίοισιν ἐνισπείρας πεδίοισι Κάδμος Ἀγηνορίδης γαιηγενῆ εἵσατο λαὸν Ἄρεος ἀμώοντος ὅσοι ὑπὸ δουρὶ λίποντο. Apollon. III. vs. 1184. Partem tamen dentium missam ad Æëten, vide l. VII. vs. 122. *Farn.*

108 *Tegmina mox capitum*] Periphrasis est galearum. *Picto cono*] Crista picta variis pennarum coloribus.

111 *Aulæa*] Ab aula Attali regis, ubi primum inventa sunt, fuere vocata. *Festis theatris*] In quibus ludi ac dies festi celebrantur. Theatra autem, cum ludi fiebant, aulæis ornabantur. *Tolluntur*] Surgunt, ubi evolvuntur aulæa parietibus affigenda. *Farn.*

112 *Primumque ostendere vultus*] *Vultum* Neapolitanus, et secundus Mediceus. *Heins.*

115 *Territus*] Cadmus, ubi armatos viros e terra exoriri conspexit, lapides inter eos conjecit: tum ii a se invicem feriri se existimantes mutuam inter se pugnam inierunt. Apollodorus l. III. ex Pherecyde. Hi, ut tradunt Mythologi, quum proximarum essent regionum, adversus Cadmum subito constiterunt, ac propter repentinos quasi de terra ortos conflictus, ex omni parte confluentes vocabantur Sparti, a σπείρω. *Farn.*

122 *Suoque*] Cadmus fertur ex Phœnicia advexisse primus literas in Græciam, Græcam characteribus expressisse linguam, ac rebus dedisse nomina.

Digitized by Google

Herodotus in Terpsichore. Diodorus lib. IV. et lib. VI. cap. de Rhodo. Hygin. c. 277. Polydorus Virgilius I. 6, alii. Erasmus serpentinos dentes interpretatur literas, quibus digladiantur inter se, conficiuntque se invicem seditiosi e literatis: lege Barpt. Anuli carmen in typograph. Lugdun, et quæ habet Claud. Minos ad Alciati Emblem. 185. interiisse sc. consonas mutua cæde, quinque vocalibus superstitibus: literas dici Cadmi filias notum est. *Farn.*

123 *Subiti fratres*] Subito nati.

125 *Tepido plangebant pectore matrem*] *Trepido pectore* Urbinas et decem alii: hoc est trepidanti, quod τῷ *plangebant* convenientius. Lib. VIII. 'Pectora tangebam trepido salientia motu.' Lib. XI. ut scribendum censeo, 'Plangitur et trepido constringit vincula motu.' Lib. IV. 'tremebunda videt pulsare cruentum Membra solum.' Et lib. I. 'Sentit adhuc trepidare novo sub cortice pectus.' Sic *trepidæ venæ* libro VII. de quibus videndæ notæ nostræ ad vs. 557. *Heins. Plangebant*] Percutiebant. Nam cadentes terram feriunt. *Plangebant pectore matrem*] Honeste ceciderunt, non in fuga deprensi: τρωτοῖς, non ὄπισθε. Id quod Noster a Virg. Æn. IX. 708. 'Collapsa ruunt immania membra, Dat tellus gemitum, et clypeum super intonat ingens,' &c. Virgil. ex Homero, Iliad. N. 181. Ὡς πέσον· ἀμφὶ δέ οἱ βράχε τεύχεα ποικίλα χαλκῷ.

126 *Quinque superstitibus*] Omnes namque viri illi armati mutuis vulneribus ceciderunt, præter hos quinque, Udæum, Chthonium, Pelorem, Hyperenorem, et Echionem: quos quidem Cadmus socios urbis condendæ habuit. Hi vero etiam σπαρτοί, hoc est, seminati, fuerunt appellati. Vide commentaria in Phœniss. Euripid.

129 *Sidonius hospes*] Cadmus Phœnix. Nam Sidon urbs est Phœniciæ.

130 *Junam urbem*] Thebas Bœotias. *Phœbeis sortibus*] Apollinis oraculis. *R.*

FAB. II. 131 *Jam stabant Thebæ*] Hæc idcirco narrantur, ut Actæonis in cervum transformatio concinnius cum superiore fabula jungatur. Thebæ autem fuerunt appellatæ, vel a Thebe, quæ lingua Syra *bovem* significat; vel a Thebe Ægypti urbe amplissima, unde Agenorem Cadmi patrem cum Phœnice fratre venisse, et apud Tyrum et Sidonem regnasse, auctor est Eusebius.

132 *Exitio felix*] *Exilii* ex suis Naugerius: quod et mihi arrideret, nisi nostri omnes miro consensu vulgatam scripturam tuerentur. L. V. 'Felicesque vocat pariter studiique locique Mnemonidas.' Ita et Virgilius non semel. *Heins. Soceri tibi Martisque Venusque*] Uxorem namque Hermionem duxit Cadmus, Martis Venerisque filiam. *Martisque*] Diodorus tamen lib. VI. scribit, Cadmum duxisse Harmoniam (quam alii vocant Hermionem) uxorem Jasii, non, ut Græci fabulantur, Martis sororem aut filiam: nuptias a Diis celebratas et dotatas. *Farn.*

133 *De conjuge tanta*] Quanta est Hermione Martis et Veneris filia, de qua Statius multa in Thebaidos l. II.

134 *Tot natos*] Filias quatuor, Ino, Semelen, Agaven, Autonoën; filium unum, Podonum: alii, Polydorum. *Nepotes*] Ex Ino, quæ nupsit Athamanti, Melicertam et Learchum; ex Semele et Jove, Bacchum; ex Agave et Echione, Pentheum; ex Autonoë et Aristæo, Actæona.

135 *Ultima*] Sententiam hanc Solonis ad Crœsum lege in Herodoti Clio copiose relatum. Χρὴ δὲ οὔτοι' εἰπεῖν οὐδὲ' ὄλβιον βροτῶν, Πρὶν ἂν θανόντος τὴν τελευταίαν ἴδῃς Ὅστις παρέσται ἡμέραν, ἥξει κάτω. Eurip. Andromach. Plinius VII. 40. Idem habet Sophocles in Œdipo Tyranno, alii complures. *Farn. Ultima semper Expectanda dies homini*] Sic Liv. dec. I.

Digitized by Google

lib. 9. 'Multos præclaros reges ac duces nil nisi longa vita vertenti præbuit fortunæ.' Vide etiam quæ Cicero de Pompeio, Academ. Quæst. Solon ad Crœsum, apud Plutarchum. Ὧδ' εἰς τέλος ὁ δαίμων ἔθετο τὴν εὐπραξίαν, τοῦτον εὐδαίμονα νομίζομεν.

139 *Alienaque*] Belluis nonnullis, non homini propria. Horat. I. Od. 3. 'Pennis non homini datis.' *Farn.*

140 *Canes satiati sanguine herili*] *Satiatæ* Neapol. primus, Vatic. secundus, Pal. sec. Medic. prior, Erfurtanus et tres alii: sic apud Horatium semper, idque ad exemplum Græcorum, apud quos κύων sæpe fœminino genere ponitur, maxime cum de venatu agitur. Ita Homerus Od. Υ. 14. Ὡς δὲ κύων ἀμαλῇσι περὶ σκυλάκεσσι βεβῶσα, Ἄνδρ' ἀγνοιήσασ' ὑλάει. Neque aliter Pollux, ubi varios canes recenset; et κύων Κρῆσσα Æliano Hist. Anim. III. 2. Sophocles Ajace, Oppianus Κυνηγετικῶν libris, atque alii passim. Ennio 'venatica velox:' 'animusque in pectore latrat, Ut solita est, quando vinclis venatica velox Apta silet:' ita scribendum. Sic 'canis Gortynia' Vario: Lucretio 'canes montivagæ:' 'canis taciturna' Gratio. Nostro Fast. IV. sub finem 'Obscœnæ exta canis,' quomodo et apud Virgilium Georg. I. veterrimus Mediceus, 'Obscœnæque canes importunæque volucres.' Et Æn. VII. 'rabidæ venantis Iuli Commovere canes.' Seneca Hippol. 'Mœstæque domini membra vestigant canes.' Rutilius Itinerario, 'Atque olidum doctas nosse cubile canes.' Noster Met. VII. ex optimo codice Ambrosiano, 'Copula detrahitur canibus, quas illa sequentes Effugit.' Pont. II. 2. ex scriptis probioris notæ, 'Quæ fugit infestas territa cerva canes.' Prudentius l. II. contra Symmachum, 'Sordida sus nostro amne natat, nostra intrat et ipsas Aura canes:' sic veterrimus codex. Noster denuo in Ibide ex antiquis libris, 'Et scindant avidæ perfida corda canes.' Lib. VII. Met. 'Echidnæam canem' vocat Cerberum. l. XI. ex antiquis itidem libris 'Sollicitas canes.' Et lib. XIV. ex veteri codice, 'timetque Ora proterva canum: sed quas fugit, attrahit una.' *Heins.*

144 *Jamque dies medius*] *Medias* secundus Pal. *Idem.*

145 *Utraque*] Oriente et occidente.

147 *Hyantius*] Bœotius. Bœotos Hyantas antiquitus dixere, inquit Plin. III. 7. *Farn.* *Hyantius*] Thebanus: Hyantes enim populi sunt Bœotiæ, qui et *Hyantii* appellantur. Hyantia etiam urbs est Locrorum, unde *Hyantius* derivatur. *R.*

148 *Lina*] Retia ex lino. *Farn.*

150 *Croceis*] Ἠὼς κροκόπεπλος.

151 *Repetemus opus*] *Repetamus* nonnulli. Sic Art. III. 'sed repetamus opus.' *Heins.*

152 *Distat idem*] *Spacium* subaudiatur. Ut intelligamus Solem ab utraque terra æquali spatio distare atque abesse ab oriente et occidente, per quod significat meridiem esse.

155 *Vallis*] Fontis Gargaphii in hac valle meminerunt Herodotus in Calliope, et Pausanias in Bœoticis, obstructum scil. fuisse a Persis in bello Persico, mox a Platæensibus restitutum.

157 *Nemorale*] Nemoribus tectum.

159 *Pumice vivo*] Naturali. Pumex autem lapis est levis, cavernosus, poliendis rebus accommodatus.

160 *Et levibus tophis*] Tophus lapis est cavernosus. *Duxerat*] Effecerat. *R.* *Et levibus*] Supra, vs. 30. 'Efficiens humilem lapidum compagibus arcum.'

162 *Patulos succinctus hiatus*] *Incinctus* meliores: recte; nam 'succinctæ Dianæ' præcesserat. *Heins.*

162 *Margine*] 'Viridi si margine clauderet undas Herba, nec ingenuum violarent marmora tophum.' Juvenal. Sat. 3. *Succinctus*] Circundatus. *Patulos hiatus*] Patentes ripas: hiare

Digitized by Google

enim videntur ripæ, ut fluvii alveum efficiant.

166 *Retentos*] Remissum arcum, laxatum. Callisto II. vs. 420. 'Exuit hic humero pharetram, lentosque retendit Arcus.' *Farn.*

168 *Vincla*] Cothurnos. Venus habitu venatricis assumpto. Æneid. I. 'Purpureoque alte suras vincire cothurno.'

169 *Ismenis*] Ismeni fluv. filia. Ex re adaptat nomina de Græco: κρουάλη calculus est litoralis, vel in imo fontis. *Farn.*

171 *Excipiunt laticem Nipheque*] *Nipteque* Bersmannus, ἀπὸ τοῦ νίπτεω. Sed recte vetustiores magno numero *Nepheleque*. Heins. *Laticem*] Aquam, a latendo, quod in terræ venis lateat. *R. Nipheque*] Quasi lotrix, a νίπτω. *Hyaleque*] Pellucida, ab ὕαλος, vitrum. *Rhaniseque*] A ῥαίνω, aspergo.

172 *Psecas*] A ψεκὰς, guttula roris. *Phiale*] Quæ quasi e φιάλη aut capaci urna perfundat Dominam.

173 *Titania*] Diana Titanii progenies, ut Sol Titan. *Farn.* Quæ eadem esse cum Luna putatur, quæ quidem ut Sol *Titan*, sic *Titania Titanisque* interdum a poëtis vocatur.

174 *Ecce nepos Cadmi*] Actæon.

175 *Per nemus ignotum*] Hic versus in Florentino primæ notæ, Neapolitano, ac Mediceo secundo manu recentiori margini erat adscriptus: qui proinde suspectus est habendus. *Heins.*

177 *Rorantia*] Madentia. *R.*

183 *Qui color*] Pudicitiæ tenerum florem, et expressum. Verecundiæ tincturam comparat Iridis rubori et Auroræ, quæ φόβος τὶς δόξας, πάθει μᾶλλον ἔοικεν ἢ ἕξει, &c. Aristot. Ethic. IV. 9. Suffusus a corde per arterias spiritalis sanguis, ad phantasiam sublatus, inde cerebri frigiditate repercussus deorsum fertur et per ora diffunditur. Vide Macrob. Sat. VII. 2. *Farn. Infectis*] Tinctis.

192 *Visum*] Actæonis transmutati causa, inquit, Diodorus lib. V. traditur a nonnullis, quod Dianæ concubitum, quum venaretur in montibus, adpetierit. Euripides, quod se illi Actæon prætulerit venandi arte. Juno apud Lucianum illi scoptice exprobrat deformitatem: visam scilicet ab Actæone veritam, ne adolescens ipsius turpitudinem, αἶσχος, evulgaret, immisisse illi canes. Dialog. Junonis et Latonæ. *Farn.*

193 *Nec plura minata*] Alii *locuta*: unus Moreti et Leidensis *morata*. Venuste. Virg. Æn. V. 881. 'Nec plura moratus, Tum læva taurum tenet.' Lucretius libro VI. 244. 'Neque te promissis plura morabor.' Val. Flaccus l. IV. 243. 'nec plura moratus, Ingentes humeros spatiosaque protulit ossa.' Corippus Africanus libro III. 'Non plura moratus Augustus nutu tolli sublime feretrum Imperat.' Lucanus libro II. 'Sed quid plura moror?' Virgil. Æn. III. 610. 'Dextramque haud multa moratus Dat juveni.' *Heins.*

194 *Vivacis cervi*] Diu viventis: ad quadringentos namque annos cervi vivere dicuntur. Vide Plin. VIII. 32. *R. Vivacis*] Τετρακοράνου. 'Et quater egreditur cornicis secula cervus.' Auson. de Ætat.

200 *Ut vero vultus et cornua vidit in unda*] Versum hunc frigidum et insulsum meo tolle periculo, quanquam scriptis, quotquot vidi, membranis tenaciter inhærentem; nisi quod in uno Leidensi, 'Ut vero solitis sua cornua vidit in undis,' aliquanto rectius legebatur. *Heins.*

204 *Domum et regalia tecta*] Aufer τὸ *et* ex auctoritate Arondeliani, primi Moreti, et aliorum quatuor: nihil familiarius his locutionibus apud nostrum. *Idem.*

206 *Melampus*] Canum aliis nomina Græca indidit a forma, aliis a natura aut colore, aliis a sexu et genere; laudat etiam a patria: peccavit tamen aliquantulum contra præcepta θηρευ-

Digitized by Google

ruci. Neque enim longis nominibus appellandi sunt, inquit Columella de Re Rustica XII. 8. quo celerius quisque vocatus audiat: quod a Xenophonte habuit lib. de Venatione. Τὰ δ' ὀνόματ' αὐταῖς τίθεσθαι βραχέα, ἵνα εὐανάκλητα ᾖ, &c. *Farn.*

207 *Ichnobatesque sagax*] Ichnobates dicitur per vestigia vadens.

208 *Gnosius*] Cretensis. *Spartana*] Laconica. Cretenses autem et Laconici canes aptissimi sunt venationibus. *R.*

210 *Pamphagus*] Omnia comedens. *Dorceus*] Acute videns. *Oribasus*] Montes ascendens.

211 *Nebrophonosque valens*] Hinnulos, hoc est, cervorum catulos, interficiens. *Trux Theron*] Terribilis aspectu. *Lælape*] A velocitate atque impetu sic est appellata.

212 *Et pedibus Pterelas*] Alatus sive alis impulsus. *Agre*] Venatio interpretatur ἄγρα. *R. Naribus utilis*] Mire sagax, et ob id feris deprehendendis utilissima. *Pont. Naribus utilis*] 'Naribus acres,' Metam. VII. Virgil. Æneid. VII. 'Canum noto nares contingit odore.' ὀδμὴ θερίη. Senec. Thyesth. 3. vs. 495. 'et longo sagax Loro tenetur Umber, ac presso vias Scrutatur ore, dum procul lento suem Odore sentit...et gemitu vocat.' Quod videtur ex Ennio desumtum et Lucretio. 'Ululatque ibi acute.' 'Gannitu vocis adulat.'

213 *Hylæusque ferox*] Scribe *fero apro*, quicquid scripti codices pro vulgata lectione certant. Amor. III. 'Et ferus in sylvis farra metebat aper.' 'Feroces apros' etiam alibi vocat. Cæterum videtur allusisse ad Hylæum illum, qui cum Anceo ab apro Calydonio est interfectus, teste Apollodoro. *Heins. Hylæus*] Sylvestris.

214 *Nape*] Quod in saltibus versaretur.

215 *Pæmenis*] Pastoralis. *Harpyia*] Rapax, et Harpyiarum similis, quæ sunt rapacissimæ.

216 *Substricta ilia*] Virgil. 'Brevis alvus.' *Sicyonius Ladon*] A fluvio Arcadiæ nomen sumpsit hic canis. Vel etiam a λάζομαι, quod *capio* significat.

217 *Et Dromas*] Currens. *Canache*] Καναχὴ strepitum significat, unde nomen cani fuit inditum, quod ejus latratu omnia resonarent. *Stricteque*] Hæc a colorum varietate nomen sumpsit. Nam στίκτη distincta variis maculis dici potest, ἀπὸ τοῦ στίζειν, id est, a distinguendo. *Tigris*] Tigridi similis, quæ est fera velocissima. *Et Alce*] Similis Alcæ, feræ pernicissimæ: ἀλκὴ etiam robur potentiasque dicitur; quæ etymologia proximior ac verior videtur.

218 *Leucon*] Albus, a colore. *Et villis Asbolus atris*] Hoc est, pilis nigris. *Asbolus* autem a colore est dictus, ἄσβολος enim fuliginem significat, eo quod nigris villis ac fuliginosis esset.

219 *Lacon*] A patria, quod Laconicus. *Aëllo*] A procella, quod impetuosus.

220 *Theus*] Velox dicitur et impetuosus. *Lycisce*] Canis ex lupo nata *Lycisca* dicitur, quasi parva lupa.

222 *Harpalos*] Rapax. *Melaneus*] Niger. *Hirsutaque corpore Lachne*] Verbum de verbo expressit. *Lachne* enim villorum densitas vocatur.

224 *Labros*] Hoc quoque nomen cani conveniens est, vehemens enim impetuosusque transfertur.

227 *Quaque est difficilis*] Sec. Palat. *Qua via difficilis:* malo etiam *feruntur* cum duobus, pro *sequuntur*, quod *secutus* versu proximo mox occurrat. *Heins.*

229 *Heu famulos fugit ille suos*] *Ipse* cum melioribus. Sequens autem versus, *Actæon ego sum*, non magis Nasonis est quam meus. Agnoscunt tamen libri veteres. Eo sublato omnia erunt concinniora. *Idem.*

233 *Oresitrophus*] In montibus nutritus.

Digitized by Google

234 *Compendia montis*] Cui contrarium, 'dispendia sylvæ.' Lucan. VIII. 'Fallacis vestigia sylvæ.' Virgil. Æn. IX.

235 *Præcipitata via est*] *Anticipata* veterrimus Florentinus S. Marci, secundus Mediceus, et quatuor alii. Notat ex suis etiam Vivianus; neque aliter Eutyches Grammaticus agnoscit. Statius Theb. VI. 'Speravit flexæ circum compendia metæ Interius ductis Phœbeius augur habenis Anticipasse viam.' Usus est verbo etiam præter alios Lucretius. *Heins.* *Præcipitata via est*] Præcipiti cursu peracta. *R.*

240 *Et genibus supplex pronis*] *Positis* unus Bononiensis pro diversa lectione; quod placet: 'ponere genu' elegans et Latinum, de quo ad Claudianum. *Heins.*

242 *Solitis hortatibus agmen*] *Latratibus* vetustiores maxima ex parte: clamore et hortatu latratum caninum æmulante. Virgil. Georg. III. 'Sæpe volutabris pulsos silvestribus apros Latratu turbabis agens.' Quidam *clamoribus:* alioquin *hortatibus* ferri posset; quomodo Epist. IV. 'Hortari celeres per juga summa canes.' Et Met. X. 'Hortaturque canes ritu succincta Diana.' Homero in Odyssea σευεῖν κύνας est: 'monere canes' dixit Propertius II. Eleg. 19. sed in Virgilii loco de ipsis canibus potest intelligi latratus, de quibus illic agitur. *Idem.* *Agmen*] Canum multitudinem.

245 *Et abesse queruntur*] Scribe *ut queruntur*, vel membranis invitis. Sæpissime ita peccatum. *Heins.*

249 *Undique circumstant*] Actæonem a veris canibus laceratum apud Corinthios, hujusque fuisse facinoris authores Bacchides refert Max. Tyrius. Stesichorus prodit, eum a Diana pelle cervina circumdatum, incitatosque ab ea in herilem necem canes, ne Actæon Semelen in uxorem duceret. Vide Pausan. in Bœot. Pier. Hierogl. VII. lib. quod et suo tempore multis venatoribus Corsis accidisse, ut a canibus suis furore quodam actis dilaniarentur, refert Jul. Scaliger, comment. in Aristotelem l. I. de plantis: rabie scil. in canibus per dies Caniculares grassante. Natal. Com. 7. lib. 24. Alii ad prodigos referunt, qui promi magis quam condi impuros parasitos, prædatorios ganeones, et ollares amicos alunt; a quibus exhausti pereunt a re et spe bona. Bapt. Anulus, et Alciatus. Alii ad aleatores perditos allusum volunt, quibus 'Damnosi semper subsiluere Canes,' jactus scil. aleæ infausti damnosique. Ad principes spectare epimythion volunt nonnulli, apud quos gratiosorum purpuratorum gratia valet ad odium et ruinam principum. Curiosos alienorum consiliorum rimatores significari hinc videtur. Arnobius lib. III. Et spolietur Apollo germana, quam quondam puris in fontibus abluentem membrorum sordes corniger ille venator inspexit, et pœnam curiositatis invenit. Certe curiosus ille uxoris suæ per amicum pudicitiæ explorator, in ficta Hispani Doxippotæ historia, meritas dedit veri Actæonis pœnas. *Farn.*

251 *Nec nisi finita*] Hunc quoque versum cum sequenti ab inscita manu profectos esse sum certus. Tu fœdissimum centonem abige ab hac purpura. Certe in uno codice, quem vir doctissimus Carolus Sprotius Aquisgranensis dono mihi dedit, a manu recentiori adscriptos margini deprehendi. *Heins.* *Nec, nisi finita, &c.*] Quid ad mores ex hac fabula trahi possit, consule Natal. VI. 24. *Pont.*

252 *Dianæ*] Fabulam hanc denique ad secreta Principum accommodat Cl. Fr. Baconus c. 10. de Sapientia Veterum. Qui, inquit, Principibus non admissi, et præter eorum voluntatem secretorum conscii sunt, odium certissimum apud eos conse-

Digitized by Google

quuntur. Itaque gnari se peti, et occasiones captari, vitam degunt, cervorum more, timidam et suspicionibus plenam. Quin et illud accidit, ut a servis et domesticis, in gratiam principum accusentur et evertantur. Ubi enim principis offensio manifesta est, quot servi tot fere proditores esse solent. Infeliciter sane cessit poëtæ nostro, 'quod aliquid vidit, quod noxia lumina fecit,' &c. Trist. II. *Farn.*

FAB. III. 258 *A Tyria pellice*] Ab Europa, quam e Phœnicia Jupiter rapuit.

266 *Certe soror*] Hoc ita a Junone infertur, ac si conjux esse desierit, cum Jupiter alias amet. Sic quoque apud Senecam ipsa loquitur. 'Soror Tonantis: hoc enim solum mihi nomen relictum est.' Senec. Herc. Fur. 1. *R.* *At puto furto est Contenta*] Τὸ *est* a multis præstantiorum abest. Scribe, *at puto furto Contentam.* Heins.

268 *Concipit*] Eadem Juno l. II. vs. 471. 'Scilicet hoc etiam restabat, adultera, dixit, Ut fœcunda fores,' &c.

272 *De Jove mersa suo*] *Ab Jove* cum melioribus, et *penetrarit* pro *penetrabit* cum Berneggeriano, Cantabr. et tribus aliis: *in undas* etiam præstantiores plerique, non *ad undas.* Præcedenti versu, *nec sum Saturnia*, veteres plerique agnoscunt, non *nec sim.* Silius libro IX. 'Non sum equidem Sulmone, satus, tua, Satrice, proles, Nec frater, Mancine, tuus, fateorque nepotem Pergameo indignum Solimo, si evadere detur Huic nostras impune manus.' Ita scripti. Apuleius Metam. lib. V. 'Nec sum mulier, nec omnino spiro, nisi eam pessum de tantis opibus dejecero.' Aliter tamen Plautus Menæchmis, 'Non hercule is sim, qui sum, nisi hanc injuriam, meque ultus pulchre fuero:' nisi et illic *sum* legendum. *Heins.*

273 *Fulvaque recondita nube*] Emendabam olim conjectura, ut mihi videbar, non dubia, *furva nube:* nunc hæreo; nam et apud Virgilium libro XII. 'Fulva pugnas de nube videntem' habes, et apud Lucretium l. VI. 'fulvæ nubis caligine crassa' in vulgatis et scriptis exemplaribus constanter; et sane 'fulvam caliginem' dixit quoque Valerius Cato in Diris. Et Statius Theb. IX. 'venit in medios caligine fulva Septa globos:' cum 'furvam' dixerit 'caliginem' Ausonius Cupidine crucifixo: ξανθὴν quidem νεφέλαν appellat Pindarus Olymp. Od. VII. sed ibi de aureo Rhodiorum imbre agitur: sane Val. Flaccus II. vs. 115. 'piceum nimbum' dixit, 'Cum Dea se piceo per sudum turbida nimbo Præcipitat.' At illud certum, lib. V. Met. 'Ex Acheronte suo furvis peperisse sub antris,' veram esse lectionem; ut et apud Silium Italicum libro VI. vs. 149. 'Intus dira domus, furvoque immanis in antro Sub terra specus, et tristes sine luce tenebræ:' ubi 'curvo antro' et 'sub terras' nunc legitur. Mox 'nigrum antrum' eandem specum appellabit Silius. Idem libro VII. 'Jamque in palantes ac versos terga feroces Pugnabant Itali, subitus cum mole pavenda Terrificis Maurus prorumpit Tudor in armis. Nigra viro membra, et furvi juga celsa trahebant Cornipedes, totusque novæ formidinis arte Concolor æquabat liventia currus equorum Terga, nec erectis similes imponere cristis Cessarat pennas, aterque tegebat amictus. Ceu quondam æternæ regnator noctis, ad imos Cum fugeret thalamos Hennæa virgine rapta Egit nigrantem Stygia caligine currum.' Ita locus ex optimo codice constituendus, nisi quod *furvi cornipedes* pro *fulvis* ex conjectura nostra sunt repositi, quomodo restituendum esse ut certius liqueret, versus plures adscripsi. Terentius Scaurus de

Digitized by Google

Orthographia, 'Furvos dicimus, quos antiqui fuscos.' Sic 'furva Proserpina' Horatio Od. II. 13. et Statio Theb. VIII. 'Furvo Proserpina poste notarat.' Et 'furvæ lethi plagæ' apud eundem Pietate Abascantii. Seneca Hercule Œtæo, 'Cui furva nigri sceptra gestantur poli.' Idem ibidem sub finem, 'Non puppis umbras furva transvexit meas.' Ita scribendum; nam vetus codex *fulva*, vulgati *curva*. Unde et furva Dis inferis pecora immolata. De quibus Silius libro VIII. 'furvasque trahebam Ipsa manu properans ad visa pianda bidentes.' 'Furvam nocti' dat 'pallam' Juvencus Histor. Evangel. lib. II. Prudentius Cathemerin. Hymno IX. 'Sed Deus dum luce furvæ mortis antra illuminat.' 'Furva mortis antra,' hoc est, inferos: ita scribo: 'luce fulva' nunc legitur etiam in scriptis. Est et vox ea non semel mendosa apud Valerium Flaccum; ut l. IV. 'Contra Nilus adest, et toto gurgite torrens Tisiphonem agit, atque imis illidit arenis, Ditis opem, ac furvi clamantem numina regni:' 'sævi regni' perperam legitur. Eodem libro, 'subter juga concava torquet Ater aquas Acheron, vastoque exundat hiatu Spumeus, et furva sequitur caligine campus.' Vides hic denuo 'furvam caliginem:' at vulgati, 'Fumeus,' et 'sæva caligine:' minus bene. Putabam eidem Valerio hanc vocem quoque reddendam lib. V. 'At medii per terga senis rapit ipse nitentes Altus equos, curvoque diem subtexit Olympo.' Nunc vero tutius opinor 'fulvo' reponi; quomodo idem libro VII. 'sublimis in auras Tollitur, et fulvo Venerem vestigat Olympo.' 'Flammiferum Olympum' dixerat initio operis: 'furvam' quoque 'sæpiam' habes apud Ausonium Epist. V. et VII. et 'furvam culpam' apud Prudentium Cathemerin. Hymno I. 'Jam furva culpa obdormiat.' Propertius IV. Eleg. 7. 'Denique quis nostro furvum te funere vidit? Atram quis lacrymis immaduisse togam?' ita scribendum. Vulgati *curvum:* minus concinne, quod et Passeratio videbatur. Apud eundem libro IV. Eleg. ult. legendum quoque putem, 'Te licet orantem furvæ Deus audiat aulæ,' non 'fuscæ aulæ,' cum de inferis fere semper poëtæ, ut jam vidimus, 'furvi' voce utantur. Sic et Prudentius Hamartig. 'furvum Avernum' dixit. Tibullus II. Eleg. I. 'Postque venit tacitus furvis circumdatus alis Somnus, et incerto somnia pigra pede:' non 'fulvis alis,' cum 'fulva sidera' proximo versu præcesserint: 'pigra' etiam 'somnia,' non 'nigra,' ne bis idem dicat. 'Furvam gentem' Indos vocavit Juvenalis Satyra XII. Contra apud Prudentium Hamartig. v. 685. 'fulvo' pro 'furvo' scribendum: 'fulvo se munere vilem Vendat nocticolæ spurcis complexibus Indi.' Ita vetustissimus codex Puteaneus; aurum intellige. Sed revertamur ad Nasonem. *Idem.*

277 *Membra tulit gressu*] *Passu* rectius veterum plerique. lib. XIII. 'ad littus passu procedit anili.' *Idem.*

278 *Ipsaque erat*] *Fit* Mediceus unus ex melioribus. Idem mox *suspirat* et *Optem*, non *Opto*. Idem. *Epidauria nutrix*] Epidaurus urbs est Achaiæ, Æsculapii templo nobilis, in Saronici sinus intimo recessu sita. *R.*

283 *Nec tamen esse Jovem satis est*] Primus Mediceus, et alius ejusdem bibliothecæ cum Ambrosiano notæ melioris, *esse Jovis:* te nimirum. Sic Epistola Didus, 'Elisa Sichæi,' et apud Lucanum 'Cornelia Magni,' et in veteri inscriptione 'Cæcilia Crassi.' *Heins.*

284 *Si modo*] Εἰ δὲ καὶ, ὃς ἐνέπεις, σέο νύμφιός ἐστι Κρονίων, Ἐλθέτω εἰς σέο λέκτρα σὺν ἱμεράντι κεραυνῷ, &c. Nonn. Dionys. VIII. vs. 247.

286 *Insignia*] Fulmen. *Farn.*

Digitized by Google

288 *Formarat*] Instruxerat.

299 *Vultumque sequentia traxit Nubila*] *Vultuque* ex melioribus multi: quidam *vultusque*. Fragmentum Theatinorum Romanum antiquæ notæ, *nutuque*. Heins.

303 *Typhœa*] Vastæ magnitudinis Gigantem, belli, quod Jovi Titanes intulerunt, auctorem. Vide v. vs. 321. Adi Cl. Fr. Baconi Sapientiam veterum de Typhone seu rebelli. *R.*

305 *Est aliud levius fulmen*] De fulminum generibus vide Plin. II. 51. *F.*

311 *Patrioque*] Βρόφος ἡμιτέλεστον, et Βρόφος ἡλιτόμηνον ἀδηλήτου τυκετοῖο vocat Bacchum Nonn. libro octavo.

312 *Insuitur*] Εὖγε ὁ γενναῖος ὁς ὅλος, ἡμῶν κυοφορεῖ, καὶ πανταχόθι τοῦ σώματος, ait Neptunus apud Lucianum: sed quid sibi vult ἐνιμόθιον? An quia, ut vulgo exponunt, Semele est terra, namque eadem cum Maia, Bona Dea, Fauna, Ope est Macrobio, Saturn. I. 12. Bacchus vitis, utrique a Jovis, id est, aëris moderato calore fœtus? An vero quod fructus terræ et vitis femore et pedibus calcantium perficitur? An utique jocari licet, et, 'ridentem dicere virum, Quid vetat?' dicere; Bacchum, id est, fœtum Semeles, id est, Vitim per sex menses crescere in utero matris, per tres alios menses cruditatem suam decoquere in amphoris conditum: expleto denique materno tempore, hoc est, novem mensibus, salubre fieri potuique aptum? Dispiciat lector. An forte laboramus in mera fabula, cui nec mica nec gutta medullæ sanæ? quia Curtius lib. VIII. refert, Nysan sitam esse sub radicibus montis quem *Meron* incolæ appellant; inde Græcos mentiendi traxisse licentiam, Jovis femine Liberum patrem esse celatum: μηρὸς enim sonat 'femur.' *F.*

313 *Ino matertera*] Ino Cadmi fuit filia ac Semeles soror, quæ Bacchum ex Jovis femore eductum clam Junone nutrivit.

314 *Antris suis*] Antrum illud in quo Bacchus fertur educatus 'Dythyrites' vocatur. Unde et Bacchus Dythyrambus fuit appellatus, eo quod δύο θύρας, hoc est, duas januas antrum habuerit, ut quidam e Græcis narrant. *R.* *Nysæides*] Infantem, inquit Diodorus lib. v. Jupiter Mercurio dedit ad antrum Nysæ, quod inter Phœniciam Nilumque est, deferendum: a nymphisque omni studio curaque educandum: unde ab Jove Nysæque Dionysium dixerunt; quod Homerus in hymnis testatur. Innuit fabula, quod Plato monet, flagrantem et temulentum Deum sobriis nymphis restinguendum esse, id est, merum temperandum, et aqua diluendum; quod eleganti carmine expressit Meleager, Anthologiæ I. 19. Αἱ νύμφαι τὸν Βάκχον, ὅτ' ἐκ πυρὸς, &c. *Farn.*

Fab. IV. 322 *Docti*] Quem Ἀνδρῶν γυναικῶν τ' εἰδότα ξυνουσίας vocat Lycophron.

323 *Tiresiæ*] Tiresiam mythologi annum interpretantur, propter alternas anni vices, modo marem modo fœminam; vere, quo generantur omnia, marem; æstate, qua pariunt, fœminam: redire autem ad generationem autumno. Lucianus in Astrologia ait, Græcos fabulates Tiresiam ancipitis fuisse sexus, ὅτι τῶν πλεκομένων ἀστέρων τοὺς μὲν θήλεας τοὺς δὲ ἀρρένας διάφωνε. *Farn.*

329 *Auctoris sortem*] *Auctori* Bernegger. *Heins.*

331 *Genitivaque venit imago*] Tres, *rursus imago*; rectius: sed cum in multis *redit* invenerim contra legem carminis, censeo scribendum *genitivaque reddita imago*. Idem.

333 *Gravius*] Sic Hesiodus, Tzetzes, Liberalis, alii, tum poëtæ tum interpretes. Callimachus vero in lavacro Palladis, et Nonnus Dionys. v. Tiresiam oculis privatum fuisse eadem de causa qua Actæona tradunt: a Pallade, scilicet, quam nudam viderat, visus incustoditi pœnam dedisse. Et Propert. IV. 10. 'Magnam Tiresiæ

Digitized by Google

aspexit Pallada vates, Fortia dum, posita Gorgone, membra lavat.' *Farn.*

334 *Nec pro materia*] Nec secundum materiæ ac rei qualitatem. Res enim jocosa erat, ideoque Juno Tiresiæ sententiam ægre ferre non debebat.

Fab. v. 339 *Ille per Aonias*] Bœotias. Aonia enim pars est Bœotiæ montana, ab Aone rege cognominata. Hæc autem inseruntur, ut commodius fabulæ conjungantur.

341 *Vocisque datæ*] Concessæ artis vaticinandi.

342 *Liriope*] Congruum Narcissi matri nomen: ἀπὸ τοῦ λειρίου, a lilio. *Farn.* *Cærula Liriope*] Narcissi in florem ejusdem nominis mutationem referre incipit poëta. Nam Liriope nympha, Oceani ac Tethyos filia, a Cephiso fluvio Bœotiæ compressa, Narcissum peperit, quem Tiresias, consultus a matre, ad maturam senectutem perventurum, si ne non noosset, prædixit. Id vero, cum ambiguum videretur, exitu tandem fuit comprobatum.

343 *Cephisos*] *Cephisos* castigatiores: quomodo et apud Vibium Sequestrum, et Priscianum Periegesi: quidam etiam *Cephesos*, tam hic quam alibi; nonnulli *Cephissos*. Similiter variant Græci in hoc nomine. Κηφίσσος eorum quibusdam est. Homero Hiad. E. Λίμνῃ κεκλιμένος Κηφισσίδι· quomodo et Rufus Festus, 'celeri Cephissus volvitur unda.' Pindaro Καφίσσος Pyth. Od. iv. at eidem Olymp. Od. xiii. Καφήσια ὕδατα. *Heins.* *Cephisus*] Fl. Bœotiæ, unde et Narcissus dictus Cephisius. *Farn.*

345 *Infantem, Nymphe*] *Nymphis jam tum qui posset amari*, Florentinus S. Marci et duo Medicei: quod et in suis Vivianus invenerat; probe. *Heinsius.*

346 *Narcissumque*] Ἀπὸ τοῦ ναρκᾶν, quod marcescat cito, si florem respicias; si puerum, quod suo desiderio marcidus torpuerit. *Farn.*

348 *Si se non noverit*] *Viderit* Bernegger. Cantabrig. aliique multi. *Heins.* *Si se non noverit*] Hoc est, si nunquam suam pulchritudinem cognoverit.

351 *Namque ter ad quinos unum Cephisius annos*] Alter Rogerii Twisden *Jamque* rectius. *Cephesius* hic etiam plerique veteres: primus Mediceus et duo alii *Cephesios*. Multi, *Nam quater ad quinos:* sed perperam. *Heins.* *Nam quater*] Herc. Ciofanus e Codd. Ursini Vatican. vetustioris sui, Aldini, et uno Cœlestino, legendum contendit, *Namque ter ad quinos*, quam lect. confirmare videntur vs. 454. 'Quid me puer unice fallis?' et vs. 470. 'primoque extinguor in ævo:' cum prima pars ævi ad ætatis annum 14. plus minus extendatur: nihil muto. *Farn.*

352 *Puer*] Propter pulchritudinem. *Juvenis*] Propter magnitudinem. Erat enim magnus et formosissimus, quæ quidem rara est felicitas. *R.*

353 *Petiere puellæ*] *Cupiere* meliores omnes. *Heins.*

354 *Dura superbia*] *Dira* multi veterum; et recte. *Idem.*

356 *Aspicit hunc*] Fabulam interponit de Echo nympha compositam, cui primum hoc ira Junonis evenit, ut ultimas tantum de vocibus referret. Deinde cum a Narcisso, cujus amore ardebat, spreta esset, in lapidem ita fuit conversa, ut vox sine corpore remanserit in montibus, ultima verborum auditorum repetens. *R.*

357 *Vocalis*] Ἀθυρόστομος vocatur Sophocli in Philoctete, loquax, garrula. *Farn.* *Vocalis*] Abutens voce; qualis vocatur ἀνὴρ γλωσσώδης, τρίβων λόγων, ἀνὴρ κρόταλος, qui tamen solummodò ἔως τοῦ στομίου τολμηρὸς καὶ ἀνδρεῖος: cujus tamen pœna non longe est; ἀχαλίνων enim στομάτων τὸ τέλος δυστυχία.

361 *Verba*] Ἀφὴ φωνῆς τῆς νεάτης ληγούσης, repercussæ vocis aut soni repræsentatio, Exodus iv. lib. Antho-

Digitized by Google

log. Ἠχὼ μιμολόγου, φωνῆς τρύγα, ῥήματος οὐρήν. *Farn.*

362 *Quia cum deprendere posset*] *Quæ cum* multi scriptorum. Puto, *quæ ne deprendere posset*. Heins.

364 *Prudens*] Terentianum est: 'Prudens, sciens:' id est, dedita opera.

365 *Postquam hæc Saturnia sensit*] Tolle τὸ *hæc* ex auctoritate meliorum codicum. *Heins.*

368 *Reque minas firmat*] Re ipsa et effectu minas exequitur. *R. In fine*] Modo ad vs. 361. quibus adde Epigr. II. Ausonii: 'Aëris et linguæ sum filia.....Extremos pereunte modos a fine reducens, Ludificata sequor verba aliena meis.' *Farn.*

370 *Per devia rura vagantem*] *Lustra* primus Moreti, et unus Mediceus. *Heins. Per devia rura*] Per invias sylvas. *R. Devia*] Qui se effuse amant, atque immodicam de se conceperunt opinionem, non multum in publico aut in rebus civilibus versantur: hic enim neglectus multi et vilipendia occurrent, quæ se sibi ostendant animos ipsorum dejectura: itaque vitam plerumque degunt solitariam, privatam, et umbratilem, vilium hominum comitatu cincti, qui illos colere atque admirari sibi in animum inducant, ac velut Echo in omnibus dictis factisque assententur, iis et verborum præstent obsequia. Cl. Baconus, in Narcisso suo. *Farn.*

373 *Circumlita*] Circumposita. Est autem periphrasis sulfuratorum lignorum.

374 *Admotas flammas*] *Admotam flammam* meliores. *Heins. Vivacia sulfura*] Quæ difficulter corrumpuntur. Hac autem similitudine ostenditur, Echo quo propinquior Narcisso erat, eo magis amore inflammatam esse.

379 *Comitum*] Eleganter Poëta prius amovet a juvene fidorum comitum agmen, quam admittat resonas Echus voces, et falsas assentatorum acclamationes. Qui et ipsi, quo tutius fallant perdantque, abducunt juvenes a parentibus, ab amicis, a monitorum ministerio, a consiliis sanis et virtutibus ipsis. *Seductum*] Redi ad Epist. XIX. vs. 142.

380 *Adest, Veni, Coëamus, Sit*] Mirum poëtæ artificium: ut ipsæ voces fabulæ quasi aliud narrantis repetant ollarium amicorum et parasitorum verba: 'Adest,' 'Veni,' 'Coëamus,' 'Sit tibi copia nostri.' *Farn.*

381 *Aciem partes admisit in omnes*] *Dimisit* vel *dimittit* scripti: nisi quod in uno Mediceo ex præstantioribus *divisit;* eleganter: ut apud Catullum, 'Nos alio mentes, alio divisimus aures.' Statius Theb. II. 'partes pariter divisus in omnes Hos obit, atque illos.' Virgil. Æn. IV. et VIII. 'Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc, In partesque rapit varias, perque omnia lustrat.' Seneca Troasin: 'Lassabar in tot oscula et in totum gregem Dividere matrem.' 'Dividere diem' ibidem Act. II. 'Sic fatus alta voce divisit diem:' ita optimus codex: aliquid jam diximus Notis ad Claudiani lib. II. in Rufinum. *Heins.*

385 *Alternæ vocis*] Alternatim emissæ, primum a Narcisso, deinde ab Echo.

388 *Egressaque silva*] *Silvis* Neap. sec. Med. aliique nonnulli. *Heins.*

390 *Fugiensque manus complexibus aufert*] Rescribe meo periculo invitis membranis, et redde suas elegantias Nasoni, *Ille fugit, fugiensque, Manus complexibus aufer:* ut fugientis et complexum aversantis Narcissi verba sint. *Idem.*

391 *Sit tibi copia nostri*] Ter. Phorm. I. 2. 'Obsecrat, ut sibi ejus faciat copiam.'

394 *Antris*] Ad speluncas enim, saxa, rupes solidas et concavas, voces per aëris partes clarius repercussæ resiliunt. *Farn.*

395 *Hæret amor*] Videtur respicere

Digitized by Google

poëta ad illud Virgil. Æneid. IV. 'Hæret lateri letalis arundo.' Quod et Terentio familiare. Eunuch. v. 9. 'perfice hoc Precibus, pretio, ut hæream aliqua in parte tamen apud Thaidem.'

396 *Et tenuant*] Multi *Attenuant*. Heins. *Corpus*] Vocis metamorphosin fecerat Junonis ira; corporis, Narcissi repulsa. *Farn.*

401 *Qui vivit in illa*] Malim *vivat*: nisi hunc et præcedentem versum tollendos censes. Nam quid opus erat repeti, 'Inde latet silvis,' cum paulo ante dixisset, 'Spreta latet silvis?' *Heins.*

FAB. VI. 405 *Sic amet ipse*] *Iste* cum melioribus: et mox *pastæ monte capellæ*, ablato τῷ in. Heins.

406 *Rhamnusia*] Nemesis Dea, quæ rerum cum prosperarum nimis aut adversarum vices rependit, scelestorum superbiam et insolentiam ulciscitur, innocentiam moderatorum asserit: cujus effigiem Rhamnunte Atticæ pago cultam describit Pausanias in Atticis, Marcellinus sub exitu XIV. lib. Strabo IX. lib. alii. Erat coronata et alata; dextra gestabat hastam fraxineam, sinistra phialam in qua inclusi erant Æthiopes; cervo insidebat: epimythium dabunt Am. Marcell. dicto lib. XIV. Petr. Crinitus XIX. lib. de honest. discipl. 6. cap. Erasmus in adagio, Adrastria Nemesi. Post omnes egregie Cl. Baconus, in Nemesi seu vicibus rerum. *Farn.*

411 *Gramen*] Herba. Elegantius Palat. *Gramen erat circum*. Heins.

412 *Sole locum*] *Lacum* recte unus Basileensis: nam 'facies loci' mox sequitur. Sic infra vs. 500. 'totidemque remisit Verba lacus' cum Arondeliano. *Idem.*

413 *Et æstu*] Solis fervore. *R. Puer*] Vide Narcissi Icona apud Philostratum lib. I. Iconum: et statuam Narcissi in Callistrati statuis. *Farn.*

415 *Sitis altera*] Cupiditas altera, hoc est, amor. Nihil enim aliud est amor, quam cupiditas potiundi re amata.

417 *Spem sine corpore amat*] Thysii codex, unus Medicens, et unus Argentinus, *Rem*; probe: l. VII. 'Quod nihil est metuit, metuit sine corpore nomen.' *Heins. Spem sine corpore amat*] Amat spem sine corpore Narcissus, hoc est, illud quod re ipsa nihil erat, amat, umbram videlicet, et spem corporis, quod nusquam extabat. *Micyl.*

420 *Geminum sua lumina sidus*] *Ceu lumina sidus* majori ex parte veteres. Behotius in Apophoretis legit, *geminum sua sidera lumen*: ut excerpta Langermanni. Ego, si quid mutandum sit, rescribam, *geminum duo lumina sidus*. Heins.

421 *Et dignos Baccho digitos*] Nota est poëtis ῥοδοδάκτυλος ἠώς, De Bacchi digitis mera nugantis librarii somnia. Repone igitur ex fide Florentini optimi, Thuanei, Neap. primi Palat. primi Vatican. utriusque Erfurtani, Arond. et trium aliorum, ut parenti meo reponendum videbatur, quodque ex suis codicibus Vivianus et Ciofanus jam monuerunt, *Et dignos Baccho, dignos et Apolline crines*. De Bacchi comis passim poëtæ: hinc, ἀκεροκόμης dictus et ἁβροκόμης Græcis. *Idem.*

426 *Accendit et ardet*] *Incendit* plerique veteres: et mox *in medias aquas*, non *mediis aquis*. Idem.

433 *Avertere*] Tu modo te averte, nulla erit umbra, nihil quod ames. *Farn.*

434 *Repercussæ*] Ab aqua tanquam a speculo remissæ.

436 *Tecum discedet*] *Discedat* unus meus. *Heins.*

437 *Cereris*] Cibi. *Quietis*] Somni. *R.*

438 *Opaca herba*] Umbrosa.

439 *Inexpleto lumine*] Oculis, quo non poterant satiari. *Mendacem formam*] Falsam adolescentis figuram. *R.*

Digitized by Google

443 *Scitis enim*] Sic Homer. Iliad. B, 485. Ὑμεῖς γὰρ θεαί ἐστε, πάρεστέ τε, ἴστε τε πάντα, &c.

444 *Vestræ*] 'Corvum multiplicat novies Phœnix reparabilis ales. Quem vos perpetuo decies prævertitis ævo Nymphæ Hamadryades, quarum longissima vita est.' *Farn.* *Ecquem, cum vestræ*] Ordo est: Ecquem meministis in longo ævo qui sic tabuerit et paulatim consumptus sit?

447 *Tantus error amantum*] 'Di boni, quid hoc morbi est? adeone homines immutarier Ex amore, ut non cognoscas eundem esse?' Terent. Eunuch. 2. 1.

453 *Minimum est quod amantibus obstat*] Τὸ *est* multi veteres non agnoscunt. Forte, *minimum quid amantibus obstat.* Heins.

455 *Certe*] Scripsit Euanthes in fabulosis, sororem Narcisso gemellam fuisse cum oris forma, tum coma et omni corporis parte similem, quam unice amavit. Hac mortua, ille desiderii impatiens dicitur ad fontem venire solitus, ut ejus imaginem ibi intueretur. Verum ubi id solatium leve videretur, dolore denique periit; vel, ut aliis placet, se in fontem dejecit. Sed hæc ad Narcissi gratiam ficta esse ait Pausanias in Bœot. *Farn.*

456 *Nymphæ*] Echo, Naiades, Oreades, supra vs. 402. *Farn.* *Fugias*] Fastidias. *R.*

463 *Iste ego sum*] Alii *Ipse:* sed primus Mediceus argute, *In te ego sum.* Heins. *Ille ego sum*] Agnoscit tandem errorem suum ac vanitatem; nec tamen animum mutat: sic amator ille apud Comicum; 'Et illam scelestam, et me miserum esse sentio; Et tædet; et amore ardeo; et prudens, sciens, vivus, videnque pereo; nec quid agam scio.' Ter. Eunuch. 1. 8. *Farn.*

466 *Inopem me copia fecit*] Ausonius de Narcisso: 'Si cuperes alium, posses, Narcisse, potiri.' Nunc tibi amoris adest copia: fructus abest, epigram. 95. Itidem 96. *Farn.*

467 *O utinam a nostro*] Tolle τὸ *a*; et versu proximo τὸ *est*, ex fide optimorum codicum. *Heins.*

470 *Superant*] Supersunt, restant. *Superant*] Superstites sunt et reliqui. Quod Virgilianum est: 'Supêratne, et vescitur aura?'

477 *Quo refugis? remane*] Primus Palat. *Quove fugis.* unus Vossian. *Quo fugis? o remane:* quatuor, *Quo fugis? remane.* Scribe, *Quo fugis? ero mane.* Heins. *Nec me crudelis amantem Desere*] *Desine* primus Basil. tertius Mediceus, prior Regius, aliique multi. Vide Notas Art. Am. II. 725. *Idem.*

479 *Misero furori*] Quod miseros homines faciat qui illo vexantur.

480 *Summo vestemque reduxit ab ore*] *Vestem deduxit* multi veteres: primus Gronovianus, et cum Barberiniano quatuor aut quinque alii, *summa vestem deduxit ab ora:* recte. Lib. v. 'ut summa vestem laniarat ab ora.' Sic contra 'tunicas ora subducere ab ima' in re obscœna lib. II. Fastor. nudaturis pectus deducenda erat vestis. Met. XIII. 'vestemque manu deduxit, et, Hæc sunt Pectora semper, ait, vestris exercita rebus:' ubi *diduxit* male nunc legitur. Seneca Hercule Œtæo, 'mater in luctum furens Deduxit avidum pectus, atque utero tenus Exerta vastos ubera in planctus ferit:' sic probe veterrimus codex. Plura notavimus Amor. l. I. Eleg. 7. vs. 48. *Heins.*

482 *Tenuem percussa ruborem*] *Roseum ruborem* Florentinus S. Marci, primus Vaticanus, et duo alii. *Idem.*

486 *Liquefacta rursus in unda*] Cera liquefacta dici potest, de unda non opinor. Nec libri tamen veteres opitulantur. Censeo nihilominus scribendum *liquenti unda:* est enim prima syllaba communis, quod ignoratum inscitis librariis scripturæ genuinæ mutandæ causam dedit. Sic 'liquen-

Digitized by Google

tia flumina' apud Virgilium prima syllaba producta. Vide Notas Pont. I. Eleg. 2. vs. 57. Propius tamen accedit ad vulgatam scripturam *si liquaci unda* reponas: de qua diximus Remed. Amor. vs. 177. *Idem.*

487 *Non tulit ulterius*] Virgil. Æn. II. 'Non tulit hanc speciem furiata mente Chorœbus:' et alibi, 'Non tulit hoc animis.'

490 *Liquitur*] Liquescit, ac paulatim consumitur. *Et tecto carpitur igni*] Occulto amore cruciatur. *R. Liquitur*] Redi ad Cons. ad Liv. vs. 101. *Et tecto paulatim carpitur igni*] Longe rectius *cæco igni* tertius Mediceus et quinque alii: sex pro diversa lectione id ipsum quoque exhibent. Notum hoc Maronis, 'Vulnus alit venis, et cæco carpitur igni.' Noster lib. VIII. de Meleagro, 'cæcis torreri viscera sentit Ignibus.' Lucretius lib. IV. 'Possit ut ex igni cæco consurgere flamma.' *Heins.*

491 *Et neque*] Ad φιλαίτων νεοσκόφων et δοκησόφων ingenia exprimenda eleganter sumitur flos vernus, idemque φιλόμβρος pluviæ sititor, cum ejusmodi ingenia spem sui sub initia prodigam præbeant, quam tamen fallunt, et frugis bonæ expectationem destituunt. *Farn.*

493 *Quæ tamen*] 'Commoritur, Narcisse, tibi resonabilis Echo, Vocis ad extremos exanimata modos. Et pereuntis adhuc gemitum resecuta querelis Ultima nunc etiam verba loquentis amat.' Ausonius 97. Epigr. *Farn. Quamvis irata memorque*] Se a Narcisso fuisse spretam.

495 *Miserabilis*] Miserandus, ac misericordia dignus.

498 *Plangoris*] Percussionis. *R.*

501 *Locus*] Echo, quæ in illo erat loco.

503 *Lumina mors clausit*] *Mox* Cantabrig. et tres alii: *claudit* etiam meliores. Scribe, *nox claudit;* quod pro diversa lectione in uno Thuaneo et uno Basileensi extabat: *nox* pro morte. Sic et apud Propertium videtur legendum lib. II. Eleg. 13. 'Quandocunque igitur nostros nox claudet ocellos.' 'In æternam clauduntur lumina noctem' Virgilio. Lucanus lib. III. de Argi patre moribundo, 'Nox subit, atque oculos vastæ obduxere tenebræ.' *Heins.*

504 *Tum quoque*] Quascunque curas aut studia quis in animam contraxerit in hac vita, vel a natura, vel affectibus, aut vitæ ratione, ea manent etiam cum corpus exuerit. Plato in Gorgia. 'Curæ non ipsa in morte relinquunt.' Virg. Æneid. VI. 'quæ gratia currûm Armorumque fuit vivis; quæ cura nitentes Pascere equos; eadem sequitur tellure repostos.' *Farn.*

506 *Sectos capillos*] Redi ad Epist. XI. vs. 116.

507 *Planxerunt Dryades*] *Planxere* primus Moreti, prior Hamburg. et quinque alii. Repone *Planxere et Dryades.* Præcedenti versu pro *fratri imposuere* primus Gronovianus, prior Erfurtensis, et duo alii, *posuere*, quod arridet: nam quomodo fratri imponerent capillos, qui nusquam erat? *Heins.*

509 *Croceum florem*] Narcissum. *R. Florem*] Flos hic Diis inferis sacer fingitur, ut qui floreat tantum et transeat, neque ullum ex se fructum edat: ita et ingenia præcocia haud facile perveniunt ad frugem. *Farn.*

FAB. VII. 511 *Cognita res*] Expositurus quemadmodum Thyrrheni quidam nautæ Bacchum comtemnentes in delphinos mutati fuerunt, et alia quædam, et Penthei regis Thebarum impietatem et cædem narrat, ut fabulæ melius conjungantur. *Per Achaidas urbes*] Achaicas. Achaia regio est Græciæ, Peloponneso contermina. *R. Vatis*] *Vati* ex scriptis. *Heins.*

513 *Echionides*] Ipse respondet Baccho apud Euripidem in Bacchis. Πενθεύς, Ἀγαυῆς παῖς, πατρὸς δ' Ἐχίονος,

Digitized by Google

cui Bacchus: *Ἐνδυστυχήσαι τοῦνομ' ἀπιτήδειος εἶ.* Nec non Luciano in concilio Deorum *κακοδαιμονέστατος*· nempe *ἀπὸ τοῦ πένθους.* *Farn.*

514 *Pentheus*] Fabula hæc notissima est: quæ tamen paulo aliter memoratur in Corinth. Taurum pro Baccho cædit, uti caprum pro Ulysse Ajax. Plaut. Mercat. II. 4. 'Pentheum diripuisse aiunt Bacchas.' Et, de Bacchis, III. 1. 'Bacchæ sunt acerrimæ, apage istas a me sorores.'

515 *Tenebras et cladem*] Ex iisdem *tenebrasque.* Heins. *Tenebras, &c.*] Cæcitatem. *F.*

517 *Bacchica sacra*] *Bacchia* pri. Vatic. pri. Erfurt. pri. et sec. Medic. sec. Palat. Cantabrig. aliique plurimi. Sic Trist. lib. I. Eleg. 6. *Bacchia serta* in scriptis. *Heins.*

519 *Namque dies aderit, quam non procul auguror esse*] Scripti vetustiores, *quam jam haud procul,* vel *quam jam procul.* et *Jamque dies:* alii *quam haud,* vel *jam haud.* Scribe, *Jamque dies aderit, jamque haud procul auguror esse.* Deinde repone *veniat* pro *veniet* ex melioribus. *Idem.*

520 *Semeleia*] Diodorus lib. IV. tres numerat Bacchos. I. Indum, Inventorem vitis serendæ. 2. Jovis et Proserpinæ filium, agriculturæ inventorem. 3. Jovis ex Semele filium, cui inventa et victorias priorum tribuunt Græci. Jul. Firmicus de errore profanæ relig. duos fuisse Bacchos tradit, Cretensem et Thebanum, apud quem plura legere est de utroque non vulgo nota. Cicero III. lib. de Nat. Deorum enumerat quinque. De nullo verobonorum mentio a poëtis fit, nisi de Jovis hoc et Semeles filio. *Farn.*

523 *Matremque*] Agaven matrem: materteras Ino et Autonoën.

524 *Eveniet*] Multi veterum *Et veniet.* Lego *Evenient.* In Ibide, 'Evenient: dedit ipse mihi modo signa futuri Phœbus.' Vide Notas Fast. IV. vs. 775. et Trist. I. El. 8. *Heins.*

527 *Aguntur*] Exitum perinde sortiuntur. *Farn.*

528 *Liber*] De Bacchanalibus, sacro Græco, scelerum omnium seminario, videatur Liv. XCIV. lib. ubi in concione Portius Cato Consul inter cætera: 'Primum, inquit, mulierum magna pars est: deinde simillimi fœminis mares stuprati, et constupratores, fanatici, vigiles, vino, strepitibus, clamoribusque nocturnis attoniti, &c.' In his sacris Bacchantes thyrsos gerentes pampinis hederaque coronati gestabant vites, hircos, cophinos, phallos; per sylvas, montes, nemora faribundæ saltabant; dissono clamore, ululatu, tibiarum cantu et cymbalorum tinnitu omnia replebant: hic stupra promiscua, cædes infandæ. Sed plura lege apud Patres55. Arnob. 5. lib. Aug. de Civ. Dei VI. 9. et XVIII. 13. Clem. Alexand. in Protrep. Euseb. 2. lib. Præpar. Evang. c. 5. Tertull. de spectaculis. Firmicum de err. prof. relig. *F.*

529 *Turba ruit*] *Ruunt* rectius nonnulli. *Heins.*

531 *Anguigenæ*] Thebani.

532 *Attollit mentes*] *Attonuit* Naugeriani codices: optime; quam lectionem Neapolitanus et Urbinas ex nostris agnoscunt, et sec. Mediceus, et Excerpta Calandræ: agnoscit et Scholiastes Statii ad lib. VII. Theb. Noster sæpe hoc verbo utitur. Phædræ Epist. 'Ut quas semideæ Dryades Faunique bicornes Numine contactas attonuere suo.' *Heins.*

534 *Ut quos non bellicus*] Res longe indignissima, moveri et expugnari cantibus ac vocibus fœminarum, ebriorum; et a constantia, gravitate, magnitudine animi et fortitudine tam facile dimoveri. *Bellicus ensis*] Magis placet quod primus Gronovianus pro diversa lectione exhibebat, *belliger ensis.* Barberin. *bellifer.* Sic apud Martialem, 'Hermes belligera superbus hasta.' Pro *frondes magicæ* optimus Cantabrig. *frondes:* argute, ut ad thyrsos alludatur. Pro *terruerit*

Digitized by Google

etiam *terruerint* multi ex melioribus. *Idem.*

539 *Hac Tyron, ac profugos*] Multi veterum *A Tyro hac profugos*, quod Vivianum, Ciofanum, ac Giphanium Indice Lucretiano approbatores invenit: alii aliter codices. Ego illos sequor, qui *Hac Tyron, hac profugos* exhibent, quod eam quoque lectionem a Scholiaste Statii Theb. VII. videam agnosci: dictum ut illud Virgilii, 'Ilium in Italiam portans victosque penates.' *Idem.* *A Tyro*] Tyros insula est Phœniciæ adjacens, a Tyro Phœnicis filio dicta. Est etiam Tyros Laconiæ urbs et insula in mari rubro. *R.*

542 *Thyrsos*] Quem Græci vocant βακτρίον κλάδον. κισσινὸν βέλος. 'Pampinea cuspis.' Senec. 'Pampinea hasta.' Virgil. Hinc ipse Liber, ὁ παῖς ὁ κισσοφόρος.

547 *Vincite molles*] *Pellite* ex optimis scriptis; nam *vincite* versu primo præcesserat. *Heins.*

548 *Et patrium retinete decus*] *Revocate* pro diversa lectione pri. Gronov. et unus Palatinus: ut apud Silium, 'revocate in pectora Cannas.' *Idem.*

549 *Utinam tormenta*] Instrumenta sunt bellica a torquendis lapidibus aliisque missilibus dicta.

551 *Soraque querenda*] Hoc est, sors nostra lamentatione quidem digna foret, non vituperatione.

555 *Sed madidi myrrha crines*] *Madidus crinis* scripti. *Heins.*

558 *Commentaque sacra*] Conficta. *R.* *Patrem*] Jovem, quem ementitus est patrem. Οὐ δέχομαι βροτὸν ἄνδρα, νόθον θεόν. Bacchus apud Nonn. Dionys. XLIV. Ἀλλά ἑ τύφω Ἔγχεϊ χαλκείῳ τετορημένον εἰς πτύχα μηροῦ, Ὅττι Διὸς μεγάλοιο γονὴν ἐφεύσατο μηροῦ. *Farn.*

559 *An satis*] Acrisius Argivorum rex, occlusis portis, neque Deum hunc neque sacra ipsius admisit. *Farn.*

561 *Advena*] Bacchus, quem non civem agnoscit Pentheus, nedum Deum.

564 *Hunc avus*] Apud Euripidem in Bacchis, non audit Cadmum, non Tiresiam. *Farn.*

566 *Acrior*] Protervior, contumacior.

567 *Moderaminaque ipsa nocebant*] *Remoramina* Mediceus chartaceus ex optimo codice descriptus, pri. Basil. pri. Regius, aliique nonnulli: atque ita veterrimus S. Marci Florentinus ac priores Hamburgensis et Erfurtanus pro diversa lectione: pri. Palat. *remominaque* mendose: tres *retinaculaque:* duo *hortaminaque*, unus Baron. *revocaminaque:* non male. Vide Notas Epist. XIII. vs. 135. *Heins.* *Moderamina*] Seniorum admonitiones.

570 *Obstructaque saxa jacebant*] *Tenebant* scripti fere omnes, tres *objectaque:* duo *obstrusaque:* unus Medic. *abstrusaque*, alius *abstructaque*, alius item *obstractaque:* unus Moreti *obstructaque.* Puto *obstrataque:* verbo parum usitato, sed convenienti tamen. Pri. Gronov. *abruptaque.* Heins.

573 *Quærenti domino*] Tyranno *R.* *Cruentati*] Vulnerari a comitibus Bacchi, dum Bacchum et Bacchas prehendere tentarent. *Farn.* *Bacchum*] Famuli tamen in Bacchis Euripid. Πενθεῦ, πάρεσμεν, τὴν δ' ἄγραν ἠγρευκότες, Ἐφ' ἣν ἔπεμψας, &c. ipsum adducentes Bacchum, quem noster Acœtæ sub imagine inducit latentem.

575 *Manibus post terga revinctis*] *Ligatis* plerique. Opinor autem proxime sequentem versum esse adulterinum. *Heins.*

576 *Tyrrhena*] Qui modo vs. 576. erat Tyrrhena de gente, quomodo nunc illi patria Mæonia est? Tyrrheni, iidem Thusci et Hetrusci, a Lydis et Mæoniis oriundi, qui sub Tyrrheno Lydii fratre duce, eam Italiæ partem appulsi occuparunt quæ Hetruria appellatur, ad mare Tyrrhenum, Thuscum, seu inferum: 'ubi Lydia

Digitized by Google

quondam Gens, bello præclara, jugis insedit Hetruscis.' Virgil. Æneid. VIII. Adi Dionys. Halicarnass. I. lib. *F.*

FAB. VIII. IX. X. 586 *Linoque*] Reti, inquiunt, ex lino. Quid si ipsam signet lineam vel setam? Namque Glaucus de se lib. XIII. vs. 923. 'Nam modo ducebam ducentia retia pisces: Nunc in mole sedens moderabar arundine linum.'

589 *Accipe quas habeo*] *Habea* Sixi codex. Forte *habeas*. Heins.

591 *Aquas*] In quibus exercerem artem piscatoriam.

594 *Oleniæ*] Amaltheæ, inter sidera relatæ, quod Jovi infanti lac præbuisset prope Olenum opp. Achaiæ, quæ ortu et occasu suo pluvias inducit.

595 *Taygetemque*] Pleiadas, quarum una est Taygete. *Hyadesque*] Stellas septem in capite Tauri. ἀπὸ τοῦ ὕειν, quia etiam pluviæ, uti Vergiliæ. *Arctonque*] Ursam Borealem, Cynosuram, vel Helicen.

597 *Delon*] Ins. maris Ægæi. *Chiæ*] Chios ins. est maris Icarii, Scio. *Chiæ telluris ad oras*] Recte Langermannianus, *Diæ*. Naxos enim Baccho sacra. Non dissimili modo infra bis peccatum est. *Heins.*

599 *Saltus*] E navi in litus. *Udæque immittor arenæ*] *Innitor* unus Vossianus; et pro diversa lectione Zulichemius: vere, ut opinor. *Heins.*

602 *Quæ ducit ad undas*] *Ducat* meiores. *Heins.*

605 *Sociorum*] Duodecim, quos nominat Hyginus, Fab. 134. Noster infra viginti. *Farn.*

606 *Utque putat*] Fabulam vide apud Hygin. num. CXXXIV. ubi et Tyrrhenorum nomina. *R.*

607 *Virginea*] Ἱμερόεις ἅτε κοῦρος ἔχων ἀχάραικτον ὑπήνην. Nonn. lib. 45. ubi tota hæc fabula. *Farn.*

608 *Titubare videtur*] Vacillare mero somnoque simulabat se Bacchus, ne a nautis Deus esse cognosceretur.

611 *Quod numen*] Ἦ γὰρ Ζεὺς ὅδε γ' ἐστὶν, ἢ ἀργυρότοξος Ἀπόλλων, Ἢ Ποσειδάων, &c. gubernator ad socios in Homeri hymno Διόνυσος ἢ λρονοί.

614 *Pro nobis mitte precari*] Acœtis socii putantes se puerum, non Bacchum cepisse, non modo nolunt ipsum precari, ut sibi det veniam, sed Acœtis quoque preces ægre ferunt. Quare Bacchum irridentes atque contemnentes in delphinos omnes fuerunt conversi.

615 *Dictys ait*] *Proctis* codex S. Marci, fragmentum Theatinorum, et tres alii: pro *Protis* vel *Prothis*, quod nomen etiam exstat apud Val. Flaccum lib. III. 'Hinc Halyn, hinc rigido transcurrens demetit ense Prothin, et insignem cithara cantuque fluenti Dorcea:' quomodo illic probe Carrionis liber. *Heins.*

618 *Qui requiemque*] Portisculus. κελευστής: hortator et moderator remigum. *Farn.*

622 *Pars*] Gubernator erat, ut habet Homerus modo dicto Hymno. *Farnab. Pars hic mihi maxima juris*] Maxima, inquit, pars hujus navis est mea.

626 *Dum resto*] Dum resisto. *Farnab.*

631 *Atque mero redeant in pectore sensus*] *Pectora* meliores plerique: nonnulli etiam *aque mero*, recte; nec male unus Basileensis et duo alii *equo mero*. Heins.

632 *Quid facitis*] Homerus in Hymno de Baccho et latronibus, et Nonnus l. 45. ferunt Bacchum a prædonibus vinculis ligatum fuisse, vincula autem ultro excidisse manibus et pedibus.

634 *Proreus*] Supra v. 617. *Farnab. Pone metum Proreus*] Eum significat, qui proræ præest.

636 *Naxon, ait Liber*] Naxos insula est Ægei, Cycladum clarissima, quæ et *Dionysias* dicta fuit, ut inquit Solinus, vel quod hospita Baccho fuerit, qui Dionysius cognominatur, vel quod vini fertilitate alias Cycladas

Digitized by Google

vincat. Unde Virgil. 'Bacchatamque jugis Naxon.'

637 *Vobis erit hospita tellus*] Nihil ibi incommodi accipietis, indigenarum humanitatem experiemini. *P.*

641 *Quis te furor, inquit, Opheltes. Pro se quisque timet*] *Inquit, Acete* pri. Vatic. pri. et tert. Med. et multi præterea: quidam *Aceste* vel *Acetes:* pri. Palat. *Æetæ;* lege *Acæta:* pro *timet* unus Moreti et Sixi codex *tenet.* Scribendum, *quis te furor, inquit, Acæta, Pro se quisque, tenet? tenet furor;* ut supra, 'tantus tenet error amantem.' Deinde distingue, *lævam pete:* (nempe, inquit quisque pro se) *maxima nutu Pars mihi significat, pars quid velit aure susurrat:* maxima pars nutu mihi significat, quid velit: pars, quid velit, susurrat aure. *Heins.*

642 *Nutu*] Τυρσηνοὶ τοὺς δ' ἦγε κακὸς μόρος, οἱ δὲ ἰδόντες Νεῦσαν ἐς ἀλλήλους. Nonnus 45. Dionys. *Farn.*

647 *E quibus Ethalion*] *Æthalion* vetustiores. *Heins. Te scilicet*] Ironice vel Interrogatorie. *Farn.*

658 *Per tibi*] Μὰ ὀφθαλμοφάνη καὶ παρεόντα θεόν. Sic Mercurius per se jurat apud Plautum in Amphit. 'So. Per Jovem juro, me esse Sosiam, neque falsum dicere. Mer. At ego per Mercurium juro, tibi Jovem non credere.' *Farn.*

663 *Deducunt*] Vela prius collecta, et antennis adstricta jam solvunt et explicant. *Geminaque*] Remis velisque.

664 *Impediunt*] Αὐτίκα δ' ἀκρότατον παρὰ ἱστίον ἐξετανύσθη Ἄμπελος ἔνθα καὶ ἔνθα, κατεκρημνῶντο δὲ πολλοὶ Βότρυες· ἀμφ' ἱστὸν δὲ μέλας εἰλίσσετο κισσὸς Ἄνθεσι τηλεθάων, &c. Hymn. Hom. supradicto. *Farn. Impediunt hederæ remos*] Ne moveri possent. Hederæ autem, quæ est Baccho dicata, inest vis quæ mentes in furorem agit, ac sine vino ebrietatem inducit, ut in Problematibus Plutarchus ait. Hederæ igitur sic remos impediebant, ut nautas in furorem agerent. *R.*

665 *Distinguunt vela corymbis*] *Distringunt* prior Regius et multi alii: quod verum est. Lib. IV. 'Æquora distringunt summis Minyeides alis.' Proximo versu pro *racemiferis uvis* Scholiastes Statii Theb. IV. *umbris.* Heins. *Corymbis*] Uvæ hederarum *corymbi* dicuntur. *Farn.*

667 *Pampineis*] Thyrsi descriptio. *Farn. Agitat*] Concutit, ad terrorem nautis incutiendum. *Hastam velatam*] Thyrsi est periphrasis.

668 *Quem circa tigres*] Anastrophe est; tigres autem et lynces feræ sunt Baccho dicatæ, quas idcirco nautarum oculis objecisse Bacchus est visus, ut earum aspectu territi in mare desilirent. *Raph. Tigres, lyncum, pantherarum*] Feræ istæ significant terrificas species, imagines, et phantasmata, quæ ebriorum oculis et animis obversantur. *Farn.*

671 *Nigrescere pinnis*] Ita Menagianus: cæteri omnes, quos inspexi, *nigrescere cœpit:* male; quia *Incipit* mox sequitur. *Heins.*

672 *Corporeque et presso spinæ curvamine flecti*] *Corpore sed presso* Florentinus Sancti Marci. *Corpore et presso* primus Mediceus aliique duo. *Corpore et expresso* Urbinas. *Corpore sed presso* pri. Palat. pri. Vatic. pri. Moreti, aliique multi: nec pauciores *depresso:* cum Neapolitano: sec. Medic. *deprenso:* duo *Corpore et impresso.* Gifanius ex veteri codice ad Lucretium *Corporeque presso.* Hæret mendum. Scribe, *Corpore depresso, et spinæ curvamina flecti Incipit.* Certe unus Mediceus *curvamina.* Posset etiam legi, *Medon increscere pinnas Corpore depresso, et spinæ curvamina flecti Incipit:* ut lib. IV. de Cadmo in anguem verso, 'Duratæque cuti squamas increscere sentit.' Lib. VIII. 'increvit mutatis insula membris.' Lib. XIV. 'saxumque increscere ligno.' Similem Græcismum habes supra lib. II. 'partes quascumque sedendo Flectimur.' Deinde lege *at lati rictus;* non

Digitized by Google

et, vel *at patuli rictus:* malo etiam *Naris erant*. Idem.

682 *Dimidiæ Lunæ*] In excerptis Vaticanis Matthæi Herculani *dividuæ Lunæ;* quomodo et doctissimus Gronovius conjiciebat. Servius Æn. II. vs. 255. ‘ Amica silentia Lunæ, cujus simulacrum apud Argos relata victoria constitutum est, ab imagine ejus, quæ tunc erat dividuo orbis modo.’ Ita scribe ex vestigiis vetusti codicis. Contra, ‘juncta Lunæ cornua:’ de quibus dicendum infra lib. VII. vs. 531. *Idem.*

685 *Inque chori ludunt speciem*] Ex Virgil. Æneid. v. ‘ Haud aliter Teucrûm nati vestigia cursu Impediunt, texuntque fugas et prælia ludo, Delphinum similes, qui per maria humida nando Carpathium Libycumque secant, luduntque per undas.’

688 *Pavidus gelidusque trementi Corpore, vixque animum firmat Deus*] Plerique veteres *vixque metum:* quod ferri non potest, quia mox sequitur, *Excute, dicens, Corde metum:* vetustiores tamen, *vixque meum.* At vere optimus Berneggerianus, unus Mediceus, et unus Moreti, *Restabam solus pavidum, gelidumque trementi Corpore, vixque meum firmat Deus:* quomodo jam ante ex conjectura in prima editione curaveram reponi. Sic passim apud Comicos; ‘ vix sum meus.’ Lib. VIII. ‘ Vix sua, vix sanæ virgo Niseia compos Mentis erat.’ Lib. XI. de Alcyone corpus mariti mortui aspiciente, ‘ quod quo magis illa tuetur, Hoc minus et minus est amens sua.’ Ita enim scribendum suo loco monebimus: non *jam mens sua.* Mox *Diamque tene* ex uno Mediceo et Herculani excerptis est denuo reponendum, pro *Chiamque:* quod jam alii viderunt. *Heins. Pavidum*] Θάρει δὲ κράτωρ, &c. Bacchus gubernatori, in Hymno dict. Hom.

689 *Excute Corde metum*] Erat autem Acætes adeo consternatus et perculsus, ut eum Bacchus ipse consolari vix posset. *Pont.*

690 *Diamque*] Naxon, quam Strongylem, dein Dian, mox Dionysida, &c. appellarunt. Plin. IV. 12. *Farn.*

691 *Accessi sacris Baccheaque sacra frequento*] Duo veteres *Accedo:* sed ne bis idem dicat, lego cum primo Palat. Cantabrig. et quinque aliis, *Accensis aris Baccheia sacra frequento:* nisi mavis, *Accensusque Deo Baccheia sacra frequento;* quod impense placeret, nisi longius abiret a scripta lectione. Sic Hippolytus lib. XIV. ex antiquis libris, ‘ Numine sub dominæ lateo, atque accensor illi:’ quomodo illic ex antiquis libris castigavi: posset etiam *Adscitusque sacris Baccheia festa frequento* rescribi: de quo verbo vide Notas Met. XV.; sed alterum magis arridet, nam τὸ *deo* facile absorberi potuit a voce *que*, quæ proxime præcedit. Certe nec vulgata lectio potest ferri, et *Accensæ* illæ *aræ* valde frigent. *Heins.*

693 *Ut ira mora vires absumere posset*] Contra Palatinus: *ut ira mora vires assumere posset.* Quod magis cum sequentibus faciat. *Heins.*

694 *Præcipitem famuli rapite hunc*] *Rapite hinc*, scribendum olim videbatur: quod supra dixerat, *Attrahitè huc vinctum:* sed vetusti codices pro vulgato stant. Plautus, ‘ Rapite hunc sublimem.’ Et, ‘ Arripiam hunc obtorto collo.’ Propertius l. II. El. 29. ‘ Arripite hunc, dixit.’ Prudentius Hymno Hippolyti, ‘ Hos rape præcipites et vinctos conjice in ignem.’ Et Passione Eulaliæ, ‘ Prætor ait, Rape præcipitem, Lictor, et obrue suppliciis.’ Et Passione Romani, ‘ Præceps jubetur inde Romanus rapi.’ *Cruciatque duris Corpora tormentis Stygiæ dimittite morti*] *Diris tormentis* et *Stygiæ nocti* præstantiores. Silius Italicus lib. VI. de Bruttio milite, qui ex inflictis vulneribus deliquium animi passus fuerat, ‘ Verum ubi lux nocte e Stygia miseroque sopore Red-

Digitized by Google

dita.' *Idem. Præcipitem*] Καθείρξατ' αὐτὸν, σκότιον ὃς ἐν εἰσορᾷ κυήφας, &c. Pentheus in Eurip. Bacchis. *Farn. Præcipitem rapite hunc*] Detrahite in terram, et præcipitatum raptate: Terentianum: qui et alibi, 'sublimem hunc rape quantum potes.' Quod Plautinum Asinar. v. 2. vs. 18. 'Quin tu illum jubes ancillas rapere sublimem domum.' Et alibi, 'jam sublimem raptum oportuit. Facite inter terram et cœlum ut medius sit.'

696 *Solidis in tectis*] In carcere nulla ex parte pervio, ac præterquam per januam ingressum non habenti. *R.*

698 *Ferrumque ignesque parantur*] *Ignisque* iidem: supra, 'ferrumque ignisque sonarent.' *Heins.*

699 *Sponte*] Διαπέφευγεν ὁ ξένος, Ὃς ἄρτι δεσμοῖς ἦν κατηναγκασμένος, ibid. *Farn.*

701 *Perstat Echionides*] Pentheus Echionis filius. *R.*

702 *Vadit ubi electus*] *Ubi festus* plerique veteres: *natus* Bernegger. et duo alii; ut lib. II. 'natusque ad sacra Cithæron:' duo Erfurtani *flexus.* Heins. *Cithæron*] Mons Bœotiæ nocturnis Bacchi Orgiis resonans. 'Thyas ubi audite stimulant Trieterica Baccho Orgia, nocturnusque vocat clamore Cithæron.' Virg. Æn. IV. *Farn. Cithæron*] *Sacer et Cithæron sanguine inundavit.* Senec. Œdip. vs. 487. a Citheræ raptu deducit Lactantius l. I. alii ab Hebræo arcessunt.

706 *Ictus æther*] Aër impulsus et percussus. *Longis ululatibus*] Magnis bacchantum clamoribus.

707 *Movit*] Ad iram concitavit. *Recanduit*] Iterum est inflammata. *Audito clamore*] *Clangore* pri. Pal. et Bernegger. *Heins.*

708 *Monte medio*] In medio Cithærone.

709 *Purus ab arboribus*] Carens arboribus. *Spectabilis undique*] Qui undique et ex omni parte poterat spectari. *R.*

710 *Oculis spectantem sacra profanis*] 'Orgia quæ frustra cupiunt audire profani.' Catull. et Cicer. de Aruspic. Respons. 'Quæ non solum curiosos excludunt, sed etiam errantes.' 'Arcanis oculi removete profani.' Metamorph. VII. 2.

711 *Concita curru*] *Motu* sec. Vatic. et quinque alii. Lib. VI. 'venturi præscia Manto Per medias fuerat divino concita motu Vaticinata vias.' *Heins.*

713 *Mater, et o geminæ*] *Io geminæ* multi præstantiorum: nonnulli *et io:* unus Mediceus *et ogeone.* Forte *et Ogygiæ;* hoc est Thebanæ. *Idem.*

714 *Ille aper*] Pentheus matri Bacchi furore correptæ aper esse videbatur. *Aper*] Θῆρα, ἔλικα, νέον λῖν vocant Pentheum Euripides, Flaccus 'taurum,' 'vitulum' Persius. *Farn.*

716 *Trepidumque sequuntur, Jam trepidum*] Non placet repetitio: unus Moreti *trepideque sequuntur;* unus Patav. *turbideque; rapidumque* Rottendorph. alter Patavin. *cunctæque sequuntur;* quod placet. *Heins.*

718 *Jam te damnantem*] Ἐγώ τοι, μῆτερ, εἶμι παῖς σέθεν Πενθεὺς, ὃν ἔτεκες ἐν δόμοις Ἐχίονος. Οἴκτειρε δ', ὦ μῆτέρ, με, μηδὲ ταῖς ἐμαῖς Ἁμαρτίαισι, παῖδα σὸν κατακτάνῃς. Ἡ δ' ἀφρὸν ἐξιεῖσα, &c. Nuncius in Bacchis Euripidis. *Farn.*

720 *Actæonis umbræ*] Ὁρᾷς τὸν Ἀκταίωνος ἄθλιον μόρον, Eurip. Vide Senec. Œdip. in fin. a. 3. vs. 755.

721 *Illæ quis Actæon*] Ἡ δ' ἀφρὸν ἐξιεῖσα, καὶ διαστρόφους Κόρας ἑλίσσουσ' οὐφρονοῦσ' ἃ χρὴ φρονεῖν, &c. Euripid. Bacchæ. legend. et Theocriti Ληναὶ, et Nonnus 46. Dionys. ubi et luctus Agaves ad sanam mentem reversæ. Senec. Œdip. 443. *Farn. Precantis*] *Precanti* rectius Neapol. et unus meus. *Heins.*

722 *Altera raptu*] Urbin. Langerm. et unus Mediceus ex optimis post hæc

Digitized by Google

inserunt versum, *Ille etiam vellet cum brachia tendere matri:* quem et editiones nonnullæ agnoscunt, et pro genuino commendat Vivianus: ego temere admittendum non puto. *Idem.*

724 *Dejectis vulnera membris*] *Disjectis* nonnulli: unus Medic. bonæ notæ *directis.* Puto *direptis.* Idem.

728 *Opus hoc victoria nostra est*] Imo *opus hæc victoria nostrum est,* cum melioribus. *Idem.*

729 *Autumni frigore*] Prior Erfurtanus et novem alii cum uno Palatino *autumno frigore,* pro autumnali; eleganter: quod in suis quoque Bersmannus invenerat non intellectum; atque ita fortassis lib. XIV. quoque scribendum, 'Respiciens pandos autumno pondere ramos.' Manilius lib. II. 'In totum quia ver autumno tempore differt.' Ita Gemblacensis codex. Ausonius precatione in consulatum suum, 'Mordeat autumnas frigus subtile pruinas.' In Catalectis poëtarum Palladius de quatuor anni temporibus, 'Spicea serta ligat, calidissima solibus æstas, Temporaque autumni cingunt tua, Bacche, racemi.' In Codice Justiniani L. omnes I. titulo de feriis 'autumnos dies' codices antiqui exhibent. Plinio quoque Hist. Nat. lib. XIX. cap. 6. 'tempus autumnum' lib. XXII. cap. 5. 'æquinoctium autumnum.' *Idem.*

732 *Talibus exemplis monitæ*] Male *matres* vel *mites* in nonnullis: at placet *motæ,* quod in uno Moreti et Norico extabat. *Idem. Talibus*] Τὸ σωφρονεῖν δὲ καὶ σέβειν τὰ τῶν θεῶν, Κάλλιστον οἶμαί γ' αὐτὸ, καὶ σοφώτατον θνητοῖσιν εἶναι χρῆμα, τοῖσι χρωμένοις: ita nuncius in narrationem cædis Penthei in Euripidis Bacchis.

733 *Iamenides*] Thebanæ, ab Ismeno fluv. Bœotiæ, in qua Thebæ. *Farn.*

METAMORPHOSEON LIB. IV.

FAB. I. 1 *Alcithoë Mineias*] Florentinus S. Marci *Mineleias:* Neapolitanus et Spirensis *Minyias:* primus Mediceus *Minieias;* ut et duo alii melioris notæ in eadem bibliotheca. Scribe *Minyeas* tam hoc loco, quam infra vs. 32. *Minyeides:* et vs. 389. *Minyeia proles:* et vs. 425. *Minyeidas:* quibus locis veræ lectionis vestigia in vetustioribus membranis apparent. Hanc fabulam Nicander et Corinna in ἑτεροιουμένοις apud Græcos decantarunt, teste Antonino Liberali, etsi longe aliter illic narretur. Ovidius enim numerum sororum non expressit, duabus tantum nominatis; Alcithoë videlicet et Leuconoë; nam sic scribendum, ut mox dicemus. Antoninus tres facit, Leucippam nempe, Arsippam, et Alcathoën, ex Minya Orchomeni filio prognatas. Hinc jam apparet, quare *Minyeides* Nasoni dicantur. Suidas, Μινύα ὄνομα πόλεως καὶ Μινύας ὄνομα κύριον καὶ τὸ πληθυντικὸν Μινύαι· sic scribo. Antonini verba sunt: Μινύου τοῦ Ὀρχομενοῦ ἐγένοντο θυγατέρες Λευκίππη, Ἀρσίππη, Ἀλκαθόη· sed primo Ἀλκιθόη scribendum illic ex Ovidio satis apparet: deinde pro Ἀρσίππη, Ἀριστίππῃ agnoscit Ælianus Var. Histor. III. 42. Μόνας δὲ ἀφηρέθησαν τῆς χορείας ταύτης

Digitized by Google

λέγουσι τοῦ Διονύσου τὰς Μινύου θυγατέρας Λευκίππην, Ἀριστίππην, καὶ Ἀλκιθόην. Sic lego; non τὰς Μινύων θυγατέρας, ut est in vulgatis. Certe Plutarchus in Quæstionibus Græcis, ubi fabulam hanc tangit, τὰς Μινύου θυγατέρας quoque dicit: unde Μινυάδες tam Æliano quam Antonino appellatæ, quæ *Minyeides* Ovidio. In argumento hujus fabulæ *Alcithoë Minei filia* pro *Minyæ* perperam appellatur. Ἀρσινόην vocat, vel Ἀρσιόνην, ut est in aliis exemplaribus, Plutarchus; Ἀρσωνόην quoque Planudes hoc loco, quanquam scripti omnes pro vulgata scriptura stant: quam *Aristippen* Ælianus, Liberalis *Arsippen*. *Alcathoë* etiam pro *Alcithoë* perperam apud Plutarchum scribitur. *Heins. Orgia*] Dicuntur a Græcia omnia sacra, sed proprie sacra Liberi patris, quæ in Thracia, primum ab Orpheo instituta, a quo, ut tradit Diodor., etiam *Orphica* fuerunt cognominata. Vel ἀπὸ τῆς ὀργῆς, a furore; vel ἀπὸ τῶν ὀρῶν, a montibus, ubi celebrari solita. Alii παρὰ τὸ εἴργειν, quia profani nec initiati a sacris arcendi sunt. Illa autem primum solis mulieribus menstrua patientibus celebrari statuit, quo eas illo potissimum tempore a viris separaret. Postea aliis quoque mulieribus, ut illa celebrarent fuit permissum. *Raph. Mineias*] Minei filia. *Minyeias* Scal. legit. *Farn.*

6 *Pelle tegi*] Νεβρῶν, hinnulorum, et βασσάρων vulpium. *Crinales*] Quod in omnibus sacris fieri solet. *Farn. Pectora pelle tegi*] Habitus ille quatuor rebus continebatur: ferarum pellibus se tegebant, comas solvebant, serta pampinea sibi imponebant, thyrsos manibus præferebant. *Pont.*

7 *Serta comis*] *Coma* meliores. *Heins. Serta*] Pampinea. 'Vite caput tegitur; lateri cervina sinistro Vellera dependent,' &c. l. VI. vs. 592.

10 *Infectaque pensa*] Imperfecta, opere per festa intermisso. *Farn. Calathos*] Cistas ac fusorum lanæque repositoria.

11 *Bacchumque vocant*] Nomina Bacchi enumerat, quibus a Bacchis invocabatur. Bacchus autem dictus est, ἀπὸ τοῦ βακχεύειν; hoc est, ab insaniendo, quod et ipse et ejus comites furere viderentur. *Lyæum*] Lyæus ἀπὸ τοῦ λύειν, hoc est, a solvendo, quod curas solvat vinum: unde etiam *Liber* a nostris fuit appellatus, quod animum a curis liberet. *R. Bacchumque*] Lux huic erit ab hymno in Bacchum. Horat. Ode III. 19. et III. 25. Senec. Œdip. vs. 403. Sannazar. II. eleg. 5. Mureti Galliam do ad Catulli epithalamium 63. Jac. Gaddii l. I. 2. Hymn. Anthol. Græc. epigr. 38. c. Videndus et Joach. Camerarius problem. VI. 8.

12 *Ignigenamque*] Probe: hinc Græcis πυρογενὴς et πυριπόρος: at primus Mediceus *Indigenamque*, etiam probe. Bacchus enim Thebanus: hinc σκήλαι Θηβαιγενέος Διονύσου apud Periegetem. Mox *Nyseus* castigatiores, non *Nyseusque*. Heins. *Ignigenamque*] Fulminis ictu editum, ut l. superiore. *Satumque*] Ex utero Semeles et Jovis femore: cur πυριγενὴς vocetur, aliam rationem vide apud Strabonem l. XIII. Geogr. *Bimatrem*] Quod duas matres habuisse videtur, Semelem et Jovis femur. Idcircoque etiam *Dithyrambos* fuit appellatus, quod διὰ δύο θυρῶν, hoc est, per duas januas transierit, et uterum Semeles et Jovis femur. Vide Muret. Variar. XIX. 1.

13 *Thyoneus*] Dictus est Bacchus ἀπὸ τοῦ θύω, quod est sacrifico, impetum facio, occido, unde etiam *Thyades* Bacchæ dicuntur; sive potius a Thyone matre, quæ et Semele, sive nutrice, fuit denominatus. Turneb. Advers. XII. 8. *R. Nyseus*] A Nysa Indiæ urbe. *Thyoneus*] Idem enim est cum Sole usque juvene et radiis comato. Macrob. Saturn. I. 18. et Mythologi alii, quos consule.

Digitized by Google

15 *Nyctelensque*] A nocturnis Orgiis. *Eleleusque parens Iacchus Evan*] A clamore in Orgiis et exhortatione in bello Gigant. *Farn.* *Eleleusque parens*] *Eleleus* dictus est Bacchus ab hac voce ἐλελεῦ, qua procedentes ad Orgia celebranda, ad conserendamque pugnam utebantur. Est enim hortantis adverbium. Vinum autem hortatur, ac reddit hominem ad omnia aggredienda audacem. Unde Horat. 'Ad prælia trudit inermem,' &c. *Iacchus*] Ἀπὸ τῆς ἰαυχῆς, hoc est, a clamore. *Evan*] Vox est bacchantium, qua Bacchus ipse significatur.

16 *Et qua*] Solenne quippe erat atque e religione omnia nomina hymnis infercire, ne quod omitterent; ut et attributa et gesta. Vide quæ nos ad Senec. Œdipum, choro 2. *Farn.*

17 *Inconsumta juventa est*] Alii *juventus:* unus Basileensis et unus meus cum Spirensi, Vossiano uno, et Jureti excerptis, *juventas:* probe. Lucretius l. v. 'ævo florenti juventas Occipit, et molli vestit lanugine malas.' Prudentius l. II. contra Symmachum ex vetustis codicibus, 'Nubit anus veterana, sacro perfuncta labore, Desertisque focis, quibus est famulata juventas, Transfert emeritas ad fulcra jugalia rugas.' Tibullus l. I. Eleg. 8. 'Heu sero revocatur amor, seroque juventas:' ita duo codices Bodleiani, 'si nunc foret illa juventas' apud Virgilium Æneid. v. in longe vetustissimo Mediceo codice. *Juventas* enim juventutis Dea, quæ Græcis Hebe: eam pro ipsa juventute ponunt poëtæ. Restituit eam vocem Livio non semel doctissimus Gronovius, qui adeundus ad librum XXXVI. cap. 36. Nemesianus Cynegetico: 'Dum superant vires, dum læto flore juventas.' Plura notis ad Claudianum. 'Comis juventas' Horatio l. I. Od. 30. *Heins.*

18 *Tu formosissimus alto Conspiceris cœlo*] Liber pater, ut scribit Macrob. l. I. c. 18. Sol ab antiquis esse creditus est, quam sententiam Virgil. quoque Georg. primo sequi videtur, cum inquit, 'Vos, o clarissima mundi Lumina, labentem cœlo quæ ducitis annum, Liber et alma Ceres.' Omnium vero siderum Solem pulcherrimum esse constat. *R.*

19 *Cornibus*] Bacchus cur sit cornutus, dixi ad Senec. Hippolyt. vs. 773. *Sine cornibus astas*] An a truculentia ebriorum? An quod cornua veteribus in usum poculorum? An quod boves primus junxit Bacchus, unde et Osyris est Ægyptiis? An a robore? qua de causa Seleuci faciem in statuis cornigeram fuisse scribit Appianus in Syriacis, quod taurum ferocem, sacrificante Alexandro, vinculis ruptis, profugum, solus cornibus arreptum detinuerit. An κερασφόρος dictus ob galeam capitis arietini forma (quali Pyrrhum Epirotarum regem usum fuisse refert Plutarchus, nec non Turno 'rubræ cornua cristæ' tribuit Virgilius) insignem, in honorem patris sui Jovis Ammonis, cui et ipse aram et templum sub arietis specie erexit? An denique a cincinnis cen crobylis crinium utrinque in cornuum formam acuminatis atque retortis? cujusmodi comis spectabiles incedebant sacerdotes Lydii et Armenii. Neque alia creduntur Mosis fuisse cornua; quæ tamen alii de facie ejus intelligunt, quæ קרן, id est, radiabat, splendorem emittebat radiorum qui cornua referrent, a קרם, vel קרן, cornu. *Farn.*

20 *Oriens tibi victus ad usque*] Liber pater primus omnium cum exercitu, in quo mulieres quoque erant furentes, in Indiam ingressus fuisse, eamque subegisse, ac gentem nulli unquam hominum obnoxiam, ac sola quiete contentam, cædibus libidinibusque vexasse ac polluisse, indeque magnificentissimum triumphum reportasse fertur. *Oriens*] Ad Senec. Œdip. 114. *Farn.*

Digitized by Google

21 *Decolor India*] *Discolor* alii. Mox pro *Penthea tu*, primus Mediceus et Grævianus, *Penthea qui*. Puto *Pentheaque*. Heins. *Qua decolor*] Id est, nigra et mali coloris. *Extremo Gange*] Fluvius est Indiæ ultimus Ganges. Ælian. de Animalib. XII. 41.

22 *Bipenniferumque*] Securem ferentem, qua vites incidebat. *R. Lycurgum*] Regem Thraciæ, cui cum vites omnes in odium Bacchi exscinderet, immissa a Baccho insania, falcem cruribus suis allisit, interiitque: sed vide Homerum Iliad. Z. *Farn.*

25 *Lyncum*] Vs. 668. lib. superioris, et Nat. Com. v. 13. *Farn. Satyrique sequuntur*] Satyri nihil aliud hominis quam figuram habent. In Æthiopia nascuntur, aduncis naribus, aspera cornibus fronte, pedes caprinos habentes. Illorum saltatione ac jocis et risu plurimum oblectabatur Bacchus. *Bacchæ Satyrique sequuntur*] *Thyrsique* primus Mediceus. Noricus, *tirsique*. Opinor *thiasique;* quanquam vulgatam lectionem, non damno: thiasi chori proprie qui Baccho instituebantur; hinc 'thiasos inducere Baccho' apud Virgilium, et 'thiasi Satyrorum' Catullo: usus ea voce et Statius frequenter. Suidas, Θίασος ἱερὸς χορός· καὶ θιασώτης, ὁ χορευτής. Sic et infra in fabula Inus forte scribendum, 'Evoë Bacche sonat. Bacchi sub nomine Juno Risit, et hos thiasos præstet, tibi dixit alumnus:' non 'hos usus.' *Heins.*

26 *Quique*] Silenus, Bacchi alumnus. Lucian. concil. Deorum. Diodor. l. IV. *Farn. Senex ebrius*] 'Te senior turpi sequitur Silenus asello.' Sen. Œdip. vs. 429. φυλακρὸς γέρων, σιμὰς τὴν τρίνα, ἐπὶ ὄνου τὰ πολλὰ ὀχούμενος, Δίδος οὗτος, εἰ δὲ Σατυροί, ὀξεῖς τὰ ὦτα. Lucian. in Concil. Deor. &c. unde Horat. 'Satyrorum aures acutas.' Et Lucian. in Dial. Bacchi vocat Silenum, προγάστορα, ῥινόσιμον, ὦτα μεγάλα ὄρθια ἔχοντα, ὑπότρομον, νάρθηκι ἐπιρειδόμενον, ἐπ' ὄνου τὰ πολλὰ ἱππεύοντα ἐν κροκώτῳ, κ.τ.λ.

27 *Et pando*] *Aut pando* pri. et sec. Pal. tert. et quart. Medic. Urbin. aliique nonnulli castigatioris notæ, ut Silenum tam peditem quam equitem describat. *Heins.*

30 *Concavaque ara sonant*] Cymbala ærea. *Longoque foramine buxus*] Periphrasis est tibiæ, quæ ex buxo fieri solet. *R.*

31 *Placatus mitisque*] *Pacatus* in uno Mediceo. Statius Hercule Surrentino, 'Pacatus mitisque veni, nec turbidus ira.' *Heins. Rogant Ismenides*] Thebanæ matres ut felix faustusque adsis precantur. *Pont.*

33 *Intempestiva Minerva*] Lanificio Minervæ invento Bacchi festis parum convenienti. *Farn.*

36 *Deducens pollice filum*] *Fusum* duodecim veteres. *Heins.*

37 *Dum cessant*] Alcithoës verba: male vulgo distinguunt. *Idem.*

39 *Sermone levemus*] *Levemur* scribendum solenni Græcismo: quomodo unus Medic. et unus Basileensis. *Idem.*

44 *Babylonia Dirce*] Dercetis quæ et Δερκετὼ Actesia vocatur, et a barbaris *Atergatis*, Dea est eadem cum *Rhea*, quam Syri piscium abstinentia colunt. Unde et nomen, ut Athenæus auctor est, quasi ἀτεργάτιδος, hoc est, Syrorum lingua, sine piscibus. *R. Babylonia Dirce*] Meminit autem hujus Deæ etiam Plin. v. 25. et Strab. l. XVI. *Micyll.*

45 *Derceti*] Potest et *Derceto* legi; nam Græcis plerumque hæc Syrorum Dea Δερκετώ. *Heins. Derceti*] Veneris filia, vel ipsa Venus, cujus in Phœnicia imaginem se vidisse testatur Lucianus in lib. de Syria Dea: Θέημα, inquit, ξένον· ἡμισέη μὲν γυνή· τὸ δὲ ἐκόσον ἐκ μηρῶν ἐς ἄκρους πόδας, ἰχθύος οὐρὴ ἀποτείνεται· vel quia in aquas lapsa servata fuisset a piscibus; vel

Digitized by Google

quod Typhonem fugiens in piscem sese Cytherea novavit, &c. ut habet Manilius l. IV. Ast. Ad quem vide Jos. Scalig. et quæ adjecit Jo. Seldenus II. Syntagm. de Diis Syris c. 3. Deam hanc Syriam, Palæstinam, et Hierapolitanam vocant, Dirceto, Atargatin, Dagon, Diodorus Sic. III. lib. Hyginus. Athenæus VIII. 8. Strab. XVI. lib. Macrob. Saturn. I. 23. Ramiser. Penticont. 21. c. Lil. Gyrald. I. Syntagm. *Farn.*

46 *Palæstini*] Palæstini autem populi sunt Syriæ, Arabiæ contermini, a Palæstina urbe regioneque dicti. *Credunt coluisse figura*] Alii *mutasse* vel *habitasse*, sed meliores *celebrasse;* quod verum est: sic passim Naso. Vide hoc loco Ciofanum. *Heins.*

47 *An magis ut sumptis*] Semiramis Dercetis Deæ filia miro quodam modo a columbis coagulato lacte e proximis pastorum mapalibus rapto nutrita fuit, unde et *Semiramis* fuit appellata. Nam Syrorum lingua semiramides vocantur columbæ, quæ Syri ut Deos colunt. *R. An magis*] Cujus filia Semiramis in columbam versa est, ἐς περιστερὴν ἀπέκετο, Lucian. de Dea Syria. De expositione infantis Semiramidis, utque ab avibus nutrita sit, accreveritque, &c. Diodorus l. III. *Farn.*

48 *Altis in turribus egerit annos*] *Albis* Florentinus S. Marci; et pro diversa lectione Rottendorphianus: argute. Nam Semiramis, de qua hic agitur, Dercetis filia, in columbam est mutata. Notum illud nostri, 'Aspicis, ut veniant ad candida tecta columbæ, Accipiat nullas sordida turris aves.' Et illud Martialis, 'Quæque gerit similes candida turris aves.' Hinc apparet cur 'candida Thisbe' Statio dicatur Theb. IX. quam alibi 'Dionæis avibus circumsonam' appellarat, Homer. imitatus, qui Θίσβην πολυτρήρωνα in catalogo dixit. Sic Noster l. XV. 'niveisque frequens Sinuessa columbis:' ubi perperam *colubris* hactenus est lectum. *Heins. Altis in turribus*] In quibus libenter nidificant. Adi Pet. Victorium Variar. lect. XII. 15. *Pont.*

49 *Neis an ut cantu*] Nympha Nosolæ insulæ Erythræi maris, quæ juvenes advenas, quibus consuevisset, in pisces veneficiis mutavit: quæ et ipsa tandem a Sole, cui insula illa sacra, vindice, in piscem versa est.

50 *Tacitos*] Mutos, ἄλλοους, ut qui pulmonibus, arteria, et gutture careant. *Farn.*

51 *An quæ poma alba*] Mori arboris est periphrasis. Morus enim arbor poma primum quidem alba, deinde nigra Pyrami an Thisbes sanguine effecta ferre cœpit. *R.*

53 *Hæc placet, hæc*] Libri veteres magna ex parte, *Hoc placet, hæc:* vel *Hoc placet, hoc:* unus Vossianus *Hæc placet hinc.* Lege cum altero Erfurtano et Bersmani codice, *Hæc placet; hanc, quoniam vulgaris fabula non est, Talibus ora modis.* In Spirensi, *Hoc placet hanc.* Heins.

FAB. IV. 57 *Contiguas habuere domos*] Florent. S. Marci, Neapol. Bernegger. pri. Vatic. pri. Medic. pri. Hamburgensis, et sex alii ex melioribus, cum Spirensi et Norico, *tenuere:* et recte; nam *Oriens habuit* præcesserat. *Heins. Ubi dicitur*] Babylonis arcem a Belo conditam, regiam et urbem. Semiramis, vita functo conjuge suo Nino, cinxit muro ex latere coctili bitumine interlito, cujus ambitus 365. stadia complectitur, cum annuo spatio singula stadia singulis diebus essent perfecta. Altitudo muri inter turres, quæ erant 250. erat cubitorum 30. ipsarum turrium altitudo, cubitorum 60. latitudo 32. pedum, ut quadrigæ occurrentes facile commeare inter se possent. Qui plura volet, adeat Diodor. l. III. Strabonem XVI. Curtium l. IV. Herodotum II. Hygin. 223. cap. mediam

Digitized by Google

urbem interfluente Euphrate; per quem quo stratagemate capta fuerit a Cyro Babylon, lege Xenoph. l. VII. de inst. Cyri: vide Jo. Tzetzen l. IX. Chil. 275. *Farn.*

58 *Altam urbem*] Ad murorum ac ædium magnificentiam respexit, qua facile alias urbes Babylon superabat. *Coctilibus muris*] Latericiis et coctis lapidibus constructis. *Coctilibus*] Aristophanes Ὀρν. πᾶν τουτὶ τὸ μεταξὺ Περιτειχίζειν μεγάλαις πλίνθοις, ὥσπερ Βαβυλῶνα. *Heins.*

59 *Primosque gradus amoris*] 'Si non tangendi copla est, Eho, ne videndi quidem erit? si illud non licet, saltem hoc licebit: certe extrema linea Amare, haud nihil est.' Sic Ovid. Metam. l. X. Fab. 10. 'Ut præsens spectem Cinyram, tangamque, loquarque: Osculaque admoveam, si nihil conceditur ultra.' Item l. IX. fab. 2. 'Est mihi libertas,' &c.

60 *Tædæ*] Nuptiæ: in quibus cum aquæ et ignis sacramenta adhiberentur, faces quinque e tæda arbore a totidem pueris patrimis et matrimis præferebantur. Vide quæ nos ad Senec. Theb. vs. 263. et 507.

64 *Tanto*] Vett. libb. *Tectus magis æstuat ignis:* et unus Mess. *meus.* Farnabius.

68 *Quid non sentit amor*] Parenthesis est, rationem continens, cur amantes primi rimam illam notarint. *R.* *Quid*] 'Quis fallere posset amantem?' Virgil. de Didone, Æneid. IV. *Farn.* *Primi vidistis amantes*] *Sensistis* veterrimum fragmentum Theatinorum Romæ, et quinque alii ex nostris, quæ repetitio mihi arridet. Mox pro *vocis iter*, *voci* Urbin. fragm. Theat. et tres alii: *votis* alter Hamburg. et Lovaniensis: et *Inque vicem* meliores. *Heins.*

71 *Sæpe ubi constiterant*] Urbin. et pri. Erfurt. pri. Gronov. pri. Basil. et sex alii *ut constiterant:* pro *oscula danda*, quidam ex melioribus *oscula sola*. Idem.

77 *Datus est verbis*] Cantabr. sec. Medic. et duo alii, *datus es:* versu proximo *diversa sede*, non *parte*, meliores; nam *partique dedere* sequitur. *Id.*

81 *Nocturnos ignes*] Cœli faces stellæ, ut l. VII. vs. 103. 'Postera depulerat stellas Aurora micantes.' *Farn.*

83 *Tum murmure parvo*] Cantabr. sec. Med. et duo alii, *cum murmure;* cum statuunt: et *sub nocte* multi veteres. *Heins.*

84 *In nocte*] Concubia, intempesta. Al. *Ut nocte sequenti Fallere.* Farn. *Nocte silenti*] De silentio noctis dicturi sumus, l. VII. vs. 184.

86 *Urbis quoque tecta relinquant*] *Claustra* unus Bononiensis: hoc est, portas. Met. VIII. 'Claustraque portarum genitor tenet.' Sic Lucretio 'naturæ portarum claustra,' et 'vitai claustra.' Statius Theb. X. 'nondum illi Thebarum claustra subibant.' Juven. Sat. VIII. 'Prodita laxarant portarum claustra tyrannis.' Val. Flaccus l. III. 'nocturnaque muris Claustra cadunt.' Prudentius Passione Eulaliæ, 'Nocte fores sine teste movet, Septaque claustra fugax aperit.' Nec vero absimile Nasonem scripsisse *urbis septa;* quomodo 'portarum sepe' Trist. IV. 1. vs. 81. ex antiquis codicibus. 'Septa domorum' Lucretio bis terve, et Virgilio. *Heins.*

88 *Busta*] Sepulchri Nini moles, inquit Diodorus, altitudinis 9. stadiorum, latitudinis 10. conspicitur velut arx quædam, licet multis stadiis distans ab urbe. l. III. *Farn.*

89 *Uberrima pomis*] *Celeberrima* liber scriptus Bersmanni, ex nostris tertius Gronovianus, et Zulichemianus: tertius Mediceus *creberrima.* Sic in Amoribus 'celeberrimus ilice lucus.' *Heins.*

91 *Tarde*] 'Ut nox longa quibus mentitur amica videtur.' Hor. Epist. I. 1. 'Omnisque nimium longa properanti mora est.' Seneca.

92 *Nox exit ab isdem*] *Nox surgit* multi veteres. *Heins.*

Digitized by Google

101 *Relinquit*] Meliores *reliquit*. Heins.

115 *Timidi*] Ex Stoa, cui mors ad manum præstat portum et libertatem a malis. 'Nunquam est ille miser, cui facile est mori.' Senec. in Herc. Œtæo. 'Si piget luctus habes Mortem paratam, pectus in tela indue.' Idem in Herc. Furent. 106.

116 *Pactæ arbovis*] Constitutæ.

119 *Demisit in ilia ferrum*] *Dimisit* veteres, nisi quod in primo Moreti *dimittit*. Heins.

121 *Et jacuit resupinus humo*] *Humi* rectius quatuor melioris notæ: prior Erfurt. *Ut jacuit*. Idem.

123 *Tenui stridente foramine longas*] *Tenues stridente foramine longe* nonnulli; rectius: unus Moreti pro diversa lectione *stringente*. Mox *aëra pulsat* unus Bononiensis; ut in Arte, 'Appias expressis aëra pulsat aquis.' *Idem*.

127 *Purpureo colore*] *Puniceo* unus Ciofani cum Mureti excerptis: placet. Lib. v. 'Puniceo mistos cum sanguine fluctus' dixit. Libro II. 'Candida Puniceo perfundit membra cruore.' Lib. XIII. 'Puniceus de mole cruor manabat.' Libro v. 'Puniceum pomum.' *Idem*.

131 *Visani cognoscit in arbore formam*] *Versam formam* Arondel. et octo alii, cum uno Palatino et uno Bersmanni: recte. *Idem*.

137 *Amores*] Amatum Pyramum. *Farn*.

138 *Percutit*] *Perculit* Cantabr. duo Regii, et sex alii. Lib. v. 'Protenora perculit Hypseus.' Lib. XI. 'Perculit ora manu.' Ita codices antiqui. Apud Lucretium initio libri primi, 'perculsæ corda tua vi:' ut tres vetustissimi codices, quos inspexi: vulgati *percussæ*. Et postea iidem codices de ove, 'lacte mero mentes perculsa novellas:' quod contra fidem membranarum Gifanius non debuit mutare. *Heins*. *Claro plangore*] Magno ejulatu.

141 *Gelidis in vultibus*] In frigida facie Pyrami morientis. *Oscula fingens*] Pri. et sec. Vatic. Thuan. aliique multi *fingens*. Similis diversitas veterum librorum apud Lucanum VI. 565. 'Thessalis incubuit membris, atque oscula fingens, Truncavitque caput, compressaque dentibus ora Laxavit.' De fingendi verbo vide quæ ad Acontii epistolam notamus. Temere tamen nihil hoc loco mutandum. Epicedio Drusi, 'At miseranda parens suprema neque oscula fixit.' *Heins*.

145 *Oculos in morte gravatos*] Redi ad Cons. ad Liv. vs. 93. *In morte gravatos*] *Jam gravatos* rectius veterum nonnulli: viderunt Vivianus et Ciofanus. *Heins*.

148 *Ebur vacuum ense*] Id est, eburneam vaginam ense educto.

149 *Est et mihi fortis in unum Hæc manus*] *In unum* scripti omnes; nisi quod Jureti Excerpta *in ictum*. Lege *in unum Hoc manus*: atque ita primus Vaticanus, et quinque aut sex alii: posset etiam legi *fortis in unam Me manus*. Heins.

154 *His tamen amborum verbis*] *Hoc tamen* ex scriptis; vel *Hæc*, quomodo nonnulli. Nec male Grævianus *Vos tamen*. Idem.

155 *Miserique mei illiusque parentes*] *Miseri meus illiusque parentes* vetustiores plerique. *Idem*.

157 *Componi*] Condi, ac simul sepeliri. *Componi tumulo eodem*] Idem Patroclus petiit ab Achille, Iliad. Ψ. vs. 83. Μὴ ἐμὰ σῶν ἀπάνευθε τιθήμενα δοτέ', Ἀχιλλεῦ. Et Cleopatra Antonio voluit componi.

161 *Monumenta*] Memoriam.

166 *Quodque rogis superest*] Æn. VI. 226. 'Postquam collapsi cineres, et flamma quievit, Reliquias vino et bibulam lavere favillam, Ossaque lectis cado texit Chorinæus aheno.' Quod ex Homero, Iliad. Ψ. a vs. 37.

Fab. v. Arg. *Leucothoë*] Antequam narret, quemadmodum Leucothoë in arborem thuris fuerit conversa, expo-

Digitized by Google

nit adulterium Martis cum Venere. Sol enim Martem olim cum Venere coëuntem Vulcano ejus marito indicavit; qui indignatus, retibus tenuissimis cubile circumdedit, quibus coëuntem Martem cum Venere ita implicuit, ut nullo pacto disjungi possent. Patefacto deinde cubiculo omnium Deorum oculis spectandos subjecit: qua re Venus indignata Soli Leucothoës amorem immisit; qui, ut commodius ea potiretur, se in matris Eurynomes figuram convertit. Cum vero Orchamus pater eam vitiatam esse indicio Clytiæ Solis amicæ cognovisset, ipsam defodit in terram. Sol vero amicam miseratus, eam in tharis arborem commutavit. *L.*

168 *Leucothoë*] Cantabr. Bernegg. Spirensis, Thuan. pri. Reg. pri. Gronov. Arondel. aliique nonnulli *Leuconoë*, recte: monui jam supra: de Leucothoë Leuconoëve paulo post narrantem audiemus. Mox *referemus* pro *referamus* meliores. Paulo ante unus Leidensis pro diversa lectione *mediumque subit breve tempus*, non *fuit*, quod parum abest quin amplectar. *Heins. Vocem tenuere*] Virg. 'Tenuitque inhians tria Cerberus ora.' Et alibi; 'intentique ora tenebant.'

171 *Primus*] Fabulam hanc canit Demodocus in Homeri Odyssea Θ. Narrat et Nonnus 5. Dionys. et 25. *Farn.*

173 *Junonigenæ*] Ex Junone genito: Vulcanum enim solum Juno ex Jove suscepit.

178 *Elimat*] Perficit lima.

179 *Aranea*] Tela aranearum. *R. Nec summo*] Ἤτ' ἀράχνια λεπτὰ τά κ' οὐ κέ τις ὀδὲ ἴδοιτο, &c. Odyss. Θ. *Farn.*

181 *Et lecto circumdata collocat apte*] *Arte* plerique vetustiores. Forte *lecto alto;* quod verius puto: nam unus Vossianus *alte*. Lib. x. 'et alto Admotam lecto cum traderet, accipe, dixit.' Sic et 'altus torus' passim. *Heins.*

185 *Lemnius*] Vulcanus, qui dum matris auxilio occurreret adversus Jovem, ῥιφθεὶς ποδὸς, ut ipse narrat Iliad. A. præcipitatus a Jove de cœlo, in Lemnum decidit, ubi eum Sinties exceperunt. *Farn.*

187 *Aliquis de Dis non tristibus optat*] *Optet* unus Moreti. Puto, *atqui aliquis de Dis non tristibus optet*. Heins. *De Dis non tristibus*] Poëta in lib. II. Art. Amat. hanc fab. eleganter et graphice repetit: 'Hic aliquis ridens in me, fortissime Mavors, Si tibi sunt oneri, vincula transfer, ait.'

189 *Fabula*] Ἡ γὰρ Ἀφροδίτης καὶ τοῦ Ἄρεος ὁμοδρομίη τὴν Ὁμήρου ἀοιδὴν ἀπεργάζεται, inquit Luc. libel. de Astrologia. Ignea Martis stella significat calorem, Veneris autem stella humorem temperatum; ex horum conjunctione constat generatio: quos Sol aspectu suo elicit detegitque, Vulcani immodicus calor impedit, Neptunus, ut habet Homerus Odyss. Θ. ligatos solvit, aqua scilicet extinguit calorem: symmetria hinc Physica. Arnob. vero lib. v. ad mores refert. Quod in adulterio dicitis Martem et Venerem Vulcani esse circumretitos arte; cupiditatem dicitis atque iram vi pressas consilioque rationis. Vide Cæl. Rhodig. XVIII. 6. *Farn.*

191 *Inque vices*] Vicissim, e contrario.

192 *Hyperione nate*] Sol Hyperionis Titanis ex Thia, ut scribit Hesiodus. Unde *Hyperionides* quoque Sol ipse et *Hyperion* nomine patris interdum a poëtis vocatur.

193 *Forma colorque tibi*] *Calorque* primus Mediceus et Noricus: quod sequentia videntur confirmare. *Heins.*

203 *Amor ipse*] *Iste* cum melioribus. *Idem.*

204 *Clymeneque*] Mater Phaëthontis, de qua lib. I. et II. *Rhodosque*] Neptuni et Veneris filia fingitur,

Digitized by Google

Phœbo intime adamata, e qua septem genuit filios, quæ nomen dedit insulæ Carpathii pelagi, quæ et Phœbo dilecta dicitur, quia nulla est dies tam nubila in qua Sol non cernitur, quod illi cum Alexandria et Syracusis commune: vel quod hæc insula paludibus quondam humida solis calore arida facta sit et fertilis, ut habet Diodorus Sic. lib. VI. de Rhodo insula. Horatio dicitur 'clara,' id est, Solis radiis, urbibus, portubus, templo et Colosso Solis. Vide Comment. in Pindari oden 7.

205 *Æææ*] Persa mater Circes, Æææ dictæ ab Æa, opp. Colchorum.

206 *Clytie*] Nympha, quæ Phœbum amavit.

207 *Ipsoque illo grave vulnus habebat Tempore*] *Habebas* Bernegger. prior Erfurt. pri. Regius, aliique nonnulli. Pro *ipsoque illo*, primus Palat. primus Medic. pri. Erfurt. et Noricus, *ipsosque:* quatuor alii *ipsaque:* in Berneggeriano vox ea erat erasa: τὸ *illo* abest a Rottendorphiano. *Ipsoque nimis* alter Rogerii Twisdeni: *ipsoque loco* alter Erfurtanus: unus Mediceus pro diversa lectione *Yolieque*. Locus mendi omnino suspectus. *Heins. Vulnus*] Dolorem ob prælatam sibi Leucothoën. *Leucothoë*] Filia Orchami, regis Achæmeniæ, et Eurynomes. *Vulnus amoris*] Τὸ ὑποκάρδιον ἕλκος.

209 *Gentis*] Arabicæ, Achæmeniæ. *Farn. Gentis odoriferæ*] Odores ferentis, hoc est, Arabicæ. *Formosissima Eurynome*] Eurynome nympha fuit Oceani et Tethyos filia, uxorque Orchami, Achæmeniorum regis.

211 *Filia vicit*] *Vincit* meliores. Et mox *prisci Beli* in quibusdam, vel *prisca Beli*, pro *prisco Belo*. Heins.

212 *Achæmenias*] Persicas. Nam Achæmenii, Persæ, et Parthi populi sunt finitimi. *R.*

213 *Septimus*] A Belo, Abas, Acrisius, Danaë, Perseus, Bachæmon, Achæmenes, Orchamus.

218 *Thalamos amatos*] Amicæ Leucothoës cubiculum. *R.*

220 *Ad lumina*] Caligant qui obtrudunt lect. *ad limina*. Neque vident lumina nentibus ancillis convenire: quod nostro solenne est. Fastor. II. 'Lumen ad exiguum famulæ data pensa trahebant.' Quod de Famulis ad limina monet Dausqueus ad Sil. Ital. l. I. non huc facit. *Farn.*

221 *Lævia stamina*] Veteres plerique e castigatioribus *Lenia;* unde suspicio suboritur *Tenuia* Nasonem scripsisse: certe unus meus *Tenea*. Virgil. 'Tenuia nec lanæ per cœlum vellera ferri.' Cujusmodi proceleusmaticos illi Statioque admodum familiares esse scimus. Lucretius lib. I. ex tribus veterrimis codicibus, 'Linquitur hic quædam latitandi copia tenuis.' Nunc legitur: 'tenuis latitandi copia quædam:' *lævia* tamen *fila* in re simili et Catullus dixit, et auctor elegiæ in obitum Mæcenatis. *Heins. Ducentem*] Deducentem.

224 *Eripite arbitrium*] Veteres maxima ex parte *Arripite* vel *Abripite:* pro *matri secreta loquendi* Florentinus S. Marci et Urbinas *loquenti*. Scribe, *Arripite arbitrium matre in secreta loquente*. 'Arripere arbitrium,' quo significatu passim apud auctores, 'remotus ab omni arbitrio locus.' Et apud Nostrum lib. II. 'procul est, ait, arbiter omnis. Nuda superfusis tingamus corpora lymphis.' *In secreta*, pro loco secreto. Met. XIII. 'In secreta venit,' de Polymnestore Hecubam ad colloquium secretum admittente. *Heins.*

225 *Paruerant*] *Paruerunt* probe primus Mediceus cum Norico: dictum alibi. Mox *thalamo relicto* veteres plerique. *Idem.*

227 *Omnia*] Πανόψιος· πανδερκὲς ἔχων αἰώνιον ὄμμα. Orpheus. *Farn.*

229 *Et colus et fusi*] *Fusus*, et mox *faciem*, pro *speciem*, in vetustioribus. *Heins.*

Digitized by Google

234 *Moderatus in illam*] *In illa* idem: mox *diffamatamque* malim quam *diffamatumque*. Idem.

240 *Crudus*] Crudelis, immitis. Allusum forte ad supplicium Vestalium corruptarum. *Farn.* *Crudus*] Immitis et durus; præterea eleganter ad viridantem senectutem accommodatur: quod ex Homero plerique omnes poëtæ traxerunt.

246 *Phaëthonteos ignes*] *Phaëthontiados* primus Mediceus. Lege *Phaëthontiacos*. Heins. *Post Phaëthonteos*] Post Phaëthontem filium fulmine extinctum a Jove, qui 'sævis compescuit ignibus ignes.' lib. II. vs. 313. *Farn.*

247 *Gelidos artus*] Mortua membra. *R.*

248 *Tentat revocare*] *Tentet* cum Genevensi. *Heins.*

249 *Tantis fatum conatibus obstat*] *Cautis* unus meus. Forte *vanis conatibus*. Mox *spargit*, pro *sparsit*, scripti. *Idem.*

250 *Nectare odorato spargit corpus*] 'Ambrosio totum perducens corpus odore.' Virgil. Georg. IV. Et Statius Thebaid. XII. 'Nec non functa ducum refovendi corpora curam Iris habet, putresque arcanis roribus artus; Ambrosiæque rigat succis, ut longius obstent Exspectentque rogos, flammas neve ante fatiscant.' Ubi strenue Homerum imitatur.

251 *Tunges*] Prodibis e terra arbor thurifera, cujus gummi incensi in sacris odor ascendit ad nares Deorum. Achæmenia autem, Arabia, et Saba thure et aromatibus passim a Poëtis celebrantur. *Farn.*

255 *Tumulum*] Arenæ aggerem. *R.*

FAB. VI. Arg. *At Clytien*] Clytie nympha a Sole derelicta, cum novem dies sine ullo cibo ac potu exegisset, tandem Deorum miseratione in herbam Heliotropium conversa fingitur, quæ nunc quoque pristini amoris memor, continue folia ad Solem vertit. Unde etiam nomen accepit. Nam Heliotropium dicitur Solis conversio; ἥλιος namque *Sol*, τροπὴ *conversio* dicitur. *R.*

260 *Nympharum impatiens*] *Patiens* pri. Palat. Spirensis, et quinque aut sex alii, at Zulichemianus *Nimborum patiens*, ut Fast. IV. 'Sub Jove duravit multis immota diebus, Et Lunæ patiens et pluvialis aquæ.' Et libro II. 'Sub Jove durabant et corpora nuda gerebant, Docta graves imbres et tolerare Notos.' Horatius libro I. Od. 8. 'cur apricum Oderit campum patiens pulveris atque solis?' Et libro IV. Od. 10. 'Non hoc semper erit liminis aut aquæ Cœlestis patiens latus.' *Heins.* *Sub Jove*] Sub dio ad aërem. *R.* *Nympharum*] Commercium aliarum nympharum fugiens. *Farn.*

261 *Sedit humo nuda*] *Humi nudæ* fragmentum Moreti: quod arridet. *Heins.*

262 *Novem luces*] Novem dies.

266 *Hæsisse*] Affixa fuisse terræ, sic ut surgere non posset.

267 *Luridus*] Fuscus.

269 *Flos*] Heliotropium, inquit Plinius, se cum Sole circumagit; abeuntem sequitur, tantus amor est sideris. lib. II. 41. et l. XXII. 9. *Farn.* *Suum*] A se amatum.

FAB. VII. VIII. IX. X. XI. 271 *Ceperat*] Occupaverat, delectarat.

272 *Omnia*] Γένοιτο μέν τ' ἂν πᾶν θεοῦ τεχνουμένου. Sophocles in Ajace. θεοὶ δέ τε πάντα δύνανται. Hom. Iliad. Θ. *Farn.*

273 *Sed non est Bacchus in illis*] *Sed non et* ex melioribus: libro XV. 'talibus ora Docta quidem solvit, sed non et credita verbis.' Fast. IV. 'Casta quidem, sed non et credita.' Sic et ibi castigatiores. Pont. I. 8. 'Sunt ibi, si memini, nostra quoque consita quondam, Sed non et nostra poma legenda manu.' Virgil. Æn. VII. 'Patriis sed non et filius arvis Contentus.' Lib. VI. 'Dardanidæ venient in reg-

Digitized by Google

na Latini, Sed non et venisse volent.' Lib. x. 'Ænean petiit, sed non et figere contra Est licitum.' Silius libro xvi. 'At postremus Atlas, sed non et segnior ibat Postremo Durio.' Idem libro xv. 'Talis in Ausonia, sed non et talis Iberis Armorum eventus campis:' quomodo et illic optimæ membranæ. Ut et apud Claudianum iv. Cons. Honorii, 'Munificus largi sed non et prodigus auri.' Lucanus libro ix. 'Æquoreusque placet, sed non et sufficit humor:' quæ et illic genuina scriptura veterrimarum membranarum fide atque auctoritate confirmata. *Heins.*

277 *Daphnidis Idæi*] Daphnis, cujus interitum Virgil. quoque post Theocritum deflet, Mercurii filius fuisse memoratur: is a nympha nomine Thalia adamatus ita est, ut pellicem verita et rivalem, in saxum illum transmutarit; quamvis Theocritus illum amore tabuisse canat. *R. Quem Nympha pellicis ira*] *Nymphe.* Malo etiam *Idææ pellicis* legi, quam *Daphnidis Idæi.* Fabulam alii aliter narrant: sed cum Nasone consentit Servius ad v. 68. Eclog. ix. Mox *Nec loquor*, pro *loquar*, vetustiores. *Heins.*

281 *Adamas*] Quod Jovis mortalitatem vulgaverat olim nutritius Jovis, nempe unus ex Idæis Dactylis. *Farn.*

282 *Celme Jovi*] *Celmi* videtur reponendum, quomodo et Scaliger in ora codicis sui notarat: nam Græcis Κέλμις, τοῦ Κέλμιος, unus ex Idæis Dactylis est. Vide Hesychium in Κέλμις, et Zenobium in Κέλμις ἐν σιδήρῳ. Κέλμις quoque Clementi Alexandrino, Nonno in Dionysiacis, et Scholiastæ Apollonii. Apud Diomedem Grammaticum lib. iii. perperam legitur de Curetibus, 'Hos quidam tres putant, qui Lares esse creduntur, Damnamenous, Acmon, Celmon;' pro *Celmis.* Heins. *Celme Jovi*] Scalig. emendat, *Celmi Jovi. Satos*] De Curetum origine et officio vide Strabonem x. lib. et quæ nos ad Senec. Herc. Œt. vs. 1877. *Largeque natos Curetas*] Hanc Curetum metamorphosin nusquam me apud antiquiores legisse memini. Diomedes ait, Opem in Idam Cretensem delatam ex fuga, cum puerperii tempus instaret, primam montis partem manibus apprehendisse, atque ita partu solutam: ex impressione vero palmarum Curetas prodiisse, quos ab effectu Græci nominis dactylos, id est, digitos, et Idæos a monte nominaverunt: et Strabo ait, ἀπὸ τῆς κουρᾶς, id est, a tonsura, Curetas appellatos, quod detonsi essent. Alii ἀπὸ τῶν κορῶν, id est, a puellis, quod longas stolas ut puellæ gestarent. Curetes omnium primi armatam saltationem invexisse dicuntur, cum clypeis æneis concurrentes ludentesque, et clamore et æris tinnitu non permiserunt Jovis infantis vagitum, quem educandum susceperant, ad Saturnum pervenire. *R.*

283 *Crocon*] Crocon adolescentem amavit Smilax, quo cum frui non posset, ambo in flores conversi sunt. Plin. xvi. lib. 35. cap. *Farn.*

285 *Unde sit infamis*] Salmacis fons est Cariæ, quem qui ingrediuntur, effœminati ac molles egrediuntur. Hujus autem rei causam poëta refert in Hermaphroditi preces, qui parentes rogavit, ut quemadmodum ipse, sic alii quoque fontem illum intrantes mollescerent. Nam Hermaphroditus Mercurii ac Veneris filius fuit formosissimus, qui cum in fontem Salmacidis nymphæ ingressus foret, ita a nympha fuit colligatus, ut ex duobus corporibus unum fieret, utrumque habens sexum. *Unde*] Καὶ ἡ Σαλμακὶς κρήνη, διαβεβλημένη οὐκ οἶδ' ὁπόθεν, ὡς μαλακίζουσα τοὺς πίνοντας, &c.: Et Salmacis fons, nescio qua de causa infamis, quasi ex eo bibentes effeminet molliatque. Enimvero luxuria hominum videtur in aëris et aquæ tempe-

Digitized by Google

riem culpam referre. Atqui non hæc causam luxuriæ præbent, sed divitiæ et victus intemperans. Strabo XIV. l. Geogr. videatur et Turneb. l. XXVIII. c. 39. exponens 'Salmacida spolia sine sudore et sanguine.'

291 *Nomen*] Ἑρμοῦ καὶ Ἀφροδίτης. Farn.

292 *Fecit quinquennia*] *Duxit* Barberin. *Heins.*

296 *Lycias urbes*] Lycia, Lydia, et Caria provinciæ sunt finitimæ.

298 *Usque solum lymphæ*] *Nymphæ* pri. Palat. pri. Erfurt. et tres alii. Vide Notas Ep. v. vs. 31. *Heins.*

311 *Cytheriaco*] Pulchro, qualis Venerem deceret. Aut certe *Cytoriaco* legendum est. Et pro *deducit* Scalig. leg. censet, *diducit*. R. *Cytoriaco*] Buxeo. Cytorum autem mons Galatiæ buxo abundat. Virgil. Georg. II. 'Undantem buxo spectare Cytorum:' et Noster lib. VI. 'Inde Cytoriaco radium de monte tenebat.' *Deducit pectine crines*] *Diducit* Scaliger frustra. Sic et *lunam pectine deducere* Claudianus lib. II. in Eutrop. Statius Epithalamio Stellæ, 'nec pingui crinem deducere amomo Cessavit mea, nate, manus.' *Heins.*

316 *Cum puerum vidit*] Versus haud dubie adulterinus, quem tamen libri veteres constanter agnoscunt. *Heins.*

318 *Composuit*] Ornavit. *R. Quam*] Sic Mercurius l. II. vs. 734. 'cura adjuvat formam, Permulcetque comas,' &c.

319 *Et finxit vultum*] Sumsit vultum blandum, amantique aptum. *R.*

322 *Et mater felix*] De parentibus jam egerat. Quare rescribe *frater* cum primo Mediceo, Neap. Norico, et uno Basileensi. *Heins.*

325 *Longeque beatior illa est*] *Potentior* pri. Erfurt. pri. Med. aliique multi: quod verum est. Vide quæ noto Amor. lib. II. 2. Met. XIV. 'tantoque potentior, inquit, Paucaque laudatæ dedit oscula.' Sic et illic scribendum. Lib. X. 'ipsaque damno Est mihi proximitas: aliena potentior essem.' Juvenalis Satyra X. 'cura Natura potentior omni.' Noster lib. IX. 'At non vult Natura, potentior omnibus illis.' Unde liquet recte hic in Boschiano legi, *cunctisque potentior illis*. Lib. XIV. 'quæ te plus omnibus illis, Plus, quam credis, amo.' *Idem.*

330 *Nescit quid sit amor*] *Nescit enim quid amor* pri. Reg. Thuan. Florent. S. Marci, Neapol. sec. Med. Cantabr. pri. Vatican. aliique multi: rectius. At optime Calandræ Excerpta, *Nescia quid sit amor*. Idem.

331 *Pendentibus arbore pomis*] *Malis* omnino rectius meliores: non enim omnia poma colorata. *Idem.*

332 *Ebori*] Ὡς δ' ὅτε τίς τ' ἐλέφαντα γυνὴ φοίνικι μίγνυ. Iliad. Δ. 141. 'quod Ostro Mæonis Assyrio fœmina tinxit ebur.' Ovid. Amor. II. 5. 'Quale rosæ fulgent inter sua lilia mistæ; Aut ubi cantatis luna laborat equis.' *Farn.*

333 *Æra*] Mulieres Astrologiæ peritæ, ut Aglaonica, Plutarcho auctore lib. de defectu oraculorum, eclipseos Lunæ præsciæ, quo sibi fidem apud vulgus facerent, simulabant se carmine magico, veneficiis et rhombo posse Lunam rubore suffusam deducere: quod cum vulgo esset persuasum, laboranti Lunæ auxiliari se credebat, si pelvium tinnitu et tubarum strepitu obstreperent carminibus veneficarum, ne exaudirentur a Luna. 'Cantus et e curru Lunam deducere tentat; Et faceret, si non æra repulsa sonent.' Tibullus I. El. 8. Senec. Hipp. 787. sed præter poëtas, Liv. lib. XXVI. Plutarch. in Pericle. Tacit. I. Annal. *Idem.*

334 *Sororia Oscula*] Redi ad Epist. XI. vs. 23.

336 *Desinis? aut fugio*] Repone, *an fugio?* cum Florentino S. Marci, Neapol. pri. Vatican. et quinque

Digitized by Google

aliis. Epist. v. 'Perlegis? an conjux prohibet nova?' Amor. I. Eleg. 2. 'Cedimus? an subitum luctando accendimus ignem?' Et sic sæpe alibi. *Heins.*

341 *Ut vacuus*] Utpote ociosus, et aliis curis solutus. *Inobservatus*] Sine custode et teste. Ter. Hecyr. IV. 4. 'Ut cum illa vivas, testem hanc cum a te amoveris.' Plaut. Aulul. I. 1. vs. 15. 'Ne me observare possis, quid rerum geram.' In Menæchm. I: 2. vs. 13. 'Si sapis, virum observare desines.' Sic et Græci. Eurip. Iphigen. in Aulid. τί δέ σε τἀμὰ δεῖ φυλάσσειν. *Scilicet ut vacuus et inobservatus in herbis*] *At puer* quatuor veteres: multi alii, *Ut puer*, cum primo Mediceo: secundus Palatinus et quatuor alii, *Ut puer, ut vacuis:* Spirensis, *At puer ut vacuis.* Scribe, *Ut puer, et vacuis ut inobservatus in herbis*, vel *arvis.* Infra, 'vacuo cum vidit in arvo Præbentem Phœbo liventia terga draconem.' Et supra libro primo, 'Ut canis in vacuo leporem cum Gallicus arvo Vidit.' 'Vacui agri' non semel apud Lucanum. *Heins.*

347 *Flagrant lumina*] Ex incendio amoris: πῦρ δὲ ἐδέρκετο τοῖς ὄμμασιν. Apollodor. I. ἐν δὲ οἱ ὄσσε πλῆντο πυρός. Auson. 4. δέργμα δράκοντος. Æsch. Pers. quæ tamen non proprie de amore. *Nymphæ*] *Nymphes* multi veteres. *Heins.*

349 *Referitur imagine Phœbus*] Redi ad Epist. XVIII. vs. 77.

351 *Male*] Vix se continet: ægre se reprimit. Supra ad vs. 385. *Farn.*

352 *Applauso corpore*] *Pectore* nonnulli: rectius. Pro *brachia ducens* multi *jactans:* nil muto. Propert. lib. II. Eleg. 26. 'Vidi te in somnis fracta, mea vita, carina Ionio lassas ducere rore manus.' Sic et *ducere remos* noster supra libro primo: sic *ducere brachia* in choreis. Pro *claro vitro* nonnulli *puro;* quos inter primus Palat. ut apud Martialem, 'Candida sic puro numerantur lilia vitro:' sed *puro orbe* præcesserat. *Heins.*

356 *Vicimus, et meus est*] Scribe *en meus est*, cum Arondeliano et uno Leidensi: vel *es meus en.* Idem.

358 *Pugnantemque*] *Pugnacemque* Zulichemianus: recte. *Idem.*

360 *Juveni nunc circumfunditur illas*] *Circumflectitur* Bernegger. pri. Moreti et quatuor alii. Forte *circumplectitur. Juvenem circumfunditur* unus Vossianus. *Idem.*

362 *Ut serpens*] Αἰετὸς ὑψιπέτης...Φοινήεντα δράκοντα φέρων ὀνύχεσσι πέλωρον, &c. Hom. Il. XII. vide quæ nos ad eandem similitud. Æneid. II. Virg. *Farn. Regia ales*] Aquila, Jovis armiger.

364 *Spatiantes*] Spatiose et late se jactantes. *R. Spatiantes implicat alas*] Jam præcesserat, 'elabique volentem implicat:' quare aut ibi aut hic opinor refingi debere *impedit:* quo verbo frequenter gaudet Noster. lib. II. 'Qua venata foret silva narrare parantem Impedit amplexu.' Sed modus exemplorum non esset. *Heins.*

366 *Hostem*] Congrum, conchile, locustam aut alium piscem; vel ipsum etiam piscatorem. Vide Plinium lib. IX. 29. Ὃν πρὶν σπείραις τε βάλωται Ἄνδρας δ' ἀγρευτῆρας ὁμῶς καὶ κρέσσονας ἰχθῦς, &c. Oppianus lib. Alieuticon. II. Ælian. VII. lib. Animal. 11. c. Pierius lib. XXVII. Hieroglyph. *Farn. Deprensum polypus hostem Continet, ex omni demissis parte flagellis*] Hoc versu significatur, conchylia a polypo pisce complexu crinium detineri frangique solita. Est enim Polypus piscis sanguine carens, qui inter mollia numeratur; cui pediculi sunt octoni, a quorum multitudine nomen invenit: quos Plinius modo crines, modo cirros appellat, quoniam instar sunt capillamentorum. Ovidius 'flagella' vocat, quibus complectuntur conchylia, quorum carne vescuntur. Et ita expones 'hostem' pro conchyliis conchisve, quas peculiariter

Digitized by Google

polypi venantur, et 'flagellis,' hoc est, crinibus sive cirris, ita enim illorum pediculi nominantur, complectuntur, ut avelli non queant: sunt enim avidissimi concharum: quæ ad tactum comprimuntur, præcidentes brachia polyporum. Cavent ergo polypi, insidiantarque conchis apertis, impositoque lapillo in discuneatas grassantur, extrahuntque carnes. *Beroald.*

367 *Demissis flagellis*] *Dimissis:* ita scripti. *Heins.* *Flagellis*] Acetabulis, cirris, *σκέλεσι*, ut Oppianus, superiore nota. *Farn.*

368 *Atlantiades*] Pronepos Atlantis. Nam Atlas Maiam genuit, Maia Mercurium, Mercurius Hermaphroditum. *R.*

369 *Demissaque corpore toto*] Repone *commissaque;* quomodo unus Argentinus: neque aliter pro diversa lectione primus Vatic. pri. Gronov. et unus Mediceus, quod proprium in hac re verbum. Infra, 'commissaque in unum Paulatim tereti sinuantur acumine crura.' Lib. XII. 'qua naris fronti committitur.' Vide Notas nostras ad Claudiani Epigramma in Armentum. *Heins.*

372 *Diducat*] Veteres plerique *deducat.* Lege *seducat* cum nonnullis: et mox *jam mista;* quanquam libri veteres cum vulgatis *nam.* Puto etiam paulo ante, *ita Di jubeatis, ut istum,* non *et istum.* Idem. *Seducat*] Separet.

373 *Mista*] Coalescunt in unum, velut arbor quæ inseritur surculo.

375 *Conducat cortice ramos*] *Conducit* pri. Mediceus cum Norico. Thuan. *conducitur: cum ducit* Erfurt. Lege *conducta cortice.* In uno certe Mediceo postea inveni *conducto cortice.* Cortex sæpe fœminini generis apud Nostrum. Lib. VIII. 'Haud aliter fluxit discussa cortice sanguis.' Lib. IX. 'ut secta piceæ de cortice guttæ.' Lib. X. 'fissa cortice vivum Reddit onus.' Lib. XIV. 'fissa modo cortice lignum Inserit.' Ita codices nonnulli istis locis: neque obstat quod noster aliis locis masculino genere est usus; cum utroque genere Virgilium quoque dixisse Nonius jam observavit. Floridus Poëta, 'Cortici summæ notavi nomen ardoris mei.' Mox pro *cernit,* cum sex scriptis *cernat* est legendum. Cogitabam aliquando, *faciesque inducitur illis Una; duos ut si conducta cortice ramos Crescendo jungi, pariterque adolescere cernas.* 'Conducere corticem,' quomodo 'vulnera conducere' et 'ducere,' et contra 'diducere' apud Medicos. Val. Flaccus lib. I. 480. 'fissaque fluctu Vel pice vel molli conducere vulnera cera:' ita vetusti codices, haud dubie vere. 'Nubila conducere' Noster Metam. lib. I.; *conducere* enim, contrahere: 'partes conducere in unum' frequenter apud Lucretium occurrit. *Heins.* *Conducat*] Conjungat.

378 *Nec duo*] Ὁμοῦς γίνεται κουρή τε κορός τε. De Hermaphroditis, qui et Androgyni et Arsenothelyes dicuntur, vide Diodor. V. lib. cap. de Priapo et Hermaphrodito, et e Diodoro excerpta Photii 244. Plinius l. VII. c. 3. et 4. et quæ ibi Dalecampius. Luciani Somnium. Cœl. Rhodig. XV. 10. Ἀνδρόγυνον γὰρ ἦν τότε μὲν ἦν καὶ εἶδος καὶ ὄνομα, ἐξ ἀμφοτέρων κοινὸν, τοῦ τε ἄρρενος καὶ θήλεος. Plato in Symposio. *Pont.* *Sed forma duplex*] *Et forma* bene Bernegger. et unus Bononiensis. *Heins.*

379 *Neutrumque et utrumque videtur*] *Videntur* Florentinus S. Marci. Lege etiam *possint. Videri* quoque non male unus Bonon. et Gronov. *Idem.*

385 *Quisquis, &c.*] Salmacis, inquit Vitruvius II. 8. falsa opinione putatur Venerea mollitie implicare eos qui ex eo fonte biberint. Neque enim molles et impudici fiunt ex ea aqua: est enim ejus fontis aqua perlucida, saporque egregius. Sed quia Cares et Leleges barbari a colonia ab Argis deducta pulsi, ubi se recepissent in

Digitized by Google

montes et latrocinia ibi exercerent, descendebant aquatum ad notum sibi fontem, atque ibi in Græcorum consuetudinem et suavitatem sua voluntate reducebantur. Hinc aqua illa, non impudico morbi vitio, sed humanitatis dulcedine mollitis animis barbarorum eam famam est adepta. *Farn.*

386 *Mollescat in undis*] Malim *ab undis*, vel *ut undis*. Heins.

387 *Rata verba*] *Vota* unus Beremanni et ex nostris quinque: rectius. Propert. l. IV. 'Romulus et votis occupat ante ratis.' Noster Amor. l. III. Eleg. 2. 'Sint mea, sint domino fac rata vota meæ.' Martial. lib. IX. Ep. 18. 'Hos tibi laudatos domini rata vota capillos Ille tuus Latia misit ab urbe puer.' Idem l. IV. Ep. XIV. 'Fer rata vota patri, sic te tua diligat arbor.' Ita uterque locus ex optimis membranis constituendus: nisi quod in iis *patris*. Vulgati, 'Fac rata vota patris, sic te tua diligat uxor:' perperam; ut pluribus jam monui Notis ad Epist. II. Pont. l. II. vs. 82. *Idem.*

FAB. XII. 389 *Mineia*] Alcithoë, Arsione, et Leucothea: ut Ant. Liberalis, Leucippe, Arsippa, et Alcathoë.

390 *Urget*] Lanificium. *Farn.*

391 *Non apparentia*] Quæ, Meneides mente captæ sibi visæ sunt audire. *F.*

392 *Et olent myrrhaque crocique*] *Redolent* Neapol. Urbin. secundus et tertius Medicei, aliique complures: recte; nisi quod *halant* possit quoque legi: id enim in *olent* vel *redolent* sæpe depravatum est, ut lib. VIII. dicemus; nam sine aspiratione scribebatur: corruptum idem verbum apud Gratium in Cynegetico, 'Seu vitium exhalat, spiratque vaporibus æther Pestiferis:' *ex alto* perperam ibi legitur. Imitatus ista Gratii Nemesianus, 'Exhalat seu terra sinu, seu noxius aër Causa mali:' ita et illic emendandum. Perperam *sinus* nunc circumfertur: *malum* subintellige, quod sequitur. *Heins. Myrrhaque crocique*] Illis enim delibutus Bacchus ad eas fuerat ingressus, quamvis non videretur.

395 *Vestis*] Lana in fusis et telis, quod innuunt versus sequentes. Simile huic vide l. III. vs. 664. de Tyrrhenis nautis. *Farn.* *Vestis*] Quidquid tegit, velat, et vestit. Vestire parietes, vesticeps.

398 *Fulgorem*] Ruborem.

400 *Quod tu*] Crepusculum, lux crepera et dubia. *Farn.*

401 *Dubiæ noctis*] Crepusculum, Redi ad Amor. I. 5. vs. 5.

403 *Et rutilis collucere ignibus ædes*] Scripti omnes, Thuaneo et Urbinati exceptis, *collucent:* quod sequentia non admittunt. Forte, *rutilis lucentis ignibus ædes.* Heins.

404 *Falsa simulacra*] Imagines a Bacchio confictæ. *Ferarum*] Tigrium et Lyncum, quæ ferræ Bacchi currum trahere dicuntur. *R.* *Falsaque*] Καλεσῆγας οὖν ὁ Διόνυσος ἐγένετο ταῦρος, καὶ λέων, καὶ πάρδαλις, καὶ ἐκ τῶν κελεόντων ἐῤῥέη νέκταρ· αὐτῷ καὶ γάλα. Ant. Liberalis Fab. 10. additque πρὸς δὲ τὰ σημεῖα, &c. His prodigiis territæ, sortes mox in urnam conjectas concusserunt: exit sors Leucippæ. Ea vovit Deo sacrificium, filiumque suum Hippasum adjuvantibus sororibus dilaniavit. *Farn.*

406 *Ignes ac lumina vitant*] *Ignibus* paulo ante præcesserat: quare *lychnos* hic libenter reponam, si per libros veteres liceat. Versu proximo cum primo Regio et Langermanni excerptis repone *latebras*, pro *tenebris:* nam τὸ *tenebræ* mox sequetur. *Heins.*

407 *Parvos*] Aliter Liberalis: Αἰνεῖς Ἑρμῆς ἀφέμενος τῇ ῥάβδῳ μετάβαλεν εἰς ὄρνιθας· καὶ αὐτῶν ἡ μὲν ἐγένετο νυκτερίς, ἡ δὲ γλαὺξ, ἡ δὲ βάτ'α. ἔφυγον δὲ αἱ τρεῖς τὴν ἀκτῖνα τοῦ ἡλίου. *Farn.*

408 *Tenuesque includunt brachia pennæ*] *Tenuique penna* pri. Vaticam. sec. Medic. Florent. S. Marci, Neapol. et duo alii: unus Medic. et unus Leid.

Digitized by Google

induerunt: Bernegger. *tenuique includit brachia penna;* recte si *inducit* reponas, ut ad membranam referatur. Prudentius l. II. contra Symmachum, 'Desine terga hominis plumis obducere frustra.' De inducendi verbo vide Notas lib. IV. Pont. Eleg. 12. Fast. III. 'limoque inducere suadet; Hic paret monitis, et linit ora luto.' Ita censeo scribendum: nam *limumque* nunc legitur. Sic et 'perducere ora limo' dicebant. *Heins.*

412 *Minimam*] Μινυρίζουσι τετριγυῖαι. *Farn.*

414 *Celebrant*] Frequentant.

415 *Seroque tenent a vespere nomen*] *Trahunt* Junianus: rectius. *Heins. Nomen*] Νυκτερίδες dictæ. *Farn.*

FAB. XIII. Arg. *Tum vero totis*] Ino Bacchi nutrix ac matertera, uxorque Athamantis, in odium Junonis incidit, quod ubique Bacchi vires laudibus extollebat, cum et alumni et mariti et filiorum felicitate nimium superba videretur. Hanc igitur Juno ut affligeret ad inferos descendens unam e Furiis excitavit, quæ Athamanta in tantum furorem conjecit, ut Clearchum filium interfecerit. Ino autem mariti furorem fugiens e scopulo se una cum Melicerta altero filio in mare præcipitavit. Qui Veneris precibus a Neptuno excepti: et Juno in Leucothoën Deam, quæ *Matuta*, et Melicerta in Palæmonem, qui Latine *Portunus* dicitur, fuere commutati. *Lact.*

417 *Matertera*] Ino soror Semeles, Bacchi matertera et nutrix, nupta Athamanti Thebanorum regi.

418 *De totque sororibus expers*] *De totque doloribus* argute liber Argentoratensis: nam *tot sorores* non recte dicuntur, cum tres tantum sint, Ino, Agave, et Autonoë, Semele jam e vivis sublata. *Heins. De totque*] Semele fulmine interierat; Autonoës filius Actæon in cervum versus erat; Penthea Agave mater et sorores discerpserant: ut supra. *Farn.*

419 *Nisi quem*] Ex infortuniis namque sororum dolorem capiebat Ino, alias felix haberi poterat. *R.*

420 *Natis*] Athamanti ex Ino liberi fuere Clearchus et Melicerta: ex Nephele potiore conjuge Sthœneus, Erytræus, Leucon, Pæus, Phryxus, et Helle.

421 *Sublimes*] Inflatos spiritus, superbiam. *Farn. Alumni*] Bacchi, quem aluerat. *Alumni numine*] *Alumno* Florentinus S. Marci, et primus Vatic. a manu prima: eleganter. Statius Theb. VIII. 'Tunc dulces superos atque omne ex ordine alumnum Numen ubique sacri resonant Pæanes:' ubi perperam nunc legitur *omnem ex ordine.* Avienus Descriptione Orbis, 'dant hi quoque maxima templa Amphitryoniadæ, numeroque verentur alumnum:' ubi malo *et numen venerantur alumnum.* Idem loco corruptissimo, 'Ludunt Festa die visit sacra numen alumnum.' Idem 'vatem alumnum' dixit postea, et ante *lapsu alumno.* Sic l. X. apud Nostrum censeo scribendum, 'Murmura verborum fidas nutricis ad aures Pervenisse ferunt limen servantis alumnum:' non *alumnæ.* Et paulo post, 'et ante pedes supplex procumbit alumnos.' Et lib. XIV. 'Ne sibi dura foret per spes oravit alumnas.' Quibus locis similiter *alumnæ* nunc legitur. 'Leo alumnus' Juvenali Sat. XIV. et 'deus alumnus' Horatius Arte Poëtica. *Heins.*

422 *De pellice natus*] Bacchus, Semeles filius. *R.*

423 *Vertere*] Lib. III. vs. 670. *Farn. Mæonios nautas*] Tyrrhenos, qui a Mæonia erant oriundi. *Vertere*] Convertere in Delphinos.

424 *Nati*] Pentheos lib. III. vs. 726. *Farn.*

425 *Triplices*] Tres Minei filias, supra vs. 407.

430 *Cur non stimulatur*] In furorem agatur Ino sororum exemplo: idcirco Inferos petit, ut Tisiphonem

Digitized by Google

Inoni immittat.

431 *Exempla sororibus Ino*] *Furoribus* meliores, et recte. *Heins.*

432 *Funesta taxo*] Ferali ac pestifera. Nam taxus arbor est maxime venenata.

434 *Styx iners*] Immobilis. Paludes enim quæ non moventur, et nebulas et tetrum emittunt odorem.

435 *Simulacra functa sepulcris*] Insepulti enim et non defleti non transportabantur. Quod ex Homero et aliis cognitum satis. Elegans est illud Plauti in Mostellar. II. 2. 'Defodere insepultum.' Videatur inprimis egregia Periclis oratio in Thucyd. II. ubi ipse civibus fortiter functis parentat. Umbræ autem sunt imagines mortuorum. Virgil. VI. et Homer. Odyss. Λ. Iliad. Ψ. τὸ εἴδωλον ἄμαυρον.

436 *Novique*] Neque enim inops inhumataque turba transvehitur Styga nisi post centum annos. Vide quæ nos ad Æneid. VI. Virgil. *Farn.*

437 *Qua sit iter manes Stygiam quod ducat ad urbem*] *Ducit* Cantabr. Thuan. et multi alii cum utroque Erfurtano. Scribe, 'Qua fit iter, manes Stygiam quod ducit ad urbem:' et tolle versum proxime sequentem, cum præter rem a tenebrione sciolo hic sit inculcatus: hoc enim non voluit Naso, ignorari a novis manibus iter, sed iter totum ab iis obsideri. *Fit iter* ut l. II. ex vetusto codice, *Hac fit iter*, ubi pari modo peccabatur. *Heins.*

439 *Mille*] Ubique mors est: mille ad hanc aditus patent. Senec. Theb. 153. Plato de Tartaro hoc, in Phædone: Εἰς γὰρ τοῦτο τὸ χάσμα συῤῥέουσί τε πάντες οἱ ποταμοὶ, καὶ ἐκ τούτου πάλιν πάντες ἐκρέουσιν. ἡ δ' αἰτία ἐστὶ τοῦ ἐκρεῖν τ' ἐντεῦθεν καὶ εἰσρεῖν πάντα τὰ ῥεύματα, ὅτι πυθμένα οὐκ ἔχει, &c.

444 *Parsque forum celebrant*] Id sequitur, quod inquit in VI. Virg. Nam unusquisque apud Inferos iisdem studiis delectatur, quibus, dum viveret, tenebatur. *Imi tyranni*] Inferni regis Plutonis. *R.*

445 *Pars aliquas artes*] Lego *alias artes:* quomodo pri. Basil. pri. Gronov. et unus Ciofani. Rottendorph. *alias arces:* nonnulli *aliquas arces.* Deinde tollo et ejicio versum proximum, *Exercent, aliam partem sua pœna coërcet:* idque ex auctoritate optimorum codicum. *Heins. Pars aliquas*] Virg. Æneid. VI. 'Pars in gramineis exercent,' &c. De pœnis, eodem lib. *Farn.*

447 *Tantum odiis, &c.*] Sibimet respondet, tantum valuisse odium et iram adversus Inonem, ut nec dignitatis suæ rationem haberet. *Pont.*

449 *Cerberus*] Cerberus, quem Plutonis canem vel serpentem, Inferorum custodem nuncupant, triceps fingitur, ut terram denotet, quæ κρεάσβορος omnium mortalium per tres orbis, tum cognitas, partes; omnis ætatis, infantum, juvenum, senum, mortis genere naturali, violento, fortuito absumptorum corpora vorat. Porphyr. interpretatur esse dæmonem perniciosissimum, qui in aqua, terra, et aëre versatur: capita volunt esse leonis, canis, lupi. Horatio est *Bellua centiceps.* Vide Pausaniam in Laconicis. *Farn.*

450 *Sorores Nocte genitas*] Furias. 'Ultricesque sedent in limine Diræ.' Μνήμονες ἐριννύες. Æschyl. Promet. Sic Ennius Annal. 1. 'Corpore Tartarina prognata Palude virago, Quas omnes Erebo perhibent et nocte creatas.' Unde Virg. VII. 'Virgo sata nocte.'

451 *Nocte*] Furias Acherontis et Noctis, id est, illetabilis erroris filias; scelerum vindices; iræ, cupiditatis, libidinis, ultrices. *Farn.*

452 *Clausas adamante*] Firmissimis seris tanquam adamantinis. *Clausas adamante*] Ex Virgil. VI. 'Porta adversa ingens, solidoque adamante columnæ.' Ex Homero.

453 *Pectebant crinibus*] Thuan. Bernegg. et unus Medic. *spectabant:* an *pexabant?* Heins.

Digitized by Google

455 *Sedes scelerata vocatur*] Sceleratorum sedes vocatur carcer inferorum. Nonnullos vero ex iis qui in eo cruciabantur, enumerat poëta. *R. Scelerata*] Ubi supplicia expendunt scelerati. Virg. VI. Æn. 'sceleratum limen.' *Farn.*

456 *Viscera præbebat*] Tityus Jovis et Elaræ, filiæ Orchomeni, filius fuit; qui tamen ex Tellure natus fingitur, quod vastissimi quique et immanissimi homines, qualis fuit Tityus, Terræ filii esse finguntur. Hic cum Latonæ sive Dianæ vim inferre vellet, sagittis Apollinis ad inferos detrusus, ea pœna fuit damnatus, ut vultures cor ejus nunquam exedere cessent. Vide Natal. lib. VI. Mythol. cap. 16. *R. Viscera*] Vide quæ nos ad VI. Æneid. Virgil. 'Nec non et Tytyon,' &c. Senec. Hippolyt. 1228. *Farn. Tityus*] *Tytios* Florent. S. Marci, Berneggerianus, pri. Erfurt. et tres alii. Neque aliter fere apud Virgilium, Horatium, Lucretium, Lucanum, Statium, reliquos poëtas in optimis exemplaribus scribitur. Servius ad vs. 598. Æn. VI. 'Declinatur autem hic Tityos, Tityi: ut Delos, Deli.' *Heins.*

457 *Jugeribus distractus erat*] *Distentus* malo cum pri. Medic. Arundel. et duobus aliis. Sic apud Statium Theb. I. 'tu matris honori Terrigenam Tityon Stygiis extendis in oris.' Sic 'distendere lancem' Juvenalis Satyra V., quæ scriptura est optimorum exemplarium, 'Aspice quam longo distendat pectore lancem, Quæ fertur domino squilla:' non *distinguat*, quod Pithœi editionem occupavit. Et sic apud Lucretium quoque scribi debere opinor, lib. III. ubi de Tityo, 'Qui non sola novem distensis jugera membris Obtineat:' cum *dispersis* nunc pessime legatur: non male Lambinus *dispansis*. *Porrigi* dictus nostro in Amoribus, 'Idem per spatium Tityon porreximus ingens.' Virgil. de eodem, 'per tota novem cui jugera corpus Porrigitur.' Tibullus libro I. Eleg. 3. 'Porrectusque novem Tityus per jugera terræ.' *Mox arbos* Cantabr. Thuan. pri. Erfurt. duo alii. *Idem.*

459 *Aut urges, Sisyphe*] Sisyphus Æoli fuit filius, qui cum Isthmum latrociniis infestaret, a Theseo interfectus, ea pœna apud inferos damnatus est, ut ex ima valle saxum ad montis verticem nunquam urgere desistat. Vide Natal. lib. VI. Mythol. cap. 17. Hoc autem figmento denotantur ambitiosi, qui quamvis sæpius in petendis magistratibus repulsam ferant, ab ambiendo tamen nunquam desistunt. *R. Aut petis*] Quæ singulorum fuerint delicta, quæ supplicia, vide quæ nos olim ad Senecæ Tragœd. quæ ad Virg. VI. Æneid.: videndi Mythologi, Platonis Phædon, ad illum Mars. Ficini argumentum; Macrobius in Somnium Scipionis I. 10. Vulturem jecur immortale tundentem exponens tormenta malæ conscientiæ viscera interiora rimantis, &c. Lucretius item lib. III. et ipse fons Hom. Odyss. A. Luciani Necyomantia, Joannes Tzetzes Chiliad. 273. lib. IX.

460 *Volvitur*] Rota sc. indesinenter actus: qua expressione nihil argutius atque ingeniosius dici posse aiunt. Ego tamen æquari aut etiam superari arbitror ab illo quod seq. vs. 508. 'Tum face jactata per eundem sæpius orbem Consequitur motis velociter ignibus ignes.' Farnab. *Volvitur Ixion*] Vide Natal. lib. VI. Mythol. cap. 16. Et peccatum et præmium hujus amplectitur uno disticho Tibullus lib. I. Eleg. 3. 'Illic Junonem tentare Ixionis ausi, Versantur celeri noxia membra rota.' *Pont.*

462 *Assidue repetunt, quas perdunt, Belides undas*] *Assiduæ*, et *quas perdunt*, ex melioribus; et deinde *acie*, pro *facie*, ex iisdem: hoc est, oculo. Sic apud Senecam Hercule Furente, 'Acieque falsum turbida cœlum vides.' Val. Flaccus lib. III. 'finem

Digitized by Google

cum Phasidis alti Transierit Perses, aciemque admoverit urbi:' non *faciemque*, ut perperam nunc legitur. Sed illic de exercitu intelligendum. Lucanus lib. VIII. de Magno moriente ex vetusto codice Vossiano, 'Permansisse decus sacræ venerabile formæ, Iratamque Deis aciem:' non *faciem*; nam *vultus* subsequitur. *Heins.* *Assidue repetent*] Forte: *Assidue regerunt*, &c. quod et Gebhardo videbatur. *Idem.* *Belides*] Beli neptes. Nam Belus duos habuit filios, Danaum et Ægyptum. Is quinquaginta Danai filias totidem suis filiis desponsavit. Sed Danaus cum Apollinis oraculo didicisset, se quandoque ab uno filiorum Ægypti, suo genero, occisum iri, filiabus mandavit, ut prima nocte quæque suos maritos occiderent. Quæ quidem omnes, præter unam Hypermnestram natu minimam, quæ Lynceo sponso pepercit, a quo postea Danaus fuit interfectus, patri sunt obsecutæ. Quare ea pœna apud inferos sunt damnatæ, ut cribris aquam haurire nunquam desistant. *Belides*] 'Et Danai proles, Veneris quod numina læsit, In cava Lethæas dolia portat aquas.' Tibull. lib. I. Eleg. 3. 'Dolia virgineis idem ille repleverit urnis, Ne tenera assidua colla graventur aqua.' Itid. Lucret. lib. III. eleganter alludit ad pœnam Belid. apud inferos, vs. 1020. et seqq. 'Nec tamen explemur vitai fructibus unquam: Hoc, ut opinor, id est, ævo florente puellas Quod memorant laticem pertusum congerere in vas; Quod tamen expleri nulla ratione potestur,' &c. Videantur Lucian. Timon, et Crates, Horat. Od. III. 11.

463 *Torva*] De Junonis odio in filias Danai qui filius Beli, Epistola Hypermnestræ ad Lynceum. *Farn.*

464 *Et ante omnes Ixiona*] Quia ab eo affecta injuria fuerat, cum de stupro fuit interpellata.

465 *Cur hic e fratribus*] Nam Sisyphus et Athamas fratres fuere, filiique Æoli.

467 *Cum conjuge*] Cum uxore sua Ino.

470 *Athamantæ furores*] Imo *Sorores*: hoc est, Furiæ, quod vetustiores magno numero agnoscunt. 'Sorores Nocte genitas,' paulo ante appellarat ipse. Seneca Œdipo: 'Rupere Erebi claustra profundi Turba Sororum face Tartarea.' Virgilius quoque nunc 'Diras sorores,' nunc 'Tartareas' vocat: sic de Musis quoque. Vide Notas Trist. IV. Eleg. 1. *Heins.* *Ne staret*] Sed everteretur. *Traherent Athamantæ furores*] Hoc est, ut Athamas furiosus affectus aliquid mali perpetraret.

474 *Dejecit ab ore colubros*] *Rejecit colubras* recte veteres plerique. *Heins.*

475 *Ambagibus, inquit*] *Infit* secundus Palat. ut lib. II. 'causamque viæ scitantibus infit:' quomodo Virgilius etiam non semel: tres alii *ambagibus uti*. Idem.

479 *Lustravit*] Purgavit ab inferorum contactu. *Thaumantias Iris*] Thaumantis et Electræ filia fuit Iris. *R.*

483 *Luctus comitatur euntem*] *Comitantur* sec. Palat. tert. Medic. Excerpta Jureti, et duo alii. *Heins.*

486 *Fores acernas*] *Eburnas* duo veteres. Mox pro *exterrita* Bernegg. pri. Erfurt. et nonnulli alii, *est territa*. Idem.

492 *Circum pectora lapsæ*] *Tempora* pri. et sec. Medic. Neap. aliique nonnulli: quod præstat. Pro *parsque jacent*, scribo *jacens*; nam et illæ sibilabant: et sic pri. Gronov. *Idem.*

493 *Linguisque coruscant*] *Linguasque* prim. Pal. pri. Vatican. prim. sec. et tert. Medicei, Thuan. Spirens. aliique nonnulli. De vitulo Juvenalis Satyra XII. 'Sed procul extentum petulans quatit hostia funem Tarpeio servata Jovi, frontemque coruscat.' Virgil. 'strictumque coruscat Mucronem.' lib. X. et lib. XII. 'hastam-

Digitized by Google

que coruscat.' Et postea, 'telumque coruscat.' et 'telum fatale coruscat.' Val. Flaccus lib. II. 'ferrumque super Bellona coruscat.' Statius, 'clypeo victum Pythona coruscat.' In nonnullis, *linguæque*, in aliis *linguaque coruscans*. Deinde *abrumpit* pro *abrupit* meliores. *Idem.*

494 *Duos angues*] *Duas* liber Langerman. mox *raptas* quartus Mediceus: et *at illæ* tert. Med. et duo alii. Sic Medic. Faciei, 'Nec Mediæ Marsis findentur cantibus angues.' Infra vs. 598. ex antiquis libris, 'Me quoque cœleates in eandem vertitis anguem.' Et vs. 681. 'Varias animavit in angues.' Et vs. 791. 'Alternis immistas crinibus angues.' lib. VIII. 'modo quam tetigisse timerent Anguis eras.' *Idem.*

497 *Inspirantque graves animos*] *Animas* multi veterum, ut et ab aliis jam monitum. *Idem.* *Graves*] Δυσφόρους γνώμας, λυσσώδεις φαντασίας· quibus intellectus delusus aliud quam quod videt, videre se opinatur. Vide quæ nos ad Senecæ Hercul. furentem vs. 953. *Farn.*

498 *Mens est*] 'Quos diri conscia facti Mens habet attonitos, et surdo verbere cædit, Occultum quatiente animo terrore flagellum.' Juvenalis 13. Sat.

499 *Attulerat*] 'Attulerat secum Medea Scythicis aconiton ab oris. Illud Echidneæ memorant,' &c. l. VII. vs. 410. *Farn.*

501 *Erroresque vagos*] Libere vagandi cupidinem. *Cæcæque oblivia*] Et ratio et memoria in furiosis sopiuntur. *Pont.*

502 *Et scelus et lacrymas*] Scelera patrant, flent etiam ut pueri, et rabiunt ut canes, &c. Hæc omnia triverat et commista in olla ærea coxerat; et ne quid ad vim hujus pharmaci deesset, radicula de cicuta ea diligenter in olla versaverat. Vide Turneb. Advers. XII. 8. *Pont.*

503 *Sanguine mista*] *Tincta* multi ex melioribus. *Heins.*

505 *Vertit furiale venenum*] Doctissimo Grævio, cui multum humaniores literæ et hæ in Nasonem meæ animadversiones debent, legendum videbatur, *vergit*: de quo verbo diximus Pont. I. El. 9. vs. 54. *Idem.*

506 *Movit*] In furorem dedit. *R.*

509 *Victrix*] Voti compos. Junonisque peracto mandato. *Inania*] Vide quæ ad vs. 441. supra. *Farn.*

510 *Sumptumque recingitur anguem*] Serpentem quo cincta erat Tisiphone resolvit. *R.*

511 *Furibundus*] Hoc est, quod sibi in exemplum ultionis sumpsit Juno, supra 428, ut furiali correptus errore et mente delusus turbata, in aliud, quam quod revera est, feratur, uti Penthei mater et matertera: lib. præced. *Farn.*

512 *Retia tendite silvis*] *Pandite* primus Medic. et duo alii cum Norico: utrumque bene. *Heins.*

513 *Cum gemina prole*] Ino uxor est illi visa leæna; at Learchus et Melicerta, quorum illum in ulnis gestabat, hunc non æque infantem manu trahebat, catuli seu leunculi.

515 *Et parva Clearchum*] Athamas ex Ino Clearchum et Melicertam filios suscepit.

517 *More rotat fundæ*] Ereptum matri in saxum impingit miserum infantem. *Pont.*

518 *Discutit ora ferox*] *Ossa* Cantabr. et alter Erfurt. Sic Seneca Troasi de Astyanacte, 'ossa disjecta et gravi Elisa casu.' *Heins.*

520 *Sparsisque capillis*] *Passisque* cum Florentino, S. Marci, Neapol. prim. Vatican. sec. Medic. aliisque nonnullis: nam 'sparsi veneni' præcessit. *Idem.*

522 *Evohe*] Vox Bacchantium ab acclamatione Jovis collaudantis Bacchum in bello giganteo mutatum in leonem. Phocius in excerptis ex Proli Chrestomathia: Ἤδετο δὲ ὁ Ἰόβακος ἐν ἑορταῖς καὶ θυσίαις Διονύσου,

Digitized by Google

βεβαπτισμένος πολλῷ φρυάγματι. *Farn.*

528 *Et hos unus præstet tibi, dixit, alumnus*] Duo veteres, *hos fructus: unus risus.* Forte *hos thiasos.* Vide Notas supra hoc libro vs. 26. Malo etiam *præstat* cum uno meo, uno Leid. et uno Vossiano, ut sit sarcasmus. *Heins. Hos usus*] Hanc utilitatem, ut furias et insanias.

524 *Imminet*] Promontorium describit, unde se Ino cum Melicerta filio præcipitavit. Id autem promontorium *Molaris petra* a Pausania vocatur, qui causam insaniæ Athamantis ad exilium Phryxi et Helles transfert.

528 *Seque sup.*] Ἀπὸ ταύτης αὐτὴν ἐς θάλασσαν Ἰνὼ ῥῖψαι, &c. Pausanias in Atticis sub finem. Ino cum Melicerta, de saxo quem Molurida vocant se in mare præcipitavit, cum natu majorem filium pater occidisset, seu furore impulsus, seu ira incensus, quod Orchomeniis famem immissam uxoris nefario facinore audisset, Phryxum simul uxoris prioris filium ab illa sublatum. Namque, ut habet Nonnus 10. Dionysiacon, repudiata a Phryxo privigno, quem amabat, sterilitatem agris induxit. *Farn. Occupat*] Celeriter ascendit.

529 *Onusque*] Puer a Delphinis exceptus et in Corinthiorum Isthmon expositus, in deorum marinorum numerum referebatur, Palæmon dictus et Portunnus. Pausanias in Atticis. Lucian. in dialogis marinis. Nonnus 10. Dionysiac.

530 *Neptis*] Inus; cui mater erat Harmonia, filia Veneris. *Farn.*

533 *Miserere meorum*] *Tuorum* efficacius pri. Vatic. pri. Hamburg. et pro diversa lectione Arond.; at Bernegg. et tres alii *nepotum.* Heins.

534 *In Ionio imminenso*] Ionium mare, Græciam alluens inter Ægeum et Tyrrhenum pelagus situm. Dictum est autem ab Ionio quodam viro Illyrico, ut scribit Theopompus. Alii vero ab errore Ἰοῦς in vaccam mutatæ, Ionium putant esse denominatum.

536 *In medio profundo*] *In dia* Florentinus S. Marci: est autem Homericum epitheton, qui ἅλα δῖαν frequenter vocat, et δῖαν χθόνα Iliad. Ω. Ausonius de Claris Urbibus carm. III. 'Pacis ut in diæ gremio secura quiescat.' Ita veterrimus liber Vossianus: vulgati, *mediæ.* 'Sententia dia Catonis' apud Horatium lib. I. Sat. 2. 'dia ratio' apud Prudentium in antiquissimis, quos vidi, codicibus, præfatione librorum contra Symmachum: nec Giphanius in 'diva' mutare debuit indice Lucretiano, 'dia pabula,' 'dia otia,' 'dia voluptas,' 'diæ luminis oræ' Lucretio; nam quod Tanaquillus Faber notis ad Phædrum primo, mox et in Epistolis nuper editis alterum Lucretii locum huc trahit, ac 'dia clade' in eo reponi jubet, a scopo aberravit. Locus extat lib. VI. vs. 641. ubi de Ætna agitur, 'neque enim media de clade coorta Flammæ tempestas Siculûm dominata per agros.' Vellem vir eruditus pro emendatione sua minus fervide pugnaret; nam cum in tribus veterrimis codicibus, quorum excerpta penes me exstant, exaratum sit, 'neque enim media græcia de coorta,' nullum mihi dubium est, quin vere et apposite Isaacus Vossius, rarræ eruditionis et magni ingenii vir, castigarit, 'neque enim mediocri clade coorta.' Plura vide l. II. Fast. vs. 598. *Heins.*

537 *Gratumque manet mihi nomen ab illa*] *Graiumque* pri. sec. tert. Med. pri. Basil. et sex alii: recte. Τῆς Ἀφροδίτης. Fast. IV. 'Sed Veneris mensem Græio sermone notatum Augusor: a spumis est Dea dicta maris.' *Idem.*

539 *Majestatemque verendam Imposuit*] Significat illos effectos fuisse deos. Nam majestas, quæ a majoribus dicta est, propria est deorum.

540 *Nomenque simul faciemque novavit*] Hoc est, figuram et nomen Inus

Digitized by Google

et Melicerta commutavit. Nam Ino *Leucothea* Græce, Latine *Matuta* fuit appellata. Melicerta vero a Græcis *Palæmon*, a nostris *Portunus* fuit nuncupatus. Hominibus enim in Deos relatis nomina nova indebantur. *R.*

Fab. xiv. Arg. *Sidoniæ comites*] Matronæ Thebanæ Ino fugientem secutæ, cum ex vestigiis percepissent eam se in mare præcipitasse, Junoni invidiam facere cœperunt. Quare Juno irata, eas partim in saxa, partim in aves commutavit. *Raph.*

542 *Sidoniæ*] Thebanæ, quarum conjuges a Phœnicibus Cadmi sociis oriundi. *Farn.*

543 *Primo videre novissima*] In fronte seu prima parte scopuli illius, quem antea subjecit oculis, qua mare respicit, in ipsis arenis extabant pedum humanorum vestigia. *Pont.*

545 *Deplanxere*] Deflevere, palmis pectora plaugentes atque percutientes. *Scissis capillis*] *Cæsis* unus Vossianus et tres alii: at Florentinus S. Marci et duo Bononienses cum Spirensi *scissæ capillos*. Heins.

546 *Pellice*] Semele. Cujus gratia universam Bacchi familiam infesta odiis et vindicta prosequebatur. *Farn.*

550 *Nam quæ præcipue fuerat pia*] Pia erga reginam, quæ ipsam quoque ante alias omnes dilexerat. *Pont.*

555 *Illa manus*] Non sunt Nasoniani numeri. Puto, *In maris illa manus ut forte tetenderat undas*. Heins.

556 *Porrigit undas*] Unus Ambrosianus *porrigitur*. Scribe *porgitur*; ut sit Græcismus. Sic supra vs. 527. similiter reponendum censeo, *Summa riget, frontemque in apertum porgitur æquor*: ut persistat in Græcismo. Vide Festum in 'Surregit.' Cicero in Arateis, 'dextram porgens.' Virgil. Æn. viii. 'pocula porgite dextris.' Val. Flaccus lib. ii. sub finem, 'duci porgens carchesia Graio.' Prudentius lib. i. contra Symmachum, 'non cyathos Dis Porgere, sed medio recubantem cum Jove fulcro.' Statius Glaucia Atedii, 'porxit flores.' et Theb. viii. 'Imperat abscissum porgi.' Ausonius Idyll. xxxii. 'mihi porge fruendum.' Priscianus Periegesi, 'Persecat Hesperiam primus qui porgitur undis.' Sic et 'surpuit' apud Horatium: plenus horum Catullus. *Idem.*

557 *Laniabat*] Malim *laniebant*, digiti nimirum. *Idem.*

559 *Deprensa est*] *Deprenditur* rectius in uno Gronov. *Idem.*

560 *Gurgite in illo*] Putem *gurgite in alto*, etsi veteres constanter pro altera lectione certant: natus error ex ultima voce præcedentis versus perperam alieno loco repetita. *Idem.*

561 *Æquora distringunt summis Minoides alis*] *Destringunt* Florent. S. Marci. Neap. et alii nonnulli ex vetustioribus, quod verum puto: deinde *sumtis alis*, Zulich. Spirensis, et quatuor alii; ut supra, 'An magis ut sumtis illius filia pennis.' Lib. v. 'Vimque parat, quam nos sumtis effugimus alis.' Lib. vi. 'sumtis quin candida pennis Ipsa sibi plaudat crepitante ciconia rostro.' Lib. xi. 'alasque pedes sumpsisse putares.' Lib. xii. initio, ut quidem scribendum puto, 'Nescius at sumtis Priamus pater Æsacon alis Vivere lugebat:' ubi in vulgatis *assumtis*. Et lib. xiv. 'pennas sumsere tuæque Conjugis in volucrem niveas abiere columbas.' Juvenalis Satyra xiv. de pullis ciconiæ, 'Illi eadem sumtis quærunt animalia pennis.' Denique *Mineides* aut *Minyeides* locum hic non habent: neminem enim inveni hactenus ex antiquis scriptoribus, qui Thebanas sic appellaret. Quidam veteres *Cadmeides*: nihil rectius. Rottendorph. *Yonides*, vel *Miseides*, vel *Nineides*. Nonnulli *Menoides* vel *Menides*. Neglexerat nempe geminare librarius duas postremas literas vocis proxime præcedentis. Pro *Menides* itaque rescribendum *Ismenides*; quam conjecturam

Digitized by Google

confirmat fragmentum chartaceum a Luca Langermanno V. Cl. mihi oblatum. *Ismenides* Thebanæ ab Ismeno fluvio. Ita poëtæ passim. Noster l. VI. 'Ismenides ite frequentes.' Lib. III. sub finem, 'Thuraque dant sanctasque colunt Ismenides aras.' Et initio hujus libri, 'Placatus mitisque rogant Ismenides adsis.' Lib. XIII. 'Hospes ab Aoniis Therses Ismenius oris.' *Idem.* *Cadmeides*] Thebanæ istæ mulieres, a Cadmo auctore. Al. *Mineides.* Farn.

FAB. XVI. 563 *Luctu*] Cadmus domus suæ perpetuis cladibus obrutus, quasi cœlum illud et terram abominatus, cum uxore Hermonie jam senex Thebis migravit in Illyrium; profugus ob Linum a se interfectum; ut alii, regno pulsus ab Amphione et Zetho; ut alii, se ad Euchelienses contulit; a quibus, ex oraculi responso, dux belli contra Illyrios electus, victor iis imperavit. *Farn.*

566 *Longisque erroribus actus*] *Erratibus* pri. Erfurtanus, pri. Palat. Neap. tert. Medic. et duodecim alii, cum veterrimo fragmento quod Amstelædami inspexi. Lib. XV. 'Quæ videam natum longis erratibus actum.' Sic et ibi vetus liber. *Heins.*

567 *Contigit Illyricos fines*] In Illyricum pervenit. Est autem Illyricum regio Epiro finitima, ab Illyrio Polyphemi filio cognominata, ut scribit Appianus.

571 *Fuerat*] Rectius *fuerit* tertius Medic. et duo alii. *Heins.*

575 *In longam tenditur alvum*] Vel *porrigar* unus Leidensis. Concinna erit repetitio si et hic *porgitur* reponas. *Idem.* *Et, ut*] Οἷος χρόνος ἕρπων Ὤπασε πετρήεσσαν ἔχειν ὀφιώδεα μορφήν. Nonnus Dionys. XLVI. vel quia ibi in exilio latuit inops: vel quia homo politicus se ad mores et leges Barbarorum accommodavit: vel quia Illyriis plerisque oculi ὀξυδερκεῖς καὶ δρακόντειοι, qui interimant videndo quos diutius irati viderint: ut qui pupulas in singulis oculis binas habeant: A. Gellius IX. 4. vel denique ab ipso gentis nomine, cum ἐγχέλεως anguillam sonet, quæ 'longæ cognata colubræ.' *Farn.*

577 *Cæruleis guttis*] Maculis subviridibus, qualis est maris color.

579 *Tenuantur acumine*] *Sinuantur* in melioribus. *Heins.*

584 *Dum non totum occupat*] Malim *totam:* id est manum. *Idem.*

585 *Lingua In partes est fissa duas*] Alludit Plautus Asinar. III. 3. 'Fac proserpentem bestiam me, duplicem ut habeam linguam.' Et in Persa, II. 4. 'Bisulci lingua, quasi proserpens bestia.'

591 *Cadme, quid hoc*] Puto, *Cadme, ubi vox?* Heins.

593 *In eundem anguem*] *Eandem* pri. Medic. et tres alii: dictum supra. *Idem.*

594 *Ille*] Lege sis quæ refert ex Plutarcho Pierius lib. XIV. hieroglyph. de angue puellæ amasio. *Farn.*

596 *Colla petebat*] *Premebat* malo cum uno Basil. in Cantabr. et octo aliis *tenebat:* an *terebat?* Heins.

597 *Quisquis adest, aderant comites, terretur*] *Terrentur* secundus Mediceus et unus meus. Ita et libro XV. 'Quisquis adest visum venerantur numen:' ex antiquis libris. Sic apud Virgilium Æn. II. Donatus, teste Pierio Valeriano, et multi vetustissimi libri, 'Et jam Argiva phalanx instructis navibus ibant, Littora nota petens.' *Idem.* *At illa Lubrica permulcet cristati colla draconis*] Ita vetustiores: nonnulli *illis perlucent*, vel *illi perlucent: illas permulcent* Urbinas. Deinde *dracones* alter Hamburgensis, et Gronovianus unus pro diversa lectione. Scribe, *at illi Lubrica perlucent cristati colla dracones.* 'Cristati colla,' familiaris Nasoni Græcismus. Vetustiorum codicum vestigiis si insistis, occurrit scriptura, quam veram censeo, *at illos Lubrica permulcent cristati colla dracones. Illos permulcent*, comites vi-

Digitized by Google

delicet. Hinc postea, 'Nunc quoque nec fugiunt hominem, nec verbere lædunt.' *Idem.*

600 *Donec in appositi*] Donec se in contiguo nemore occultaverunt.

FAB. XVII. 603 *Solatia Magna nepos dederat*] *Fuerat* unus Vossianus et fragmentum veterrimum, quod Amstelædami vidi. Eleganter Epicedio Drusi, 'At tu qui superes miseræ solatia matri.' Remedio Amoris, 'Dixit, et hanc habuit solatia magna prioris.' *Heins.*

604 *Nepos*] Bacchus, ex Semele, filia sua. *Farn.*

605 *Positis templis*] Ponere, locare, instituere, quæ vocabula et Virgilio familiaria. 'Mœnia prima loco.' Æn. III. 'Solido de marmore templa Instituam.' *Achaia*] Græcia. Nam Achaia pars est Græciæ, unde Achæi pro Græcis accipiuntur.

606 *Solus Abantiades*] Acrisius Abantis Argivorum regis fuit filius, paterque Danaës, ex qua Perseum Juppiter suscepit. Is a Prœto fratre pulsus regno a Perseo nepote fuit restitutus, a quo tandem invito, cum disco luderet, fuit interemptus. *Ab origine eadem*] Quia et ipse ab Jove originem ducebat. Nam Belus Jovis fuit filius, is vero pater fuit Abantis, cujus filium Acrisium fuisse diximus. *R.*

607 *Urbis Argolicæ*] Urbs Argolica non alia est quam Argos, quæ interdum, sed numero multitudinis, Argi, pro tota Græcia et pro Græcis ponitur.

608 *Contraque Deum ferat arma*] Paratus enim erat armis eum excludere, et obnitentes comites ac ministros ejus occidere. *Contra Deum ferat arma*] Sic Ennius apud Merul. 'Cave sis tuam contendas iram contra cum ira Liberi.' Consule Tzetz. Chiliad. VI. histor. 60. *Genusque Non putat esse Deum, neque enim Jovis esse putabat Persea*] *Putet* meliores; et pro *Deum*, Arondelianus, Mureti Excerpta, et quatuor alii ex nostris, ex Ciofanianis tres, *Jovis*. Scribe, *genusque Non putet esse Jovis: sed nec Jovis esse putabat Persea.* Exciderant tres voces *sed nec Jovis*, errore nato ex neglecta a librario oscitante repetitione τοῦ *Jovis*, versui pro arbitrio tibicinem postea nescio quis admorat, sed sine successu. Potest et rescribi, *nam nec Jovis esse putabat Persea.* Paulo ante pro *Acrisius superest*, Genevensis *superat*: ut in illo Virgilii, 'superatne et vescitur aura Ætherea?' *Heins.*

610 *Pluvio*] Acrisius oraculum consuluerat maremne pareret uxor an fœminam: respondit oraculum, nullum se habiturum filium; nepotem aliquando e filia, a quo ipse occideretur. Danaën itaque filiam cum nutrice inclusit thalamo aheneo subterraneo in specu; cui se immisit Jupiter in aureum imbrem conversus, fucumque fecit mulieri. Epimythium dabit, Hor. III. Ode 16. et Paul. Silent. Antholog. lib. VII. χρύσεος ἀψαύστοιο διέτμαγεν, &c. *Farn.* *Pluvio auro*] Nam Jupiter in auri guttas conversus in Danaës gremium pluisse fingitur. *Pluvio Danaë conceperat auro*] Redibis ad Amor. II. El. 19. vs. 27.

613 *Pœnitet*] Quia et Perseum Jove digna gessisse accipiebat, et Bacchum in numerum Deorum jam esse relatum videbat. *Alter*] Perseus, qui a Polydecte rege Seriphi, ad quem arca, in qua ipse cum matre inclusus fuerat, appulsa est, ad debellandas Gorgonas, petendumque Medusæ ex iis natu maximæ caput, missus: accepit a Mercurio talaria et harpen, a Plutone galeam, a Pallade ægida et speculum: victor reversus dum Medusæ caput per cœlum volans portaret, guttæ Gorgonei capitis decidum in serpentes mutatæ sunt. Causam naturalem et historicam ad fabulam

Digitized by Google

convertit. Transtulit poëta locum hunc ex Apollonii Argonaut. v. Εὖτε γὰρ ἰσόθεος Λιβύην ὑπερέπτατο Περσεὺς, &c. Vide quæ nos ad Lucanum lib. IX. 619. et deinceps. Sed vide Clariss. Baconi Vet. Sap. de Perseo sive bello interpretantis, Perseo, id est, ad bellum probe instructo opus esse celeri expeditione, occultis consiliis, providentia, &c. Vide Apollodorum lib. II. et allegorice expositam ab Is. Tzetze sub initio Lycophr. Cassandræ. *Farn.*

614 *Viperei referens spolium*] Medusæ serpentigerum caput, quod vel Deorum vel Palladis jussu præciderat, secum per aëra volans portabat. *Pont.*

616 *Cumque super Libycus*] Guttas sanguinis ex Medusæ capite cadentes in terram Libyam varios in serpentes conversas fuisse narrat poëta: quod ideo fictum videtur, quia Libya serpentibus venenosis abundat.

618 *Varios angues*] *Varias* duo veteres: monui supra. Mox *infestaque terra colubris* cave mutes in *infectaque*, quod veteres nonnulli agnoscunt. Seneca Hercule Œtæo, 'Quodcunque tellus genuit infesta, occidit.' Ita optimus codex, vulgati *infestum*: minus bene. *Heins.*

FAB. XVIII. 620 *Per immensum*] 'Immensi copia mundi.' Metam. II. vs. 157.

622 *Ex alto seductas æquore*] *Æthere* potiores antiqui. Sic lib. I. 'recens tellus seductaque nuper ab alto Æthere.' Mox *geminas Arctos* pro *gelidas* Berneggerianus: utrumque probum. Lib. III. 'Si totum spectes, geminas qui separat Arctos.' *Heins.*

624 *Gelidas Arctos*] Gelidos septentriones, ad quos nunquam Sol accedit.

625 *Sæpe est delatus*] *Ablatus* veteres. *Heins.*

627 *Hesperio regis Atlantis in orbe*] Imo *regnis* per appositionem, quod in plurimis antiquis extat. Sic lib. XIII. 'Neritiasque domos regnum fallacis Ulyssi.' Virgil. Æn. III. 'Effugimus scopulos Ithacæ, Laërtia regna.' *Idem.*

629 *Cursus diurnos*] *Currus* probe Bernegger. et quartus Mediceus: currus solares intelligit. *Idem.*

630 *Cunctis præstans*] *Cunctos* Florentinus S. Marci, Bernegger. et tres alii; optime: totidem *custos*: proxime verum. Statius Theb. IV. 'Argolidasque habitu præstabo maritas.' Ita Cornelius Nepos, Val. Maximus, alii sæpe. Servius ad Æn. XI. vs. 447. 'Et præsto illum, hoc est, melior sum illo, et præsto illi dicimus.' *Idem.*

631 *Japetionides*] Atlas Japeti filius fuit, frater Promethei, ut alii, Hesperi: rex Mauritaniæ, ad Oceanum occiduum, qui ab illo *Atlanticus* dictus. *Farn.* *Ultima tellus*] Mauritania cum reliquo occidente.

635 *Vicinia nulla premebat*] *Premebant* recte Florentinus S. Marci, et prior Erfurtanus, cum uno meo. Vide Notas Fast. III. 181. *Heins.*

637 *Ex auro poma ferebant*] Gronovius legendum censet, *tegebant*, id est, poma aurea tegebant aureos ramos. Quamquam alii aliter distinguentes, *gerebant* malint. *Pont.* *Poma*] Aurea hæc mala alii putant fuisse citria vel Medica. Dalecampius, ad Athenæi III. 7. Alii, oves corporis magni et coloris subrutili: τῷ μήλῳ utrumque significante. Pollux. Alii stellas interpretantur, quod Astronomiæ peritus fuerit Atlas. Natal. Com. VII. 7. Aurifodinas alii. *Farn.* *Poma tegebant*] Ita meliores: et recte. Perperam alii *ferebant* vel *gerebant*. Pro *nitentes* unus Moreti *micantes*. Heins.

642 *Themis Parnassia*] Quæ in monte Parnasso templum habet. *R.* *Themis*] Vide l. I. vs. 321.

644 *Hunc titulum*] Hanc gloriam.

645 *Pomaria claudebat Atlas Montibus*] *Mœnibus* tertius Mediceus, uter-

Digitized by Google

que Erfurtanus, veterrimum fragmentum Amstelædamense, et octo aut decem alii: quod præstat. Hinc *munire* pro munire. Pro *clauserat* Mediceus chartaceus ex veterrimo descriptus *carpserat*. Forte *sepserat*. Heins. *Pomaria*] Hortos arboribus consitos. *R.*

646 *Draconi*] Cui Ladon nomen. Apoll. Argonaut. IV. Λάδων Εἰσέτι πουχθιζὸν παγχρύσεα ῥύετο μῆλα Χώρῳ ἐν Ἄτλαντος, χθόνιος ὄφις, quem fluvium interpretantur volumine sinuoso circumdantem hortos Hesp. *Farn.*

647 *Arcebatque externos*] Inhospitalis totus et inhumanus Atlas, quasi qui regnum αὐταρκὲς haberet. *Pont.*

650 *Manibusque expellere tentat*] *Foribusque* schedæ vetustissimæ Theatinorum Romæ, et primus Bononiensis. Mox *par esset Atlanti viribus*, non *Atlantis*, quinque scripti. *Heins.*

655 *Protulit ora*] *Prodidit* Fragmentum Amstelædamense optimæ notæ. Adi Notas Fastor. v. 508. *Idem.*

656 *Nam barba comæque*] *Jam* ex quatuor scriptis. *Idem.*

657 *Juga sunt humerique*] Jugum est summa montis ipsius planicies, per quam transitus vel hominibus patet: dictum quod illic mons potissimum jungatur.

659 *Partes altus in omnes*] Alii *actus*; nonnulli *auctus*, quod verum esse existimo. Mox *requiescit* pro *requievit* Bernegger. et septem alii. *Heins.*

660 *Omne*] Propter Astronomiæ scientiam, sphæramque ab illo inventam fingitur Atlas cœlum sustinere. Diodor. l. IV. sub initio addit, illum cum in altissimum montem ad astrorum cursus observandos ascendisset, subito a ventis abreptum. Idem ref. Vives ad August. de civit. Dei. I. 18. Sed vide Aristot. II. de Cœlo, et Tzetzen Hist. I. 5. Macrob. II. Quando siderum motus, aut ratio cœpta est genethliaca sciri? non post Theulin Ægyptium, aut post Atlantem, ut quidam ferunt, gestatorem, bajulum, tibicinem illum ac destinam cœli? Arnobius l. II. *Farn.* *Sic Dii statuistis*] Voluistis. Cujus autem rei rationem assignare non possumus, ad Deorum potentiam referre solemus. *R.*

FAB. XIX. 662 *Hippotades*] Æolus, Jovis ex Acesta filius, Hippotæ nepos, Αἴολον Ἱππότεω παῖδα κλυτόν. Apollon. l. IV. qui quum naturam ventorum adverteret, atque ex ortu et occasu siderum, statisque anni temporibus, ut et regionum marisque æstus reciproci, ventos prædiceret, ταμίαν τῶν ἀνέμων καὶ βασιλέα vocarunt ac crediderunt, inquit Strabo II. et VI. Virgil. Æneid. I. *Farn.* *Hippotades*] Metam. XIV. fab. 5. et 6. 'Æolon Hippotaden cohibentem carcere Ventos,' &c. Κεῖνον γὰρ ταμίην ἀνέμων ποίησε Κρονίων. Hom. Odyss. K. vs. 21. *Æterno carcere ventos*] Quare dicatur carcer æternus, ex quo venti frequenter emittantur, non video. Censeo igitur scribendum *terreno carcere*: certe unus Leidensis *externo*. Tempus nocturnum describit, quo venti plerumque silent. *Terreno* pro subterraneo: familiaris ea vox Nasoni. Sic l. VII. 'terrena silices fornace soluti.' Et ibidem, 'terrena numina.' Et l. XV. 'terreno Lycus est epotus hiatu.' Et libro I. 'terrena fæx:' quomodo et 'terreni artus' Virgilio l. VI. et, quod ad rem potissimum facit, libro XI. 'fuit ingens monte sub alto Regis Dercenni terreno ex aggere bustum.' *Heins.*

664 *Pennis resumptis*] Talaribus, quæ per noctem deposuerat.

665 *Teloque*] Harpe. *Farn.*

667 *Circumque infraque relictis*] Cantabr. et quatuor alii *circaque*. Oxon. *citraque*. Forte *citraque ultraque*: ut l. V. 'Dextera diriguit, nec citra mota nec ultra.' *Heins.*

668 *Cephaeque conspicit arva*] Pri. Vatic. Oxon. Timan. et duo alii *Ce-*

Digitized by Google

pheia: eleganter. Sic lib. XIV. ex antiquis libris, 'Rhegion ingreditur, ferventes æstibus undas:' cum Rhegion non sit unda, sed urbs undæ apposita. Mox *Andromedan* meliores: de quo alibi dictum. *Heins. Cepheia arva*] Cephei regna. Cepheus enim Phœnicis fuit filius, rexque Æthiopum, et Cassiopes maritus, ac Andromedæ pater, qui Andromedam filiam propter uxoris superbiam monstro marino objicere fuerat coactus. Cum enim Cassiope mater se Nereidibus pulchriorem esse jactaret, precibus ipsarum motus Neptunus belluam marinam immisit, quæ Æthiopiam vastaret. Quare consultus Jupiter Hammon, qua ratione Nereides placari possent, respondit Cephei Cassiopesque progeniem monstro esse objiciendam. Andromedam igitur cum ad scopulum religatam Perseus vidisset, ea conditione se illam liberaturum pactus est, ut sibi uxor promitteretur. Cæterum Phineus Cephei frater, cui, antequam monstro exponeretur, Andromeda fuerat desponsata, cum vi eam Perseo eripere conaretur, multis interfectis, reliquos in se ruentes Perseus ipse Medusæ capite detecto in lapides commutavit. *R.*

669 *Maternæ linguæ*] Nam Cassiope de pulchritudine cum Nereidibus contendere fuerat ausa.

670 *Injustus jusserat Hammon*] *Immitis Hammon* tres scripti, et pro diversa lectione Grævianus: unus Leidensis *immites*. Heins.

673 *Tepido fletu*] *Trepido* Neap. secundus Mediceus, pri. Erfurt. multique alii: recte *trepido*, ut appareret esse vivam. *Idem.*

674 *Marmoreum opus*] Marmoream statuam. *R.*

680 *Primo silet illa, nec audet Appellare virum*] *Stupet illa* primus et secundus Palat. aliique multi melioris notæ. *Appellare virum* an recte dicatur, quæ respondet appellanti, dubito. Quare, si per membranas liceat, reponam *Aspectare*, quod sequentia confirmant. Sic lib. XIV. ex antiquis membranis, 'cælum aspectasse fatebor.' *Heins. Nec audet*] Elegantissime picturam hanc expressit Lucianus περὶ οἴκου. Ὁ Περσεὺς τὸ κεῖτος φονεύει καὶ τὴν Ἀνδρομέδαν καθαιρεῖ mox, ἐν βραχεῖ δὲ πολλὰ ὁ τεχνίτης ἐμιμήσατο αἰδῶ παρθένου καὶ φόβον, &c. virginis, inquit, verecundiam expressit artifex et metum: spectat enim pugnam desuper ex rupe, et adolescentis audaciam amatoriam, et belluæ visum ἀπρόσμαχον. Argumentum citat ex Herodoto in Polymnia. Sed et vide Persea Philostrati Iconum lib. I. et Pausaniam in Corinthiacis. *Farn.*

681 *Appellare virum*] Loqui viro. *R.*

687 *Et nondum memoratis omnibus*] Puto *at*, vel *en nondum*. Heins.

689 *Imminet*] *Eminet* cum melioribus. *Heins.*

690 *Et una mater adest*] *Et amens* primus Basil. et quatuor alii, rectius: hoc est, consternata, sine mente. Fast. IV. 'Excutitur somno stulte pia mater, et amens, Quid facis? exclamat.' *Idem.*

694 *Tum sic*] *Cum* scripti: paulo ante malim pro *sed dignos fletus, Nec secum auxilium, nisi dignos tempore fletus Plangoremque ferunt:* sed obstant codices. *Idem.*

695 *Ad opem brevis hora ferendam*] *Ferenda* veteres plerique. Scribo, *at opi brevis hora ferendæ est.* Adi Notas Fast. III. vs. 241. *Idem.*

696 *Hanc ego si peterem*] Merito Perseus dotes suas et virtutes et facta apud ignotos exponit, quo facilius id quod cupit accipiat. *R. Illa*] Φάρκοι ἀμαύρωσεν γένος, &c. υἱὸς Δανάας, τὸν ἀπὸ χρυσοῦ φαμὲν ἀϋτοῤῥύτου ἔμμεναι. Pindarus Pyth. Od. XII. Ἀλλὰ πατὴρ Περσῆος ὀλύμπιος ὄμβρος ἐρώτων Χρύσεος εἰς γάμον ἦλθε, καὶ οὐ φλογόεις παρακείτης. Nonn. Dionys. 47. *Farn.*

Digitized by Google

697 *Quam clausam implerit fœcundo Jupiter auro*] *Quam quondam* nonnulli. Puto *Quam lusam:* ut libro VI. 'Aureus ut Danaën, Asopida luserit igneus.' Et paulo post ibidem de Apolline, 'ut pastor Macareida luserit Issen.' Amor. I. Eleg. 10. 'Qualis erat Lede, quam plumis abditus albis, Callidus in falsa lusit adulter ave.' Epistola Helenæ, 'Matris in admisso falsa sub imagine lusæ Error inest: pluma tectus adulter erat.' Libro VIII. Met. 'Nec Jove tu natus, nec mater imagine tauri Lusa tua est.' Prudentius libro I. contra Symmach. 'At si Rhea sacram lascivi Martis amore Lusa pudicitiam fluviali amisit in ulva.' Vulgatum *clausa* sic absolute positum nescio an satis sit Latinum. *Heins.*

708 *Balearica*] Lib. II. vs. 727. monuimus in nonnullis veterum *balearia* legi. *Idem. Balearica*] Balearium ins. incolas fuisse peritissimos funditores, et supra dictum, et satis notum. *Farn.*

710 *Repulsa*] Sic lib. II. vs. 786. 'Fugit; et impressa tellurem reppulit hasta.' Vide quæ nos ibi. *Farn.*

713 *Præpes*] Ales. Præpetes vero majores dicuntur aves, quarum ex volatu auguria colliguntur. *R.*

714 *Præventem*] Apricantem se ad Solem. *Farn.*

715 *Occupat adversum*] Imo *aversum*: ut recte præstantiores membranæ, *Heins. Occupat*] Corripit.

716 *Squammigeris*] Τοῖς ἀμφὶ νῶτ' ἐράτῃ πάταγος ἤρεος ἀντιπάλῳ, δυσχείρωμα δράκοντι. Sophocl. Antigone. Supra vs. 362. *Farn.*

717 *Sic celeri missus præceps per inane volatu*] *Præpes misso* Cantabrig. *misso* etiam in multis melioris notæ: *præpes missus* nonnulli: *præceps missum* optimus Thuaneus. Scribe, *Sic celeri præpes fissum per inane volatu.* Germanicus Cæsar de Perseo, 'properare videtur, Et velle aligeris purum æthera findere pennis.' Quæ ibi vera lectio. Noster ipse paulo ante de eodem Perseo, 'Et liquidum motis talaribus aëra findit.' Statius Theb. XI. 'Nunc pede torvus humum, nunc cornibus aëra findit.' 'Aëra disco findere' idem Hercule Surrentino. 'Sectæ talaribus auræ' Propertio l. II. Eleg. 30. *Heins.*

719 *Curvo tenus hamo*] Usque ad capulum, cui ferrum recurvum solet apponi, gladium suum in armo piscis condidit. *R. Inachides*] Perseus Argivus ab Inacho, prisco Argivorum rege.

720 *Vulnere*] Audi Luclanum prælii hujus victoriæque præconem, in lib. περὶ τοῦ οἴκου· Καὶ θηρίον μὲν ἔκτεισε πεφρικὸς ταῖς ἀκάνθαις, καὶ δεδεττόμενον τῷ χάσματι. Καὶ ὁ Περσεὺς δὲ τῇ λαιᾷ μὲν προδείκνυσι τὴν Γόργονα· τῇ δεξιᾷ δὲ καθυπεῖται τῷ ξίφει. Καὶ τὸ μὲν ὅσον τοῦ κήτους εἶδε τὴν Μέδουσαν ἤδη λίθος ἐστί· τὸ δ' ὅσον ἔμψυχον μένει, τῇ ἅρπῃ κόπτεται. *Farn.*

724 *Quaque patent nunc terga*] *Patet* meliores magno numero: quod elegantius. Sic supra de scopulo, 'Summa riget.' Vide Notas Fastor. V. vs. 382. *Heins. Quaque patet*] Ictui scil. qua mersa non sunt. *Pont. Super obsita*] Desuper tecta atque cooperta conchis et ostreorum testis. Balenarum enim tergoribus conchæ ostreaque adhærere solent.

726 *Vulnerat ense*] Neap. Cantabr. secundus Mediceus, Spirensis, prior Erfurt. et quatuor alii *verberat:* eleganter et probe. *Heins.*

727 *Puniceos*] Quia mistos sanguine, quem tot vulnera eliciebant.

728 *Maduere graves aspergine pennæ*] Pennæ alarum Persei et madidæ et graves respersione fluctuum, quos evomebat bellua, sunt effectæ.

729 *Bibulis*] Aspergine madidis. *F.*

731 *Stantibus aquis*] Quiescente mari.

732 *Rupisque tenens juga prima si-*

Digitized by Google

nistræ] *Sinistra* ex scriptis. *Heins.*

734 *Cum plausu*] Δεσμοὺς Ἀνδρομέδης πτερόεις ἀνελύσατο Περσεὺς Ἄξιον ὄβριν ἔχων. Nonnus 47. Dionys. *Farn.*

740 *Dura ne lædat arena*] Secundus Medic. sec. Pal. Neapol. prim. Hamburg. aliique nonnulli *nuda arena:* recte. Sic *nuda terra* passim, et *nuda humus.* Heins.

742 *Phorcynides*] Phorci et Cetus filiam. Vide quæ nos ad Lucan. IX. vs. 629. *Farn.*

745 *Novum rigorem*] Baccæ coralii sub aquis candidæ et molles exemptæ confestim durantur et rubescunt. Plin. XXXII. 2. ad eum Dalecampius. *Farn.*

748 *Seminaque ex illis ut erant*] *Iterant* recte multi codices, ut jam ab aliis monitum. Pro *coraliis* scribe *curaliis* cum Florentino S. Marci et Neapolitano, vel *curallis* cum Urbinati: hoc est, κουραλίοις vel κουράλλοις nam in κοραλίοις prima corripitur, quanquam non ignoro per ω etiam κωράλια scribi. Sic l. XV. in duobus veterrimis codicibus etiam *curaliis* scriptum offendi: sic *bubus*, pro *bobus*, priore producta. *Pulydamas*, pro *Polydamas.* Mox malim, *quæque Vimen in æquore erant, flant super æquora saxum.* Heins. *Seminaque*] Σπέρματά τε ἐξ ἐκείνων ἀναζωπυροῦσιν ἐν τοῖς ὕδασι βίψασαι. Maximus Planudes in Græca sua Ovidii Metamorphos. versione. *F.*

FAB. XX. Arg. *Dis tribus ille focos*] Perseus ob monstrum illud marinum debellatum Diis gratias agere, ac sacrificare decrevit, ac primum tres aras tribus Diis, Minervæ, Mercurio, ac Jovi ex cespitibus in littore extruxit, deinde vaccam Mercurio, taurum Jovi immolavit.

753 *Lævum*] Primus honoris locus medius, proximus sinister, inquit Lipsius Electorum II. 2. Cur itaque assignatur Palladi locus supra Mercurium a ratione victimæ quæ Palladi potior et propria; ut XII. vs. 151. Auson. Epigram. 64. '*Ærea hæc steteram, mactata est vacca Minervæ.*'

755 *Taurus*] Jovi mactari taurum negat Servius ad Æneid. III. et Macrob. Saturn. III. 10. Asserit Xenophon Cyropæd. et Julianus ad Libanium. Vide quæ nos ad Senecæ Medeam vs. 60. et Hercul. Fur. vs. 299. *Farn.* *Alipedi*] Mercurio alas in pedibus habenti, ut qui et velocissimus sit planetarum, et cum talaribus alatis pingatur.

756 *Et tanti præmia facti*] Scribe, *ut tanti præmia facti:* malo etiam *capit*, quod est in uno Gronov. et Barberino, quam *rapit* cum vulgatis. *Andromedam* etiam pro *Andromeden* meliores: de quo alibi dictum. *Heins.*

757 *Rapit*] Allusum forte ad Rom. morem, ubi virgines e gremio matris rapi solitæ, in memoriam et omen raptarum Sabinarum, quod Romulo et suis feliciter cessit. *Tædas Præcipiunt*] Quid est *præcipere tædas?* Florentinus S. Marci optimus *Præcutiunt:* recte. Propert. lib. III. Eleg. 15. 'Ipse Amor accensas percutit ante faces:' ubi *præcutit* quoque opinor scribendum. Hinc et 'quassæ faces' apud Nostrum in fabula Narcissi, et 'quatere facem' non semel alibi. In primo Gronoviano *Percutiunt.* In Urbinati vetus scriptura penitus erasa: in uno Leidensi *Præcipitant;* in duobus aliis *percipiunt.* Propert. l. I. Eleg. 3. 'Cum quaterent sera nocte facem pueri.' Catullus Epithalamio Manlii, 'Manu pineam quate tædam.' 'Quassare facem' etiam obvium. *Heins.*

758 *Largis*] De apparatu, ritibus, et festivitate celebri nuptiarum, vide quæ nos ad Lucan. VI. vs. 254. et deinceps: et Alex. ab Alex. II. 5. *Farn.*

759 *Et ubique lyraque*] Locus mendosus. Arondel. et unus Patav. *et ibique:* quatuor alii *citharæque.* Lovaniensis pro diversa lectione *ibique:*

Digitized by Google

primus Gronov. *tectisque tubæque:* unus Moreti *tectis tubæque*. Scribendum jam diu adolescens olim vidi et monui, *letique lyræque*, quod doctissimo etiam Gronovio videbatur, qui adeundus Observat. IV. 15. tum quæ notamus Remed. Amor. vs. 753. *Heins.*

763 *Cepheni proceres*] Importune versus iste spurius huc irrepsit, quanquam constanter eum agnoscunt libri veteres. Pro *pulchroque instructa paratu*, in uno Mediceo non male, *patrioque:* alius *multoque*. Veterrimæ Theatinorum schedæ *totoque*. Puto *lautoque*. Mox etiam rescribo *Postquam epulis functos*, videlicet, *animos*. Durius enim videtur *functi generosi*, duæ voces contiguæ in eandem literam desinentes, quod studiose nimis evitat noster. *Idem.*

764 *Generosi munere Bacchi*] Ζωρότερον. Homer. Iliad. IX. vs. 203. Athen. X. 6. εὐζωρότερον: ubi de sententia eorum vocabulor. Plutarch. Sympos. V. quæst. 4. ubi multa lectu digna. Martial. XIII. Epigr. 55.

765 *Diffudere*] Lætitiæ dator Bacchus; illa vero diffundit dilatatque cor, tristitia contrahit. *Farn.*

766 *Quærenti protinus unus Narrat Lyncides*] Hæc absunt a Berneggeriano et primo Moreti, secundo Mediceo, Spirensi, et duobus aliis. Nonnulli ex vetustioribus priorem versum totum omittunt. Schedæ Theatin. et tertius Mediceus, *Quærit Lyncides moresque habitumque virorum*. Pro *Lyncides*, Aldi postrema editio, *Buthides*. Muretus ex veterrimo notat, *Narrat Abantiades. Anchiades* Arondelianus. Deinde in illis *cultusque genusque locorum*, et *moresque animosque virorum* mire variant libri veteres: multi veteres cum primo Mediceo, *mores habitumque virorum:* unus meus, *habitusque locorum*. Nimiram etiam hoc loco sinistra sciolorum liberalitas insigniter grassata est. Scribe, *Postquam epulis functos generosi munere Bacchi Diffudere animos, quærenti protinus unus Narrat Abantiadæ cultusque habitumque locorum:* vel, *Postquam epulis functos generosi munere Bacchi Diffudere animos; cultusque habitumque locorum Quærit Abantiades, quærenti prodidit unus, Quæ simul edocuit:* nisi malis *quærentem protinus unus Quæ simul edocuit*, omisso uno versu: neque aliter codex Noricus a manu prima; nisi quod in illo legebatur *quærenti* cum vulgatis, non *quærentem:* 'cultus locorum' etiam Statio dictus Sylv. II. Villa Surrentina, et lib. III. ad Uxorem. Apposite Virgilius Georg. I. 'cæli prædiscere morem Cura sit, et patrios cultusque habitusque locorum.' *Heins.*

767 *Lyncides*] Aut Lyncei filius, aut certe proprium est nomen.

769 *Quanta virtute*] Scripserat, puto, Ovidius *qua tu virtute quibusque Artibus*. Heins.

771 *Narrat Abantiades*] *Agenorides* in melioribus; recte: ab Agenore enim Danaus Persei proavus oriundus. *Idem.*

772 *Tutum munimine molis*] *Septum* alter Hamburgensis. Vide Notas lib. II. 713. Versu proximo pro *habitasse*, primus Gronovii, unus Palatinus, et duo alii *habuisse;* eleganter. Paulinus Epist. I. ad Ausonium, 'Non lare barbarico rigui mutatus in ipsos, Inter quos habui, socia feritate colonos:' inter quos habitavi. Virgil. lib. VII. 'Quæ loca, quive habeant homines, ubi mœnia gentis Vestigemus.' Sic apud Comicos 'ubi habet?' pro, ubi habitat? adi Nonium in 'Habere:' neque aliter optimi scriptores passim, sed plerumque cum quarto casu conjungunt; ut noster lib. XV. 'Leucada continuam veteres habuere coloni.' Silius lib. VIII. 'Quique Anienis habent ripas.' Similem usum habet τὸ ἔχειν apud Græcos. *Idem.*

Digitized by Google

772 *Locum jacentem*] Planum et spaciosum campum. *Solidæ molis*] Solidi muri. *R. Locum jacentem*] Metam. II. 178. 'Ut vero summo despexit ab æthere terras Infelix Phaëthon, penitus penitusque jacentes:' ubi vide notas Nobiliss. Heinsii.

773 *Geminas*] Γραῖας, Pephredo et Ervo: Zenodotus addit tertiam Dino: filias item Cephel, sorores Gorgonis: his unicus erat oculus, unus dens, quibus per vices utebantur sorores: hos intercepit Perseus, atque his instructus, ad Gorgonas avolavit, Medusam dormientem offendit, eique collum amputavit. Lege quæ Is. Tzetzes ad Lycophr. ibi λαμπτηροκλέπτης τριπλανοῦς ποδηγίας, &c. Erasmi adag. 'Orci galea:' et Luciani Dialog. Tritonis et Nereidum in dial. marinis: Apollodor. lib. II. *Farn.*

774 *Unius sortitas luminis usum*] *Partitas* meliores magno numero: lib. VII. 'populisque recentibus urbem Partior.' *Heins.*

777 *Horrentia saxa*] *Arentia* Bernegger. Spirensis, Arondel. et octo alii: ut lib. XIII. 'rodunt arentia saxa capellæ.' *Idem.*

781 *Clypei Ære repercusso*] Vitreum hunc clypeum a Minerva habuisse dicitur, per quem videret, nec videretur. Lucianus ait, Minervam illi clypeum velut facem aut speculum refulgens prætulisse, et in eo Medusæ imaginem spectandam exhibuisse. Postea Perseum sinistra arrepta illius coma, et inspecta imagine; dextra autem sublata harpe, caput abscidisse; atque ita, prius quam sorores reliquæ expergiscerentur, avolasse. *Pont.*

784 *Eripuisse caput collo*] *Exsecuisse* vel *Præsecuisse* opinor a Nasone scriptum. *Heins.*

785 *Pegason*] Græcum est, Πήγασος, ἀπὸ τῆς πηγῆς· *a fonte*; a Gorgonibus enim fingitur natus, propter Oceani fontes. Male igitur apud Calph. corripitur prima syllab. Apuleius hanc alati equi fabulam ridet: 'Reputabam,' inquiens, 'Pegasum illum inclytum metu volaticum fuisse:' respicit ad illud Virgil. 'Pedibus timor addidit alas.' Strabo ait, Pegasum apud Pyrenen fontem Corinthium esse captum. Hyginus autem in cœlum evolasse contendit, et inter sidera numerari. Solebant autem veteres, si quis Heroum subito de medio esset sublatus, indigetem condere, et in cœlo collocare; uti Romulum, Cæsarem, et alios. *Et fratrem matris de sanguine natos*] Chrysaorem intelligit. Quare cave audias codices, in quibus, pro *fratrem*, vel *fontem* vel *fontes* legitur. Multi tamen ex vetustioribus *fratres*, ut cum Chrysaore Cerberus intelligatur. *Heins. Et fratrem*] Χρυσάορα μὲν ἄνθρωπον, ἵππον δὲ Πήγασον. Tzetzes ad Lycophr. *Farn.*

789 *Ante expectatum tacuit*] *Tacuit tamen.* Heins. *Excipit*] Ὑπολαμβάνει· ἀπαμειβόμενος προσέφη. 'Tum sic excepit regia Juno.' Æneid. IV. *Farn.*

791 *Immistos angues*] *Immistas* unus Vossianus: monui supra. *Heins.*

793 *Clarissima*] Pulcherrimam fœminarum fuisse Medusam ferunt: εὐπάραον vocat Pindarus Pyth. od. 12. illius itaque amore captos obstupuisse. Narrant Diodor. lib. IV. et Pausanias II. Medusam reginam fuisse gentis bellicosæ juxta Tritonidem paludem, et noctu per insidias a Perseo oppressam, mortuæ pulchritudinem admiratum Perseum præcidisse caput, et ut spectaculo esset, in Græciam deportasse. Pausan. tamen ibidem refert Proclum Carthaginiensem literis mandasse, bestiæ hoc genus esse: quod et Athenæus V. 19. tradit esse ζῶον κάτω βλέπον, ex eo genere, quæ in Africa sunt ἀπολιθώσεως ἀνθρώποις αἰτία: quem lege, et Plin. VIII. 12. et Ælian. de anima l. XVII. Palæphatus lib. I. narrat Phorcyn

Digitized by Google

regem Cyrenæorum fecisse statuam aeream Minervæ, quam Cyrenæi Gorgonem vocabant: virum bonum hujus custodem et vigilem intercepisse navi prædatoria, e tribus Phorcei filiabus Medusam, quia negavit se ostensuram ubi esset illa statua, interfecisse, &c. Is. Tzetzes adfert mythologiam sub initio comment. in Lycophr. Περσεὺς ὁ ἥλιός ἐστι, Ἀθηνᾶ δὲ, ὁ ἀὴρ, &c. aliam Fulgentius sub exitu lib. I. Natalis Comes aliam VII. 11. et 12. et 13. Noster fabulose detorquet ad offensæ Minervæ vindictam. Sed finis sit. *Farn.*

798 *Et castos ægide vultus*] Ægis thorax est, et scutum Palladis, dicta παρὰ τὸ ἀΐσσω, quod est *irruo*, et *impetum facio*, quod illa munita Pallas in hostes impetum faciat.

802 *Pectore in adverso*] In clypeo suo Pallas Medusæ caput, serpentum arrectu horrens, præfert, quo ferocia hostium corda percellat: explicationem hujus fabulæ, quid per caput Medusæ, quid per homines in saxa conversos intelligant poëtæ, reperies apud Mythologos. Pertinet quoque ad Philosophiam: Arrian. Epictet. v. 5. ἀπολιθώσεις εἰσὶ δίτταί; ἡ μὲν τοῦ νοητικοῦ ἀπολίθωσις, ἡ δὲ ἐντρεπτικοῦ.

METAMORPHOSEON LIB. V.

FAB. I. 1 *Cephenum*] Procerum Æthiopicorum, qui ad celebritatem nuptialem convenerant. Lib. præced. vs. 763. 'Cepheni proceres ineunt convivia regis.' *Danaëius*] Perseus Danaës filius. *Farn.*

2 *Fremitu regalia turbæ Atria complentur*] Florentinus S. Marci, Urbin. pri. Palat. pri. Vatic. tertius et quartus Medicei, primus et sec. Moreti, Arendel. et quatuor alii, *fremida turba*; quod non est de nihilo. Apud Drepanium Florum *famidus* occurrit, 'Vel famido gratas vertat ab ore dapes:' 'flammidi' voce usus Apuleius: 'rubidus' apud Plautum non semel: 'cibus ninguidus' apud Prudentium Cathemer. Hymno VI. pro quo alii codices *pinguidus*. Mox *connubialia festa* rectius unus Basileensis, Calandræ Excerpta, tertius Palat. et Bersmanni codex, quam quod in vulgatis et plerisque scriptis, *conjugalia*: quod contra metri legem est: primus tamen Palat. secundus Vatican. prior Erfurt. et sex alii *conjugialia* non male: sic lib. VI. 536. 'conjugialia jura:' et lib. XI. 744. 'conjugiale fœdus:' ubi veteres plerique pari modo perperam *conjugalia* et *conjugale*. Heins.

4 *Arma*] 'Vino et lucernis Medus acinaces Immane quantum discrepat!' Hor.

6 *Assimilare*] Κινήθη δ' ἀγορὴ ὡς κύματα πολλὰ θαλάσσης Πόντου Ἰκαρίοιο. Hom. Il. B. *Farn.*

8 *Phineus*] Frater hic Cephei; alter ab illo qui oculis mulctatus Argonautas hospitio excepit: huic tamen desponsata fuerat Andromeda antequam ceto exponeretur. *R. Belli temerarius auctor*] Dux, caput, atque incentor hujus pugnæ erat Phineus, dum præreptam sibi sponsam inconsideratissime dolet, et quam se ac-

Digitized by Google

cepisse putat injuriam, armis vindicandam constituit.

9 *Fraxineam, &c.*] Fraxinus aptissima est hastilibus conficiendis, quare etiam sæpe pro hasta sumitur. *Pent. Fraxineam hastam*] 'Fraxinus utilis hastis.' Metamorph. x. *μαλίνον ἔγχος*. Homer. sæpe. 'Infandos bello potura cruores Fraxinus.' Statius Theb. vi.

12 *Jupiter eripiet*] *Eripient* probe Gronovii unus. *Heins.*

13 *Quæ te, germane, furentem Mens agit in facinus*] Lege, *quod te*, vel membranis invitis: sic l. vii. 'Quod, inquit, excidit ore tuo, conjux, scelus?' Paulo post *vitam servatæ* non *servatam* scripti meliores. *Idem.*

17 *Sed grave Nereidum nomen*] Grave, id est, potens. Nereides autem Nymphæ sunt marinæ, quibus se pulchriorem Cassiope esse jactarat. Earum vero precibus fatigatus Neptunus cetum immisit, quo Cephenorum agros vastante, consultus Hammon respondit, Cassiopes prolem monstro esse objiciendam. Itaque omnem culpam a Perseo in Cassiopem, vel potius in Nereidas transfert. *Sed corniger Hammon*] Jupiter Hammon sub forma arietis cornuti colebatur in Libyæ desertis, ubi magnificentissimum templum illi Baccius ab India cum exercitu rediens ædificavit: quod cum siti laboraret, obvium arietem secutus, fontem invenit, quo totus exercitus fuit recreatus. Arietem igitur illum Jovem est ratus. *Sed grave*] Disjunctivæ particulæ repetitionem et vim considerat Quintilianus in hoc exemplo, quod profert lib. ix. Institut. Rhetor. cap. 3. *Corniger*] Vide quæ nos ad Lucanum ix. 512. et seqq.

18 *Visceribus*] Nata semine et sanguine meo. Emphatice. *Farn.*

22 *Scilicet hinc satis*] Ironia, qua Phineo insultat frater Cepheus. Cum enim et patruus et sponsus esset Andromedæ, aliquid certe auxilii afferre debebat; cum vero nihil prorsus tulerit, impudentissime eam repetit, quam tutari non est ausus. *R.*

25 *Præmiaque*] Andromedam, et regnum dotale, utcunque hoc remisisse visus fuerit Perseus: vs. 756. lib. præced. 'Protinus Andromeden, et tanti præmia facti Indotata rapit:' namque 'præmia hæc scopulis affixa' autumat. *Farn.*

27 *Nunc sine, qui petiit, per quem hæc non orba senectus*] *Hunc sine* in nonnullis; rectius, ut opinor. Præterea secundus Palat. Arond. aliique complures *per quem non orba*, emisso τῷ *hæc*. Heins.

35 *Exiliit*] *Exilivit* meliores more veteri. *Idem.* *Remisso*] Rejecto. Eandem namque hastam in Phineum Perseus rejecit. *R.*

36 *Altaria*] Nuptiis adhibitas aras et sacra, advocatos Deos hinc liquet, et ex tumultuaria illa altera in nuptiis Pirithoi pugna lib. xii. 258. 'Proximus ut steterat, spectans altaria vultu Fumida terribili, Cur non, ait, utimur istis?' *Farn.*

40 *Calcitrat*] *Palpitat* tertius Mediceus, Thuan. Zulich. alter Hamburg. Lovan. et Mureti Excerpta. Noster libro vi. de lingua Philomelæ exsecta, 'Illa jacet, terræque tremens immurmurat atræ; Utque salire solet mutilatæ cauda colubræ, Palpitat.' Glossæ veteres, *Palpitat*, *σκαίρει*, *πάλλει*. Statius Theb. viii. 'jam palpitat arvis Phœdimus, et certi nondum tacet arcus Amyntæ.' Similiter de Eurytione saucio et prolapso Theb. ix. 'hic sævi miser inter vulnera belli Palpitat.' Libro xii. 'Spirantes super inferias captiva Pelasgum Corpora, frenatusque pater solatia sorti Bellorum mactabat equos, his arduus ignis Palpitat.' Prudentius Passione Agnetis, 'Cæcus corusco lumine corruit, Atque in platea pulvere palpitat. Tollunt sodales seminecem sole, Verbisque defleunt exequialibus.' Calpurnius Ecloga ii. de

Digitized by Google

victima, 'Sæpe vaporato mihi cespite palpitat agnus.' Hinc et 'cordis palpitatio.' 'Palpitare' Juvenalis dixit de motu qui fit in re Veneres. *Heins. Calcitrat*] Ex more cadentium in acie et pugna, qui λὰξ aut ὀδαξ apud poëtas, terram ingratiis et indignanter salutant. Æn. x. 'Sternitur infelix Acron, et calcibus atram Tundit humum expirans.' Noster lib. XII. 238. 'madida resupinus arena Calcitrat.' *Farn.*

45 *Hospitiique Deos*] Jovem hospitalem; de quo Virgil. 'Jupiter, hospitibus nam te dare jura loquuntur.' Hospites autem nefas est violari. *R. Hospitiique Deos*] Τοὺς τῆς ξενίας ἐφόρους. Jovem maxime violati hospitii vindicem. Μνημοσύνης θυγατέρες Διὸς ξένιον σέβας αἴξουσα φιλίας τε γέρας βεβαίας. Athenæus lib. xv. 16. *Farn. Hospitiique Deos*] Odyss. Ξ. 56. Ἐεῖν', οὔ μοι θέμις ἔστ', οὐδ' εἰ κακίων σέθεν ἔλθοι, Ἐείνων ἀτιμῆσαι· πρὸς γὰρ Διός εἰσιν ἅπαντες Ἐεῖνοι, &c. Apollon. Argon. II. Διὸς εἰ ἄμφω ἱκέται τε καὶ ξεῖνοι. 'Implorare fidem Jovis hospitalis.' Cic. II. ad Q. Fratrem.

46 *Bellica*] Opportune, Fortitudini auxilio adest Prudentia, quæ 'Alto consilio fulcit, Viresque secundas sufficit.' Atque hoc sibi volunt Poëtæ, cum Deos introducunt auxiliares. Ambo autem Jovis filii. *Farn. Bellica Pallas adest*] Itidem et Ulyssi adfuit contra multitudinem procorum. Odyss. N. 331. Ubi ipsa Pallas: Τῷ σε καὶ οὐ δύναμαι προλιπεῖν δύστηνον ἐόντα, Οὕνεκ' ἐπιτρής τ' ἐσσὶ, καὶ ἀγχίνοος, καὶ ἐχέφρων.

47 *Erat Indus Atys*] Ad differentiam Phrygii a Cybele matre Deorum adamati, eleganter *Indus* est appositus. Fuit etiam alius Atys, Cræsi Lydorum regis filius. *R.*

48 *Edita Limniace vitreis peperisse sub undis*] *Sub antris* primus Basileensis et fragmentum Zulichemianum; recte. Vide quæ notavi ad Claudianum Fescenninis in Nuptias Honorii. Pro *Limniace* Florent. S. Marci et pri. Palat. *Limnatie*: Neapol. Urbin. Cantabrig. aliique nonnulli, *Limnate*: pri. Vatican. *Limnate*: pri. Mediceus, *Limniate*: alii ex vetustioribus *Limate*: Schedæ Theatin. *Lignais*. Censeo scribendum *Limnatis*; Λιμνάτις, ἀπὸ τῆς Λιμνῆς· nam *Limniace* Græcum non est. Certe apud Lacedæmonios cultam fuisse *Limnatis* Dianam ex Tacito discimus Annal. lib. IV. Perperam ibi *Limenetidis Dianæ* pro *Limnetidis* vel *Limnatidis* scribitur. Limnatis dicta a Limnis oppido in confiniis Lacedæmoniorum et Messeniorum. Ἀρτεμὶς Λιμνάτις est Pausaniæ in Laconicis, Messenicis, Achaicis, et Arcadicis passim: nisi quod in Laconicis semel ἐν τῷ ἱερῷ τῆς Λιμνάδος, pro Λιμνάτιδος, male scribitur; ubi agit de morte Teledi regis. Idem in Corinthiacis et Laconicis Ἀρτέμιδος Λιμναίας meminit. Λιμνάτιν Dianam a piscatoribus cultam, ut a venatoribus ἀγροτέραν, testis est Artemidorus libro II. Posset et *Limnacias* legi: nam Λιμνάκιδες Nymphæ palustres. *Heins. Limniace*] Nympha palustris, cui nomen ἀπὸ τῆς Λίμνης. *Farn.*

49 *Egregius forma*] *Formam* primus Bononiensis et unus ex Vossianis. Quales Græcismi apud poëtas obvii. *Heins.*

53 *Et myrrha*] Liquor e myrrha stillans, capillis ungendis adhibebatur, quo niterent ac spirarent odorem suavissimum. *Crinale*] Fascia est, quæ capiti circundatur crinibus cohibendis, ne in frontem defluant. Vel, ut alii volunt, ornamentum est crinium. *Pont.*

56 *Lenta cornua*] Flexibilia arcus cornua.

57 *In media ara*] Quæ Hymenæo nuptiarum Deo extructa erat.

58 *Confudit in ossibus ora*] Alii *confundit*: unus Mediceus ex melioribus et prior Twisdenius, *contundit*, ut et Tbuan. et Cantabr. Quare et lib. XII. forte scribendum, 'et ossa Non ag-

Digitized by Google

noscendo contum reliquit in ore.' In Græviano *contendit* proxime verum. *Heins.*

59 *Fœdatos vultus*] *Laudatos.* Florent. S. Marci, Thuan. Neap. sec. Medic. pri. Vatic. et tres alii; probe: sic XII. 'Pectoraque artificum laudatis proxima signis.' Statius Coma Earini, 'Accipe laudatos, juvenis Phœbeie, crines.' Sic 'laudatissima forma Tyro' Epistola Herus. *Idem.*

67 *Telum vitatum*] 'Corpore tela modo atque oculis vigilantibus exit.' Virg. V. Quod ex Lucret. 'Nam transversa feros exibant dentis adactus.' Æneid. X. 'Vim viribus exit.' Unde Statius Theb. VI. 'Venientem eludit et exit.' Eleganter Æschyl. fab. II. vs. 575. πολλῶνδ' ὄμμα. Et Eurip. Androm. φυλάσσεν ἐμβολὰς. ὀκτεκαιδέκ κεφαλῇ. Theocrit. Idyll. XXII. 122.

69 *Vertit in hunc harpen*] Harpe ensis est Mercurii falcatus, quo Perseus Medusæ caput amputavit.

71 *Natantibus*] Languore et tremulo horrore fluitantibus in morte. σίγα δ' ἐν νεκύεσσι, τὸ δὲ σκότος ὄσσε κατέρρει. Simonides. 'Fata vocant, conditque natantia lumina somnus.' Eurydice Georg. IV. *Farn.*

72 *Acclinavit ad illum*] Alii *inclinavit.* Bernegger. *acclinavit in illum;* probe. *Heins.*

74 *Ecce Syenites genitus Methione Phorbas*] Malo *Syenite;* libri veteres *Suenites*, συηνίτης. Idem. *Suenites*] Alii, *Syenites.* Syene urbs Ægypti sub tropico Cancri jacet. Lucan. VI. 'Umbras nusquam flectente Syene,' in Solstitio æstivo. Adverte autem quam diserte et consulto Atyn, Phorbanta, alios patronymicis suis distinguat, ne forte historiam confundant cognomines. *Farn. Ecce Suenites*] Eleganter autem et patriam et genus istius Phorbantis describit Poëta, ne quis Phorbanta Priami filium illi pugnæ interfuisse putet.

79 *Eritum*] *Eriten* primus Gronovii, Florentinus *Erysum.* Scribe *Erithon:* ἔριθος nomen Græcum est. Sic et paulo ante ter quaterve *Athis* et *Athin* ex fide optimorum codicum pro *Atys et Atyn* rescribendum: ἄτης nomen urbi Syriæ apud Ptolemæum. Mox *Abaris*, et *Idam*, et *Phlegyas* meliores et *Sperchiadenque Lycotum*, pro *Sperchiosidenque.* Σπερχιός, Σπερχειάδης· quanquam et vulgatum bene se habet. *Heins. Acteriden Erithum*] Actoris filium.

80 *Altis signis*] Alte eminentibus signis et cælaturis.

82 *Ingentem*] Θάρσος ista, et furor meracus in prælia trudit inermes, arma ministrat, natisque in usum lætitiæ scyphis ad pugnas abuti cogit. Lib. XII. 'Forte fuit juxta signis extantibus asper Antiquus crater,' &c. Virg. Georg. II. 'Et magno Hylæum Lapithis cratere minantem.' *F.*

83 *Infligitque viro*] *Infringitque* Arondelianus. Græviana *Infregitque*, quod arridet: sic 'infringere alicui colaphos.' Val. Flaccus III. 'infractaque pectore claro Tela, neque æternos agnovit in hospite vultus;' nisi et hoc loco *impacta tela* legas: ut idem Valerius lib. VI. 'Campesus impacta latus inter et ilia queren Tollitur:' sed utrumque recte dicitur. Sic infra in uno Vossiano 'Ossibus infregit mediæ cervicis' legitur; pro quo vulgati *illisit.* Heins.

85 *Semiramis*] De Semiramide lib. priore vs. 46. *Farn.*

88 *Extructos morientum calcat acervos*] Multi veterum *extinctos.* Grævianus *extentos acervos.* Heins.

91 *Expertem*] Frustra abstinentem a pugna, utpote neutrarum partium. Virg. 'aspicit urbem Immunem tanti belli, atque impune quietam.' Æneid. XII. *Farn.*

93 *In partes*] In factiones.

94 *Penasque*] Compensa, et quasi in vicem illius hoc accipe. *Hoc culnere*] Quod tibi sum illaturus. *Vulnus*] Quod tu mihi intulisti. *R.*

Digitized by Google

96 *De vulnere telum*] *Corpore* cum melioribus: nam 'vulnere' præcesserat. Et mox *Hic quoque*, non *Tum*. Heins.

97 *Post regem*] Regi dignitate et auctoritate secundus. *Farn.*

98 *Percutit Hypseus*] *Perculit* quinque veteres: sic paulo ante, 'lenta manu flectentem cornua Perseus Perculit.' *Heins.*

101 *Qui quoniam*] *Quem* Thuan. et nonnulli alii. Mox pro *pugnat*, Regius *bellat:* et pro *devovet arma*, Florent. Thuan. Neapol. Bernegger. primus et tertius Medicei, aliique nonnulli *devocat;* quod non est de nihilo, et idem fere significat, quod revocare vel avocare. Sic 'devocare cœlo sidera' apud Heratium Epod. XVII. 'devocare aliquem ad perniciem' bis Phædro: 'devocare aliquem e *foro*' Cornelio Nepoti. Putabam aliquando, *Pugnat et incessens sceleratis devocat armis.* Idem.

103 *Huic Chromis amplexo*] Quasi ad Deorum præsidium confugiens. In capitis discrimine solebant ad aras confugere, illasque prensare, et Deorum quoque statuas ac simulachra complecti. *Pont.*

104 *Demetit ense caput*] *Demetit* multi veteres, et pro diversa lectione Urbinas: recte. Val. Flaccus, 'Hinc Halyn, hinc rigido transcurrens Demetit ense Dorcea.' Seneca Agamemnone, 'Ægisthe, cessas impium ferro caput Demetere?' Statius Theb. VII. 'Cominus hunc stantem metit.' Idem lib. IX. 'necopinaque ferro Colla metens.' Eandem quoque significationem obtinet τὸ θερίζειν apud Græcos. Sic Anthologiæ lib. III. in Epigrammate Agathiæ in perdicem a fele interfectam, Λὴν κεφαλὴν ἀλλοῦσος ἀνέθρυσε. Mox *semanimi lingua* cum melioribus, pro *semanimis.* Heins.

105 *Semianimi*] De Orphei capite, lib. II. 53. 'flebile lingua Murmurat exanimis.'

107 *Cæstibus*] Cæstuum pugna erat e pugillatu genere, ubi pugnis res agebatur, sed armatis, quum chirothecis, e corio bubulo, iisque ferro aut plumbo adfixo gravibus, armati inter se decertarent, quæ loris alligabantur brachiis, ne excederent. Æneid. V. Iconas Hier. Mercurialis exhibet lib. II. de arte Gymnastica c. 9. Et Manutius I. de quæsitis per epistolam Epist. 8.

110 *Amphycus*] *Ampycus* præstat. Ἄμπυκος, quomodo et Mopsi vatis pater est dictus. Mox *adhibendus in usus* rectius vetustiores, quam *ad usus.* Heins. *Vitta*] Fascia linea, qua vinciebantur frontes sacerdotum et victimarum.

112 *Sed qui pacis opus*] Ita et codices: malim nihilominus, *Sed quo:* 'quo' pro ut. *Heins.*

114 *Quem procul adstantem plectrumque imbelle tenentem Pettalus irridens*] *Cui adstanti* et *tenenti* primus Medic. Bernegg. et sex aut septem alii. Scribe, *Cui procul adstanti, plectrumque imbelle tenenti Pettalus, I, ridens, Stygiis cane cætera, dixit, Manibus.* Sic apud Virgilium, 'I nunc, et verbis virtutem illude superbis.' Val. Flaccus lib. III. 'occumbens, i nunc, ait, Herculis armis, Donum ingens, semperque tuis mirabile fatis:' ut recte illic Carrionis codex. Propertius Eleg. II. 29. 'Atque ita mi injecto dixerunt rursus amictu, I nunc, et noctu disce manere domi:' ita scribo: *noctu* etiam malo, quam *nocte*, quod ante legebatur: sic eodem libro El. 22. 'Et cœlum noctu bis sine rege fuit.' *Noctu* Tibullus quoque dixit libro I. Eleg. 6. *Mi dixerunt* pro *me dixerunt*, quod hic locum non habebat. Palmerius cum suo *diretit* ridiculus est: alibi jam ostendimus, quam sæpe τὸ *I* a supinis librariis sit corruptum. Pro *lævo tempore* etiam malim *lævo pectore*, si liceat per libros. *Heins. Plectrum*] Instrumentum est quo lyra pulsatur, ἀπὸ τοῦ πλήττειν,

Digitized by Google

hoc est, a percutiendo, dictum.

115 *Stygiis*] Τὰ δ' ἄλλ' ἐν ᾅδου τοῖς κάτω μυθήσομαι. Ajax Sophocleus. *Farn.*

116 *Lævo tempore*] Sinistra capitis parte.

118 *Casuque fuit*] *Canit* ex melioribus, et mox *Nec sinit:* et *posti* pro *poste*, quomodo Priscianus agnoscit. *Heins.*

122 *Procubuit terra*] *Terræ* meliores ut sæpe alibi. *Idem.*

123 *Robora*] Obices, vectes. *Farn.*

124 *Cinipheus*] *Cinyphius.* Κίνυψ, Κινύφιος sic 'Cinyphii membrana chelydri' lib. VII. ita et lib. XV. scribendum 'Cinyphiumque jubam,' jam animadvertisse amicissimum quoque Janum Vlitium ad v. 34. Gratii curis secundis video; qui illic consulendus. 'Cinyphiam segetem' Noster Pont. II. 7. etiam dixit. Apud Virgilium Georg. III. 'Ciniphii hirci' in veterrimis codicibus pertinaci errore dicuntur. Pro *Coriti* etiam malo *Corythi:* nam vetustiores *Corithi;* vide Notas lib. VII. 362. *Heins.*

125 *Marmaridæ Coriti*] Marmaces gens est Æthiopica, unde forsitan *Marmacides Coritus* appellatur. Sed a Marmaro quoque patre, *Marmarides* dici potest.

126 *Latus*] E latere confosso sanguinem elicuit: 'Per tunicam squalentem auro latus hausit apertum.' Æneid. X. *Farn.*

127 *Retinente manu*] Scribe *retinente manum poste*, quod in suis Naugerius invenerat. Mox *Dorylas* pro *Dorilas:* et *Claninque* pro *Clamimque.* Heins.

129 *Et Nasamoniaci*] Nasamones populi sunt Libyæ juxta Syrtes, naufragiis admodum infesti.

134 *Singultantem*] Per singultus animam emittentem. *R.*

135 *Bactrius*] Βαρκεὺς, Max. Planudes. *Hoc quod*] Sarcasmus, cujusmodi ille Turni Eumedi insultantis Æneid. XII. 'En agros, et quam bello, Trojane, petisti, Hesperiam metire jacens:' aut Indi Sophistæ, Paulo post mortuus tantum obtinebis terræ, quantum satis sit ad sepulturam corporis tui. Εἰ δέ τις ὄλβον ἔχων Μορφᾶ, παραμεύσετ' ἄλλων...Θνατὰ μεμνάσθω περιστέλλων μέλη, Καὶ τελευτὰν ἀπόντων γᾶν ἐπισσόμενος. Pind. Nem. XI.

138 *Abantiades*] Perseus Abantis pronepos. Acrisius enim Danaës pater erat filius Abantis. *Farn.*

140 *Dumque*] 'Successus urgere suos, instare favori numinis,' de Cæs. Lucan. II. 148. *Farn.*

144 *Occidit et Celadon Mindesius*] Mindesos urbs est Syriæ, et *Myndones* populi sunt Libyæ. *R.* Ego *Myndesius* lego, a Myndete urbe Ægypti, ubi Pana coluerunt. *Micyll.*

145 *Matre Palæstina*] Regio est Syriæ Palæstina contermina Judeæ, a Palæstina urbe dicta. *R. Dubio*] Cum pater ignoratur, filius dicitur spurius, Isidor. nothus autem, qui ex concubina, non ex legitima uxore natus est, sed patrem habet certum. *Farn.*

146 *Echionque sagax*] *Ethionque* meliores. Lege *Æthion*, Αἰθίων. Statius imitatus Theb. VII. 'genitusque Heliconide Nympha Æthion, cæsoque infamis fratre Polytes.' Paulo ante *Mendesius* pro *Myndesius.* Μένδης πόλις Αἰγύπτου· ὁ πολίτης Μενδήσιος. *Heins.*

147 *Tunc ave*] *Nunc* ex melioribus. Mox pro *conjurata undique pugnant Agmina*, malim *jurataque;* nam veteres plurimi *conjurataque*, quod glossema est alterius. Sic apud Nostrum in Amoribus, 'Primaque juratis induis arma viris:' quomodo et libro XV. forte scribendum, 'vidit quoque triste parari Pontifici letum, jurataque arma parari:' cum in scriptis quibusdam exstet *conjurataque;* vulgati *et conjurata.* Et Met. XIII. 'timidi commenta retexit Naupliades animi, jurataque traxit ad arma;' ut codices nonnulli agnoscunt. Statius Theb. II. 'exit in unum Plebs ferro

Digitized by Google

jurâta caput.' *Idem.* *Regisque Thoactes*] Phinei fratris regis. *R.* *Ave deceptus*] Augurio. Æneid. IX. de Rhamnete augure cæso, 'Sed non augurio potuit depellere pestem.'

151 *Pro causa meritum impugnante*] Hoc est, pro Phineo, qui et meritum Persei, quo Andromedam servaverat, et fidem ipsi a rege datam impugnabat.

155 *Pollutosque simul*] *Semel* cum duobus codicibus, ut in illo, 'Pollutæque semel nequeunt mansuescere fauces.' *Heins.*

158 *Hyberna*] 'Quam multa grandine nimbi Culminibus crepitant.' Æneid. V. 'Tempestas telorum, ac ferreus ingruit imber.' Æn. XII. *Farn.*

159 *Præter utrumque latus*] Tres scripti *Propter*. Heins. *Præter utrumque latus*] Juxta utrunque latus et dextrum et sinistrum, propeque et oculos et aures.

162 *Instabat*] Rectius *instabant* primus Basil. et unus Mediceus. *Heins.*

163 *Chaonius Molpheus*] Sunt Chaoni populi contermini Arabibus et Nabathæis. Plinius. *Nabathæus*] Nabathæa regio est felicis Arabiæ. *R.*

164 *Tigris ut auditis*] Hac similitudine Poëta ostendit Perseum addubitasse utrum prius percuteret, cum ambo instarent, alter a dextra, alter a sinistra, Molpeum an Ethemonem. *Diversa valle*] In diversa vallis parte. *R.* *Tigris*] Vide Thyesten Senecæ, vs. 705. *Farn.*

169 *Contentusque fuga est*] *Fugæ* optimus Florentinus, quod non est contemnendum. *Heins.*

175 *Inertia frustra Brachia tendentem*] *Inermia* reponendum ex Berneggeriano, priore Erfurt. et multis aliis. Virgil. l. X. 'frater tendebat inermes Infelix palmas.' Et ibid. 'dextras tendamus inermes.' Lib. XI. 'Dum subit, et dextram labenti tendit inermem:' ita optimæ membranæ Florentinæ. Lib. XII. 'At pius Æneas dextram tendebat inermem.' *Idem.*

176 *Cyllenide*] Quam acceperat a Mercurio, qui natus est in Cyllene, monte Arcadiæ.

179 *Ab*] 'Fas est et ab hoste doceri,' quidni et juvari? Lege et utilissimum libellum Plutarchi, de capienda utilitate ex inimicis.

182 *Thessalus*] Præstantiores *Thescelus* vel *Tescelus;* probe. Mox *Ampyx* pro *Ampix* bene primus Palatinus: unus Thuani *Amphyx*, Ἄμπυξ. Heins.

183 *In hoc hæsit signum*] Hoc est, Thessalus in statuam marmoream ita est conversus, ut jaculum emittere velle videatur.

186 *Diriguit*] Rigida et dura facta est. *Ultra est*] Tolle verbum substantivum ex fide codicum: *nil citra* primus Mediceus et duo alii. *Heins.*

187 *Septemplice*] De Nili ostiis, ejusque incrementi causis, vide quæ nos ad Lucan. lib. X. 200. et seq. *Farn.* *Septemplicis Nili*] Redi ad Amor. III. 6. vs. 40.

191 *Tacitas ad umbras*] Ad animas voce carentes et mutas. *R.* *Magna*] 'Hoc tamen infelix miseram solabere mortem, Æneæ magni dextra cadis.' Æneas Lauso Æn. X. 'si qua est ea gratia;' et inf. lib. XII. 81. *Farn.*

195 *Non viribus, inquit, Gorgoneis torpetis*] *Cum crinibus* Florentinus S. Marci et unus Medic. *cur viribus* Neapol. Bernegger. pri. Palat. sec. Medic. schedæ Theat. et duo aut tres alii. Scribe *non crinibus:* quomodo Bononiensis unus pro diversa lectione. Hinc et δρακοντοτριχοῦσαι dictæ. Noster libro IV. 'crinita draconibus ora.' Et, 'Gorgoneum crinem turpes mutavit in hydros.' Lib. VI. 'Crinita colubris Mater equi volucris.' Amor. III. 12. 'Nos pedibus alas dedimus, nos crinibus angues.' Lucanus libro VII. 'Pallas Gorgoneos diffudit in ægida crines.' Val. Flaccus lib. VI. 'ipsaque Pallas Ægide terrifica, quam nec Dea lassat habendo, Nec Pater, horrentem co-

Digitized by Google

lubris vultuque tremendam Gorgoneo; nec semineces ostendere crinei Tempus adhuc:' ubi denuo *crines Gorgoneos* habes; qui locus alterius me admonet hac occasione apud Valerium restituendi III. 53. 'talesque metus non Martia cassis, Eumenidumque comæ, non tristis ab æthere Gorgon Sparserit, aut tantis aciem raptaverit umbris:' ubi primo *tacitis umbris* scribo, hoc est, nocturno tempore; nisi umbras et errorem animi intelligas. Deinde *non tristis ab ægide Gorgon*: nam *ab æthere* prorsus friget. Ipse Valerius infra, 'Stat manus, ægisono quam nec fera pectore virgo Dispulerit, nec dextra Jovis.' Nota illa Virgilii, 'Ægidaque horriferam, turbatæ Palladis arma.' Cæterum error natus, quod *ægide* scripserat librarius, aut τὸ *g* omiserat, ut in alio Valerii loco lib. IV. 508. ubi *Æeas cinis induit urbes* vel *Eoas* nunc legitur: cum *Ægæas* sit scribendum. *Heins. Non viribus Gorgoneis*] Lucianus more suo in lib. cui titulus Icones: Ἀλλ' ἢ τοιοῦτόν τι ἄρα ἔπασχον οἱ τὴν Γοργῶ ἰδόντες, οἷον ἐγὼ ἔναγχος ἔπαθον παγκάλην τινὰ γυναῖκα ἰδών· ἀντὶ γὰρ τοῦ μύθου ἐκεῖνο, μικροῦ δέω λίθος ἐξ ἀνθρώπου παγεγονέναι, πεπηγὼς ὑπὸ τοῦ θαύματος. *Farn.*

197 *Magica arma*] Magicos cantus, incantamenta, atque veneficia.

200 *Ex merito*] Quia Phinei satellitium et malæ caussæ propugnatores. *Farn. Pœnas*] *Pœnam* meliores: et mox *etiamnum*. Heins.

202 *Conspecta*] Contra quam monuerat Perseus vs. 179. supra.

210 *Tunc denique*] *Nunc* meliores. *Heins.*

212 *Nomine quemque vocatum*] *Vocando* multi veteres: *vocato* septem. Scribe *quemque vocatos*. Infra, 'et nomine quemque vocatos Exhortatur equos:' quomodo et ibi ex vestigiis veterum librorum reposuimus. Trist. IV. 3. 'Nomine quos cupio dicere quemque suo.' Gratius, 'tum partes quisque secutus Exegere suas.' Idem, 'ter quisque vocantes pinguia libant Thura focis.' Ausonius Periocha Iliad. III. 'Argivos sua quemque acies in bella sequuntur.' Metam. I. ex antiquis libris, 'Cum sua quisque regant diversa flumina tractu.' Phæra diximus. Amor. lib. II. 11. 24. *Idem. Nomine quemque*] Ex Æneid. XII. 'Ille simul fugiens, Rutulos simul increpat omnes, Nomine quemque vocans, notumque efflagitat ensem.'

214 *Avertitur*] A Persei conspectu oculos avertit.

215 *Confessasque manus*] *Complexasque* unus Thuan. *Consertasque* unus Moreti; non male. Nihil tamen temere mutandum. Mox, pro *tua monstra*, rectius idem Thuaneus *fera monstra*: ut et Moreti unus. *Heins. Confessaque manus*] Ennius incerto libro: 'Quoi vicit non est victor, nisi victu' fatetur. Conjunctas dabo victa manus.' Epist. XVII. vs. 260.

221 *Nihil*] 'Sine hanc animam, et miserere precantis.' Turnus, Æneid. XII. *Non cessisse piget*] Me, inquit Phineus, pœnitet tibi Andromedam non permisisse.

227 *Monumenta*] Cic. ad Cæsar. 'Sed ego, quæ monumenti ratio sit, nomine ipso admoneor: ad memoriam magis spectare debet posteritatis, quam ad præsentis temporis gratiam.' Virgil. 'quem candida Dido Esse sui dederat monumentum et pignus amoris.'

230 *Phorcynida*] Medusam, Phorci filiam.

235 *Obnoxia*] Dejecta, velut hominis sibi conscii, submisse culpam agnoscentis, veniamque precantis. *Farn.*

FAB. II. 236 *Cum conjuge*] Andromeda. *R. Patrios*] Argos.

237 *Immeriti vindex ultorque parentis*] *Immeritæ* ex scriptis Naugerii: ut de Danaë intelligatur, cum de Jove non possit intelligi. *Heins.*

238 *Pratum*] Filium Abantis, fra-

Digitized by Google

trum Acrisii. *Farn.* *Fratre fugato*] Expulso Acrisio.

FAB. III. 243 *Talamen, e parvae*] Hac apostrophe poëta Polydectem Seriphi regem in odium invidiamque adducit; qui Persei neque virtute, neque laboribus, quae perpessus est, neque periculis, quibus se exposuerat, ab ira odioque deduci removerique potuit. *R.* *Polydecte*] Arcam in qua Danaë et Perseus inclusi erant, cum ad Seriphum insulam appulisset, excepit Dictys, tradiditque fratri suo Polydecti. Hic, quo Danaë, quam amavit, potiretur, Perseum jam juvenem amovit, amandatum adversus Gorgonas, uti dictum ad IV. 616. Quum vero ab illâ expeditione victorem revenisse contumeliose excepisset, capitisque vires elevasset quasi ementitas, ab ejus conspectu in saxum mutatus est; regno Seriphi ad Dictyn fratrem delato. Apollonii Scholiastes IV. 1515. *Farn.* *Seriphi*] Insula est una ex Sporadibus. *Polydecte*] *Polydecta* scribendum, ne peccetur in legem carminis: sic Orestes, Oresta, et similia. Paulo ante pro *supervenit hominis monstri*, videtur reponendum *viterit*: sed obstant libri veteres. *Heins.*

246 *Detractus*] Diminuis.

248 *Parcite*] Ut vs. 179. supra; 'Vultus avertite vestros, si quis amicus adest.' *Farn.*

FAB. IV. 250 *Hastenus aurigenae*] Narrat quemadmodum Pegasus equus alatus una cum Chrysaore e sanguine colli Medusae exilierit, et ad Heliconem Boeotiae montem pervenerit, ubi, cum terram pedis ungula percussisset, illico fons (qui Ἱπποκρήνη, hoc est, caballinus fons, est appellatus) exortus fuisse memoratur. Ad eum igitur videndum relicto Perseo, Pallas profecta est, quae a Musis accepta quam promptissime ad ipsum fuit deducta. *R.* *Aurigenae*] Quem genuit Jupiter in aureum conversus imbrem, et in Danaës gremium delapsus. *Farn.*

252 *Cythno Gyaroque relictis*] Cypro exemplaria omnia antiqua, quae tamen hic locum non habet: quare nihil mutandum, nisi Σίφνῳ reponas; nam et haec una Cycladum. In duobus Cieiani *Scyro*, etiam non male: Κύθνῳ tamen Planudes agnoscit in Metaphrasi. *Heins.* *Scyro*] Ita restituunt quidam; alii *Syro*, alii *Siphno*; quae omnes sunt e Cycladibus, in quibus nulla Cypro locus. Aldus excudit, *a dextra Cythno Scyroque relictis*. Planudes vertit, τὴν Μάριφον καταλλόντα, τήν τε Κύθνον καὶ Τύαρον δεξιᾶς ἀφεῖσα, ὅθεν συντομωτάτη ὁδὸς ἦν ἐκεῖσε ἐκ τῆς Θέλουσαν ἰούσης, &c.

254 *Virginemque*] Virginibus Musis sacrum Boeotiae montem. *Farn.*

255 *Doctas sorores*] Periphrasis est Musarum. Nam Musae Jovis et Mnemosynes filiae sunt, quae παρὰ τὸ μανθάνειν, hoc est, ab inquirendo, dicuntur, ut inquit Diodorus, quod ea inquirant, hominesque doceant, quae ab indoctis ignorantur, et quod quaerendo scientia pariatur. Novem autem fuisse Musas jam fere inter omnes constat: quarum nomina Hesiodus in Theogon. his versiculis recenset: Κλειώ τ', Εὐτέρπη τε, Θάλειά τε, Μελπομένη τε, Τερψιχόρη τ', Ἐρατώ τε, Πολύμνιά τ', Οὐρανίη τε, Καλλιόπη θ', ἡ δὲ προφερεστάτη ἐστὶν ἁπασέων.

257 *Medusaei praepetis*] Et volucris et alati equi. *R.*

258 *Volui mirabile factum Cernere*] *Mirabile monstrum* Cantabrig. prior Erfurt. secundus Mediceus, et quatuor alii: sic noster saepe alibi. *Heins.*

259 *Vidi ipsum materno sanguine nasci*] Ipsum Pegasum. Aderat enim Perseo Pallas, cum Medusam obtruncavit.

261 *Animo gratissima nostro*] Alii *nostro est*. Scribe *nostro es*; ἐμῷ κεχαρισμένη θυμῷ, hemistichium Homeri-

Digitized by Google

cum. Postea *deducit* nonnulli bene. *Heins.*

268 *Mæonidas*] Scripti plerique veteres tam hoc loco quam infra *Mennonidas*: vetustiores *Memnonidas*. Scribe *Mnemonidas*, hoc est, Μνημοσύνης θυγατέρας, nam *Mæonidas* cur Musas appellet nihil causæ est. *Mnemonidas* vocat Mnemosynes filias: nam Mnemosynidas dici non ferebat versus: a Μνήμων, Μνήμονις. Sic et Μνήμης θυγατέρες dictæ libro primo Anthologiæ. Æschylus quoque Prometheo Μνήμην Musarum matrem vocat. Ausonius Gripho numeri ternarii, 'Et Lyrici vates numero sunt Mnemosinarum:' scribe *Mnemenidarum;* ut apud Horatium 'fortissima Tyndaridarum,' pro Tyndaridum. Certe in optimo Florentino S. Marci *Mnemonides* disertim paulo post legebatur. *Heins.*

271 *Artemque locumque*] *Artesque* antiqui plerique. *Idem.*

274 *Dirusque ante ora Pyreneus Vertitur*] Pyreneus ut hinc colligere possumus, Thrax fuit tyrannus, qui Daulida Phocidis urbem occupavit, ubi cum quodam die pluvioso Musas ad Parnassum euntes vidisset, ut tecta sua subirent, dum pluvia cessaret, invitavit. Cum vero jam imber cessasset, Musæque discedere vellent, Pyreneus impius clausis foribus illis vim inferre parabat. Sed Musæ in aves conversæ evolaverunt, quas cum persequi Pyreneus vellet, ex arce se præcipitem dans caput terræ illisit, et expiravit. *R.*

276 *Daulida*] Daulida, vel Dauliam, Phocidis opp. Pyreneus Thraciæ Rex per vim occuparat. *Farn.*

279 *Fallaci veneratus numina*] Vultu reverentiam simulabat, cum animo earum expugnare pudicitiam meditaretur. *Pont.*

280 *Agnorat enim*] *Cognorat* ex scriptis, ut metro consulatur. Pro *veneratus vultu* præcedenti versu unus Leidensis *cultu*, ut et unus meus cum Græviano. *Heins.*

284 *Primasque*] Vestibulum, atria. Neque enim in penetralia corruptorum et veteratorum Musis fas aut pudor introire permittit. *Farn.* *Annuimus*] Morem gessimus.

291 *E summo culmine turris*] *E summæ culmine* mellores, nisi quod in Thuan. et Juniano *e summi culmine tecti*. Mox *discussique ossibus oris* bene optimus Florentinus, non *discussisque*. Heins.

292 *Discussisque*] Supra vs. 58.

293 *Tundit*] Lib. IV. 40. *Farn.*

FAB. V. Arg. *Musa loquebatur*] Eleganti phantasia multas describit Metamorphoseis Poëta. Musa namque fingitur Palladi referre certamen suum cum Pieri filiabus, quo quidem in certamine, et transformationes Deorum in varia animalia tempore belli gigantei a Pieri filiabus canuntur, et pœna Typhoëi gigantis, et Proserpinæ raptus, et Cyanes in fontem mutatio, multaque alia contra a Musis cantantur. Pierus igitur ex Euippe uxore novem sustulit filias, quarum pulchritudine ac vocalitate mater superba, Musas in certamen provocare est ausa. Eas vero nympharum judicio victas, Musæ indignatæ, vocalitate erepta, in raucas picas convertere. *R.*

295 *Salutantum*] Exprimentium salutationis vocem χαῖρε, χαῖρε. 'Quis expedivit psittaco suum Χαῖρε, Picasque docuit verba nostra conari?' Persius prolog. *Farn.*

297 *Hominemque*] De loquacitate et docilitate picarum, voces humanas et tubarum cantum imitantium, Plutarch. in l. de animalium solertia, Plin. x. 42. Oppianus. Martialis XV. apoph. 76. et quæ nos ibi. *Farn.*

298 *Ales erat*] *Erant* duo Medicei ex melioribus, et unus Argentinus: quod placet. *Heins.*

300 *Deæ*] Palladi Musa.

Digitized by Google

301 *Volucrum turbam*] *Volucrem* concinnius Sixianus liber. Sic et lib. x. puto scribendum, 'inque ferarum Concilio medius turbæ volucrisque sedebat.' Vide Notas Fast. lib. I. 449. Proximo versu *Pieros* pro *Pierus* plerique castigatiores. *Heins.*

302 *Pellæis*] Macedoniæ urbs Pella est; Pæonia regio, quæ et Emathia. *Farn.*

303 *Pæonis Euippe mater fuit*] Pæonia pars est Macedoniæ montana. *R.*

304 *Lucinam*] Gravidarum et parturientium Dea: 'quia principium tu, Dea, lucis habes.' Ovid. Fast. Eadem Diana. Εἰλειθυία, Γενετυλλὶς Juno Lucina, Luna puerperii scil. præses: novies ergo pepererat, et novem filias. Euippe, vel ut Mss. nostri et alii, *Enippe*, al. *Anippe*.

305 *Intumuit*] Ant. Liberalis fab. 9. ex Nicand. refert hanc fab. Ζεὺς Μνημοσύνῃ μιγεὶς ἐν Πιερίᾳ, &c. Jupiter ex Mnemosyne in Pieria genuit Musas. Regnabat eo tempore in Æmathia Pierius indigena: illi novem erant filiæ, quæ Musas in certamen provocare ausæ in Helicone; quando filiæ Pierii canebant, omnia caligine obscurabantur, nihilque ad choream obtemperabat. At Musarum cantu sistebatur cœlum, astra, mare, flumina; et Helicon voluptate delinitus ad cœlum usque crescebat: plura infra. *Farn.*

307 *Tali voce*] Tali, tam insolenti et astus plena voce nos invadit. *Pont.* *Committit*] Rectius *committunt* duo veteres. *Heins.*

312 *Aganippe*] Fons est Bœotiæ Musis sacer. *R.* *Fonte*] Hippocrene vs. 257. supra. *Hyantea*] Bœotia. Bœotos Hyantes antiquitus dixere. Plinius IV. 7. *Farn.*

313 *Ad Pæonas nivosos*] Montanos. Pæones namque populi sunt Macedoniæ montani.

314 *Cedemus silvis*] Meliores *Cedamus campis*. Heins.

317 *Vivo saxo*] Ex Æneid. I. Et ille ex Homer. Odyss. N. Consulatur inprimis Porphyr. de antro Nympharum, post sententias ad intelligibil. ducentes.

319 *Gigantes*] *Gigantas* etiam hic Florent. et Neapol. et Cantabrig. et sec. Medic. de quo alibi. *Heins.*

321 *Tiphoëa*] Innumeras easque varias de ingenti hoc Typhœo fabulas non admittunt marginales hæ angustiæ: referendus itaque lector ad auctores, qui et bellum hoc Diis illatum, Deorum transmutationes, Typhœi pœnas et Mythologias ad plenum narrant. Videantur Pindarus IV. ode Olymp. et Pythiorum ode I. ὃς τ' ἐν αἰνᾷ Ταρτάρῳ κεῖται, θεῶν πολέμιος, Τυφὼς ἑκατογκεφάλας, et deinceps multa. Homerus hymno in Apollinem, Hesiodi Theogon. Apollon. et comment. Ant. Liberalis fab. 47. Tzetzes in Lycophronem, Tzetzes Chil. VIII. 171. Strabo lib. V. et XVI. Mela l. I, 13. Hyginus cap. 196. Apollodorus lib. I. Nonnus III. Dionys. Vide quæ ad lib. IV. 45. de Venere in piscem mutata ex Manilio: et Ovid. Fast. II. Natalis Comes lib. VI. 21. et 22. Sabinus. Eleganter denique et plene fabulam hanc canit Barclaius noster l. I. Argenidis suæ. Diserte Clariss. Baconus et narrat et interpretatur Typhonem sive rebellem in Sapientia veterum. *F.*

323 *Donec fessos Ægyptia tellus Ceperit*] Gigantes Titanorum filii Typhoëo duce impetum in Deos fecerunt, ac eos in Ægyptum usque fugere coëgerunt, ubi se Typhoëi metu in varia animalia, ut perspicue describit Ovidius, converterunt: inde factum est ut Ægyptii multa animalia pro Diis colant.

324 *Discretus in ostia*] Duo veteres *discerptus:* primus Basil. *discertus:* unus Medic. *desertus.* Forte *disseptus:* de quo ad librum primum. *Heins.*

327 *Duxque gregis*] Periphrasis est

Digitized by Google

arietis. Nam Juppiter se in arietem commutavit: cujus rei argumentum est, quod Juppiter Hammon in Libya sub figura arietis colitur. *R. Unde*] Hinc Jupiter Ammon arietina forma cultus, hinc filius ejus Bacchus cornutus, hinc 'demens Ægyptus portenta colit crocodilon et Ibin, Porrum, cepe, canem, pisces et cercopithecos.' Juvenal. Sat. xv. *Farn.*

331 *Cyllenius Ibidis alis*] Ibis, avis ciconiæ similis, Ægypti peculiaris, immunda, ut quæ rostro unum purget.

333 *Forsitan otia non sunt*] *Non sinit*, et *vacet*, primus Palat. Urbin. et quinque alii: *aurem* etiam, non *aures*, Langermannianus. *Heins.*

336 *Levi umbra*] Suavi ac jucunda.

337 *Uni*] Calliopæ, chori quasi præcentrici; principi certe et προφερεστάτῃ. *Farn.*

338 *Immissos*] 'Tunc sic neglectos hedera redimita capillos Calliope querulas prætentat pollice chordas.' Fast. v. *F.*

Fab. vi. 341 *Prima*] 'Ἡ πρώτη ζεύξασα βοῦν, &c. Orpheus in hymno Cereris: 'Prima Ceres ferro mortales vertere terram Instituit;' et quæ seq. Virg. Georg. i. Ovid. Fast. iv. Barclai Argenis l. ii. Metr. i. *Farn.*

342 *Mitia*] Pro glandibus frumenta: 'Chaoniam pingui glandem mutavit arista.' Georg. i.

343 *Leges*] Invento a Cerere (quam Isin suam Ægyptii volunt, id est, Lunam) frumento, leges jam rogatæ de agrorum terminis, emptionibus, testamentis: unde Θεσμοφόρος dicta. Vide quæ nos ad Æneid. iv. 'Legiferæ Cereri.' Diodor. lib. vi. *Farn.* *Cereris sunt omnia munus*] *Sumus omnia* longe elegantius Berneggerianus: neque aliter pro diversa lectione unus Hamburgensis. Pont. i. 1. 'Hoc mihi si superi, quorum sumus omnia, credant:' ubi perperam reponunt, *quorum sunt omnia*. Lib. x. 'Omnia debemur vobis:' quomodo veterrimi codices. *Heins.*

345 *Carmina digna Dea*] *Deæ* Berneggeri. aliique plurimi. Vide Notas Trist. iv. 3. 57. quanquam et ad *vò dicere* possit referri. Deinde ex melioribus, *certe Dea carmine digna est*. Idem.

347 *Tritaria*] Sicilia, a tribus promontoriis, quæ hic nominantur a poëta, Typhoëo exposito superjecta. Æn. ix. Impostam Typhoëo Inarimen ima. In sinu Puteolano, ductum ab Homeri Ἐν Ἀρίμοις ὅθι φασὶ Τυφωέος ἔμμεναι εὐνάς. ii. Iliad. Quem et Lucanus sequitur l. v. 101. Apollonio l. ii. Κείται ὑπαιθρήχεος Ἀρίμοιο δέος ἔδαος ἀλωῆς. Straboni l. xvi. et Mela l. 13. in Cilicia: Pindarus videtur omnia miscere. Pythiorum ode i. Τυφὼς ἑκατογκάρανος, ὃν ποτε Κιλίκιον θρέψε κοτυλόεσσαν ἄντρον· νῦν τε μὲν Ταὶ τ' ἐνὶ ῥῶν Κίραι ἀλιπορφύρας ὄχθαι, Ἰσμηνία τ' αἰνοῦ πεδίον Ἀρήνας λαχόντα· κεῖνον Δ' Ὀφιόεντα συνέχει, Νιφόεντ' Αἴτνα, &c. Verum hujus rei licentiam excusat ratio naturalis. *Farn.*

348 *Ausum sperare Typhœa ardua*] Nonnulli *superare* vel *spectare*. Parum abest quin *spirare* censeam reponendum: ut 'magna spirare' Propertio, 'qui nunc inaguum spiramus amantes:' ut recte castigavit Lipsius, nec dubitare debuit vir maximus. Val. Flacco l. ii. 'Magnum aliquid spirabit amor.' Sic 'spirare tragicum' Horatio, 'Nam spirat tragicum satis, et feliciter audet.' Apud Virgilium l. vii. 'Rapta spirans immane securi.' Silius l. iii. 'Mago quatit currus et fratrem spirat in armis.' Et l. xvii. de Scipione, 'Terribilem ostentans clypeum, qui patris et una Cælarat patrui spirantes prælia dira Effigies.' Prudentius ad Christum Cathemer. Hymno xi. 'Hic ille natalis dies, Quo te creator arduus Spiravit, et limo indidit:' quanquam diverso sensu. Ita 'suspirans'

Digitized by Google

cum quarto quoque casu jungit idem Prudentius Cathemerin. Hymno II. 'Mercator hinc ac rusticus Avara suspirant lucra.' *Heins. Spirare æthereas sedes*] Similiter Græci: Μένος πνείοντες Ἄρηος. Ὄμβριμον ἐν στέρνοισιν ἀναπνείοντες Ἄρηα. Smyrn. l. II. Et Theocrit. Idyll. XXII. 82. φόνον ἀλλήλοισι πνέοντες. Hesiod. Scut. Hercul. Ὑπὲρ σακέων πνείοντες.

349 *Nititur ille quidem*] Hoc idcirco fingitur, quia Sicilia terræ motu sæpenumero quatitur.

350 *Dextra sub Ausonio*] *Sed* ex scriptis. *Heins. Ausonio Peloro*] Italo, quippe qui et ad Italiam vergat, et ab ea mille et quingentis passibus distet.

351 *Pachyne tibi*] Apostrophe ad montem; qua maxime oratio exornatur. *Lilybæon crura premuntur*] Lilybæus quoque Siciliæ est promontorium Africam respiciens.

353 *Ejectat*] In optimo Florentino erasa vetus lectio. Puto *Eructat* fuisse. Sic l. XIII. de Cyclope etiam scribendum puto, 'eructantemque cruentas Ore dapes.' Virgilius lib. III. de Ætna, 'Interdum scopulos avulsaque viscera montis Erigit eructans.' At Val. Flaccus l. II. de Typhoëo, 'trux ille ejectat adesi Fundamenta jugi.' Et Silius l. XII. de Inarime, 'Fumantem premit Iapetum, flammasque rebelli Ore ejectantem.' Mox *pondere* pro *pondera* idem Florent. Bernegger. secundus Medic. et alii septem. *Heins. Flammamque*] Quotquot ubique montes aut loci marini eructant incendia, aut repentibus flatibus, qui vocantur Typhones, et terræ motibus concutiuntur, Typhoëo injecta finguntur. Æn. III. Claudian. de raptu Proserpinæ I. Noster XIV. 1. *F.*

355 *Devolvere*] Malo *evolvere* cum tertio Mediceo, et duobus aliis. *Heins.*

356 *Rex pavet*] Umbrarum rex, Dis, Pluto, Orcus, ἀΐδης, de qua voce vide H. Sanfordium et Parkerum de descensu Domini l. II. *Farn.*

363 *Depositoque metu*] *Depositique metus* rectius in præstantissimis. *Heins. Videt hunc Erycina vagantem*] Erycina a Romanis Siculisque Venus dicitur, ab Eryce Veneris ipsius, ac Butæ filio, qui cum in Sicilia regnaret, ac plurimum corporis viribus polleret, hospites ut secum castibus decertarent provocabat. Is extructo matri Veneri templo, quæ Erycina fuit appellata, cum Hercule congressus ab eo fuit interfectus. Narraturus vero poëta Cyanes nymphæ transformationem in stagnum, prius Proserpinæ raptum elegantissime describit.

365 *Arma*] 'Nate, meæ vires,' &c. Æn. I.

367 *Dei pectus*] Plutonis. *Farn. Celeres sagittas*] *Volucres* Zulichemianus. *Heins.*

370 *Regit qui numina terræ*] *Ponti* Excerpta Calandræ, et ex suis Naugerius. *Idem.*

372 *Agitur pars tertia mundi*] *Vacat* pro diversa lectione Berneggerianus; hoc est, *vacat en pars tertia*: sic apud Lucanum lib. II. 'Pars mundi mihi nulla vacat:' nihil tamen temere hoc loco mutandum. *Heins. Agitur*] Hoc est, tertia pars mundi in periculo versatur, parumque abest quin et ea a nobis amittatur. *Micyll.*

373 *Quæ jam patientia nostra est*] Locus mendosus: plerique veteres, *quoque jam patientia*: primus Vatic. et duo alii, *quo jam*: *quoque parva potentia* Mureti excerpta: *quo visa potentia* unus Gronovii: *jam quippe potentia rara est* alter Hamburgensis; alii aliter. Calandræ excerpta *quoque jam patientia nostra Spernitur*. Scribe, *Et tamen in cœlo quoque tanta potentia nostro Spernitur*: vel *sed tamen* cum Cantabrigensi; quod præstat: *tanta potentia* in *jam patientia* facile depravari potuit. Lib. X. 'sed tanta potentia formæ est.' L. XIII.

Digitized by Google

'pro quanta potentia regni Est, Venus alma, tui!' apposite: et l. XIV. de eadem Venere, 'oderit omnes Sub Diomede viros; odium tamen illius omnes Spernimus, et parvo stat tanta potentia nobis:' ita locus ille ex vestigiis veterum librorum concinnandus: 'in nostro cœlo;' ut Pallas Junoni apud Val. Flaccum l. v. 'liceat puppim, quam struximus ipsæ, Jactatam tandem nostro componere cœlo.' Certe Florentinus veterrimus *quoque jam potentia*. Deinde pro *minuuntur* Neapol. Lovan. et Junian. *tenuantur*. Heins.

375 *Pallada nonne vides*] A quibus potissimum spernatur Venus exponit. Pallas enim ac Diana perpetuam voverant virginitatem.

376 *Cereris quoque filia*] Proserpina, quæ Jovis et Cereris fuit filia. *Micyll.*

378 *Si qua est ea gratia*] Scribe, *si qua est mea gratia*: quomodo Langerman. et unus Voss. cum uno Gronov. l. VI. 'si gratia, dixit, Ulla mea est:' et hoc libro infra, 'si nulla est gratia matris, Nata patrem moveat.' Neap. sec. Medic. Cantabr. aliique multi *tibi gratia*. Puto *mihi*: ut recte unus Strozzæ et duo Leidenses cum uno Vossiano: alterutrum certe verum est. Val. Flaccus l. v. 'tibi gratia nostri Sit, precor, hæc.' *Heins.*

379 *Deam*] Proserpinam Plutoni, qui frater Jovis: hic autem pater fuit Proserpinæ.

382 *Nec*] Nec quæ certius feriat, quod designavit arcus. Virg. Georg. I. vers. ult. 'neque audit currus habenas.' *Farn.*

385 *Haud procul Ætneis lacus est a mœnibus altus Nomine Pergusa*] Primo repone *Hennæis mœnibus*; ut recte optimus Florentinus, primus Vatican. Bernegger. aliique nonnulli. Deinde lege, *altæ nomine Pergus aquæ*: quomodo idem Florentinus. At Cantabrigensis, et tres alii, *altus nomine Pergus aquæ*; proxime verum: quidam codices lituram hic ostentant: de *Pergusa* nugæ sunt. *Pergum* Claudianus quoque l. II. Raptus appellat. *Percum* Julius Firmicus, de Errore profanarum Religionum, et tam hoc loco Florentinum optimæ notæ exemplar, quam in Argumento hujus fabulæ, 'impulit in amorem, uti Proserpinam circa Percum lacum Hennæ flores legentem cum Minerva atque Diana raperet:' ubi in vulgatis *circa Ætnam*. Tertius Mediceus *Pergosa* pro *Pergos*; Cantabrigensis etiam *Percus*: unus Vossianus *Percussa*. Mox *Caystros* pro *Cayster* meliores. Pro *audit* ex præstantioribus nonnulli *edit*: sed nil muto. Pro *labentibus undis* optimus Thuan. et unus Gronovii *plaudentibus*; argute. *Heins.* *Haud procul Ætnæis*] Lacum nomine *Pergusam* describit, juxta quem Proserpina cum æqualibus puellis flores colligens a Plutone illac curru transeunte rapta fuit. Hunc vero lacum Claudianus *Pergum* a Siculis appellari ait.

386 *Pergusa*] 'Pergum dixere Sicani.' Claudian. de raptu II. *Percum* Firmicus. *Cayster*] Ioniæ fl. cygnorum copia celebris. *Farn.*

389 *Phœbeos submovet ignes*] *Ictus* Neapol. secundus Medic. et unus Palat. recte: l. VI. ex melioris notæ membranis, 'Et breve post tempus candescere solis ab ictu.' Horatius Od. II. 15. 'Tum spissa ramis laurea fervidos Excludet ictus:' ubi perperam *æstus* quidam codices. Lucanus l. VII. 'Miles ut adverso Phœbi radiatur ab ictu.' Statius Hercule Surrentino, 'ictus Hyperione multo Sirius.' Sic 'ictæ sole nives.' Fast. III. 236. quæ ibi vera lectio est, non *victæ*. Sic 'ictum radiorum solis' Lucretius quoque dixit: et 'ictum solis ardoribus aëra' l. v. idem 'verbera radiorum solis:' et l. VI. 'Nubila solvuntur solis super icta calore.' Lib. VI. de terra, 'Intempestivis pluviisque et solibus icta.' Nos-

Digitized by Google

ter ipse l. vi. 'percussus solibus arcus:' ubi male multi veteres *percussis*. Sic et Lucretius non semel. Prudentius Cathemerin. Hymno ii. 'Caligo terræ scinditur Percussa solis spiculo.' *Heins.*

390 *Varios humus humida flores*] Malo *humus uvida flores*. Adi Notas Amor. l. iii. 5. Prudentius Cathemer. Hymno v. 'Illic purpureis tecta rosariis Omnis fragrat humus, calthaque pinguia Et molles violas et tenues crocos Fundit fonticulis uda fugacibus:' ubi *uvida* perperam nunc legitur: nos vetustissimas membranas sumus secuti. Idem Hymno vii. 'uvidos' balænæ molares dixit, ubi de Jona agit; ita enim vetustissimi codices, non *vividos*. Deinde 'Tyrios flores' Florentinus S. Marci, Neapol. secundus Mediceus. Sic 'Tyria chlamys,' 'Tyrius crocus,' 'Tyrius torus,' 'fucus,' et similia. Lib. ix. 'Tyrios imitata colores In spem baccarum florebat aquatica lotos.' Lib. x. 'Tyrioque nitentior ostro Flos oritur.' Pro rubei coloris chlamyde aut croco aut toro l. ix. 'Puniceus cruor,' et similia; quanquam et 'varii flores' pro diversicoloribus possunt sumi non male. *Idem.*

395 *Pæne*] 'Mars videt hanc, visamque cupit, potiturque cupita.' Fast. ii. *F.*

396 *Usque adeo est properatus amor*] Multi delent verbum substantivum. *Adeo properatur* tres scripti; quod sequor. *Heins.*

397 *Comites*] Earum nomina habes apud Pausaniam, ex Homero, in Messeniacis.

401 *Hæc quoque jactura*] Quia amiserat flores. *M.*

402 *Nomine quemque vocando*] *Vocatum* vel *vocato* multi veterum. Jam supra *vocatos* esse legendum monui, vs. 212. et sic in uno Vossiano. *Heins.* *Quemque*] Orophnæum, Æthona, Nyctea, Alastora. Claudian. i. de raptu Proserpinæ, sub exitu libri. *Farn.* *Et nomine quemque vocando*] Nomina equorum Plutonis a Claudiano recensentur his versibus: 'Orphnæus, crudele micans, Æthonque sagitta Ocyor, et Stygiis crudelis gloria Nycteus, Armenti Ditisque nota signatus Alastor.' *Micyl.*

404 *Excutit*] Concutit. *Obscura ferrugine*] Ferrugineo colore, qui fuscus est ac ferro similis. *R.* *Per colla jubasque excutit habenas*] Ex Æneid. v. 'Nec sic immissis aurigæ undantia lora Concussere jugis, pronique in verbera pendent.'

405 *Et olentia sulphure fertur*] Scribe *olenti sulphure*, quia 'ferventia' mox addit; nisi mavis *olentes*, videlicet 'lacus;' vel *olentum Palicorum*: certe in uno Basileensi *et olentes sulphure fontes*. Sed vulgatam lectionem agnoscit Diomedes Grammaticus, unde apparet mendum esse inveteratum: apud illum tamen *lacus sacros* invenies. *Heins.* *Olentia*] Vide H. Clofanum defendentem *olentia sulphure* contra Diomedem; et infra vs. 470.

406 *Stagna*] Lacum Palicorum inter Leontinos et Menas: 'olentia stagna Palici:' de Ponto ii. De Diis Palicis adi Macrobium l. v. 19. *Farn.* *Stagna Palicorum*] Palici Jovis et Thaleæ nymphæ a Vulcano genitæ, filii fuerunt, ut vero alii volunt, Vulcani ex Ætna Oceani filia. Dicti sunt autem Palici ἀπὸ τοῦ πάλιν ἰκέσθαι, hoc est, ab iterum veniendo in vitam, cum mortui jam essent. Nam cum Thalea Nympha a Jove fuisset compressa, Junonis timore optavit, ut sibi terra dehisceret. Quod quidem ubi factum est, maturi partus tempus advenit, ex terra igitur adaperta, duo simul infantes exiliere, qui Palici sunt appellati. Juxta Palicos autem fons est Palicine, qui aquam in altum sex cubitis ejaculari dicitur, quæ in eundem fontem iterum revertatur. Jus quoque juran-

Digitized by Google

dum ibi sanctum fuisse scribunt. Quæ enim quis jurasset ea in tabella scripta in aquam projiciebantur; ac siquidem vera fuissent, tabella fluitabat; si quis vero pejerasset, tabella submergebatur, nec usquam apparebat. In perjurio vero deprehensus comburebatur. Vide Macrob. quinto Saturnalium.

407 *Et quæ Bacchiadæ*] Hoc est, originem a Bacchia ducentes. Bacchias enim Dionysii filius Corinthi habitavit, ab eo autem genus ducentes (ut scribit Strabo) generosissimi Corinthiorum habebantur. *Bacchiadæ*] Archias Bacchiadum unus, oriundus Bacchia Dionisii filia, e Corintho sita in Isthmo inter duo maria Ionium et Ægæum profectus, condidit Syracusas, Siciliæ urbem, inter duos portus, majorem alterum, alterum minorem. Thucydides l. VI. Strabo l. VI. Theocritus Idyl. XVI. Cluver. Sicil. antiq. I. 12. *Farn.*

409 *Est medium Cyanes*] Locum describit, ubi Cyane Nympha Plutonem inhibere voluit, ne Proserpinam raperet; cæterum a Plutone contempta, dolore in fontem sui nominis fuit conversa, qui Anapi fluvio commixtus juxta Ortygiam insulam in mare labitur. *R. Est medium*] Inter Cyanes fontem et Ortygiam insulam ponte Syracusis junctam, est pars æquoris quæ portum efficit ab altera parte Syracusarum. *Pisæa*] Alpheus Peloponnesi fluv. juxta Pisas, creditur subterraneo meatu lapsus miscere se Arethusæ fonti insulæ Syracusanæ, Pausanias in Eliacis prioribus. Strabo l. VI. Æneid. III. 'Alpheum fama est,' &c. Alii quamplurimi. Noster infra vs. 565. *Farn.*

414 *Agnovitque Deam*] *Deum* nonnulli, ut ad Plutonem referatur: quod sequentia confirmant. *Heins.*

417 *Me dilexit Anapus*] Scripti fere omnes *Anapis* vel *Anaphis*: sic et in Pontificis, 'Quaque suis Cyanen miscet Anapis aquis;' ita et ibi codices antiqui. Apud Livium quoque secta pro *Anatis* doctissimus Gronovius *Anapis*. Græcis tamen Ἄναπος est: sic et alter pierum fratrum Anapus vel *Anapis*, sed potius *Anapis* dicitur. *Idem. Anapis*] Fluvius est Siciliæ, qui idcirco Cyanen amare fingitur, quod juncti in mare una defluunt.

423 *Cupidis*] Jecit tantis viribus ut totum sceptrum occultaretur. *Ictâ viam tellus in Tartara fecit*] Nam sceptro percussa ita hiavit, ut facile Plutonis currus illuc ad inferos pertransierit.

424 *Medio crateræ*] Lucret. VI. Dionys. Longin. περὶ ὕψους. Sect. 31. οὐδὲ τῶν γῆς Αἴτνης κρατήρων ἀβυσσοειδέστερον νομίζομεν, &c. πόλλοι γὰρ κρατῆρες. Scholiast. Sophocl. Et Sophocl. Œdip. πάθυδρος οὐ Κρατὴρ μεθιεὶς τοῦν Ῥεύματι σωτηρίας. Pausan. Laconic. τὸ δὲ αὐτὸ σημεῖον καὶ ἐν Ἄτνῃ δηλοῦσιν οἱ κρατῆρες. Videatur et Agell. XVII. 16.

425 *At Cyane*] Diodorus sub principio lib. VI. *Farn.*

435 *Pectora cumida*] Nil muto: unus tamen Basil. *emartis*; hoc est, *emareida*; quomodo et primus Gronovii pro diversa lectione: bene quoque Junianus *Cyaneis*. Heins.

FAB. VII. Arg. *Interea pueri*] Ceres Proserpinam filiam quærens, cum defessa siti laboraret, quandam rogavit anum, nomine Misimen, ut sibi aquam ad os collinendum exhiberet. Ea cum mustum polenta commixtum a vetula traditum bibere cœpisset, puer quidam, nomine Stellenus, audacior et ridere et Cererem gulæ deditam esse jactare ausus est. Quare indignata Ceres, in faciem impudentis pueri mustum simul et polentam expuit, eumque in stellionem, animal variis maculis infectum, commutavit.

439 *Omnibus*] Frumentum in Sicilia primum sua sponte natum esse ferunt, mox et satum. Triptolemus a Cecrope Atheniensium rege missus, qui et semen deferret et serendi ac-

Digitized by Google

tem; et ipse mox mari ac terra vectus mortales novæ agriculturæ rationem edocuit: atque hinc Eleusis Attica. Lege Diodorum Sic. lib. VI. *Farn.*

440 *Udis Aurora capillis*] *Rutilis* Thuan. Cantabr. pri. Vatic. ter. Medic. multique alii. Lib. II. 'At Phaëthon rutilos flamma populante capillos.' Et ibidem, 'Ecce venit rutilis humeros protecta capillis.' Lib. VI. 'Barbaque dum rutilis aberat submissa capillis.' Fast. lib. III. 403, ex vestigiis veterum librorum, 'Cum croceis rutilare comis Tithonia conjux Cœperit.' Ausonius Idyll. VI. 'toto rutilaverat igne comarum.' Cato in Originibus, 'Mulieres nostræ capillum cinere ungitabant, ut rutilus esset.' Val. Maximus, 'summa cum diligentia capillos cinere rutilarunt.' Adeatur Festus in *Rutilum*. 'Cæsaries rutila'. Ausonio Epistola VI. et 'rutilæ comæ' in Catalectis Pithœi. Lib. I. 'Medus pila geret, pharetras Romana juventus; Fulgebit rutilis India nigra comis:' ita ex vestigiis veterrimi libri scribendum; in quo *rutilis crocis*: alius codex Pithœi *nitidis comis*: vulgati *nitidis crocis*. Lucanus lib. X. de pueris in mensa Cleopatræ ministrantibus, 'Hæc Libycos, pars tam flavos gerit altera crines, Ut nullis Cæsar Rheni se dicat in arvis Tam rutilas vidisse comas.' *Heins.*

442 *Flammiferas pinus*] Malim *flammifera Ætna*, cum uno meo; ut apud Statium, 'ignifera fessus suspirat ab Ætna.' *Heins.* *Ab Ætna*] Unde et in sacrificiis Cereris, quæ mysteria et initia vocantur, faces accensas jactare solebant ad imitationem ipsius filiam inquirentis.

445 *Solis ab occasu ad ortus*] Imo cum melioribus, *Solis ad occasus ab ortu*. *Ut hebetarat* etiam pri. Basil. et septem alii, non *ubi*. Heins.

446 *Sitim conceperat*] Pri. sec. Pal. Cantabrig. pri. Erfurt. plurimique alii, *collegerat*: ut lib. VI. quæ vera ibi scriptura est, 'Sidereo siccata sitim collegit ab æstu.' Lib. I. 'Colligit os rabiem.' Virg. Georg. III. 'Inde ubi quarta sitim cœli collegerit hora;' sic 'pluvias nox colligit' eidem; et 'gaudia colligere' Propertio lib. II. Eleg. 14. Deinde pro *contectam* meliores *cum tectam*; malim tamen *textam*. Paulinus Epist. I. ad Ausonium, 'Nigrantesque casas et texta mapalia culmo;' ita et ibi veterrimus codex. Noster nihilominus lib. VIII. de casa, 'stipulis et canna tecta palustri.' Fast. lib. III. 'Quæ nunc ære vides, stipula tunc tecta videres:' ubi *texta* locum habere non potest. *Idem.*

449 *Anus*] Videtur hæc esse Baubo Arnobii lib. V. Nicandro tamen in Theriacis v. 488, Μετάνειρα. Ovidio fuse narranti hanc fab. IV. Fastorum Melanina vocatur. Mismam appellat Ant. Liberalis 24. fab. ut et filium nominat Ascalabum, quæ tamen vox sonat Græce stellionem. Namque interpres Nicandri puerum vocat Abantem. *Lymphamque*] Κυκεῶνα Nicandro, quod Cicero de Oratore *cinnum* vertit; id autem conficitur ex polenta, id est, farina hordeacea, melle, aqua, caseo temperata. Adi Turnebum lib. XII. Advers. c. 8. *Dulce* itaque ponitur absolute.

450 *Tosta quod coxerat ante polenta*] *Tosta polenta* cum melioribus: quod et alii jam monuerunt; nisi mavis, *tostæ polentæ*. Heins.

455 *Combibit os maculas*] Contrahit. *R.* *Quæ modo brachia gessit*] *Quæ* ex tribus scriptis. *Heins.*

459 *Tangere monstra paventem*] *Parantem* ex novem præstantioribus: et *latebramque*, pro *latebrasque*, ex iisdem. *Idem.*

461 *Stellatus corpora*] Stellatum habens corpus, et guttis infectum, quæ stellæ videantur. *R.* *Nomen*] Stellionis: ἐγένετο ποικίλος ἐκ τοῦ σώματος ἀσκαλαβός. Ant. Liberal. Metam. fab.

Digitized by Google

24. animal est lacerto simile, cui tergus pictum guttis maculisve lucentibus.

Fab. viii. 463 *Dicere longa mora est*] Τὸ *Dicere* mox sequitur, quare rectius unus Vossianus, *Longa referre mora est*; ut noster sæpe alibi. *Heins. Quærenti*] Quod in avaros torqueri potest: 'avidis natura parum est.' Senec. Herc. Œtæo vs. 631. *Quærenti defuit orbis*] Nam cum totum perlustrasset Ceres terrarum orbem, ubi quæreret filiam, nihil ei loci restabat: quare in Siciliam est reversa.

465 *Cianem*] Vers. 411. supra. *Farn.*

467 *Qua loqueretur*] *Quo* ex scriptis. *Heins.*

470 *Persephones zonam*] Proserpinæ cingulum. *R. Zonam*] Virginis et raptæ et delibatæ indicium proprium zonam solutam. Lege quæ habet Firmicus de rustico quodam, cui propter divitias Pluton fuit nomen, raptore Proserpinæ; qui ne prehenderetur a Cereris manu armata ipsum insequente, vehiculum egit per medium lacum Percum, inibique periit cum virgine submersus. *Farn. Persephones zonam*] Redi ad Epist. ii. vs. 116. Quam Colutus Theban. vocat μελίφρονα δεσμὸν ἐράτων.

474 *Nescit adhuc ubi sit*] *Nec scit* cum primo Palat. et uno Mediceo et uno Vossii; nisi præstat reponi, *Nescia.* Heins.

476 *Vestigia*] Zonam: ut modo. vs. 476. *Farn.*

479 *Arvaque jussit fallere depositum*] Hoc est, arvis mandavit, ne sibi credita semina redderent. *R.*

480 *Fallere*] Terræ fallentis depositum et spem mentitæ species enumerat Horat. Od. iii. 1. 'Fundusque mendax; arbore nunc aquas Culpante, nunc torrentia agros Sidera, nunc hiemes iniquas.' Vide quæ nos ad Virg. Georg. i. *Farn. Vitiataque semina fecit*] *Lædit* Thuan. et pro diversa lectione prior Erfurtanus. *Heins.*

482 *Sparsa jacet*] *Falsa* quidem ex præstantioribus: quod tamen non placet, quia præcesserat, 'Fallere depositum.' Arondelianus pro diversa lectione *Cassa jacet:* optime. Prudentius ad rem l. ii. contra Symmachum, 'Semper (crede) polus variis proventibus annos Texuit: hoc multa ditavit fruge fluentes, Quosdam infelices astris damnavit iniquis, Spe cassa et sterili curam frustatus agrestem.' Plura de hac voce Remed. Amor. vs. 447. *Idem.*

487 *Alpheias*] Arethusam fabulantur fluv. Elidis ex Peloponneso occultis subter mare cuniculis lapsam rursus emanare in Ortygia ins. prope Syracusas: supra vs. 409. et infra 576. *Farn.*

494 *Pisa mihi patria est*] Pisa Arcadiæ oppidum juxta quod Alpheus fluvius labitur.

498 *Mota loco cur sim*] Arethusa venatrix fuit, Dianæ comes, quæ cum forte se in Alpheo fluvio lavaret, ita Alpheum in sui amorem pellexit, ut ipsam retinere conatus sit; sed cum in Siciliam usque fugientem Alpheus secutus esset, implorato Dianæ auxilio in fontem sui nominis fingitur fuisse conversa. Quod idcirco fictum est, quia quæ jaciunt in Alpheum purgamenta ejici ab Arethusa in Siciliam fere est observatum. Sunt autem multæ Arethusæ et urbes et fontes. *R.*

499 *Ortygiam*] Insulam juxta Syracusas in Sicilia, olim ponte junctam continenti, postea aggere. Ἄμπελμα σεμνὸν Ἀλφεοῦ Κλειναῖν Συρακοσσῶν Ἴδλος, Ὀρτυγία, Δήμιον Ἀρτέμιδος, cum respectu quodam ad alteram Ortygiam, Delon.

500 *Cum tu*] Infra, vs. 568. erunt opportuna illa et 'mollissima fandi tempora.' *Farn.*

502 *Subterque imas ablata cavernas*] *Subterque cavas* rectius in uno Moreti. *Heins.*

504 *Stygio*] Profundo certe meatu lapsa est Arethusa si ea viderit quæ

Digitized by Google

Stygio in gurgite facta sint: omnino profundo, si sub mari quidam amnes, inquit Plinius lib. II. 103. odio maris ipsa subeunt vada, sicut Arethusa fons Syracusanus, &c.

505 *Visa tua*] Refert Pausanias in Atticis Cererem Argis a Pelasgo acceptam hospitio, de filiæ raptu ex Chrysanthide cognovisse. Didymus et Tharræus in proverbiis, Hermenios indicasse Cereri raptum Proserpinæ tradunt. Alii Cabarim quendam e Paro insula. Triptolemum aut Celeum alii. *Farn.*

506 *Interrita vultu*] *Vultus* in optimo Florentino. *Heins.*

511 *Dolore pulsa gravi*] Percussa, affecta magno dolore.

514 *Proque meo veni*] *Venio* Bernegger. et octo aut decem alii. Lib. XIII. 'Omnibus inferior, quas sustinet aureus æther, Diva tamen venio.' *Heins.*

516 *Nata patrem moveat*] Proserpina enim Jovis ex Cerere filia fuit.

519 *Si reperire vocas*] Ac si diceret, hoc esse potius amittere, quam reperire.

522 *Si jam mea filia non est*] *Si jam mea filia digna est*, Neapol. et secundus Mediceus; venustissime. *Heins.*

534 *Jejunia Solverat*] Ἀνόνησις Græcis dicitur, qui non est jejunus: hinc ἀνονησιζεσθαι, jejunium solvere et jentare. Sic jejunium solvisse Proserpinam dicit, quæ apud Inferos septem grana mali punici contigerat. *Salm.*

535 *Solverat: et cultis*] *Irriguis* tres antiqui. Lege *et riguis hortis.* Ita Noster passim; ut Met. X. 'riguoque papaver in horto.' Lib. XIII. 'rigno formosior horto.' Remed. Amor. 'Ipse potes rigno plantam deponere in horto.' Gratius Cynegetico, 'At pauper rigui custos Alebandicus horti.' *Heins.*

537 *Septem*] Missus tamen Mercurius Fast. IV. scitatum, utrum Proserpina mansisset jejuna, refert, 'rapta tribus solvit jejunia granis Punica quæ lento cortice poma tegant.' *Farn.*

539 *Soluisque Ascalaphus vidit*] Ascalaphus Acherontis ex Orphne Nympha fuit filius, qui cum testatus esset Proserpinam in Plutonis hortis septem grana mali punici comedisse, ab ipsa in bubonem pessimi ominis avem fuit commutatus. *R. Orphne*] Gorgyram vocat Apollodorus lib. I. aliterque refert hanc fab. Ceres, inquit, Ascalapho Acherontis et Gorgyræ filio, quod in filiam suam testimonium dixisset, grave apud inferos superimposuit saxum. *Farn.*

243 *Testemque profanum*] *Profanam avem* meliores. Lib. VI. 'tectoque profanus Incubuit bubo.' *Heins.*

546 *Ille sibi ablatus*] Hoc est, sua figura ac forma spoliatus. *Amicitur*] Vestitur, cooperitur. *Fulvis amicitur ab alis*] *In alis* plerique veteres; ut apud Virgil. 'Horridus in jaculis:' apud Claudianum, 'sudare in hasta.' Sed cur *fulvas alas* dat buboni? nunc ex meis, *flavis; furvis* Barherin. Forte *ravis alis.* Vide quæ ad Amores I. 12. notamus. *Heins.*

547 *Inque caput crescit*] Illi in caput crescere dicuntur, quorum caput quam reliqua membra grandius efficitur.

550 *Dirum mortalibus omen*] Maxime vero abominatus est bubo, tristis et dira avis, voce funesta et gemitu, qui formidolosa, dirasque necessitates et magnas moles instare portendit: ipsum tamen cantu et stridore querulo dirum facere auspicium putant. Vide Alex. ab Alexand. lib. V. Genial. dier. c. 12. *Pont. Venturi nuncia luctus bubo*] Ex Virgil. Æneid. IV. 'Solaque culminibus ferali carmine bubo Sæpe queri, et longas in fletum ducere voces.'

Fab. IX. Arg. *Hic tamen indicio pœnam, &c.*] Fabulam fabulæ (ut solet) eleganter annectit Poëta. Nam Sirenes tres fuisse dicuntur, Acheloi fluvii et Calliopes musæ filiæ, ac Proserpinæ comites fidissimæ: quam quidem cum et ipsæ per totum orbem

Digitized by Google

terrarum quæsiissent, nec usquam in terris eam reperirent, Deos rogarunt, ut alatæ efficerentur, quo commodius etiam in aquis Proserpinam inquirere possint. Quare ita in aves fuere conversæ, ut facies tamen virginea, vocque humana illis remaneret. Hæ juxta fretum Siculum insulas Sirenusas habitantes tam suaviter canebant, ut nautas illac transeuntes, aut ad se pellicerent, aut supito spoliarent atque submergerent.

562 *Acheloïdes*] Sirenes, filiæ Acheloi et Terpsichores. Quas si voluptates interpretemur, taurino sane impetu aut flumineo impellunt, nec minus suavitate sua alliciunt ad perniciem: hilaris pœna, mors blanda, gaudium crudele. Martialis Epigram. lib. III. 64. Ad Sap. vet. Domini Verulamii *Siren, seu Voluptas*. Deadulatoribus sunt qui interpretentur. Sabinus de liberalium artium gymnasio, Rhetorices imprimis et poëticæ, quæ tamen ab honesto degenerant instituto: quem lege, et Scalig. poët. v. *Acheloides*] Sirenes. Redi ad Art. Am. III. vs. 311.

564 *An quis*] Aliæ ab aliis adferuntur caussæ. Sed de certamine earum cum Musis, de cantu pernicioso, &c. multa Poëtæ, ethici, mythologi, quos adi. *Faru.*

565 *In comitum numero doctæ Sirenes*] *Mistæ* meliores. Forte, *Immistæ comitum numero.* Heins.

567 *Protinus ut vestram*] *Non minus ut vestram* cogitabam aliquando. *Idem.* *Protinus ut vestram*] Hoc est, ut diligenter in mari quoque possetis inquirere Proserpinam.

568 *Alarum remis*] Alarum remigio et agitatione.

561 *Ne tamen illa canor*] Causam exponit, cur totæ in aves non fuerint commutatæ Sirenes, sed virgineos vultus retinuerint. Vide Natal. Comit. l. VII. Myth. c. 131. *Canor natus*] Facultas canendi ingentia et a natura data.

Fem x. 564 *Mistaque oriorbi*] *Mediusque* in priori Hamburgenti. *Heins.*

566 *Dorum regnorum*] Et inferi et superi. R.

567 *Cum matre*] Ut per sex menses, quibus Sol in signis est Australibus quod maritum sit infra terram: sex alios, quibus visit Borealia signa, emergant, maturescant, in horreo deportentur fruges. Vel etiam quod Luna, quæ eadem eatque Proserpina et Diana, ex æquo utrumque hemisphærium, superius atque inferius illustret.

571 *Victis e nubibus exit*] *Ubi nubibus exit* in plurimis; quod præstat. *Heins.* *Victis e nubibus*] Ex dissolutis nebulis atque depulsis. Tunc enim nubes a Sole vinci dicuntur, cum resolvuntur atque expelluntur.

572 *Nata sicura recepta*] *Reperta* Cantabr. Thuan. prior Erfurt. et septem alii. Supra, 'En quæsita diu tandem mihi nata reperta est!' Mox, *Quæ tibi causa viæ*, non *fugæ* meliores: de fuga enim nil præcesserat. *Heins.*

573 *Sacer fons*] Omnes fontes Nymphis sacri esse dicuntur. R.

576 *Fluminis Alphei*] *Elei* ex melioribus. *Heins.* *Alphei*] Al. *Flaminis Elei*: lege dialogum Neptuni et Alphei, in dialogis marinis Luciani. *Faru.*

577 *In Achaide*] In Achaia.

583 *Rustica*] Simplex, neglecto formæ cultu, quod aliæ sibi honori, hoc mihi crimini duxi, ut formam, qua placere possem, adstruerem. *Faru.*

585 *Stymphalide*] Stymphalus, Arcadiæ in Peloponneso, mons est et urbs. *Idem.*

586 *Magnusque labor*] *Magnumque* ex melioribus. *Heins.*

588 *Perspicuus ad humum*] *Ad imum* nonnulli veteres cum primo Gronoviano, primo Vaticano, et sec. Mediceo. Scribe, *Perspicuus imo*: sic in Halieutico, 'Quæ vada subnatis imo viridentur ab herbis.' 'Ex βάθου dixit Theocritus, Idyl. XXIII. Noster alibi

Digitized by Google

'gurgitis ima' l. xi. de auribus Midæ; ut et illic scribendum, 'Instabilesque ima facit et dat posse moveri.' *Idem.*

598 *Propioris margine fontis*] *Ripæ meliores. Idem.*

599 *Alpheus*] Vide Epist. ix. vs. 141. et Amor. iii. 6. vs. 29.

603 *Parstier*] Ad vim patiendam.

606 *Trepidas urgere columbas*] *Agitare* Cantabr. et multi alii. Sic 'trepidos agitare in retia cervos,' l. iii. et 'timidas agitare lyncas', apud Horatium Od. ii. 13. Prudentius Hympno xiii. Cathemerin. 'Exagitansque truces aquilas Per vaga nubila perque notos Sidere lapsa columba fugit.' Horatius tamen de Cæsare Cleopatram persequente, 'Remis adurgens, accipiter velut Molles columbas.' *Heins.*

607 *Orchomenon*] Urbem Arcadiæ, non procul a Mantinea: sed et alia est cognominis in Bœotia, inter Thespiam et Coroneam. *Farn.* *Psophidaque*] Est Psophis variarum urbium nomen. Nam et Arcadiæ urbs est et Acarnaniæ, et Achaiæ. Est et Libyæ urbs Psophis, unde Psophites. *Cyllenum autem*, et *Menalon*, et *Erymanthon* Arcadiæ esse montes jam sæpius diximus. *Elim* vero ejusdem Arcadiæ urbem. *R.*

611 *Longi*] Λέγεται καὶ τοιόδε ἐς τὸν Ἀλφειὸν, ὡς ἀνὴρ εἴη θηρευτὴς, &c. Narrant, inquit Pausanias in Eliacis prioribus, Alpheum fuisse venatorem, amasse Arethusam, et ipsam venatricem, quæ cum fugeret amantem, in insula Ortygiæ prope Syracusas in fontem conversam fuisse; Alpheum, ut ipsam sequeretur, in amnem item mutatum, subter mare meare ac fonti illi Syracusano misceri. Quod ut credam verum esse, adducor Delphici Apollinis responso: is enim Archiam Corinthium coloniam Syracusas deducendam hortatus dixit: Ὀρτυγίη τις κεῖται ἐν ἠροειδέϊ πόντῳ Τρινακρίης καὶ θύπαρθεν, ἵν' Ἀλφειοῦ στόμα βλύζει, Μισγόμενον πηγαῖς Εὐρωείης Ἀρεθούσης. Quod ultra probatum it Pausanias simili lapsu Nili, Jordanis, et aliorum fl. *Farn.*

613 *Saxa quoque, et rupes*] *Saxaque per rupes* alter Hamburg. et tres alii. Barber. *saxa per et rupes.* Scribe *saxaque per, rupesque.* Heins.

619 *Armigeræ, Diana, tuæ*] *Dictynna* octo veteres recte. Paulo ante pro *ingens anhelitus* censeo scribendum *urgens anhelitus oris:* ut lib. xi. sub finem, 'celeremque metu celer urget amore.' *Idem.*

622 *Lustrat*] Occupat. Μυθεύουσι δὲ τὸν Ἀλφειὸν ἀρχόμενον ἀπὸ Πελοποννήσου, &c. Strabo l. vi. Fabulantur, inquit, Alpheum in Peloponneso ortum, subter mare alveo suo infra terram usque ad Arethusam ductum cursum inde in mare affluere. Cujus rei argumentum proferunt: pateram quandam apud Olympiam in Alpheum prolapsam, ad fontem Arethusam fuisse delatam: tum fontem eum turbidum fieri quando Olympiæ boves sacrificantur. Quam pro fabula confutat idem Strabo, ibidem. Namque ostium Alphei manifesto in mare exire; neque ullas apparere fauces quæ amnem absorbeant: neque fieri posse ut aqua dulcis maneat, si per mare, vel subter mare permeet. *Farn.*

631 *Longius ulla pedum*] *Longius ire* nonnulli veteres; quod præstat. Paulo post pro *manat loqua*, reposui *lacus*, ex plurimis veterum. *Heins.*

632 *Occupat obsessos*] Pulchra phantasia fingit Poëta Arethusam in aquam fuisse conversam. Qui enim plus æquo sudat, facile in aquam videtur resolvi. *Obsessos artus*] Vide Amor. i. 10. vs. 20.

635 *Facta renarro*] *Fata* ex melioribus. *Heins.*

637 *Posito ore*] Deposita figura, ac forma virili.

639 *Cæcis*] Fulgentius Alpheum interpretatur ἀληθείας φῶς: Arethu-

Digitized by Google

sam, nobilitatem æquitatis: quem adi l. III. Alii integritatem morum incorruptorum referunt.' *Farn.*

640 *Advehor Ortygiam*] Ortygia et Delos dicitur, quod in ea primum Ortyges fuerunt visæ, ut quibusdam placet, et insula Siciliæ adjacens. *Cognomine Divæ*] Dianæ: nam et Delia et Ortygia ab eadem insula Diana cognominatur.

641 *Eduxit prima*] Malim *educit*. Heins.

Fab. XI. Arg. *Hac Arethusa tenus*] Hactenus, inquit, Arethusa fuit locuta; Lynci autem Scythiæ regis Metamorphosin in lynca feram, eleganter cum superiore fabula connectit poëta. Ceres enim recepta filia, Arethusaque audita, Athenas advolavit, currumque a draconibus alatis vectum Triptolemo donavit: quo frumenti usum et agriculturam mortales doceret. Is igitur cum ad Scythiam usque pervenisset, a Lynco Scytharum rege hospitio susceptus, paulum abfuit quin interficeretur. Nam Lyncus, cum adventus causam percepisset, Triptolemi gloriæ invidens eum somno oppressum aggressus est. Quare Ceres indignata Lyncum in lynca feram commutavit. *R.*

642 *Dea fertilis*] Dea fertilitatis Ceres. *Angues*] Dracones. Claudian. I. de raptu Pros. 'Sinuosa draconum Membra regens; volucrique per avia nubila tractu Signant.' comparat. Scal. poët. v.

644 *Vecta est*] Rectius *fertur* in primo Gronoviano: nam 'Vectus erat juvenis' mox sequitur. Deinde *Tritonida arcem* non *urbem* tres scripti. *Heins.*

646 *Triptolemo*] Quem Ceres, quod cum filiam quæreret, a Celeo patre Triptolemi benigne fuisset accepta, serendi rationem docuit, eique dedit currum quem trahebant alati draconeš, quo vectus mortalibus impertiret agriculturam. Supra vs. 439. Ttetzes in Hesiodum allegoriam fabulæ explicat. Nonn. Dionys. l. XIX. *Rudi humo*] Non antea cultæ, indomitæ. *Farn.*

648 *Europen et Asida terram*] *Terras* ex optimo Tinaneo: et mox *Scythicas oras* non *Scythicasque* castigatiores. *Heins.* *Asida*] Asiam proprie dictam, Mysiam, &c. quæ primam producit. Georgic. I. 'et quæ Asia circum Dulcibus in stagnis rimantur prata Caystri.' Et Æneid. VII. 'Sonat amnis, et Asia longe Pulsa palus.' Asiæ vero, quæ pars quarta orbis, primam corripi volunt. Æneid. I. 'Europa atque Asia pulsus.' *Farn.*

651 *Causamque viæ, qua veniat*] Ex Homer. Odyss. I. 252. Ὦ ξεῖνοι, τίνες ἐστέ; πόθεν πλεῖθ' ὑγρὰ κέλευθα; Quod et Virgil. Æneid. IX. 'State, viri; quæ causa viæ, quive estis in armis?'

660 *Rursusque per æra jussit*] *Misit* fragmentum Vossianum, Junianus, et unus meus eleganti Græcismo. Epist. Penelopes, 'te quærere misso Retulerat nato.' Propertius Eleg. II. 16. 'Semper in Oceanum mittit me quærere gemmas.' Statius initio Achilleid. 'duros laxantem Ægæona nexus Missa sequi,' ex veteri codice. Cælius Hist. lib. I. 'Celocem in Africam mittit visere locum, ubi exercitum exponat.' Apud Apuleium 'facere missa sum:' ubi perperam *jussa* Colvius. Vide Avienum Fab. XXII. Rutilium lib. I. Itiner. vs. 210. Maximianum initio Eleg. 5. *Heins.*

661 *Sacros jugales*] Dracones eidem jugo subjectos. *R.* *Mopsopium*] Atheniensem, a rege Mopsopo. Straboni l. IX. a Mopso, Triptolemum. *Farnab.*

Fab. XII. Arg. *Finierat dictos*] Pieri filiæ, Nympharum sententia, a Calliope Musarum præstantissima superatæ, cœperunt et Nymphas, et Musas ipsas conviciis insectari: quam rem quidem ægre ferentes Musæ, eas in picas converterunt, quæ inge-

Digitized by Google

pitam. ratiocinasse videntur loquacitatem. *R.*

662 *Finierat doctos cantus*] Imo *dictos* cum primo Palat. primo Mediceo, et decem aut undecim aliis, ne laudibus sororis Musa putide indulgeat. *Heins. Maxima*] Calliope: supra vs. 338.

663 *Nymphæ*] Supra ad vers. 314. *Fern.*

664 *Concordi sono*] Una omnium sententia. *Convicia victæ Cum facerent*] *Jacerent* Florentinus S. Marci, Urbin. Neap. pri. Palat. sec. Medic. pri. Regius, prior Erfurt. decem alii: utrumque recte; sequor tamen vetustiores. Lib. xv. 'toto Venus anxia cœlo Verba jacit.' Deinde *dixit*, non *dixi*, cum præstantioribus. *Heins. Convicia jacerent*] Vide hac de re Phædrum Laurentii, l. I. Fab. 6. 5. qui plerosque bonos auctores adducit.

667 *Non est patientia libera nobis*] Ex Virgil. 'Non est mora libera Turno.'

668 *Ibimus in pœnas*] Vos pœnis ac suppliciis afficiemus.

669 *Rident Pæonidos*] Mire hic turbant libri veteres: sed ne in hoc luto diu hæreatur, antiquiores scripturas solummodo adhibeho. *Rident Athipedes* primus Mediceus. *Rident Athides* Bernegger. pri. Gronov. et nonnulli alii: quidam *Athiades* cum secundo Mediceo, vel *Achiades*: *Ridentque Athides* primus Palat. alii ex vetustioribus *Enipedes*, vel *Eathides*, et similia. Florentinus S. Marci a manu prima *Ridentemque Athides*. Scribe *Rident Emathides*. Supra nimirum illæ ipsæ, 'Vel nos Emathiis ad Pæonas usque nivosos Cedamus campis.' Deinde *minacia verba* non *minantia* Florent. primæ notæ, Neap. et Bernegger. qui etiam *magno et clamore* cum primo Mediceo: a multis τὸ *et* abest. *Heins. Rident Pæonides*] Pæonides autem eadem ratione qua mater illarum, vocantur, ut supra. Pæonis Enippe mater fuit.

673 *Concrescere*] Coalescere.

674 *Ora videt*] *Vident* ex altero Erfurtano. *Heins.*

675 *Plangere dumque volunt*] *Dumque volunt plangi* meliores magno numero. Sic et l. VIII. censeo scribendum, 'Plangunturmatres Calydonides Eveninæ.' Lib. XI. 'Plangitur et trepido constringit vincula motu.' Lib. XIV. 'ipsa suis deplangitur Ardea pennis.' Apud Silium l. I. ex optimo codice, ubi de Borea agit, 'Nunc ipsas alis plangit stridentibus Alpes:' cui scripturæ inscite, ut solet, obloquitur Dausqueius. *Heins. Plangere dumque volunt*] Dum, inquit, pectora sua manibus plangere vellent, in aëra levatæ pendere cœperunt.

676 *Nemorum convicia*] Quæ in nemoribus convicia jactare non desistunt.

METAMORPHOSEON LIB. VI.

FAB. I. 1 *Tritonia*] A Tritone fl. Bœotiæ, inquit Pausanias in Bœoticis: non illo ὃς ἐς τὴν πρὸς Λιβύην θάλασσαν ἐκδίδωσιν ἐκ τῆς Τριτωνίδος λίμνης. Quod tamen Mela, Lycophronis interpres, Lucanus, et alii asserunt, Bœotiorum lingua τριτὼν caput significare volunt: quod si ita sit, conveniet fab. de Minerva ex Jovis capite prognata. Apollonii scholiastes ad

Digitized by Google

l. IV. ἢ τὸ τρεῦν τοῖς ἐναντίοις ποιοῦσα. Diomedes II. I. τρεῦν μ' οὐκ ἐᾷ Παλλὰς Ἀθήνη. *Aures*] *Aurem* Berneggerianus recte. *Heins.*

5 *Arachnes*] Arachne Lydia fuit puella, Idmonis Colophonii filia, lanificii peritissima. *R. Mæoniæque*] Mæonia seu Lydia. *Farn.*

7 *Non illa loco, nec origine*] Distinguenda hic *locus* et *origo gentis*. *Locus* sæpe est genus, parentes, avi. Hinc quempiam *claro et nobili loco ortum* dicimus. Gens totius familiæ sive stemmatis est. Priori respondet, quod statim de patre et matre subjicit: posteriori, quod ait, 'orta domo parva;' domus enim est gens et familia. *Pont.*

8 *Colophonius Idmon*] Colophon Lydiæ urbs est, Apollinis oraculo clara.

9 *Murice*] Est enim murex piscis, ex cujus sanguine purpureus conficitur color. *R. Phocaico*] Phocæa purpura claruit.

11 *Æqua*] Par et æqualis. *R. Lydias*] Legendum *Lydas per urbes*, quod in Lydias, prior ubique longa ponatur, apud Horatium, Virgilium, &c. *Micyll.*

13 *Hypæpis*] Oppidulo Lydiæ in descensu Tmoli montis ad Caystri pratum.

15 *Tymoli*] Tmoli montis Lydiæ.

16 *Pactolides*] Pactolus Lydiæ fl. aurifer est.

18 *Tunc quoque cum flerent, tantus decor adfuit arti*] Versus hic superiori rectius præponatur. Nam *Non factas vestes*, pro *Nec*, in multis scriptis. *Heins.*

19 *Sive rudem*] Lanificii opera singularia habuisti, &c. l. IV. 35. *Farn.*

20 *Digitis subigebat opus*] Virgilius, 'subiguntque in cote secures:' sic dicimus, subigere navem conto.

26 *Falsos canos*] Penelop. Ulyss. 'Sive Menætiaden falsis cecidisse sub armis.' Et Metam. XIII. 1. 'Actorides sub imagine tutus Achillis.' 'Achilles simulatus,' Sen. Troad. vs. 447. Sic et Pallas anum simulabat, additis falsis canis.

27 *Infirmos baculo sustinet artus*] Sic de Ulysse: 'Mendico similis graditur, curvusque tremensque, innixus baculo membra caduca levat.' Homer. Odyss. Ξ. Senec. Herc. Fur. 'Iners senectus adjuvat baculo gradum.' Et in Œdip. v. 657. 'Repet incertus viæ Baculo senili triste prætentans iter.' De Ulysse mendico videndus Lucian. Diog. et Timon.

28 *Non omnia*] Expressus hic locus ex Euripide in Phœnissis, vs. 531. ubi Jocasta filium Eteoclem ab ambitiosa dehortatur injuria, Ὦ τέκνον, οὐχ ἅπαντα τῷ γήρᾳ κακά, Ἐτεόκλεες, προσέστιν· ἀλλ' ἡ μακρία Ἔχει τι λέξαι τῶν νέων σοφώτερον.

29 *Seris venit usus ab annis*] Sic de Alexandro, Amyntæ filio, Herodot. V. Νέος ἐὼν, καὶ κακῶν ἀπαθής....Θυητῶν δὲ ἀφράτις ἤθεος ἔχει πολυήρατον ἦθος, Κοῦφο, ἔχων θυμὸν πολλ' ἀτέλεστα νοεῖ. ἀπαλὸς παῖς.

31 *Faciendæ maxima lanæ*] Hinc lanificium: multi tamen ex antiquis codices *faciendæ telæ*. Heins.

32 *Cede Deæ*] Ne contendas cum Dea. *R. Cede Deæ*] Ἐπεὶ τέγγε λοιδορῆσαι θεοὺς, ἐχθρὰ σοφία· καὶ τὸ μαχεῖσθαι παρὰ καιρὸν Μαινάσιν ἐπαρκέσει. Pindarus Olymp. IX.

34 *Inceptaque fila relinquit*] *Remisit* Lovan. et unus ex Basileensibus. Lib. II. Fast. 'Desinit in lacrymas, inceptaque fila remisit.' Epistola Herus, 'Stamina de digitis cecidere sopore remissis.' Tibullus I. Eleg. 3. 'At circa gravibus pensis adfixa puella Paulatim somno fessa remittere opus.' Libro tamen Artis II. 'inceptum dextra relinquit opus.' *Heins.*

35 *Vixque manus retinens*] A vi inferenda et verberanda Dea.

36 *Resecuta est*] Prosecuta est, ac respondit. *R. Obscuram*] Dissimulantem se, et alieno schemate latentem: vide quæ ad lib. XII. vs. 562.

37 *Mentis*] Turnus Virgilianus:

Digitized by Google

'Sed te vieta situ, verique effœta senectus, O mater, curis nequicquam exercet.' Æneid. VII. 440. *Farn.*

45 *Mygdonidesque*] E Phrygia, utpote vicina, multæ convenerant mulieres, ut Arachnes opera spectarent, quæ omnes, præter unam Arachnen, veneratæ sunt Deam. *R.* *Interrita*] Venerationis ac reverentiæ significationem nullam dedit Arachne. *Pont.* *Interrita virgo*] *Non territa* meliores. Mox scribe *notavit Ora pudor*, pro *rubor:* nam 'erubuit' præcesserat paulo ante. *Heins.*

46 *Sed tamen*] Non ita pudorem et verecundiam decoxerat penitus, quin rubor vel invitæ offusus fuerit: vide quæ ad lib. III. 182. et Macrob. II. 11. Saturn. *Farn.*

49 *Candescere solis ab ortu*] *Ab ictu* pri. et secundus Palatini, Urbin. prim. Reg. prim. Moret. prim. Gronov. prim. Vatican. aliique quamplurimi; recte. Adeantur quæ notamus l. v. 389. *Heins.*

53 *Consistunt diversis partibus ambæ*] *Constituunt*, telas videlicet, ex castigatioribus. Pro *jugo juncta* Neap. Urbin. Bernegger. *vincta.* Idem.

55 *Secernit*] Dividit, distinguit. *R.* *Jugo*] Transversæ perticæ, cui telæ stamen alligatur et involvitur: sequiturque accuratissime telæ texendæ hypotyposis. *Farn.*

56 *Subtegmen*] Id est, quod stamini inseritur, quod etiam trama vocatur. *Radiis acutis*] Radius instrumentum est, quo textores subtegmen inserunt stamini.

57 *Atque inter stamina ductum*] Periphrasis est subtegminis. Id enim dentibus pectinis inculcatur. *R.*

58 *Percusso feriunt inserti pectine dentes*] *Insecti* recte plurimi ex antiquis: τὸ *feriunt* est in optimo Florentino deleta penitus veteri scriptura: in optimo Thuaneo, Cantabr. et tribus aliis, *quatiunt;* quomodo et prior Erfurtanus pro diversa lectione. Putabam aliquando *paverunt*, vel *pavi-unt:* quomodo *pavire solum* dicebant, hinc et *pavimentum.* Nunc nil muto. Varro lib. IV. de L. L. 'Stamen stando, quod eo stat omne in tela velamentum. *Subtemen*, quod subit stamini. *Trama*, quod tramat. Phrygium id genus vestimenti. *Dentum*, a dentibus pectinis, quibus feritur.' 'Feriunt' quoque Seneca in Epistolis agnoscit, producto hoc ipso loco. Apud eundem *insecti*, ut jam scribendum monuimus. 'Percutere' verbum textorium, ut in illo Juvenalis Sat. IX. 'Et male percussas textoris pectine Galli,' de lacernis. Lucanus lib. X. 'Candida Sidonio perlucent pectora filo, Quod Nilotis acus percussum pectine Serum Solvit, et extenso laxavit stamina velo:' ita præstantissimus codex Vossianæ bibliothecæ; nam in vulgatis exemplaribus *compressum pectine* legitur. *Heins.*

59 *Utraque festinat*] *Festinant* bene Florent. Neap. pri. Vatic. sec. Medic. et octo alii. *Idem.*

61 *Sensit ahenum*] Multi ex vetustioribus *sentit.* Mox *percussis solibus arcus*, non *percussus*, castigatiores. Pro *arcus* unus Basil. *Iris.* Idem.

62 *Tenues parvi*] Apte appositeque; ex arte et ratione Physica atque Optica. Umbræ, inquit, gradatim per colorum levia discrimina declinantes, faciunt ut imagines surgere et extare videantur: non secus ac radii Solis in roridam cavamque nubem se fundentes refractique fallunt visum variosque repræsentant Iridis colores. *Farn.*

64 *Longum cœlum*] Longam aëris partem.

66 *Transitus*] Unius, inquit, coloris ad alium transitus, oculos decipit: quia cum sint diversi, iidem tamen esse videntur.

69 *Vetus argumentum*] Antiqua fabula. *Deducitur*] Effingitur. *R.*

70 *Cecropia arce*] Atheniensi, a Cecrope Athenarum rege. *R.* *Scopulum*] Collem Martis, Areopagum,

Digitized by Google

in quo causam dixerat Mars apud duodecim Deos judices de cæde Halirrhotii, accusante patre Neptuno.

71 *Antiquam*] Lib. II. 386.

72 *Bis sex*] Lib. I. 171. *Farn.*

73 *Augusta gravitate*] Sacra majestate. *Sua quemque Deorum Inscribit*] Hoc est, unusquisque Deorum propria effingitur figura. *R. Sedent*] Sedebant decem, stabat Neptunus vs. seq. et Pallas, utpote quorum agebatur causa. *Farn.*

75 *Stare Deum pelagi*] *Nare* codex unus ex Leidensibus pro diversa lectione; non male. *Heins.*

77 *Exsiluisse fretum*] *Ferum* plerique veteres; ut de equo intelligatur, quod et alii jam monuerunt. Sic apud Virgil. 'hastam In latus inque feri curvam compagibus alvum Contorsit:' neque aliter passim auctores. *Idem. Ferum*] Equum. *R. Fretum*] Ita leg. eruditiores, moti auctoritate Varronis, enatam in Athenarum arce olivam, sed et emanantem mox aquarum scaturiginem scribentis, consultum itaque oraculum Cecrope tum regnante, responsum spectare hæc ostenta ad contentionem Neptuni et Palladis de nomine et tutela urbis, vicisse Minervam in suffragiis uno fœminarum calculo, &c. quod confirmant statuæ duæ, de quibus Pausanias in Atticis in hæc verba: Πεποίηται δὲ καὶ τὸ φυτὸν τῆς ἐλαίας Ἀθηνᾶ καὶ κῦμα ἀναφαίνων Ποσειδῶν. Vide et Plutarchum in Themistocle, et Statium Thebaid. XII. 'Ubi ingens lis superum: dubiis donec nova surgeret arbor rupibus, et longa refugium mare frangeret umbra.' Qui *ferum* hic legunt, gemino tibicine sententiam statuminant ex Virgilio: altero in Æneid. II. ubi equum durateum appellat 'ferum:' 'inque feri curvam compagibus alvum contorsit:' altero in Georg. I. 'Tuque o cui prima frementem Fudit equum tellus magno percussa tridenti, Neptune:' quod in Thracia factum asserit Joan. Bapt. Egnatius c. 8. *Farn. Vindicet*] Suam esse.

78 *At sibi dat clypeum*] Pallas ita seipsam in tela effingit, ut et clypeo et ægide et hasta et galea armata videatur.

80 *Simulat, &c.*] Horat. 'et fortasse cupressum scis simulare.' *Pont.*

81 *Edere cum baccis*] *Prodere* Bernegger. Excerpta Calandræ, pri. Medic. et decem alii, bene: dictum alibi. *Heins. Cum baccis*] Bacem fructus proprie dicuntur olivæ, et similium arborum, qui et exigui sunt et rari, ac a se invicem separati nascuntur.

82 *Operis finis*] *Operi* tertius Medic. secundus Moreti, et unus meus. Sic infra paulo post 'operique sua facit arbore finem' Berneggerianus. *Heins. Operis*] Opus clausit oliva, pacis symbolum, in suffragiis victoriæ, vs. 101. *Farn.*

86 *Brevibus sigillis*] Parvis signis. *R.*

87 *Threiciam*] Æmus rex Thraciæ Rhodopen Strymonis fluv. filiam duxerat. Hanc cum ille Junonem appellaret, illum Rhodope Jovem; in montes mutati sunt. *Farn. Hæmum*] *Hæmon* decem veteres. *Heins.*

89 *Summorum Deorum*] Jovis et Junonis.

90 *Altera Pygmææ fatum*] In secundo, inquit, telæ angulo depicta erat mutatio Pygmææ mulieris in gruem, quod se, ut pulchriorem, Junoni anteferre ausa foret. *Pygmææ matris*] Pygmææ mulieris. Pygmæi namque sunt populi montana Indiæ incolentes, quorum longissimi pedes duos non excedunt. Hi assiduum cum gruibus bellum gerere dicuntur. Gellius IX. 4. *R. Altera*] Gerana matrona a populoribus suis Pygmæis pro numine culta, Deos præ se contempsit, Junonem maxime et Dianam, quarum indignatione in gruem est conversa, infestissimam Pygmæis hostem, qui illum

Digitized by Google

venerati fuerant. Athenæus IX. 11. *Farn.*

98 *Pinxit*] Meliores *Pingit*. Heins. *Antigonen*] Laomedontis filiam, ob spretam Junonis formam, mutatam in ciconiam: cujus de natura Plin. X. 23. et Pierius l. XVII. Hieroglyph. *Farn.*

98 *Qui superest solus Cinyran*] Cinyras Assyriorum rex filias habuit pulcherrimas, quæ se Junoni præferre ausæ fuerunt: quare indignata Juno eas in gradus templi sui commutavit, ac patrem gradus ipsos pro filiarum corporibus amplectentem itidem in saxum commutavit. *R. Cinyram*] Forte a κινύρεσθαι, quia saxo jacens lacrymare videtur, neque enim idem est cum Myrrhæ patre, de quo lib. IX. *Farn.*

101 *Pacalibus*] Paciferis ac pacem significantibus. *R. Circuit extremas, &c.*] Scaliger πάρεργα picturæ intelligi in margine annotarat, quæ extrema, ut plurimum, et margines occupare solent. *Circuit*] Prætexebant limbum undique oleæ, pacis insignia, ut modo vs. 82. *Farn.*

102 *Is modus est*] Sic Cicer. 'Terminare, facere modum.' *Modus*] Finis. *Sua arbore*] Oliva.

103 *Mæonis*] Arachne Mæonia sive Lydia. *R. Mæonis*] Arachne, supra vs. 5. *Farn.*

104 *Europam*] *Europen* duo codices. *Heins.*

107 *Timidasque recondere plantas*] Multi ex vetustioribus *recludere:* at primus Vatic. Mediceus unus ex optimis, et decem alii, *reducere;* quomodo Neap. Urbin. Arondel. pro diversa lectione, quod verum est: 'reducere,' identidem adducere et retrahere. 'Subducere' dixit Noster Fast. V. in hac eadem Fabula, 'Sæpe puellares subducit ab æquore plantas, Et metuit tactus assilientis aquæ.' Idem usus verbi 'reducere' Met. XII. 'clypeoque adversa reducto Ter quater ora viri, capulo cava tempora pulsat.' *Idem.*

109 *Fecit olorinis*] Jupiter Ledæ amore captus in cygnum mutatus ea potitus est, quæ ovum dicitur peperisse, ex quo Castor, Pollux, et Helena orti esse finguntur. *R. Aquila*] Jove aquilæ formam assumente, ut Asterien in coturnicem mutatam raperet. *Olorinis*] Redi ad Epist VIII. vs. 68. Amor. I. El. 3. vs. 22. et inprimis ad Amor. III. El. 8. vs. 33. *Ledam*] *Ledan* Cantabrig. *Heins.*

111 *Nycteida*] Antiopem Nyctæi filiam.

112 *Tirynthia*] Alcmena. Tirynthia erat urbs Argis vicina, in qua nutriebatur Hercules. *Farn. Amphitryon fuerit*] Jupiter, Alcmenæ amore captus, in Amphitryonem illius maritum conversus cum ea concubuit, Herculemque ex ea suscepit.

113 *Aureus ut Danaën*] Danaë Acrisii Argivorum regis filia a Jove, in aureas guttas mutato, compressa, Perseum genuisse in quarto narratur. *Luserit ignis*] Nam Juppiter in ignem conversus Æginam Asopi fluvii filiam compressit, exque ea Æacum suscepit. *R. Asopida*] Æginam Asopi filiam: vide quæ ad l. VII. 621. *Asopida luserit ignis*] Venuste in Neapol. et secundo Mediceo *igneus*. Heins.

114 *Deoida*] Proserpinam, filiam Cereris, quæ Δηὼ, Orpheo Δηὼ παμμήτειρα. 'Qualis floricoma quondam populator in Ætna Virgineas inter choreas Deoida raptam Sustulit.' Ausonius Epist. IV. ad Theonem. *Farn. Deoida*] Nam Deois Proserpina est Cereris filia, quæ Δηὼ quoque a Græcis nominatur; unde fœmininum patronymicum Deois declinatur. Ceres autem Δηὼ appellata fuit (ut Græci tradunt) παρὰ τὸ δήω, quod significat invenio. Quando enim Ceres quærens filiam varia loca circuibat, omnes bene illi ominantes dicebant δήεις, hoc est, invenies.

116 *Æolia*] Æoli filia. *R. Virgine*] Arne, Æoli filia, de qua Diodorus l. V.

Digitized by Google

Enipeus] In fluvium Enipeum mutatus Neptunus ex Iphimedia Aloëi uxore genuit Othum et Ephialtem.

117 *Aries*] Hoc de Theophane Bisaltidis filia narrat Higynus fab. 188. *F. Bisaltida fallis*] Apud Hyginum capite 88. legitur, cum Theophane concubuisse, unde natus est aries Chrysomallus, qui Phryxum in Colchos vexit. *Micyl.*

118 *Et te*] *At te* rectius prior Erfurt. et tres alii. *Heins.* *Frugum mitissima mater*] Periphrasis est Cereris. *R.* *Et te*] Ceres ex te in equum converso, et ipsa prius in equam, peperit filium cujus nomen *ès τοὺς ἀτελέστους* effari non licet: mox et Ariona equum. Pausanias in Arcadicis.

119 *Sensit equum, te sensit equum*] *Te sensit avem* Urbin. Neapol. et secundus Mediceus: *sensit volucrem* Florentinus optimus, prior Hamburgensis, et ex meis unus. Idem quoque Florentinus in argumento harum fabularum, 'in volucrem ut Gorgona Medusam,' non *in equum volucrem*, agnoscit: sed nihil videtur mutandum; nam Pegasum Neptuni et Medusæ filium nonnulli faciunt, Cereris et Neptuni Arionem; quos inter Apollodorus, qui docet Cererem in Erinnyis formam fuisse conversam cum Neptuno concumbentem. *Ἄδραστον δὲ μόνον ἵππος διέσωσεν Ἄριον, τοῦτον ἐκ Ποσειδῶνος ἐγένησε Δημήτηρ εἰκασθεῖσα Ἐρινυῖ κατὰ τὴν συνουσίαν.* Sed errat Passeratius ad Elegiam 34. l. II. Propertii qui *τὸ* 'Crinito colubris Mater equi volucris' ad Arionem et Cererem refert in Erinnyos formam mutatam, cum de Medusa et Pegaso agat Naso. *Heins.* *Crinita Mater*] Medusa Pegasi mater l. IV. vs. 786. *Farn.*

120 *Sensit Delphina Melantho*] Melantho Deucalionis filia fuit, quam Neptunus in Delphinum conversus cognovit, ac filium nomine Delphum suscepit. *R.*

122 *Agrestis*] Cum Admeti pavit armenta: l. II. 681. *Farn.*

124 *Macareida Issen*] Macarei filiam, quam Apollo in pastorali habitu vitiavit, ut hoc loco poëta narrat. *R.* Videtur autem Issa hæc fuisse Lesbia, Macarei filia, ejus qui Jovis et Cyrenes fuit filius, insulamque Lesbum tenuit, cujus filiæ et Mytilene et Methymna fuere.

125 *Liber ut Erigonen*] Videtur de ea Erigone hic intelligendum esse, quæ Icari filia fuit, et postea inter sidera relata, ut ab Hygino dicitur. Nam et hujus patri Icario vitis propagationem Bacchus dedit, ipsius puellæ mortem contra rusticos Atticos pestilentia ultus est. *Micyl.*

126 *Ut Saturnus*] Ut Sat. in equum conversus ex Philyra genuit centaurum Chirona. *Farn.* *Geminum Chirona*] Centaurum, qui ab anteriore parte homo, a posteriore equus videbatur.

127 *Tenui limbo*] Subtili fascia. Est enim *limbus* fascia ultimam vestis partem ambiens.

FAB. II. 131 *Cælestia*] Telam Deorum flagitiosa adulteria continentem.

132 *Cytoriaco*] Buxeo: est enim Cytorum mons Galatiæ, abundans buxo: Georg. II.

133 *Idmoniæ*] Idmonis filiæ: supra vs. 8. *Farn.*

134 *Animosa ligavit Guttura*] Malim *ligatur*, ut *κακοφωνία* vitetur in *ligavit* et *velavit*. Pro *pendentem* Neap. *pendenti*; nempe, levavit guttura. Pro *pende tamen* Cantabrig. pri. Basil. et sex alii *pendens tamen*. Heins.

139 *Hecateidos*] Aconiti ab Hecate filia Persæ quæ mater erat Medeæ inventi, quod alias tamen e spuma Cerberi natum dicitur. Hermol. Barbarus putat Ovidium hic de cicuta loqui. Comment. in Dioscorid. *Farn.*

140 *Tristi*] Noxio. *Micyl.*

141 *Cum quis et naris et auris*] *Auris* ex melioribus. Scribe etiam *cumque his*; ut Excerpta Jureti et tres alii

Digitized by Google

exhibent: et *spargit* pro *sparsit* paulo ante. *Heins.*

142 *Fitque caput minimum, toto quoque corpore parva est*] Τὸ *est* in multis non apparet. Scribe, *Fitque caput minimum toto quoque corpore parvæ.* Idem.

144 *De quo tamen*] Lege Ulyssis Aldrovandi, et Antonii Tilesi araneam, nec non Gazæi pia Hilaria p. 21. *Farn.*

Fab. III. Arg. *Lydia*] Niobe namque, Tantali filia, cum ex Amphione marito septem filios ac totidem filias genuisset, se potius quam Latonam venerandam esse contendebat, prohibebatque nequis in suo regno Latonæ sacrificare auderet. Qua re indignata Latona Apollinem ac Dianam rogavit, ne se tanta injuria affici paterentur. Sumptis igitur arcubus et sagittis, ad unum omnes primum Niobes filios interemerunt; quod quidem Amphion cum ferre non posset, seipsum interfecit. Niobe vero morte filiorum indignata cum Diis maledixisset, et filias sagittis confectas vidit, et ipsa in saxum, quod etiam nunc lacrymare videtur, fuit commutata.

148 *Ante*] Hanc Arachnen, utpote popularem suam et civem, noverat Niobe, filia Tantali qui Phrygiæ et Lydiæ imperitabat, priusquam nuberet Amphioni Thebarum regi.

149 *Sipylumque*] Opp. Lydiæ, infra vs. 312. *Farn.* *Mæoniam*] Lydiam. Mæonia vero dicta est, a Mæone fluvio, qui per illam fluit.

151 *Cedere cælitibus*] Χαλεπὴ δὲ θεοῦ ἔκι μῆνις. Homer. Iliad. E. 178. et vs. 440. Φράζεο, Τυδείδη, καὶ χάζεο, μηδὲ θεοῖσιν Ἴσ' ἔθελε φρονέειν· ἐπεὶ οὔποτε φῦλον ὁμοῖον Ἀθανάτων τε θεῶν, χαμαὶ ἐρχομένων τ' ἀνθρώπων. Apollo Diomedi: 'Quo ruis, o vecors? majoraque bella capessis Mortali quam ferre datur?' Saturnia apud Silium XII. 'Quid nomina contra Tendere fas homini?' Statius IX. Θνητὰ θνατοῖσι πρέπει, Pind. Isthmic. *Minoribus*] Moderatioribus. Infra vs. 368.

152 *Animos*] Spiritus magnos et superbificos. *Conjugis*] Arx et turres in mœnibus Thebarum, ut 177. vs. infra: 'me regia Cadmi Sub domina est, fidibusque mei commissa mariti Mœnia.' Amphionem autem, sono testudinis, a Mercurio sibi donatæ, saxa ad Thebana mœnia exstruenda traxisse notum est, vel ex Horatii Epist. ad Pisones, 'Dicitur Amphion, Thebanæ conditor arcis Saxa movere sono testudinis,' &c. unde et quidam legunt hic, *artes.* Farn. *Nec conjugis arces*] Ex codice veteri Bersmannus reponit *artes*, quod amplectimur. Haud enim nihil erat esse tam nobilem Musicum: cujus paulo post iterum meminit Niobe: 'fidibusque mei commissa mariti Mœnia.' *Pont. Sed enim nec conjugis arces*] De regno Amphionis mox agetur: quare *artes* rescribendum. Intelligit artes lyræ Amphioniæ, per quas Thebani muri sunt exstructi: neque aliter ex codicibus antiquis Florentinus optimus, primus et secundus Mediceus, aliique complures. In priore Twisdenii codice glossa adscripta, 'quia citharœdus erat.' *Heins.*

153 *Nec genus amborum*] Nam ab Jove ambo ducebant genus. Amphion enim Jovis ex Antiopa filius fuisse dicitur. Niobe vero Jovis ipsius neptis, cum Tantali filia fuerit. *R.*

156 *Si non sibi visa fuisset*] Niobe, quia plus æquo sibi visa est felix, evasit infelicissima. *Pont.*

157 *Nam sata Tiresia Manto*] Manto filia fuit Tiresiæ vatis, paternæ artis peritissima, a qua Mantua urbs fuit appellata. *R.*

158 *Divino*] Ἐνθουσιαστικῇ. Virgil. Æn. X. 'Fatidica Manto.'

159 *Ismenides*] Thebanæ fœminæ; ab Ismeno fluv. Bœotiæ. *Farn.*

160 *Date thura*] Sacrificate, et rogate. *Latonigenis duobus*] Apollini et Dianæ.

Digitized by Google

173 *Cui licuit soli*] Cui ex hominibus soli concessum fuit epulis Deorum accumbere. *R.* *Cui licuit*] Conviva Deorum; *μακάρεσσι συνέστιος.* Gallus Anthol. Δ. *ἀμοιβαῖα θεοῖσι δεῖπνα παρέχων.* Pindar. I. Olymp. *Farn.*

174 *Pleiadum soror est genitrix mea*] Niobes mater Taygeta fuit una ex Pleiadibus Atlantis filiabus. *R.*

176 *Juppiter*] Tantuli pater, et Amphionis conjugis mei. *Farn.* *Socero quoque glorior illo*] Amphion enim filius fuit Jovis ex Antiopa.

180 *Adverti lumina*] *Adverto* multi veteres; quod placet: nisi quod *advertor lumina* a Nasone scriptum fuisse censeo. Sic 'dextris adducor littora remis,' l. IV. Plenus hisce Græcismis Noster. Sic in Fastis l. I. 179. etiam emendo, 'Ad primam vocem timidas advertimur aures:' vel *adverteris.* Sic 'præverti' passim apud bonos auctores: etiam 'deverti' et 'averti' dicebant. Adi Notas Amor. l. II. 6. 9. *Heins.*

182 *Digna Dea facies*] *Deo* ex præstantioribus nonnulli; multi *Deæ;* duo *Dei.* Vide quæ notamus Trist. IV. 3. vs. 57. Deinde pro *et mox generosque nurusque*, libens rescribam, *et toi generosque.* Idem. *Septem*] De numero variant autores. Io. Tzetzes dicit fuisse duodecim: quos nominat Chil. IV. 141. Sed vide Agell. XX. 47. Nat. Com. VI. 13. Ciofan. et Hygin. fab. IX. *Farn.*

185 *Quoque modo audetis genitam Titanida Cæo*] *Audetis satam* primus Hamburgensis et quinque alii cum Norico; nonnulli *natam.* *Nescio quoque auditi satam* Florentinus optimus. *Nescio quomodo audetis satam* Neapol. veteri lectione erasa, quod in primo Vaticano aliisque nonnullis admissum: tertius Mediceus, *Nescio quoque audete genatam:* alii aliter. Scribe, *Nescio quoque audete satam Titanida Cæo Latonam præferre mihi.* Nescio quo Cæo satam. *Heins.* *Genitam Titanida Cæo*] Latona filia fuit Cæi gigantis, quæ a Jove compressa Apollinem simul et Dianam concepit: quod quidem adeo ægre tulisse Juno dicitur, ut Pythonem immiserit serpentem, qui eam per totum terrarum orbem insectaretur, nec usquam parere permitteret. Fugiens igitur Latona ab Asterie sorore suscepta, statim Apollinem simul et Dianam peperit, qui et Pythonem serpentem sagittis confixerunt, et insulam in qua nati erant immobilem reddiderant. *Titanida*] Neptem Titanum, a quibus Gigantes originem traxere. *R.*

186 *Cui maxime*] Jurejurando obstrinxerat Juno terras omnes, ne parturienti Latonæ locum concederent: latuit tum sub aquis Delos ins. quam emergere jussit Neptunus, et locum parturienti præbere: 'oras et littora circum Errantem Mycone celsa Gyaroque revinxit.' Æneid. III. Sed lege dialogum Iridis et Neptuni apud Lucianum in Dialogis marinis: quam ins. *Δῆλον* dictam volunt, quod eam diu sub aquis latuisset, tandem apparuisset: cum probabilius sit ita dici, quod Græcis oriri videatur Sol omnia apparere faciens inter Cycladas pone Delon, quam natalem Solis et Lunæ fingunt fluctuare, propter varium eorum per Zodiacum moventium, ortum. Sunt qui erroris ins. causam crebris terræ motibus tribuunt. *Farn.*

191 *Illa duorum*] *Duobus* primus Gronovii. *Heins.* *Illa duorum*] *Δύο φωστῆρας οὐρανὸς κέκτηται τοὺς μεγάλους, ἐγὼ δὲ τέσσαρας ζῶντας τε λαλοῦντας, καὶ ἐμψύχους,* &c. Tzetzes, Chil. IV. 141. *Farn.*

194 *Hoc quoque quis dubitat*] *Dubitet* ex scriptis. *Heins.*

201 *Ite satis propere sacris*] Locus mendosissimus, qui doctissimum quoque Gronovium Observat. l. IV. c. 15. miris modis exercuit. In Florentino et Neapol. hæc majori ex parte in mendo cubabant. Pro *propere* videbatur *properate* fuisse; quomodo quartus Mediceus et unus Gronovii cum

Digitized by Google

Vossiano uno: Deinde *Ite satis* in uno meo; quomodo et prima Aldi editio. Margo Gryphianæ, *Ite sacris procul a sacris.* Forte, *Ite satis, procul ite sacris*, vel, *properate:* nisi mavis *Ite procul, procul ite sacris;* ut error natus sit ex solenni librariorum supinitate, qui τὸ *procul* geminare neglexerant. Cæterum huic versui præmittendus ille qui paulo post legebatur, *Latonæ turba quantum distabat ab orba!* ut jam vidit in Observationibus sagacissimus Gronovius ex Menardi codice, qui munificentia viri politissimi Ægidii Menagii nunc est meus. Neque aliter optimus Neapolitanus, et fragmentum Vossianum: in uno Caroli Strozzæ notatum erat hunc versum loco, quo nunc a me repositus est, esse collocandum. In uno Regio margini erat adscriptus. Præterea scripti meliores, *quæ quantum distat: quoque quantum* Berneggerianus. Scribe *turba quo quantum distat ab orba!* 'quo' numero, quod præcessit proxime. *Idem.*

212 *Quod in ipsam decidat*] *Recidat* ex castigatioribus: de quo verbo ad Epist. XIV. 46. Prudentius Apotheosi, 'Et quod tam modicum est, ut certa sede locetur, Jam titubare potest, et quod titubaverit, intra Naturam vitii est: vitiosum denique tristem Decidit in pœnam:' ubi cum alii vetusti codices, tum omnium vetustissimus Puteaneus, *Recidit;* hoc est *Recidit.* Heins. *Quod*] 'Quod Dii prius omen in ipsam Convertant.' *Æn.* II.

213 *Exhibuit linguam paternam*] Id est, imitatam linguæ paternæ incontinentiam. *Pont. Paternam*] Tantali, cui pœnas improba lingua dedit: Τάνταλε καὶ δέ σε γλῶσσα διάλεσε καὶ σέο κοῦραι. Antholog. 3. θ. *Farn.*

215 *Pœnæ mora longa querela est*] *Quærelæ* Urbinas sine verbo substantivo, quod et ab aliis multis abest. Puto, *Devine, Phœbus ait, (pœnæ mora longa,) querelas.* Adeantur quæ notatus Artis II. 725. Paulo ante pro *Adjectura preces* unus Leidensis *Admonitura.* Scribe *Admotura:* infra, 'Admovique preces, quarum me dedecet usus:' alterum minus placet; quia jam præcesserat, 'Tantalis adjecit.' Mox pro *Contigerant* lege *Contigerunt:* nam unus Mediceus *Contingunt.* Heins.

216 *Phœbe*] Diana, quæ eadem esse cum Luna dicitur.

217 *Cadmeida arcem*] Thebanam arcem a Cadmo extructam.

218 *Campis*] Hippodromus. *Farn.*

219 *Assiduis equis*] Assiduo equorum cursu.

220 *Duraque mollierat*] *Mollierant* ex libris. Mox pro *Tyrio succo* reponendum *fuco*, ut recte unus Mediceus, ex meis item unus, et Jureti excerpta: de quo ad Claudian. in Rufin. I. 208. *Heins. Mollierat*] In pulverem resolverat. *R.*

222 *Rubentia Terga*] Equorum ostro instratorum, mandentiumque sub dentibus aurum. *Farn.*

223 *Auro gravidis moderantur habenis*] *Auro gravidas habenas* multi veterum: unus Strozzæ *gravidus auro.* Lege *gravidasque auro*, nisi præfers *auroque graves;* quomodo Naugeriani codices et ex nostris duo: sic 'moderariér equum fremis' Lucretio lib. V. *Heins.*

224 *Sarcina Prima*] Primogenitus. *Farn. E quibus Ismenos*] Maximus natorum Amphionis et Niobes Ismenos fuit, ab Ismeno, Bœotiæ fluvio, appellatus.

225 *Dum certum*] Refert Homerus Iliad. ult. periisse domi omnes: ἐν μεγάροισιν ὄλοντο. Tzetzes Chil. IV. 141. mares inter venandum, puellæ domi. Ἀπόλλων μὲν τοὺς ἄρρενας θηρεύοντας Κιθαιρῶνι, Ἡ Ἄρτεμις ἐν οἴκῳ δὲ τὰς κόρας καθημένας. *Farn.*

226 *Quadrupedis cursus*] *Quadrupedes* scripti quatuor; quod arridet: prior Erfurt. et unus Bonon. *Quadrupedes currus*, non longe a vero: et

Digitized by Google

mox *in pectore fixus* pro *fixa* plurimi veteres. *Heins.*

231 *Sipylus*] A Sipylo urbe cognominatus, cum sagittæ stridorem audisset, fugere cœpit, cæterum Apollinis sagittam vitare non potuit. *Præscius imbres*] *Imbris* ex Berneggeriano et primo Gronovii. *Heins.*

233 *Ne qua levis effluat aura*] Malim *ne quid levis effluat auræ.* Idem.

234 *Frena tamen dantem*] Multi ex vetustioribus, *Frena dabat tamen hunc;* pri. Vatic. *Frena dabat tandem;* quinque *Frena tamen dantem hunc.* Florentinus *Frena tamen tandem;* quo modo et alter Hamburgensis. Scribe, *Frena dabat: dantem non evitabile telum Consequitur;* eleganter, et pro Nasoniano genio, ni fallor. *Idem.*

236 *Nudum de gutture ferrum*] *Ferro* unus meus: Neap. *nudo de gutture ferrum.* Lege *nudo ferro:* sic lib. III. ex antiquis membranis, 'toto descendit in illa ferro.' *Idem.*

237 *Per crura admissa*] Quomodo volvebatur per *crura admissa?* quare amplector *colla admissa*, quod erat in primo Gronoviano et sex aut septem aliis. *Idem.* *Per admissa*] Per crura equi in cursum concitati, laxatis illi frænis. *Farn.*

240 *Finem imposuere*] *Posuere* duo veteres; ut 'ponere modum.' Mox *Transierunt* pro *Transierant* Urbin. *Heins.* *Labori*] Agitationi equorum. *Farn.*

241 *Nitidæ palæstræ*] Splendidæ, propter oleum quo se luctaturi perungebant.

242 *Et jam contulerant*] Jam, inquit, luctari cœperant.

243 *Cum tento*] Mss. nostri et alii, *contento*, id est, extento: sic infra vs. 286. *Farn.*

249 *Evolat*] Vetustiores *Advolat.* Mox *rumpit* pro *rupit* cum primo Regio et uno Mediceo. *Heins.*

253 *Cumque*] Virg. de Rhæto, 'Purpuream vomit ille animam.' Æneid. IX. et 'multo vitam cum sanguine fundit,' ex illorum mente, qui sanguinem animæ sedem esse opinantur.

254 *Damatitona*] *Damasichthona* vetustiores. Lege *Damasichthona;* ut et in Ibide, 'fratres sex cum Damasichthone cæsos.' Δαμασίχθων Apollodoro est et Tzetzæ in Chiliadibus lib. IV. *Heins.*

259 *Qui se ejaculatus*] *Seque ejaculatus* ex scriptis. *Idem.*

266 *Non alte perusso corde sagitta*] *Non alta* recte Oxoniensis. *Idem.*

268 *Certam fecere*] Admonuere, certiorem fecere.

269 *Irascentemque quod ausi*] Unus Moreti et unus Palatin. *indignantemque* cum altero Twisdenio. *Heins.*

274 *Latois*] A Latonæ altaribus.

275 *Resupina*] Superba, elata.

276 *Invidiosa*] In se invidiam concitans. *Vel hosti*] Quod quidem maxime est miserandum: unde proverbium in eos, qui maxima patiuntur mala, a Græcis usurpatur, Νιόβης πάθη, hoc est, Niobes passiones. *Miseranda*] Ὡς καὶ παρ' ἐχθροῖς ἄξιος θρήνων τυχεῖν Sophoclis Ajax. 'Vel Priamo miseranda domus.' Diomedes. Æneid. XI.

277 *Gelidis*] Mortuis. *R. Corporibus gelidis incumbit*] Totum locum et querimoniam Niobes expendit et illustrat Faber Semestr. III. 8.

282 *Corque ferum satia dixit*] Cum 'ait' jam præcesserit, otiosum est hoc loco τὸ *dixit:* quare tollatur meo periculo hic versus, quem commenti sunt, qui non intelligebant quantum esset acuminis in illo *Efferor:* nisi mavis præcedentem tolli: alteruter certe est amovendus. Nam primus Palatinus pro posteriori hunc substituebat, *Dum pars nostra jacet, et dum per funera septem:* qui in plurimis membranis exstat. *Heins.* *Funera*] Toties mihi visa sum mori, toties efferri ad funus, quoties alius atque alius filiorum interfectus est.

283 *Efferor*] Mss. omnibus Her.

Digitized by Google

Clofani subscribunt mei, habentque versum geminatum ad hunc modum: *Per funera septem dum pars nostra jacet: et dum per funera septem Efferor; exulta, &c.* Farn. *Efferor*] Ad sepulturam feror. Videbatur enim sibi Niobe una cum filiis efferri. *Victrixque*] Voti compos. Hinc autem stulta Niobes superbia colligitur, quæ ne filiorum quidem morte in Deos maledicta jactare desinat.

284 *Miseræ, felici*] Antitheton elegantem maxime reddens orationem. Hæc autem idcirco Niobe furiosa jactat, quod septem ei filiæ supererant.

286 *Dixerat, et sonuit*] *Insonuit* Aroundel. et unus Patavinus, omnino rectius. *Heins.*

289 *Demisso crine*] Dissolutis capillis, ut fieri in luctu solet. *R. Toros*] Lectulos, in quibus erant ad funus compositi. *Farn.*

294 *Oraque compressit*] *Non pressit* cum primo Medic. Thuan. sec. Vatic. et quatuor aliis: *exit* etiam, pro *ibat*, meliores. Sed et hic versus est adulterinus. *Heins.*

301 *Orba*] Niobe, inquit Palæphatus, lapideam imaginem suam supra natorum suorum sepulchrum posuit. Notum est illud Agathiæ, Anthol. γ. Ὁ Τύμβος οὗτος ὕδωρ οὐκ ἔχει νεκρόν. Ὁ νεκρὸς οὗτος ἐκτὸς οὐκ ἔχει τάφον, Ἀλλ' αὐτὸς αὐτοῦ νεκρὸς ἐστι καὶ τάφος. *Farn.*

303 *Diriguitque*] Λιθωθεῖσα, petrefacta, quia stupefacta. Τὴν δὲ Νιόβην ἔφασαν ὑδαρροον λίθον εἶναι, Ὅ τι παντὸς ἀναίσθητος ἐκ πάθους γεγονεῖα Πρὸς μόνον ἦν τὸ δάκρυον, Tzetzes Chil. IV. 141. *Farn.*

305 *Nihil est in imagine vivum*] *Vivi* Urbinas eleganter, et pro diversa lectione alter Erfurtanus. *Heins.*

306 *Lingua*] Quæ peccarat pars, luit pœnas: ἃ ἀχάλινος Ἀφροσύνα τίκτει πολλάκις δυστυχίαν. Anthol. IV. 9. *Farn.*

308 *Nec brachia reddere motus*] *Gestus* primus et sec. Palat. aliique plurimi; recte: gestus enim proprie est manuum; hinc gesticulatio. Lib. XI. 'gestumque manus Ceycis habebat:' ubi frustra quidam codices *sceptrumque*. Lib. XIV. 'Oraviqua fugam gestu,' non *gemitu*, quod in multis veterum. Auctor Panegyrici ad Pisonem, 'Seu geminare pilam juvat, aut revocare cadentem, Et non sperato fugientem reddere gestu.' Pont. 'In tenebris numerosos ponere gestus,' de saltantibus; ubi male *gressus* substituerant. Vide quæ noto Remed. Amor. vs. 334. *Heins. Nec flecti*] Ταύτην τὴν Νιόβην καὶ αὐτὸς εἶδον ἀνελθὼν εἰς τὸν Σίπυλον. Et ut hanc Nioben viderem, inquit Pausanias in Atticis, Sipylum montem ascendi, qui prope assistenti neque mulieris neque lugentis formam ostentat: qui vero procul aspexerit, mulierem lacrimantem videre sibi videbitur. *Farn.*

311 *In patriam*] Thebis, inquit Apollodorus lib. III. relictis, vidua jam atque orba in Sipylum ad Tantalum patrem rediit, &c.

312 *Lacrymis etiam nunc Marmora manant*] *Lacrymas manant* Florentinus S. Marci, primus Mediceus, et unus Basileensis cum Norico, quem ex publica civitatis patriæ bibliotheca depromptum ad me misit vir doctissimus Christophorus Arnoldus; venuste. Seneca Agamemnone, ubi de Niobe, 'Stat nunc Sipyli vertice summo Flebile saxum, et adhuc lacrymas Mœsta æternum marmora manant;' ita veterrimus liber Mediceus: possit et legi, ut vulgatæ scripturæ propius accedatur, *et adhuc lacrymas Marmora manant antiqua novas:* nam utrumque agnoscit membrana; nisi quod *Marmora fundunt* cum vulgatis illa. Respexerat haud dubie hunc Nasonis locum Seneca. Juvenalis Satyra VI. de Claudio Cæsare, 'Ille senis tremulumque caput descendere jussit In cœlum, et

Digitized by Google

longam manantia labra salivam:' ita codices vetusti magna ex parte. Idem Juvenalis Sat. xv. 'cujus manantia fletum Ora puellares faciunt incerta capilli:' ita vetustus liber Vossianus. Sic 'manare poëtica mella' Horat. in Epist. 'stillare,' 'rorare' et similia verba etiam cum quarto nunc, nunc cum casu sexto jungebant. *Heins. Lacrymis*] Utrum hoc propter sudorem, ut videtur, marmoris; ubi aër ad solidum et frigidum corpus condensatur, mox fluit solutus? An a rupis aut metalli vapore salso? Namque Sipylum, referente Plinio v. 29. quod ante Tantalis vocabatur, caput est Mæoniæ, ubi nunc est stagnum sale abundans. *Farn.*

Fab. iv. 315 *Gemelliparæ Diva*] Latonæ, quæ gemellos peperit, Apollinem et Dianam.

320 *Stagnumque locumque*] *Lacumque* primus Vatic. Bernegger. Cantabr. tert. et quartus e Mediceis, aliique complures. Quomodo mox *Ecce lacus medio;* nam ita Barberinianus, pro *lacu.* Nisi illic *loci medio* reponas. Nam in medio lacu aram fuisse vix est verisimile. *Heins.*

321 *Prodigiò notum*] Malim *notas*, si τὸ *lacum* non admittimus, et *grandior ævi* pro *ævo;* tam hic, quam Trist. iv. Eleg. ult. 'Sæpe suas volucres legit mihi grandior ævi.' Sic 'ævi maturus.' Vide infra viii. 618. 'integer ævi' iv. 441. *Idem.*

322 *Impatiensque viæ*] Sic passim boni auctores. 'Sævit inops animi.' Virg. 'Præceps animi.' 'Largus lacrymarum.' Plaut. Asinar. 31. 'Nullius timidus Dei.' Ovid. de Cyclope. 'Ingratus salutis.' Virgil. sed Livius in abl. i. 6. 'Manlius nimius animis.' Ovid. in genit. 'Elpenor vini nimius.'

323 *Gentisque*] Mihi itineris ducem addit Lycium. *Farn.*

327 *Pavido murmure*] *Paulo murmure* Florent. S. Marci, Neap. pri. Palat. sec. Mediceus, uterque Erfurt. et decem alii; quod Zinzerlingo arridebat, non mihi. Unus Mediceus, *pavio:* hinc *paulo* perperam fecerunt. Lib. x. 'Cum munere functus ad aras Constitit, et timide, Si, Di, dare cuncta potestis, Sit conjunx opto, dixit, mea.' Et lib. viii. 'Concipient Baucisque preces timidusque Philemon.' Proximo versu *Faveas ego*, non *mihi*, cum melioribus. *Heins.*

330 *Cum talia retulit hospes*] *Cui* primus Moreti, et unus Voss. et Basil. deinde *reddidit* Bernegger. pri. Basil. et sex alii. *Idem.*

331 *Montanum numen*] Qualis est Faunus.

333 *Orbem interdixit*] *Orbe interdixit;* quod Naugerius in suis invenit: alterum tamen etiam Latinis auctoribus usitatum Gronovius docuit. Mox *Orantem accepit* cum castigatioribus, pro *Errantem:* nam 'erratica Deloe' sequitur. *Regia* etiam *Juno*, non *conjux*, pri. Basil. Langermann. Hamburg. et decem alii; ut apud Statium Theb. vii. 'nunc regia Juno queritur.' Noster ipse hoc libro supra, 'quam regia Juno In volucrem vertit.' Sed lib. xiv. 'Assensere Dei, nec conjux regia vultus Immotos tenuit.' Et lib. x. de Proserpina, 'nec regia conjux Sustinet oranti, nec qui regit ima, negare.' *Heins. Erratica Deloe*] Quam errare, instabilemque esse idcirco Poëtæ finxerunt, quia crebro terræ motu vexabatur, donec ex oraculo Apollinis desiverunt illic cadavera sepelire. *R. Orbe*] Respice quæ ad vs. 186. supra. *Farn.*

335 *Cum Palladis arbore*] Cum oliva. Significat autem illam et palmam et olivam innixam peperisse. *R. Palladis*] Ἔνθα πρωτόγονός τε φοῖνιξ Δάφνα θ' ἱερὸν ἔνεσχε Πτόρθους Λητοῖ φίλῳ, Eurip. in Hecuba. Ὅτε μὲν σε θεὰ τέκε τόνδε Λητὼ Φοίνικος ῥαδινᾶς χερσὶν ἀφαψαμένη. Theoguis. ἀμφαμένη δὲ φυτῶν, ἐλάας καὶ φοίνικος, ἐδέμνιον ἔνεικήσατο παῖδας. Eustath. in Homer. Il. A. Catullus in seculari ad Dia-

Digitized by Google

nam, 'Quam mater prope Deliam deposuit olivam.' Et moc est, ut habet Apollonii scholiastes, parturientium, proxima quæque apprehendere, ut sic dolores sublevent enixius.

338 *Inque suo portasse sinu*] *Suos sinus* multi ex melioribus. Forte, *Inque sinu portasse suos duo numina natos.* Heins.

339 *Chimæriferæ*] Chimæra mons est Lyciæ ignivomus a Bellerophonte habitabilis creditur. Quem fabulati sunt monstrum triforme: ut esset Πρόσθεν λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα, Δεινὸν ἀποπνείουσα πυρὸς μένος. Interpretantur autem montem, cujus pars summa leonibus, media igne, ima serpentibus infestatur; aut Ethice, amorem, qui cum impetu invadit, per libidinem progreditur, in fine aculeos doloris et pœnitentiæ post se relinquit, lib. IX. 646. *Farn. Chimæriferæ*] Chimæras ferentis, id est, capras.

341 *Ab æstu sidereo*] A calore Solis. Nam sidus, quamvis proprie signum ex multis stellis constans vocetur, κατ' ἐξοχὴν tamen interdum pro Sole ponitur.

343 *Forte lacum mediocris aquæ*] *Mediocris aquæ* conjecceram; quod unus Stroazæ confirmat. *Heins. Lacum*] Fontem Melam vocat Probus ad Virg. Georg. lib. II. et pastorem, qui prohibebat, Neoclem. *Farn.*

348 *Rustica turba vetat*] Scribe *vetant*, cum sic exigat τὸ *vetantes*, quod sequitur. *Heins.*

349 *Quid prohibetis aquas*] *Aquis* ex Florentino S. Marci, Neapol. prim. Pal. prim. Vatican. prim. Erfurt. et septem aliis. Adi Notas Artis lib. II. 335. *Idem. Quid prohibetis aquas*] Ex Virgil. Æneid. I. 'Quod genus hoc hominum? quæve hunc tam barbara morem Permittit patria? hospitio prohibemur arenæ: Bella cient, primaque vetant consistere terra.'

357 *Simul vitam dederitis in undis*] Postquam mihi vitam aquis instauraveritis: videtur esse hemistichion Ennii poëtæ, unde et *dederitis* verbi penultima est producta. *Dederitis in undis*] *In unda* meliores. *Heins.*

358 *Hi quoque vos moveant*] Infantes enim Apollinem et Dianam illis ostendit, ut saltem eorum ætate moveantur.

366 *Sustulit ira sitim*] *Distulit* cum melioribus: sic apud Statium Theb. X. 'Distulit ira preces.' Theb. VII. 'gaudentque in corpore capto Securam differre famem.' Val. Flaccus lib. V. 'Distulerant sed bella thorum.' *Heins. Filia Cœi*] Latona.

370 *Juvat esse sub undis*] *Undas* unus Basil. Lego *esse sub undas.* Certe in uno Mediceo *ire sub undas:* primus Moreti *ire sub undis.* Heins.

373 *Super ripam stagni consistere*] Repone cum sec. Pal. tert. Medic. et Genev. *considere.* Idem.

374 *Sed nunc quoque*] Scribe *et nunc quoque:* quomodo prior Hamburg. pro diversa lectione. *Idem.*

376 *Quamvis sint sub aqua*] *Sunt* sec. Moreti: pri. Gronov. *stant.* Puto, *Quamvis nent sub aqua.* Virgil. Culice de ranis, 'queis nantia limo Corpora lympha fovet.' *Idem. Sub aqua*] Repetitio immediata harum vocum 'sub aqua, sub aqua' ranarum coaxationem eleganter exprimit. *Farn.*

379 *Colla intercepta*] De medio recisa: nam ranæ collo carent.

380 *Spina viret*] Tergum viride est.

381 *Limoso gurgite*] *Margine* unus Mediceus. *Heins.*

Fab. V. *Exitium Satyri*] Marsyas autem Satyrus fuit, tibias inflandi adeo peritus, ut cum Apolline certare sit ausus, quem superatum indignatus Apollo pelle privavit. Ex ejus vero corpore tantum defluxit sanguinis, ut a terra exceptus in fluvium fuerit commutatus, qui a Satyri nomine *Marsyas* fuit appellatus. Est autem Phrygiæ fluvius in Mæandrum labens.

Digitized by Google

383 *Rettulit exitium;*] Ita distingue: ubi nescio quis exitium narravit virorum Lycia de gente: sic Arondel. *Heins.*

384 *Tritoniaca*] Pallas et ipsa Tritonia, conspecta in Tritonide palude oris sui deformitate dum tibias a se inventas inflaret, indignata, eas abjecit. Reperit Marsyas Satyrus, earumque e sono in tantum sibi placuit ut ipsum Apollinem in Musicæ certamen provocare ausus fuerit; a quo victus est et excoriatus. Leges certaminis, progressus, successum lege apud Diodorum l. IV. Ovid. Fastorum l. VI. Athen. XIV. 2. Xenophon Ἀναβάσεως A. refert Marsyam victum ab Apolline et excoriatum ἐρίζοντα οἱ περὶ σοφίας, et Tzetz. Μαρσύας Φρὺξ φιλόσοφος εὗρεν αὐλοὺς τὸ πρῶτον, &c. I. Chil. 15. Aliter refert fab. Marsyæ Apuleius I. Floridorum. Nisi forte tibia dici possit Tritoniaca a Tritonide palude, juxta quam Lotus materia tibiis apta, et Lotophagi. *Farn.* *Latous*] Apollo Latonæ filius.

385 *Quid me mihi detrahis*] Cur mihi meam pellem deripis.

387 *Clamanti cutis est direpta*] *Derepta:* monui l. III. 52. *Heins.*

390 *Micant*] Palpitant. *Salientia viscera*] *Sidentia* Cantabrig. *Heins.*

391 *Fibras*] Fibræ venulæ sunt minores. *R.*

393 *Et tunc quoque clarus Olympus*] Non satis intelligo. Florentinus S. Marci *carus.* Puto, *et tu quoque carus, Olympe:* qui Marsyæ discipulus, aliis frater. *Heins.* *Olympus*] Satyrus Marsyæ discipulus. Tzetzes I. Chil. 15. Οὗτος δ' ὁ παῖς Ὑάγνιδος τὸν Ὄλυμπον διδάσκει. et Ovid de Ponto III. 2. Meminit et Olympi cujusdam Diodor. lib. IV. Jovi puero præfecti, a quo eruditus et ad virtutem institutus Olympius dictus est. Sed et Strabo l. X. Σειληνὸν καὶ Μαρσύαν καὶ Ὄλυμπον συνάγοντες εἰς ἓν, καὶ εὑρετὰς αὐλῶν ἱστοροῦντες. *Farn.*

395 *Armenta bucera*] Hoc est, boves.

397 *Concepit*] Excepit. *R.* *Ac venis perbibit imis*] Venas terræ puta esse meatus aquarum et spirituum. *Pont.*

398 *Quas ubi fecit aquas*] *Aquam* ex melioribus. *Heins.*

399 *Ripis declivibus*] Pronis atque inclinatis.

400 *Liquidissimus*] Purissimus, limpidissimus. *R.* *Marsya*] Isti loco, inquit Strabo l. XIV. adsignant fabulam Olympi et Marsyæ, et certamen Marsyæ et Apollinis. Superne est palus calamos proferens, ad tibiarum lingulas aptos: unde fortasse occasio fab. Ex hac palude oriuntur et Marsyas fluv. et Mæander: de utroque Max. Tyrius. *Farn.*

FAB. VI. 401 *Talibus exemplis*] Scribe *extemplo;* ut optime Florentinus S. Marci, et unus Strozzæ pro diversa lectione. Mox *lugent*, pro *luget*, nonnulli. *Heins.*

403 *Mater*] Niobe Tantali filia, soror Pelopis, qui in luctu ob sororem vestes lacerans ad planctum, vel mutaturus purpureas pullis, ut infra vs. 507. ostendit humerum eburneum, quem suppleverant Dii; quos cum excepisset Tantalus, iisque filium inter alias epulas apposuisset, abstinuerunt cæteri, Ceres sola ex humero decerptum edit. Pindarus Ode Olymp. I. *Farn.* *Hanc tunc quoque dicitur unus*] *Tamen hanc quoque dicitur* ex primo Gronovii, Arondel. et decem aliis; ni mavis, *sic hanc quoque.* Heins.

404 *Flesse Pelops*] Pelops enim Tantali fuit filius. *A pectore postquam Deduxit vestes*] *Ad pectora*, quomodo meus, quem ab Ægidio Menagio habui, et fragmentum Moreti. Dictum Amor. l. I. 7. 48. Malim etiam *humerisque.* Heins.

405 *Ebur ostendisse sinistro*] Eleganter codex Palatin. *Ebur ostendisse sinistrum.* Idem.

406 *Concolor huic humerus nascendi tempore dextro*] *Hic humerus* meliores; sinister videlicet. *Idem.*

Digitized by Google

411 *Illo facto*] Illo Deorum beneficio.

Fab. vii. viii. Arg. *Finitimi, &c.*] Tereus rex Thracum, cum Athenas obsidione liberasset, accepta in uxorem Progne Pandionis regis filia, in Thraciam rediit, ubi cum jam filium suscepisset, rogatus ab uxore, ut aut se Athenas deduceret, aut saltem ad se Philomelam sororem arcesseret, profectus ipse Philomelam quidem a patre accepit, sed cum in Thraciam pervenisset, non solum ei vim intulit, sed linguam etiam, ne vulgare scelus posset, amputavit, ac suis stabulis mancipavit. Cæterum Philomela, tanta crudelitate stimulata, totum infortunium suum in velo descriptum sorori indicavit. Progne vero, furiis accensa, Bacchi sacra se celebraturam simulans, una cum Bacchis ad sororem venit; eamque secum pampinis tectam in urbem adduxit, in cubiculoque suo occultavit. Perfectis vero Bacchi sacrificiis, Progne Ityn communem filium interemit: cujus carnes coctas patri apposuit comedendas. Cum vero Tereus Ityn filium inter cœnandum frequenter vocaret, Philomela cubiculo exiliens, caput filii ac pedes in Tereum conjecit: qui stricto ense cum ambas persequeretur, ipse quidem in upupam, Itys in phasianum, Progne in hirundinem, Philomela in lusciniam conversi fuisse narrantur.

414 *Argosque*] Argos urbs est clarissima Peloponnesi, quæ variis nominibus est cognominata. *Et Sparta*] Regio Laconicæ. At Strabo urbem Lacedæmoniorum Spartam vocat. *Pelopeiadesque Mycenæ*] Mycenæ urbs est Peloponnesi, quas Pelops non condidisse, sed auxisse fertur, unde et *Pelopeiades* vocat poëta. Vel potius Pelopidæ, hoc est, posteri Pelopis, Mycenas auxerunt. *R. Pelopeiadesque*] Διὰ τὴν τῶν Πελοπιδῶν εἰς Μυκήνας μεθίδρυσιν, inquit Strabo l. viii. Namque Agamemnon, rerum potitus, Argolicum regnum Mycenæo adjecit: Laconicum Menelaus tenuit. *Farn.*

415 *Torvæ*] Iratæ, immisso in Calydonios agros apro, quod Œneus Ætolus rex primitias Diis obtulisset præterita Diana. l. viii. *Farn. Et nondum Calydon*] Urbs est Ætoliæ, a Calydone Endymionis filio cognominata.

416 *Orchomenosque ferax*] Recte *ferax*: nam λιπαρὰν Ὀρχόμενον vocavit Pindarus, Olymp. Od. xiv. Ἀφνειὸς Apollonio dicitur Argonauticon tertio: hic tamen id ferri non potest, cum versu proximo Messene etiam 'ferax' dicatur. Vetustiores *Orchomenosque ferox*: quidam *Messenesque ferox*. Pato scribendum, *Orchomenosque, Pheræque, et nobilis ære Corinthus*; vel *Pharæque*, ut a Pheris Thessaliæ distinguantur: nam Stephano Φαραί tam Messenes, quam Achaiæ oppidum; neque aliter Herodotus. Homero Φάρη. A Ptolemæo φαραὶ ad Messeniacum sinum in Peloponneso ponuntur. Sic apud Gratium de canibus, 'Comparat his versuta suas Athamania fraudes, Argivusque, Pheræque, et clandestinus Acarnan:' ita scribo. Vulgati nullo sensu, *Acyrusque*. Exaratum fuerat *Arcivusque*, solenni librariorum lapsu, mutato *g* in *c*. *Taygetusque*, quod doctissimo amico meo videbatur, longius abit a vestigiis membranarum, et de Spartania seu Laconicis aget postea Gratius. Ἀργάλιδες inter nobiliores venaticas a Polluce recensentur. Sequitur non longe post apud eundem Gratium, 'Ad vestram non vile genus, non patria vulgo Sparta suos et Creta suos promittit alumnos.' Locus contaminatissimus. Scribe, *Par vestro non vile genus, Nonacria, vulgo Sparta suos et Creta suos promittit alumnos.* Nihil enim causæ erat, cur Gratius canes Arcadas, tantopere in venatu ab omnibus commendatos, omitteret, re-

Digitized by Google

cupitis aliis longe ignobilioribus. Hos recte Spartanis et Cretensibus, qui maxime vulgares, conjungit; quod et noster in Actæonis fabula fecit. Eos autem leporinæ venationi habiles fuisse existimatos in comperto est. Noster Artis Am. lib. I. 'Mænalius lepori det sua terga canis.' Potest etiam apud Gratium scribi, *Per vestro non vile genus nunc, Caria, vulgo.* Cares enim Cretensium traducos. Certe eos non minus quam Arcadas et Argivos Oppianus commendat. At si vulgatæ apud Gratium scripturæ credendum, nec Argivos ille, nec Arcadas, nec Cares commenderit. Præstat tamen prior conjectura. 'Vulgus' pro canibus idem Gratius alibi quoque non semel dixit. Nunc ad Nasonem redeamus. *Heins. Orchomenosque*] Arcadiæ opp. Neque enim hic de illo Bœoticæ mentio. *L. Nobilis*] Corintho a L. Mummio capta et incensa, in commune flaxit quicquid erat in statuis et vasis auri, argenti, æris. Flor. l. II. 16. Plin. XXXIV. 1.

417 *Humilesque*] Πάλαιμα inter Argos et Corinthum. Strab. VIII. *Patraque*] Urbs est Achaiæ. *Humilesque Cleonæ*] A Strabone inter Argolicas urbes numerantur Cleonæ. 'Humiles' autem poëta vocat, non a situ, sed a quantitate. Modicum enim fuit oppidum. *Laet.*

418 *Nelei*] Neleo Nestoris patri pegnata. *Nec adhuc*] Nondum Pittheus Thesei avus maternus ibi regnavit. *F. Et Nelei Pylos*] Urbs est in Messenia. *Trœzen*] Trœzen urbs est Peloponnesi.

419 *Quæque*] Urbes aliæ Peloponnesiacæ, quas claudit Corinthus ἀμφιθάλασσος, in Isthmo inter Ægeum et Ionium mare sita.

420 *Exterinaque*] Urbesque Achaicæ, extra Isthmum. *Farn. Ab Isthmo hinari*] Isthmus brevis dicitur terra inter duo maria constituta. Isthmus vero Peloponnesi et Ægæum mari et Ionio alluitur. Intra Isthmum autem sunt Peloponnesi urbes, extra vero Achaiæ.

421 *Credere quis*] Hæc interrogatio eo spectat, ut significet Athenienses et humanissimos et officiosos maxime fuisse. *Laet. Sola*] Quis crederet urbem humanitatis studiis claram defuturam officio? sed excusanda erat, quippe obsidione pressa a barbaris, forte Amazonum copiis. *Farn. Cessantis Athenæ*] *Cessantis* et *possit* meliores. *Heins.*

424 *Threicius*] Thracia rex, filius Martis. *Farn.*

426 *Pandion*] Rex Athenarum. *Opibusque*] Δυνάμεσι ἔρωμαι, inquit Pausanias, in Atticis, sibi regem Thracia affinitate junxit. *Farn.*

428 *Progues*] Vetustiores et hoc et aliis locis *Procnes*, Græcorum more: ut *cycnus* pro *cygnus*; Πρόκνη καὶ κύκνος: neque aliter apud Virgilium Georgic. l. IV. vetustissimi codices scribunt; et in antiquo marmore Romæ, CAECILIA PROCNE DIANAE VALERIANAE. *Heins. Non præmulsa*] De inauspicatis nuptiis, vide quæ nos ad Senecæ Medeam vs. 16. Octav. vs. 88. ad Lucan. l. II. 355. et deinceps. Æneid. IV.

430 *Eumenides tenuere faces*] Furiæ, inquit, infernales prætulerant faces novæ nuptæ, quas de funere rapuerunt. Dicuntur autem Eumenides furiæ, κατ' ἀντίφρασιν, quasi minime benevolæ. *Eumenides tenuere faces*] Sen. Octav. vs. 24. 'Illa, illa meis tristis Erinnys Thalamis Stygios prætulit ignes.' Ἐν αἰθέρι, οὐν πάντῃ. 'Fumida lumine fulvo Involvi.' Virgil. de Lavinia: Φοίβοις ἐμφαίνοις. 'Adest, adest fax, obvoluta sanguine atque incendio.' Videatur Cicero de divinat. I. 'Diro ferales omine tædæ.' Lucan. I.

431 *Profanus bubo*] Dirum mortalibus omen, l. V. vs. 550. *Farn.*

Digitized by Google

433 *Hac ave*] Hoc augurio.

435 *Disque ipsis grates egere*] Imo *ipsi*; quod primus Gronovianus, unus Leid. et Lovan. confirmant. Superiori versu *gratataque scilicet illis* non *gratata est* primus Moreti, Langerman. et quatuor alii. *Heins.*

436 *Quoque data est*] *Quaque* tam hoc quam proxime sequenti versu meliores. Et tum *festam* scribe pro *festum*; quomodo Gronovianus tertius, et duo alii. *Idem.*

439 *Repetitis annis*] *Repetiti anni* vetustiores. *Idem.*

440 *Si gratia ulla mea est*] Si quid apud te possum.

441 *Visendam mitte sorori*] *Visendæ* legendum, quicquid dissuadent libri veteres. Certe *visenda* in primo Strozzæ et uno Medic. *Heins.*

442 *Magni mihi muneris instar*] *Numinis* optimus Thuaneus, Arondelianus, et sex alii; probe. Lib. XIV. 'Numinis instar eris semper mihi.' Et ibid. 'et offer Conjugis ora mihi; cœlum aspexisse fatebor.' Mox *Piræaque littora* non *Pyræaque*. Græcis πειραῖα. *Idem.*

446 *Cecropios portus*] Athenienses. *Piræaque littora tangit*] Attica. Athenarum portus, Piræum. *R.* *Piræaque*] Piræum, inquit Pausanias in Atticis, δῆμον μὲν ἐκ παλαιοῦ, navale et portum fecit Themistocles; namque Phalerum prius navale fuerat Athenis. *F.*

447 *Dextera dextræ*] *Dextraque* multi veteres. Deinde pro *infausto committitur omine sermo* cave legas *ordine*: quod multos codices tam editos quam scriptos occupavit. Virg. Æneid. XI. 'Tristis ubi infausto committitur omine pugna.' Valerius Flaccus l. VII. 250. 'tristes thalamos infaustaque cerno Omina:' sic scribendum; ubi vulgo legitur *infestaque cerno Omnia*. Claudianus præfatione l. II. in Eutropium, 'Infaustum populis in se convertitur omen.' Et Raptu Proserpinæ, 'Somnia quin etiam variis infausta figuris Sæpe monent.' Noster ipse Trist. II. 'Carmina fecerunt, ut me cognoscere vellent Omine non fausto.' Contra 'faustum omen.' Silius l. III. 'Jamque Deum regi Martique sub omine fausto Instauratus honos.' Libro IX. 'Haud secus ac si fausta forent et prospera pugnæ Omina venturæ.' Noster l. IX. 'fausto tamen omine læta Mater abit templo.' *Heins.*

450 *Recursus celeres*] Veloces reditus. *Missæ*] Philomelæ. Quæ quidem nondum fuerat missa, sed si missa fuisset, celerem pollicebatur Tereus reditum.

451 *Magno paratu*] Ornatu. *R.* *Ecce*] Ne a notis pura vacet margo, neve amatoriis impura sordeat, adnectere visum est fabulam, uti alias refertur ab Ant. Liberali: cujus Metamorphos. liber rarior est. Πανδάρεως ᾤκει γῆς τῆς Ἐφεσίας, &c. Pandareus in agro Ephesio habitavit. Huic filia erat Aëdon, quam in matrimonium dedit Polytechno fabro qui Colophone Lydia habitavit. His unicus erat filius Itys. Ex dissidio cum uxore Polytechnus ad socerum proficiscitur; ubi simulat se ab uxore missum ad adducendam secum sororem Chelidonem. Pandareus nihil suspicatus mali, filiam Chelidonem illi committit. Cui Polytechnus in sylva virginitatem eripit: tonso deinde capite, aliis eam vestibus induit, mortem minatus si quid horum unquam Aëdoni indicasset; ita domum reversus eam ancillæ loco uxori tradit. Aliquandiu eam soror operis exigendis attrivit: donec Chelidonis cum urna ad fontem deplorans calamitatem suam, a sorore exaudita est. Ubi vero se mutuo agnoverunt, malum illico Polytechno machinabantur. Filium ejus in frusta conciderunt, carnes in ollam conjectas coxerunt; cumque Aëdon vicino suo mandasset, ut Polytechnum eas edere juberet, ipsa cum sorore ad patrem Pandareum

Digitized by Google

pervenit, indicavitque in quas devenisset miserias. Polytechnus, cognito se filii sui carnes epulatum fuisse, eas ad patrem usque insequutus est. Famali eum Pandarei, quod tantum familiæ Pandarei probrum intulisset, correptum vinculis constrinxerunt; corpusque melle innutum in pascuum projecerunt: ubi cum muscæ eum vexarent, Aëdon, pristini amoris memor, eum miserata muscas abigebat. Quod ubi deprehendissent parentes et frater, odio concitati eam interficere statuerunt. Sed Jupiter Pandareum miseratus, antequam graviora in domum ejus inciderent mala, eos omnes in aves convertit: quæ partim ad mare provolabant, partim in aërem subvolaverunt. Pandareus mutatus est in Halyætum, mater Aëdonis in Halcyonem: sequè statim in mare dejicere voluerunt, sed id Jupiter prohibuit. Polytechnus in Pelecanem transiit, quod ei Vulcanus fabricanti securim dedisset. Frater Aëdonis upupa extitit. Aëdon in luscinium versa, circum fluvios et nemora filium Ityn deplorat. Chelidonis hirundo facta est, hominum contubernalis, Dianæ beneficio, quod invita virginitatem amiserat, plurimum invocata Diana. *Farn.*

454 *Si modo des illis cultus, similesque paratus*] *Cultus illis* nonnulli: videtur scribendum, *Si modo des cultus similes, similesque paratus.* Neglexerat librarius geminare τὸ *similes*, solenni errore. *Heins.*

455 *Conspecta virgine Tereus*] *Thracus* in uno Mediceo et uno Ambrosiano; venuste. Sic infra, 'Thracius ingenti mensas clamore repellit.' Ausonius, 'Intulit incestam tibi vim, Philomela, ferus Thrax.' Posset et *Threcus* legi. Vide Notas Trist. l. iv. 1. 21. 'Thraca tellus' et 'Thraca palus' apud Virgilium, Horatium, Val. Flaccum, alios. *Idem.*

456 *Quam si quis ignem supponat aristis*] Sic poëta de Apolline, Metam. i. 492. 'Utque leves stipulæ demtis adolentur aristis, Ut facibus sepes ardent, quas forte viator Vel nimis admovit vel jam sub luce reliquit; Sic Deus in flammas abiit, sic pectore toto Uritur.'

461 *Curam*] Custodiam.

465 *Effrenus captus amore*] *Inopino* Priscianus, et pro diversa lectione codex Urbinas. Mox *curas* pro *flammas* unus meus. Vide Notas ad lib. Remed. Amor. vs. 495. *Heins.*

468 *Mandata ad Prognes*] Alii *Ad Prognes mandata.* Vetustiores *Ad mandata Procnes*, eleganter et Græcorum more: sic in Antholog. Χαῖρε Πρόκνη παρὰ σεῖο κασιγνήτης Φιλομήλης. Petronius, 'Dignus amore locus: testis silvestris Aëdon, Atque urbana Procne:' sic scribendum; perperam in vulgatis *silvester iaedon.* Idem Petronius 'Et lauro redimita Daphne,' priore correpta; quomodo et in *cynus* apud Horatium ac Ausonium: secundam quoque syllabam in *Thrapnæus* apud Silium lib. xiii. correptam invenias. Pro *sub illa*, etiam recte, *illis* unus Mediceus. *Idem.*

477 *Petit illa*] *Usque* rectius vetustiores, vel, *ipsa.* Idem.

478 *Præcontrectatque videndo*] Hoc est, ante oculis quam manibus sibi eam contrectare videtur.

483 *Amborum prece*] *Amborum* vetust. sequentia confirmant. *Heins.*

485 *Quod erat lugubre*] *Erit* cum altero Hamburgensi. *Idem.*

486 *Jam labor exiguus Phœbo*] Significat finem diei advenisse.

487 *Equique Pulsabant pedibus spatium declivis Olympi*] Item Metam. ii. 156. 'hinnitibus surdis Flammiferis implent, pedibusque repagula pulsant.'

490 *At rex Odrysius*] Odrysæ populi sunt Thraciæ, et Odrysa urbe eorum, quæ et Odrysia dicitur, unde Odrysius derivatur. Eleganter autem amantum cogitationes describit poëta.

Digitized by Google

491 *Repetens faciem, motusque, manusque*] Sic Virgil. Æneid. IV. de Didone: ' Multa viri virtus animo, multusque recursat Gentis honos, hærent infixi pectore vultus, Verbaque; nec placidam membris dat cura quietem.' Et paulo post, ' illum absens absentem auditque videtque.'

495 *Lacrymis commendat obortis*] *Committit* pri. Gronov. et duo alii. *Heins.*

497 *Ut voluere ambæ*] Quidam codices hunc versum superiori præmittunt; ego ejiciendum censeo: nonnulli, *Et voluere*. Pro *pia causa coëgit* alter Hamburg. et unus Mediceus *subegit:* sic Virgilius aliique passim: Georg. lib. IV. ut quidem scripti codices uno consensu agnoscunt, ' dum gravis aut hos Aut hos versa fuga victor dare terga subegit;' nam vulgati *coëgit:* dixi nonnihil ad Claudianum. Silius lib. I. 622. ex optimis membranis, ' populi ferro parere subacti.' *Idem.*

499 *Patrio ut tuearis amore*] Tò *ut* non agnoscunt secundus et quartus Mediceus cum Mureti Excerptis; eleganter. Pro *sollicito* lege *sollicitæ senectæ* cum utroque Hamburgensi, et decem aut duodecim aliis. *Idem.*

502 *Satis est vidisse sororem*] *Procul esse* scripti omnes, uno Patavino et uno Strozzæ exceptis; quod cur rejiciamus, nihil causæ est. *Idem. Satis est procul esse sororem*] Satis est, inquit, quod Progne longe a me abest.

506 *Dextras utrasque poposcit*] *Utrisque* ex Prisciano l. VIII. *Heins.*

507 *Natamque nepotemque*] Et Prognem et Itys.

508 *Pro se*] Nomine suo, et suis verbis. *Rogat salutent*] *Jubet* Sixianus, et unus meus; ex veteri formula, ' Jubeo salvere.' *Heins.*

511 *At simul*] Multi veteres, *ut semel.* Idem.

512 *Telluseque*] Hypallage: vel ita judicante oculo, qui motu conspecto se quiescere sibi visus, terram retrocedere opinatur: ' Provehimur portu, terræque urbesque recedunt.' Æn. III. Vide quæ nos ad lib. II. 466. *Farn.*

514 *Exultatque*] Hic etiam versus est suspectus. *Heins.*

516 *Non aliter*] ' Qualis ubi aut leporem aut candentem corpore cycnum Sustulit alta petens pedibus Jovis armiger ales.' Virgil. Georg. III. *Farn. Pedibus aduncis*] *Obuncis* Florentinus S. Marci, et Neap. cum duobus Mediceis: bene *abuncis* unus Moreti, et tres alii. Proximo versu *sido in alto* multi ex melioribus pro *ab alto.* Heins.

520 *Pandione natam*] Philomelam.

524 *Et virginem et unam Vi superat*] Maximam hominis barbariem ostendit Poëta, qui sustinuerit virginem, et solam, et sibi creditam, et patrem, et sororem, et inprimis Deos implorantem violare. *R. Fassusque*] Nefandum professus amorem. *Et unam*] Aliter refertur hæc fabula ab Hygino. Tereus Athenas ad Pandionem socerum venit rogatum, ut Philomelam alteram filiam sibi in conjugium daret: Prognem suum diem oblisse. Pandion ei veniam dedit, Philomelam et cum illa custodes misit; quos Tereus in mare præcipitavit: Philomelam deinde in monte compressit. Fab. 45.

528 *Excussa*] Ejecta. *Cani lupi*] Lupi namque canicie infecti esse videntur.

530 *Horret*] ' Terretur minimo pennæ stridore columba, Unguibus, accipiter, saucia facta tuis.' Ovid. Trist. lib. I. *Farn.*

532 *Lugenti similis*] Versus adulterinus. *Heins.*

533 *O diris barbare factis*] Duo veteres *Prob.* Scribe, *Pro diri barbare fasti, Pro crudelis, ait.* Idem.

537 *Omnia turbasti*] Omnia, inquit, jura et humana et divina confudisti. *Pellex ego facta sororis, Tu geminus conjux*] *Geminis* primus Gronovii; *sorori* unus meus chartaceus: utrumque

Digitized by Google

probum. *Heins.*

538 *Non hæc mihi debita pœna est*] *Hostis mihi debita* veteres plerique. Hoc hemistichium puto additum a sciolo: et lacunam esse relinquendam, quales in Virgilio etiam multæ occurrunt. *Idem.*

539 *Quia animam hanc*] Multi delent τὸ *hanc*. Idem.

542 *Si tamen hoc*] *Hæc* meliores. *Idem.*

548 *Audiet*] Iidem *Audiat*. Idem.

551 *Vagina liberat ensem*] E vagina eripit ensem.

552 *Arreptamque coma*] *Arreptaque* nonnulli. *Heins.*

555 *Ille indignantem*] *Indignanti, vocanti*, et *Luctantique loqui*, Arondelianus; quod probo. Pro *forcipe* prim. Medic. prim. Erfurt. prim. Vatic. unus Mentel. et Noricus, *forpice*. S. Marci, *forfice;* ut et Spirensis. Sic lib. IX. 'ceu guttura forcipe pressus.' Et lib. XII. 'quod forcipe curva Cum faber eduxit.' Posteriore loco idem S. Marci codex *forfice:* priori *forpice* Bernegg. Spir. et prim. Vatic. *Idem.*

558 *Tremens immurmurat atræ*] Puto *fremens;* quod et alibi non semel corruptum: 'tremens' enim, et 'palpitat,' quod sequitur, eadem sunt. *Idem.*

559 *Utque*] 'Qualis sæpe viæ deprensus in aggere serpens, Ærea quem obliquum rota transiit, aut gravis ictu Seminecem liquit saxo lacerumque viator,' &c. Æn. v. *Farn.*

561 *Hoc quoque post facinus*] Post extractam linguam.

562 *Lacerum corpus*] Lingua mutilatum.

565 *Commenta funera*] Fictam Philomelæ mortem. *R. Commentaque*] Iis qui peregre interierant extruebantur κενοτάφια, imaginaria sepulchra, ad placandos defunctorum manes transitumque Stygium impetrandum.

566 *Et lacrymæ fecere fidem*] Scribe *Ut lacrymæ*. Deinde *Deripit* pro *Diripit*, ex fide vetustiorum: de quo alibi. Lib. IX. 'a pectore vestem Deripuit.' Apud Maronem lib. X. in veterrimis exemplaribus, 'Strymonio dextram fulgenti deripit ense.' *Heins. Et lacrymæ fecere fidem*] Efficerunt lacrymæ, ut Progne mortem Philomelæ veram esse crederet.

569 *Falsis manibus*] Cum nondum Philomela mortua foret. *Piacula manibus infert*] Male alii *offert:* hinc enim et 'Inferiæ.' Pari modo apud Maronem Æneid. v. de inferiis, 'nec meritos Anchisæ inferret honores.' *Piamina* Arond. voce Nasoniana. *Heinsius.*

571 *Signa Deus, &c.*] Jam, inquit, duodecim transierant menses. *Lustraverat*] Illustraverat: quo enim in signo Sol est, idem illustrare videtur, quanquam circuierat quoque intelligere possumus. *R. Deus*] Apollo, Sol, et est anni notatio. *Farn.*

573 *Mœnia*] Parietes.

574 *Os mutum facti caret indice*] Os, inquit, mutum scelus indicare non potest. *Grande*] 'O quantum est subitis casibus ingenium!' Martial. Epigr. Spect. XIV. *Farn. Grande doloris ingenium est*] *Doloris* in quatuor scriptis: ut verbum substantivum forte *sit* tollendum. *Heins.*

576 *Stamina suspendit candida*] Multi ex vetustioribus *pallida;* sed *callida* verum est, quomodo Zulichemianus. Cantabrigensis etiam, et unus meus, cum Moreti fragmento, pro diversa lectione. Lib. IV. 'Callida per tenebras versato cardine Thisbe Egreditur.' Lib. VII. 'quas tempore callida parvo Colchis amicitiæ mendacis imagine cepit.' Simile mendum ex Propertio quoque tollendum IV. Eleg. 3. 'Assidet una soror curis, et callida nutrix Pejerat hyberni temporis esse moras:' vafra, inquit, nutrix pejerat moram reditus tui hybernæ tempestati esse imputandam. Codices scripti editique perperam illic *pallida nutrix*. Idem. *Stamina*] 'Ἐνεοῦ κουκλίμασι στήμασι χρησαμένη. Theocr. 3.

Digitized by Google

Chil. 142. ἱστοπόνος Φιλομήλη Μαρτυρίην βοόωσα λιπογλώσσοιο σιωπῆς. Nonn. Dionys. 12. *Farn.*

577 *Purpureas notas*] Rubras literas.

578 *Indicium sceleris*] A Tereo perpetrati. *Uni*] Ex ancillis.

579 *Illa rogata*] *Ille* primus Mediceus, excerpta Calandræ, prior Hamburg. et octo alii: quomodo Urbinas quoque et Neapol. pro diversa lectione: quod si admittimus, ut admittendum censeo, mox pro *nec quid tradat in illis*, repono, *quid tradat nescius illi:* nam nonnulli, *quod tradat nescit in illis*, vel *quid tradat nescia in illis*, aut etiam, *quid nescia tradat in illis*, ut de ancilla sermo sit. Lib. IX. 'quid tradat nescia, luctus Ipsa suos tradit.' Lucanus lib. VII. 'Mœret, et ignorat causas, animumque dolentem Corripit, Emathiis quid perdat nescius arvis:' ita optimæ membranæ. Vulgati, *quid perdat nescit in arvis*. Duo veteres, *ille rogatur:* nonnulli *rogatum*. Heins.

581 *Evolvit*] Explicat. *Sævi matrona tyranni*] Progne uxor crudelis Terei. *Vestes*] Velum a Philomela missum. *R.*

582 *Fortunæque suæ*] Tres Vossiani, unus Moreti, unus Patav. *Germanæque suæ:* rectius. *Heins. Carmen*] Narrationem, indicium. Lege sis l. I. Antholog. cap. 9. qualia verba scripsisse potuerit Philomela ad sororem. Alterum epigr. orditur, Σός με πόσις κακοεργὸς ἐνὶ σπήλυγγι βαθείῃ· alterum, Χαῖρε Πρόκνη παρὰ σεῖο κασιγνήτης, &c. *Farn.*

585 *Defuerant*] *Defuerunt* unus Vossii: bene. *Heins.*

587 *Trieterica*] Orgia tertio quoque anno repetita in memoriam triennalis expeditionis Liberi patris in Indiam.

588 *Sithoniæ*] Thraciæ mulieres. Sithonia regio est Thraciæ. *Farn. Nox conscia sacris*] Nocte enim sacra Bacchi celebrabantur. *Nox conscia sacri*] *Sacris* meliores: et sane præcesserat 'sacra,' non *sacrum:* sic apud Maronem in veterrimo codice Mediceo aliisque lib. IV. 'conscius æther Connubiis.' Ausonius Parental. carmine IV. ut in Vossiano scribitur exemplari, ex quo Elias olim Vinetus istud poëma edidit, 'Tu cœli numeros et conscia sidera fatis Callebas:' *fati* nunc legitur. Neque obstant Virgilii et Manilii loca a Vineto adducta, cum utrumque sit in usu. Lib. VII. Noster, 'Hecate quæ cœptis conscia nostris Adjutrix venis.' *Heins.*

591 *Furialiaque*] De Bacchanalium immanitate, vide quæ ad III. 528.

592 *Cervina Vellera*] Nebrides. *Farn.*

593 *Levis hasta*] Quæ pampinis ornata thyrsus vocatur.

596 *Stabula avia tandem*] *Stabularia* fragmentum Moreti et unus Palat. Boxhornii fragmento τὸ *avia* abest. *Heins.*

597 *Evoëque sonat*] Utitur Baccharum clamoribus. Nam Evoë et Evan in sacris Bacchi jactabantur ab iis qui ipsum invocabant. Evoë Græce εὖοι, quasi dicas, *bene sit tibi*. R. *Evoëque*] Lib. IV. 523. *Farn.*

599 *Frondibus abdit*] *Obdit* tres scripti: *addit* pri. Vatic. et duo alii: *ambit* quatuor. *Heins.*

600 *Intra sua mœnia*] *Limina* sec. Palat. Urbin. Excerpta Jureti, et sex alii; quod magis placet, cum a sequentibus confirmetur. *Idem.*

603 *Nacta locum Progne*] Secretum subaudiamus. *Sacrorum*] Habitum et ornatum Bacchantis, quo modo Philomelam in simulatis Orgiis dissimularat, exuit. *Farn.*

604 *Ora develat sororis*] *Sorori* septem veteres: bene. *Heins.*

605 *Amplexumque petit*] *Amplexusque* tres; duo *Amplexamque*. Lege *Amplexuque petit*, cum duobus Mediceis et uno Boschiano; ora, videlicet. Sic Epist. Hypermnestræ, 'Dum petis amplexu, sopitaque brachia jactas:' ita enim illic scribendum. *Idem.*

Digitized by Google

607 *Dejectoque in humum vultu*] *Dejectaque* quartus Medic. unus item *in humo*. Forte, *Dejectæque in humo vultum jurare volenti*. Idem.

611 *Non est lacrymis hoc, inquit, agendum*] *Hic* scribe; nam duo libri *his*. Lovaniensis pro diversa lectione; ut conjecimus. *Idem*.

612 *Seu si quid habes*] *Sed si quid* ex scriptis. *Idem*.

614 *Cum facibus cremabo*] Scribe, vel invitis libris, *cremaro*. Idem.

615 *Artificem*] Auctorem, actorem sceleris hujus incestus nefandi. *Farn.*

616 *Et quæ tibi membra*] *Aut* rectius multi veteres: et *Abstulerunt* pro *Abstulerant* cum melioribus: et *magnum quodcunque* sine *est*. Heins.

619 *Quid sit adhuc dubito*] Nondum, inquit, decrevi quo malo Tereum affectura sim. *Quid sit*] Futurum subaudiatur. *Peragit dum talia Progne*] Dum talia loquitur et minatur.

620 *Ad matrem veniebat Itys*] Pueri Prognes et Terei filii nomen, qui et *Ilybus* fuit cognominatus. *Quid possit ab illo Admonita est*] Quo malo, inquit, afficere Tereum possit ex Ityli adventu cognovit, de illo namque interficiendo cogitare cœpit. *R.* *Itys*] Ex Helladio Photius hic ita narrat: ὃς Ζήτης ὁ Βορέου ἔλαβεν Ἀηδόνα, &c. Zeten filium Boreæ duxisse Philomelam filiam Dulichii Pandarei: illis filium natum esse nomine Actylum. Philomela autem suspicata virum Nympham quandam Hamadryadem adamare, zelotypa, cum filius Actylus illi videretur conscius ac adjutor furtivi concubitus, eum venatu redeuntem interfecit. Venus autem miserata calamitatem, matrem in luscinia mutavit. *Farn.*

622 *Et similis patri*] *Quam similis patri es* non inconcinna repetitione unus Basil. et unus Medic. *Heins.*

625 *Parvis adduxit colla lacertis*] *Matris lacertis* primus Moreti, pri. Hamburg. et alii duo: *patriis* Moreti fragmentum. Forte *veris*. Lib. IX. 'tenens varas in statione manus.' Lib. II. 'longos quoque brachia vara Esse putes ramos:' sic omnino scribendum puto, ubi *vera* nunc circumfertur. Martial. Epigr. VII. 33. 'Vara nec injecto ceromate brachia tendis;' ut ibi legendum viri docti jam monuerunt. Statius Theb. VI. 'Collaque demersere humeris, et brachia late Vara tenent.' *Idem*.

627 *Infractaque constitit ira*] Puto *concidit*. Idem. *Infractaque constitit ira*] Hoc est, ira quam conceperat in filium Progne ipsius blanditiis fracta est. 'Infracta' namque hoc loco valde et penitus fracta intelligitur. *Infracta*] Redi ad Amor. II. 9. vs. 52.

628 *Lacrymis maduere coactis*] Redi ad Amor. I. 8. vs. 82.

629 *Ex nimia mentem pietate labare*] *Mortem* Cantabrig. Oxon. secundus Mediceus, prior Erfurt. Spirensis, uterque Hamburg. et octo aut decem alii. Lege *matrem* cum tertio Medic. Lovan. et uno Basil. *matrem*, pro materno adfectu. Seneca Medea, 'ira decessit loco: Materque tota conjuge expulsa redit.' Sic lib. VIII. de Althæa, 'pugnante materque sororque.' Libro XIII. 'postquam pietatem publica causa, Rexque patrem vicit:' quod non est mutandum. Statius Theb. XI. de Creonte, 'jam flectere patrem Incipit, atque datis abolere Menœcea regnis:' et postea, 'Mox redit in regem.' *Heins.* *Mentem labare*] Commoveri, flecti. Ter. Eunuch. I. 2. 'Labascit, victus uno verbo.'

630 *Ab hoc*] Ab hujus Ityli aspectu.

631 *Inque vicem*] Vicissim, per vices. *Cur admovet alter blanditias*] Cur valent apud me, alterius filii scil. blanditiæ, ut parcam, et non valet alterius (sororis Philomelæ) dedecus, propter quod linguam amisit, ut ulciscar? Mater quidem sum illius; sed eadem soror hujus. *Pont.*

634 *Pandione nata*] Seipsam alloquitur Progne.

Digitized by Google

636 *Gangetica tigris*] Indica, a Gange maximo Indiæ fluvio.

637 *Cervæ lactentem fatum*] Periphrasis est hinnuli.

640 *Et mater mater, clamantem*] In Bernegg. inter utrumque *mater* tres literæ erant erasæ; *et* vel *eia* fuisse videbatur. *Et eia mater clamantem* Neapolitanus a manu prima. Scribe, *Eia et jam mater clamantem;* quod est blandientis. Sæpe hanc vocem corruptam esse jam supra monuimus. Apud Senecam Hippolyto Act. II. 'Hecate triformis, eia ades cœptis favens, Animum rigentem tristis Hippolyti doma:' sic scribo. Vulgati *en:* veterrimus liber *æn.* Heins.

642 *Nec vultum vertit*] Malim *avertit* cum uno Vossiano. *Idem. Nec vertit vultum*] Magna matris sævitia atque indignatio, quæ citra vultus aversionem filium necâre sustinuerit.

643 *Jugulum*] Hinc vindiciæ Virgil. in Eclog. VI. 'Quas illi Philomela dapes, quæ dona pararit:' et aliis, qui Philomelam in hirundinem, Procnen in lusciniam mutatam referunt. Πανδαρέου κούρη, χλωρηΐς ἀηδών,...Παῖδ' ἀλοφυρομένη Ἴτυλον φίλον, ὅν ποτε χαλκῷ Κτεῖνε. Hom. Odyss. 19. Varro 4. Orig. Luscinia ex Attica Procne in luctu facta avis. Scholiastes Aristoph. Πρόκνη εἰς ἀηδόνα, ἡ δὲ Φιλομήλα εἰς χελιδόνα μεταβληθεῖσα. Sic Apollod. lib. III. et Tzetz. VII. Ch. l. 142. Πρόκνην εἰς ἀηδόνα, τὴν Φιλομήλαν ἥμεφων. θοὶ εἰς χελιδόνα. Ovid. ipse, Epist. Sapphus: 'Mater Concinit Ismarium Daulias ales Ityn.' Anacreon ut ad vs. 557. supra. Contra plurimorum autorum testimonium asseritur metamorphosis Procnes in hirundinem, Pholomelæ in lusciniam. *Farn.*

645 *Dilaniat*] *Dilaniant* ex castigatioribus. *Heins.*

648 *Et patrii moris sacrum*] Atheniense sacrificium. His autem verisimilia reddit ea quæ a Progne et Philomela perpetrata fuisse narrantur.

652 *Tantaque nox animi est*] *Animo* fragm. Boxhorn. *Heins.*

655 *Intus habes*] Intra temetipsum habes. *Ubi sit*] Itys subaudiatur. *Quem poscis*] *Quod poscis* meliores. *Heins.*

656 *Quærenti iterumque vocanti*] *Itymque* quinque veteres. Lege *Itylumque:* et mox *Itylique caput Philomela cruentum;* nam scripti omnes *Itysque* non *Itysque* cum vulgatis; nisi malis *filiique caput.* 'Ityli' ὑποκορισταῖς. Catull. 'Daulias absumti fata gemens Ityli:' et apud Homerum de aëdone Odyss. XIX. 'Παῖδ' ἀλοφυρομένη Ἴτυλον φίλον.' Tum etiam paulo ante reponendum, *Itylum huc arcessite, dixit.* Idem.

658 *Prosiluit*] *Prosiliit* ex scriptis, quia vocalis litera sequitur. *Idem.*

660 *Et mentis testari gaudia dictis*] *Meritis dictis* veteres plerique; et recte. *Idem. Meritis dictis*] Convenientibus verbis.

661 *Thracius*] Tereus Thracius tyrannus. *Repellit*] Evertit. *R. Thracius*] In Phocide, versus ortum Solis a Delphis, inquit Strabo l. IX. est oppidulum Daulis, ubi ferunt Terea Thracium imperasse: eodemque fab. de Procne et Philomela referunt, ut etiam Thucydides.

662 *Vipereasque*] Furias, IV. 452. et 580. *Farn. Ciet*] Vocat.

664 *Demersaque viscera gestit*] *Emersaque* vel *immersaque* plurimi veterum: tertius Mediceus, Jureti excerpta, et quatuor alii *semesaque;* quod verum est: neque aliter pro diversa lectione Neap. secund. Mediceus, et prior Hamburg. Sic 'semesa corpora' apud Petronium, 'semesa ossa' apud Statium, et Virgilium, et Silium: 'semesa præda' apud eundem, 'semesa lardi frusta,' et 'semesi pisces,' apud Horatium. Apud Silium libro VI. 'semesa membra.' *Heins.*

667 *Corpora Cecropidum*] Atheniensium Prognes et Philomelæ.

Digitized by Google

668 *Quarum petit altera sylvas*] Philomela, quæ in lusciniam fuit conversa. *Quarum*] Illæ, inquit Pausan. in Att. cum Athenas ad patrem confugissent mœrore et luctu contabuerunt. Inde nata fab. Procnem in hirundinem mutatam, filium Ityn lugere, Philomelam in lusciniam versam clamare, Τήρευς με ἐβλαψεν, ut habet comment. Hesiod. II. ἔργ. 567. quod avis utraque luctuosos edat cantus, ait Pausan. quamvis οὐδὲν ὄρνεον ᾄδει, ὅταν πεινῇ ἢ ῥιγοῖ, ἢ τινα ἄλλην λύπην λυπῆται, οὐδὲ αὐτὴ ἥτε ἀηδὼν, καὶ χελιδὼν, καὶ ὁ ὄπωψ, ἃ δὴ φασὶ δὰ λύπην θρηνοῦντα ᾄδειν. Plato in Phædone. Intra Daulios vero fines neque hirundo parit, neque luscinia apparet. Pausanias in Phocicis. *Farn.*

669 *Altera tecta subit*] Progne, quæ in hirundinem fuit transfigurata.

670 *Signataque*] 'Et manibus Progne pectus signata cruentis.' Virg. Georg. IV. *Farn.*

671 *Pennæ cupidine*] Qua Prognem Philomelamque afficeret. Upupam autem, quæ a Græcis Epops appellatur, Poëta describit.

674 *Facies armata videtur*] Ita etiam pennæ circa oculos sunt dispositæ, ut eos galea fere tectos habere videatur, ideoque torvo est aspectu hæc avis. *R. Epops*] Tereus upupa factus ποῦ ποῦ clamat. Tzetz. in Hesiodum. In tumulo autem Terei upupa primum visa est ab iis qui ibi parentabant: upupæ autem perpetuo hirundines atque luscinias insectantur. Photius ex Conone. *Farn.*

675 *Hic dolor ante diem*] Pandioni, dolore quem ex filiabus conceperat, mortuo, Erechtheus a Pallade educatus (ut scribit Homerus) et Atheniensibus rex traditus, in regno successit: cujus filiam Orithyiam amavit Boreas Thraciæ ventus, et rapuit, in Thraciamque asportavit: ex qua filios sustulit Zeten et Calaim, qui pueri quidem sine alis fuerunt: juvenes vero alati effecti, una cum aliis Argonautis ad vellus aureum rapiendum sunt profecti.

FAB. IX. 677 *Scepira loci*] Athenarum imperium. *Rerum moderamen*] Regni gubernationem. Videtur hoc loco Ovidius seriem historiæ, atque ordinem successionis regum Atticorum confundere. Primus enim Atticam tenuit Actæus. Post hunc regnavit Cecrops, gener Actæi. Post Cecropem Cranaus, quo per vim ejecto, regnum Amphictyon gener Cranai accepit. Amphictyoni autem successit Erichthonius, quem fabulæ ex Pallade et Vulcano genitum ferunt. Erichthonio Pandion, Pandioni Erectheus, is de quo hic dicitur. *Micyl. Erechtheus*] Pausanias in Atticis refert Pandionem posteriorem fuisse patrem Prognes et Philomelæ. Invertisse itaque temporum seriem et successionum ordinem videtur poëta, qui hujus Pandionis, qui a Metionidis regno pulsus obiit Megaris, successorem facit Erechthea, qui prioris Pandionis filius erat. Ita enim se habet series: Cecrops, Cranaus, Amphictyon, Erichthonius, Pandion, Erechtheus, Cecrops II. Pandion II. Ægeus. *Farn. Erichteus*] *Erectheus* Florentinus S. Marci. Lege *Erechtheus*, tam hic quam alibi. Græcis est Ἐρεχθεύς. Heins.

680 *Sed erat par forma duarum*] E quatuor filiabus duas æquales pulchritudine fuisse ait; Procrin, quæ Cephalo Deionei filio nupsit, et Orithyiam, quæ a Borea vento dicitur fuisse rapta. *R. Forma duarum*] *Duabus* cum uno Vossiano. *Heins.*

681 *Æolides*] Cephalus erat filius Deionei, cui pater Æolus, secundum Pausaniam; Deionei gener secundum Strabonem lib. X.

682 *Boreæ*] Boreæ Strymonis filio, Thraci, nuptias Orithyiæ ambienti in mora erat facinus recens Terei et Thracum nota sævitia. *Farn. Boreæ Tereus Thracesque nocebant*] Crudelitas, inquit, Terei ac Thracum, Boreæ

Digitized by Google

ne Orithyiam duceret uxorem nocebat.

683 *Dilectaque*] *Dilataque* codex Sixianus. *Heins.* *Deus*] Boreas.

685 *Horridus ira*] Terribilis indignatione. Boreæ autem naturam describit: est enim ventus valde impetuosus et violentus.

689 *Quarum me dedecet usus*] Quibus mihi turpe est uti. *R.*

690 *Apta*] Amatorum more, viribus et virtute sua gloriatur; sed Physice, nivium velleribus, grandinis globulis, conflictu cum ceteris ventis, fulgure, tonitru, terræ motibus. *Farn.* *Hac tristia nubila pello, Hac freta concutio*] *Ut pellam, ut concutiam* multi veteres: et mox *vertam, indurem*, et *pulsem: ut pello, ut concutio* Florentinus S. Marci, tertius Mediceus, excerpta Mureti, prior Erfurt. prior Strozzæ, et duo alii. Scribe, ut monuimus ad Epist. XVII. 181. ubi simile mendum tollebamus, *Apta mihi vis est: vi tristia nubila pello, Vi freta concutio, nodosaque robora verto:* quam conjecturam postea confirmavit codex Johannis Georgii Grævii, qui in manus meas pervenit dum hæc prælo typographico committuntur. Potest et pro *verto* legi *vello* cum uno Mediceo et uno Thuaneo. Certe in uno Leidensi et uno Ambros. *Vi freta concutio:* unus meus *Vi concutiam. I* et *T* literæ in scriptis exemplaribus frequenter confunduntur; ita libro proximo vs. 208. pro *aut* restituimus *avi.* Apud Valerium quoque Flaccum libro I. in pulcherrima Æsonis oratione similis error commissus, ubi pro *ut dent* reponendum *video en.* Audiamus illum, 'Sed patriæ valuere preces, auditaque magnis Vota Deis: video en nostro tot in æquore reges, Teque ducem: tales, tales ego ducere suetus.' Pro *video en* legebatur ante Carrionem *videam:* ille ex suo codice *ut dent* proxime verum reposuit. Recte autem *nostro in æquore;* cujus aperti laus Jasoni sit servata. *Heins.*

693 *Cælo aperto*] Aëre patenti, in quo venti confligunt.

694 *Tanto molimine luctor*] Tantis viribus resisto. *R.* *Nam mihi campus is est*] In cœlo aperto, in aëre libero est campus meus, in quo pro arbitrio volito ac discurro. *Pont.*

695 *Ut medius nostris*] Physicorum sententiam sequitur, qui ex collisione nubium tonitrua aiunt commoveri et fulmina emitti. *Nostris concursibus*] Sic Virgil. 'Venturi prælia venti.' Et Æneid. IV. 'Ac velut annosam valido cum robore quercum Alpini Boreæ, nunc hinc nunc flatibus illinc Eruere inter se certant.' *Intonet æther*] *Intonet* rectius nonnulli. *Heins.*

696 *Elisi ignes*] Expulsi: est autem fulminum periphrasis.

697 *Idem ego, cum subii*] Terræ motus ex physicorum sententia fiunt a ventis in cavernis terræ clausis, unde sine magno impetu exire non possunt.

701 *Non orandus erat mihi, sed faciendus*] Langermannianus et prior Twisdenius concinne, *Non orandus erat, sed vi faciendus Erechtheus.* Heins.

703 *Excussit pennas*] Concussit alas, ex quarum jactatione maximum ventum excitatum fuisse ait.

705 *Pulvereamque*] Eleganter, et ex natura sicci venti; unde Boreas vocatur, 'Scopa viarum;' et versu seq. 'Verrit humum.' *Farn.*

707 *Orithyiam adamans fulvis complectitur alis*] *Amplectitur* scripti fere omnes; sed hoc leve. Præterea legendum *Orithyiam amans*, cum primo et sec. Pal. primo Medic. Cantabrig. Oxon. aliisque compluribus. Florent. S. Marci, Urbinas, Neap. aliique nonnulli *Orythiam amans* proxime verum: aliter alii; sed mendose. Sic ultimam in *Iphigenian* corripuit in Pont. 'fecisse per auras Nescio quam dicunt Iphigenian iter. *Heins.*

Digitized by Google

710 *Ciconum populos*] Thraciæ populum ad Ismarum montem et Bistonidem lacum.

711 *Actæa*] Orithyia, ex Atticis Athenis. *Farn.* *Gelidi tyranni*] Boreæ venti, qui omnium frigidissimus.

712 *Gemellos*] Zeten et Calain: et tres insuper puellas, Cithoniam, Chionen, et Cleopatram. *Farn.*

715 *Subnixa capillis*] *Submissa* decem libri veteres; recte: sic et 'promissam barbam' dicebant. Nisi legendum *subpexa*, ut 'propexa barba' passim apud Poëtas. Certe unus meus *subnexa*. Heins.

720 *Vellera*] Pellem arietis auream, quam Phryxus cum ab eo ad Colchos usque incolumis fuisset delatus, Jovi Phryxio, hoc est, fugæ faventi, immolavit, ac ejus pellem aurei velleris, eidem dicavit. *R.* *Minyis*] Thessaliæ popul. ab Orchomeno fluvio Thessaliæ, qui prius Minyeus dictus est: vel a Minya filio Orchomeni, ut Scholiastes Apollonii ad Argonaut. lib. I. 230. Ab his, tanquam præstantissimis Argonautarum, cæteri omnes Minyæ dicti sunt. Erant et alii Minyæ Bœotici a Minya rege, filio Chrysæ, cui pater Neptunus: de quibus Pausan. in Bœoticis.

721 *Per mare non notum*] Pri. tert. Medicei, et undecim alii, *non tutum*. Legendum forte, *tritum*. Duo *non tactum*, ut 'intacti claustra freti' apud Claudianum bello Getico, ubi agitur de Argo. Valerius Flaccus tamen libro v. 660. de Jasone, 'maria et nondum qui nota subibat.' Tres codices *mare non totum*. Scribe *non motum*; et sic unus meus: quomodo et Constantius Fanensis in suis invenerat. Sic Amor. lib. II. 'O utinam, ne quis remo freta longa moveret, Argo funestas pressa bibisset aquas.' Val. Flaccus lib. v. 'Te sine, Thespiade, nos ulla movebimus ultra Æquora?' *Heins.* *Per mare*] Pelias, quo sibi retineret Thessaliæ regnum, quod tutelæ suæ commissum fuerat ab Æsone patre Jasonis sub hac fide, ut restitueretur Jasoni adulto; simul oraculo monitus, ut sibi caveret ab Æolidis, cum ex his multos de medio sustulisset, neque idem in Jasone liceret, sub prætextu specioso immortalis gloriæ ex repetito vellere aureo quod Phryxus in Colchidem portaverat, in certum mortis discrimen illum amandavit: qui tamen victor rediit. Is. Tzetzes ad Lycophronem ibi: τῆς ξεινοβάκχης ὅν ποτ' Οἰνάνης φυγάς. *Prima*] Primam hanc navem longam memorant Græci. Alii tamen priorem a Dauno factam narrant. Hæc ab artifice ejus, nomen sortita est Argo. Alii a celeritate dictam autumant. Sunt qui non unica nave, sed classe suscepisse Jasonem hanc expeditionem referant. *F.* *Prima carina*] Redi ad Amor. II. 11. 1.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google